PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

IUS CANONICUM

AUCTORE

P. FRANCISCO XAV. WERNZ S. I.

AD

CODICIS NORMAM EXACTUM

OPERA

P. PETRI VIDAL S. I.

TOMUS II

DE PERSONIS

EDITIO TERTIA

A P. PHILIPPO AGUIRRE S. I.

RECOGNITA

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

PIAZZA DELLA PILOTTA, 4

1943

IMPRIMI POTEST

Romae, 10 sept. 1943

P. EMMANUEL PORTA
Praep. Prov. Rom. S. I.

IMPRIMATUR

Romae, 20 oct. 1943

† ALOYSIUS TRAGLIA
Archiep. Caesariens. Vic. Ger.

ROMAE - TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

PRAEFATIO

Quod iamdiu multorum erat in votis atque assidue fuerat a pluribus supplicatum, prodit nova editio operis P. Xaverii Wernz, quod ipse inscripserat « Ius Decretalium » a praecipuo fonte unde ius ecclesiasticum ante Codicem erat repetendum, voluitque esse, non explanationem amplam et diffusam universi iuris ecclesiastici, sed succinctam licet completam, quae usui esset ad praelectiones de textu canonico in schola textu habendas.

In illo opere praesertim laudata fuerunt: 1°) methodus scholastica; 2°) praecipua cura impensa in tradenda historica evolutione singulorum institutorum ecclesiasticorum; 3°) idque maxime, solida informatio, quae suppeditatur scholaribus praelectiones secundum illum textum audientibus, in principiis canonicis; 4°) demum amplissima citatio textuum, in quibus innititur doctrina proposita, sive quoad textus qui exhiberent ius vigens, sive quoad illos qui permitterent historicam iuris evolutionem per aetates sequi, simul cum ampla litteratura canonica qua legenti praesto esset medium eandem doctrinam inveniendi fusius forte propositam apud canonistas praesertim classicos. Cum qua allegatione fontium et doctorum connectitur usus continuus iurisprudentiae ecclesiasticae, qua doctrina canonica confirmatur per allegationem causarum resolutarum in Sacris Congregationibus aliisque Dicasteriis Curiae Romanae.

Propter haec aliaque illius operis ornamenta, quorum utilitatem diuturna plurium annorum experientia compertam habebamus, nihil mirati sumus si opus canonicum egregii decessoris in cathedra textus canonici Universitatis Gregorianae habitum sit ut vera quaedam licet compendiosa encyclopedia canonica

atque inde fuerit excitatum desiderium ut illud opus denuo prodiret ad novi Codicis normam exactum.

Ut tam iusto desiderio fieret satis, libenter illi labori nec brevi nec facili humeros supposuimus, licet aliis occupationibus haud parum distenti. Et quoniam in hac re prius erat consulendum utilitati discipulorum, qui frequentant scholas textus canonici in Universitate Gregoriana, coepta est publicatio a Libro II, De personis. Quem tomum, Deo bene favente, subsequentur alii.

Non fuit magni laboris ordinem tractationis aptare ordini Codicis, quippe Auctor, relicto vel potius paulisper immutato ordine legali Decretalium, ordinem logicum sibi praestituerat, qui quoad substantiam cum ordine in Codice recepto concordat. Quodsi in universum religioni nobis fuit Codicis ordinem persequi, in hoc tamen volumine propter rationes pagina 189 sq. allegatas, quae nobis visae sunt vere graves, tractationem de beneficiis, de quibus in alio libro Codicis agitur, cum tractatione de officiis ecclesiasticis coniungendam censuimus.

Relate ad methodum in hac nova editione adhibitam, curavimus ut omnia, quae adhuc nunc utilia esse possint, retineremus. Quare conservata fuerunt quae pertinent ad principia canonica et ad historiam iuris, factis opportunis correctionibus et additionibus. Retenta quoque fuit antiqua allegatio fontium, cuius rei exemplum praebuit legislator in pluribus editionibus Codicis; item, additis auctoribus qui post Codicem scripserunt, conservandas duximus allegationes doctorum, quippe vix fieri poterat, ut non occurrant causae pro quibus solvendis Codex non suppeditat textum legalem, quo casu ex ipso praescripto Codicis (can. 6, n. 2°, 3°, 4° et can. 20) ad ius praecedens ideoque ad doctrinam doctorum ius illud explicantium est recurrendum. Ceterum quae pertinent ad ius vigens, ea non mere corrigenda, sed penitus retractanda censuimus.

Explanatio Partis secundae et tertiae Libri II, in quibus de religiosis ac de piis fidelium associationibus agitur, separato volumine erit edenda.

Faxit Deus ut haec nova editio in angustiis temporum praeparata saltem modicum quid contribuat ad promovenda studia canonica nunc in Ecclesia tantopere necessaria.

Romae, in die festo S. Parentis Ignatii, 31 Iulii 1923.

PETRUS VIDAL, S. I.

In hac altera editione libri « De Personis » suis locis ratio habita est declarationum S. Sedis, quae post primam editionem prodierunt, necnon causarum in quibus ius Codicis factis seu controversiis applicatum fuit, non neglectis disceptationibus agitatis in tractatibus recentioribus.

Romae, 8 Decembris 1927.

AUCTOR

PRAEFATIO AD TERTIAM EDITIONEM

Egregium opus, a P. Wernz sub titulo « Ius Decretalium » editum, indefessa opera Patris Vidal fuit quoad omnes eius partes praescriptis novi Codicis iuris canonici accommodatum. Vix autem huic arduo labori P. Vidal b. m. finem imposuerat, cum inopinato vita cessit, praemium actuosae diligentiae suae abundans, ut speramus, recepturus.

Eodem ferme tempore apparuit necessitas edendi denuo volumen secundum operis ab eo adaptati, ut studiosi iuris canonici omnia, sub nomine Wernz-Vidal edita, prae manibus etiam in posterum habere possent. Hanc novam editionem offerre nunc nobis licet.

In qua paranda illud potissimum prae oculis habitum est, sc. ut non nisi in necessariis mutationes inducerentur. Dolendum enim esset quod, vix absoluta adaptatione totius « Iuris Decretalium » ad normas novi Codicis opera unius eiusdemque egregii auctoris, iam substantiales mutationes ab alio in novam editionem introducerentur. Id utilius fortasse post aliquot annos praestari poterit.

Qua de re textus praecedentis editionis fere integer etiam nunc retentus est; si quid vero maioris momenti aut mutandum aut addendum occurrebat, id omne ad notas asterisco distinctas amandatum est. Ex quo fit ut ex una parte opus canonicum, sub nomine Wernz-Vidal ubique cognitum, fere intactum maneat et ex altera parte novae declarationes, necessariae vel utiles lectoribus, in notis additis referantur.

Faxit Deus ut hoc opus praeclari utriusque auctoris etiam deinceps in Ecclesiae utilitatem cedat.

Romae, in festo Sacratissimi Cordis Iesu, 2 iulii 1943.

PHILIPPUS AGUIRRE, S. I.

INDEX ANALYTICUS

TITULUS PRAEVIUS

GENERALIA DE PERSONIS

SECTIO I

De clericis in genere

TITULUS PRAEVIUS

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA

TITULUS I

TITULUS II

TITULUS III

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM

TITULUS IV

DE OFFICIIS ET BENEFICIIS ECCLESIASTICIS

TITULUS V

DE POTESTATE ORDINARIA ET DELEGATA

TITULUS VI

DE REDUCTIONE CLERICORUM AD STATUM LAICALEM

SECTIO II

De clericis in specie

TITULUS VII

DE SUPREMA POTESTATE DEQUE IIS QUI EIUSDEM SUNT ECCLESIASTICO IURE PARTICIPES 461

TITULUS VIII

DE POTESTATE EPISCOPALI DEQUE IIS QUI DE EADEM PARTICIPANT

LIBER SECUNDUS

DE PERSONIS

PRAENOTIONES

Sicut liber primus inscribitur *Normae Generales* et continet canones generales, qui universam materiam canonicam respiciunt, ita libro secundo, qui est de personis, Codex praemittit canones introductorios, qui personas ecclesiasticas generali modo respiciunt, videlicet personarum constitutionem, distinctionem, actionem et ordinem praecedentiae. Agunt de personis physicis can. 87-98; de personis moralibus can. 99-102; de actibus personarum et de praecedentia inter diversas personas communia principia tradunt can. 103-106; tandem ultimus can. 107 introductorius exhibet divisionem personarum, quae est fundamentum divisionis Libri II in tres partes: *de clericis, de religiosis, de laicis.*

Cum in huiusmodi libro *de personis* proponatur quaenam sint in Ecclesia iurium et officiorum subiecta et illa iura et officia in particulari describantur, vere haec iuris pars inscribi posset *Ius constitutionis Ecclesiae*, quo nomine intelligitur ius de potestate ecclesiastica eiusque subiecto, prout iure divino est definita et iure humano accuratius est determinata. *Tarquini*, Inst. iur. publ. eccl. prooem. p. VIII, XII; *Cavagnis*, Inst. iur. pub. eccl., I, p. 9, 10, 12; *Bouix*, De princip. iur. can. p. 530 sq.; *Chelodi*, De person. n. 90.

TITULUS PRAEVIUS

Generalia de personis (can. 87-106)

Caput I

Personae constitutio in Ecclesia (can. 87)

1. *Persona* heic non sumitur sensu philosophico, sed iuridico; quo sensu persona est subiectum iurium et officiorum. Ut in aliqua societate civili quis nanciscatur qualitatem personae iuridicae, apud cultas saltem gentes nunc, abolita servitute, nulla specialis requiritur conditio, sed omnis homo iuridica persona est, saltem in ordine ad ea iura quae immediate ex personalitate humana fluunt et etiam in ordine ad pleraque iura civilia; quamvis plenitudo iurium civilium et praesertim iura politica non competant nisi civibus. Ecclesia autem est societas supernaturalis positivae institutionis divinae, in qua iura membrorum propria non possunt haberi nisi quis prius Ecclesiae membrum fiat, quod ex positiva Institutoris voluntate fit per validam receptionem baptismi fluminis. Inde per baptismum homo constituitur in Ecclesia persona et fit capax iurium, quae sunt omnibus fidelibus communia; sed simul contrahit obligationes, quae omnes fideles promiscue urgent, quarum obligationum implicita susceptio fit in ipso baptismo; *personalis* susceptio ab iis qui in adulta aetate baptizantur volentes, *per alios* nomine infantis, ab iis qui in infantili aetate sunt baptizati. Haec sunt ex iure divino.

Fundamentum personalitatis in Ecclesia est *character indelebilis*, quem quilibet baptismus validus producit, tametsi forte non producat gratiam propter obicem in subiecto existentem. Est autem character baptismalis ontologica consecratio hominis in membrum corporis et in civem regni Iesu-Christi, quod est Ecclesia: quicumque ergo characterem baptismalem in valido baptismo receperunt Ecclesiae in perpetuum obligantur eiusque potestati subiiciuntur: ipsi quoque haeretici et schismatici, sive qui in secta haeretica et schismatica baptizati sunt, sive qui postea

ad eam transierunt, vi characteris, non ad hanc sectam, sed ad solam Ecclesiam catholicam iure pertinent, quamvis de facto veluti oves extra dominicum gregem vagantes ab ea exclusi sunt (*Sasse*, De Sacr. I, p. 221). Quae obligatio erga Ecclesiam efficit, ut per se ordinationibus canonicis sint obnoxii, nisi speciatim ab Ecclesia eximantur [1].

Iura vero connexa cum conditione personae possunt non acquiri et iam acquisita amitti, quin amittatur subiectio. Non acquiruntur, cum adest obex impediens vinculum ecclesiasticae communionis: qui obex in recipiente baptismum est defectus verae fidei, ut accidit in adulto qui scienter in haeresi eique adhaerens baptizatur. Hic nec renascitur interius, nec multo minus nascitur in communione cum ceteris fidelibus, quae venit sub nomine ecclesiasticae communionis et est communio unius fidei, participatio eorundem sacramentorum et subiectio ad eosdem Praelatos, praesertim ad Rom. Pontificem, qui est centrum unitatis. Ille obex, ut per se patet, poni non potest ab infantibus, qui dicuntur baptizari in fide Ecclesiae.

Iura in valido baptismo acquisita amittuntur deinde per censuram [2*] quae praecise est poena canonica, qua homo baptizatus et contumax privatur usu quorundam bonorum spiritualium, quae in Ecclesia aut promiscue omnibus aut certae fidelium classi competunt (can. 2241). Quae amissio non est radicalis capacitatis ablatio, sed solius facultatis agendi, quae restituitur statim ac vinculum censurae fuerit sublatum.

[1] Ita v. gr. quoad formam celebrationis matrimonii, can. 1099 Ecclesia eximit a sua lege eos, qui extra ipsam fuerunt baptizati nec postea ad veram Ecclesiam sunt conversi. Cfr. quoque S. O. 31 Martii 1911 in A. A. S., III, p. 163.

[2*] Quo differant inter se hae duae causae amissionis iurium, enuntiatae in c. 87, exponitur fuse a *Matth. C. a Coronata*, Institut. I. C., 1[2] n. 119. Cfr. etiam *Michiels*, Principia generalia de personis in Ecclesia, p. 16.

Caput II

De personis quoad aetatem (can. 88, 89)

2. Inter circumstantias personarum, quae influxum habent in earum capacitatem iuridicam, recensenda imprimis est *aetas*, cum ex natura rei capacitas iuridica ante certam aetatem non habeatur, deficiente ipsa capacitate naturali, et etiam ubi haec non deest, sive ad protegendam imbecillem aetatem contra aliorum fraudes, sive ex aliis respectibus publici boni, potest et debet publica auctoritas iuridicam capacitatem limitare aut intra certos limites circumscribere.

Sub hoc respectu legislator Romanus hominum aetatem in quatuor partitur periodos: infantiam, impubertatem, pubertatem et aetatem maiorem. *Infantia* iure novo [1] absolvebatur septimo anno completo, eaque durante infans absolute privabatur capacitate agendi, sive ageretur de casu quo melior, sive ageretur de casu quo deterior eius conditio fieret (I. 3, 19, de inut. stip. § 10, iunct. § 8; L. 1 § 3, D. de oblig. et act. 44, 7); quodsi *sui iuris* esset, recipiebat tutorem (I. 1, 13, de tut. § 3). *Impubertas* iure Iustinianeo [2] se protendebat, in feminis ad completum annum duodecimum, in maribus ad completum decimum quartum: impuberes limitatam habebant capacitatem iuridicam, cum soli actus onero-

[1] Iure antiquo, in quo actus iuridici perficiebantur verbis sollemnibus videtur secundum etymologiam (in - fari) significasse restrictam illam vitae periodum, quae determinatur ex incapacitate loquendi (qui fari non potest).

[2] Antiquissimo iure impubertas se protendebat usque ad tempus quo habebatur potestas procreandi, quae in singulis casibus debebat probari ex habitu et inspectione corporis. Qui modus probationis, errori expositus et parum decentiae consulens, satis mature fuit dimissus quoad feminas; quoad viros vero nonnisi postquam Iustinianus acrem controversiam inter Proculeianos et Sabinianos existentem diremit (*Gaius*, I, 196).

Impuberes distinguebantur in *infantiae proximos* et *proximos pubertati* (Inst. 3, 19 de inut. stip. § 10). Incertum unde peteretur criterium, an ex actuali mentis evolutione vel ex ipsa aetate, sc. ex eo quod masculi essent constituti infra vel supra decimum annum cum dimidio, feminae infra vel supra nonum annum cum dimidio. *Ronga*, « Diritto Romano », I, p. 22, not. 3.

sos ponere non possent, poterant vero ponere actus ipsis favorabiliores et quibus aliquod ius acquirerent (Inst. 3, 19 de inut. stip. § 9, 10). *Minor aetas* durabat usque ad 25 annos, et qui infra illum annum erant constituti dicebantur *puberes*: puberes non amplius erant incapaces ad actus iuridicos, excepta alienatione et nonnullis aliis actibus; ipsis dabatur non tutor, sed curator; gaudebant, si laesionem passi essent, beneficio restitutionis in integrum. *Aetas maior* inde ab anno 25 decurrit estque periodus pleni iuris tum quoad iuridicam capacitatem agendi tum quoad obligationes.

Ius ecclesiasticum hactenus non habuerat propriam legem limites aetatum determinantem, sed illa lacuna ex principio in iure Decretalium sancito [3] supplenda erat per recursum ad ius Romanum agnitum ut fontem subsidiarium iuris ecclesiastici. At vero iamdiu abrogato iure Romano tanquam vero fonte et codice authentico iuris civilis et substitutis codicibus novi iuris patrii, nec decebat Ecclesiam hos codices serviliter sequi nec si vellet poterat propter eorum diversitatem, nec quoad res ecclesiasticas opportunum erat ut status iuridicus personarum definiretur etiam a legislatore ecclesiastico dependenter a diversa lege civili cuiusque regionis: idcirco novum ius propria tradit principia, quae proxime accedunt ad id quod frequentius obtinet in modernis legibus civilibus.

3. Divisio fit in duas aetates: *maiorem* post expletum vicesimum primum aetatis annum; *minorem* infra hanc aetatem. Aetas vero *minor* subdividitur in *pubertatem* supra annum 14 in masculis, supra 12 in feminis, et *impubertatem* infra dictam aetatem. *Impubertas* ante plenum septennium dicitur speciali nomine *infantia*. Ergo ante plenum septennium habetur *infans, puer, parvulus;* septennio expleto *impubes* sensu specifico; post annum 14 masculus et post 12 femina dicitur *pubes* seu sensu specifico *minor;* post annum 21 *maior* (can. 88) [4]. Quoniam tempus ad computandam infantiam desumitur ex generali praesump-

[3] Cap. 1, X. de nov. oper. nunt. V, 32. Paulo aliter *D'Annibale*, Summ. theol. mor. I, n. 201, a quo propugnabatur argumentis inefficacibus iam ante Codicem antiquo iuri Romano substituendum esse ius patrium singularum nationum ut fontem subsidiarium iuris canonici.

[4] Legislatores civiles moderni diversum limitem statuerunt pro ae-

tione defectus sufficientis usus rationis ad actus iuridicos peragendos et in genere ad contrahendas obligationes saltem iuris humani [5], merito infantibus assimilantur quotquot usu rationis sunt habitu destituti, velut amentes, quae est quaestio facti in iis qui iam septennium excesserunt.

4. *Effectus iuridici.* — In genere etiam in foro ecclesiastico aetas maior est aetas pleni iuris, in quantum *maiores* sunt qui plenum suorum iurium exercitium habent; *minores* vero in exercitio suorum iurium plenam independentiam non habent, sed sunt obnoxii iis sub quorum potestate sunt constituti; videlicet dependent a parentibus et in utriusque parentis defectu a tutore (can. 89), nisi agatur de rebus in quibus ipsum ius minores eximit ab illa subiectione patriae potestatis. Ita applicando rem exercitio iurium ecclesiasticorum, qui sunt minores et habent ius patronatus devolutum sibi, illud exercere debent per parentes vel tutorem (can. 1456); maior agere et respondere in iudicio potest per seipsum, minor per parentes vel tutores (can. 1648). Exemplum valde notabile exemptionis a dependentia parentum vel tutorum, quam ius minori concedit, illud est quod refertur can. 1648, § 3, ubi statuitur minorem infantia egressum in causis spiritualibus et cum spiritualibus connexis agere et respondere posse sine patris vel tutoris auctoritate, et quidem per seipsum si iam expleverit annum 14, infra illam aetatem vel per procuratorem a se nominatum cum consensu Ordinarii vel per tutorem ab Ordinario datum; quae exceptio multiplicem habet applicationem. (Cfr. cap. 3, de iudic. II, 1, in Sext.). Hinc est quod in foro ecclesiastico minores puberes non multum distent a maioribus quoad iurium exercitium [6*].

5. Relate ad eos, qui habitualiter carent usu rationis conferantur Auctores fusius ea de re tractantes, velut *D'Annibale*, Summula I, 30 sq., *Michiels*, o. c., p. 47 et praesertim scriptores de iure

tate minori; sed aetas in nostro Codice assignata est satis communiter recepta, velut in Codice Italico, Gallico, Lusitano et in plerisque Codicibus Americanis.

[5] De iure divino cfr. can. 854, § 2 quoad sacram communionem in mortis periculo recipiendam a pueris.

[6*] Ius potest eximere minores a patria potestate vel explicite vel etiam implicite. Ita *Vermeersch*, Epit., I, n. 209 et *Michiels*, o. c., p. 46. Cfr. etiam *Gillet* in Eph. theol. Lov., 1934, XI, 787.

poenali, in quo illa consideratio status mentis est maioris momenti practici. Pro foro ecclesiastico ille status mentis peculiarem habet difficultatem, cum agitur de amplectendo statu vitae, v. gr. religiosae, et praesertim in matrimonio, de quo in propria sede materiae.

Scholion. Sexum hoc loco non considerat Codex, tametsi feminae multorum iurium ecclesiasticorum sint incapaces, cum penitus excludantur a hierarchia tum ordinis tum iurisdictionis. Sed de hac re alibi Codex, sicut de speciali legis favore, quem in poenalibus obtinet femina. (Cfr. can. 2218, 2353).

Caput III

De personis ratione originis (can. 90)

6. Tum a loco unde originem trahunt, tum a loco ubi sedem habent personae, plura in iure ecclesiastico dependent, maxime vero determinatio status iuridici personarum: ex loco originis dependet competentia Episcoporum quoad ordinationem; ex domicilio plerumque dependet singulorum fidelium subiectio ad immediatos Praelatos et Pastores, praeter alia plura plus vel minus stricte comprehensa sub illo generico conceptu subiectionis.

7. Ex natura rei origo dependet a nativitate seu *ortu*, ut ipsum nomen indicat; generatim tamen non intelligitur ipse locus materialis ubi contigit nativitas, sed origo dicit ordinem ad parentes per quos quis ius originis nanciscitur. Ius autem originis intelligitur complexus iurium et officiorum alicui competentium in determinato loco (civitate, patria) mediante illo per quem generatione derivatur personalitas physica et simul cum ipsa personalitas iuridica [1]. Ius originis plura apud Romanos complecte-

[1] Iure tamen Romano ius originis non sola nativitate obtinebatur, sed communicabatur etiam per manumissionem aut adoptionem « *Municipem aut nativitas facit, aut manumissio, aut adoptio* », Ulpianus L. 1, D. Ad municip. 50, 1; ibi autem *municeps, originarius, civis* pro eodem sumuntur. Ius originis per nativitatem acquisitum propria voluntate amitti non poterat (L. 4, C. X, 39); quare alii tituli superaddebantur titulo nativitatis et multiplex ius originis in variis locis simul haberi poterat (L. 7, C. VIII, 47). Nationalitas moderna, quae similitudinem habet cum

batur, ideoque etiam pluribus legibus erat regulatum. Cum in iure ecclesiastico fere non habeat respectum nisi ad ordinationem, simplex notio originis sufficit, quae in Codice determinata fuit ex naturali facto nativitatis, utique cum respectu ad parentes ex quibus ortus habetur.

Innocentius XII in sua Const. *Speculatores*, § 4, originis locum ita declaravit ut esset locus « in quo quis naturaliter ortus est; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti...; quo in casu nullatenus eiusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda ». Quae notio aliquantulum implexa et quaestionibus obnoxia erat; quid enim erat vera et naturalis origo patris? Locus nativitatis ipsius?

8. Clarius et simplicius Codex definit locum originis illum locum, in quo, dum quis *natus* est, domicilium aut in eius defectu quasi-domicilium habebat pater, aut si sit illegitimus vel postumus, mater (can. 90, § 1). Sane locus originis ille est, unde quis dicitur esse oriundus; oriundus autem quisque inde dicitur, ubi naturaliter seu normaliter ratione parentum nasci debuit: porro quisque naturaliter nasci debuit, ubi pater habebat domicilium vel in eius defectu quasi-domicilium; uxor enim seu mater domicilium habet mariti et cum marito cohabitare debet. Extra illum locum filius nonnisi ex causa accidentali nascitur, ex com-

Romano iure originis, in hoc ab eo differt, quod amitti possit per acquisitionem alterius, seu per naturalizationem, ut aiunt, in alia patria seu natione. At conceptus canonicus originis a Codice traditus excludit ex una parte amissibilitatem, cum factum quod est fundamentum originis, sicut ex natura rei infectum fieri nequit, ita ex dispositione legislatoris est titulus iuridicus perpetuus et inamissibilis; ex alia vero parte non necessario videtur excludere pluralitatem, quamvis fundatam non in titulis diversae naturae, sed in titulo eiusdem naturae, qui in aliquo casu potest esse multiplex; v. gr. si pater habet duplex domicilium, nihil videtur prohibere quominus filius duplicem habeat originem, i. e. ius originis in duplici loco, sicut pater iura incolatus in duplici domicilio habet, quae per originem transmittit ad filium.

* Existimat *Claeys-Simenon*, Manuale I. C., I, n. 240, in hoc casu posse unum vel alterum locum originis eligi; electione autem facta non licere iam mutationem, cum ius alteri quaesitum interveniat. Aliter *Michiels*, o. c. p. 70; secundum eum probabilius non potest haberi in concreto nisi unus locus originis, ille scilicet in quo pater tempore nativitatis filii et domicilium habet et *de facto* degit vel normaliter degere censetur. Cfr. etiam *Vermeersch*, Epit. I, n. 210.

muni autem sensu accidentalis origo non attenditur, sed naturalis seu normalis. Quasi-domicilium, quod simul cum domicilio habeatur, etiam non attenditur relate ad originem; quia in foro ecclesiastico quasi-domicilium est subsidiarium veri domicilii; ideoque natus in loco quasi-domicilii parentum non ibi habet originem sed in parentum domicilio.

Si pater tempore nativitatis iam e vivis sublatus est, ut accidit cum agitur de filio postumo, ibi quis naturaliter nasci debet ubi mater est domiciliata: pariter si quis patrem certum non habet, ut accidit in illegitimo, mater attendenda est; origo enim a matre certa est, et mater in hoc casu non habet domicilium necessarium viri ex quo concepit, quia maritus non erat. Ergo originem filius postumus et filius illegitimus ibi habent, ubi tempore nativitatis mater habebat domicilium vel in eius defectu quasi-domicilium. Quae regula de filio illegitimo etiam in illo casu valet quo certo sciretur quisnam esset eius pater, isque diversum haberet domicilium a domicilio matris, quia lex attendit ad ea quae communiter contingunt, iisque suppositis generalem regulam pro omnibus casibus statuit. Regula autem de filiis illegitimis non applicatur illegitimis legitimatis per subsequens matrimonium, quia hi, ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit (can. 1117).

Filius *vagorum* ubi in lucem editus, expositus ubi inventus est, locum originis habet.

Haec regula de loco originis applicatur in Codice *etiam neophytis*, iis videlicet qui in adulta aetate baptizati sunt: qua iuris dispositione omnino antiquata mansit controversia antea existens de conversis ex iudaeis aliisque infidelibus, quos nonnulli Doctores, etiam post Const. *Speculatores*, putarunt sortiri Episcopum originis relate ad ordines in loco ubi fuissent baptizati, seu spirituali nativitate donati, tametsi non negarent alium titulum desumptum ex naturali nativitate ad normam eiusdem Constit. Innocentii XII. Cfr. *Many*, De sacr. ordinat. n. 31; *Gasparri*, De sacr. ordinat. n. 807.

Caput IV

De personis ratione loci (can. 91-95)

9. Can. 91 exhibet terminologiam iuridicam de modo quo designantur personae, habita ratione loci habitationis. Itaque quisque dicitur *incola* in loco ubi domicilium habet; *advena* in loco quasi-domicilii; *peregrinus* in loco in quo actu est, si locus est distinctus a loco domicilii vel quasi-domicilii adhuc retenti; tandem *vagus* dicitur qui nullibi habet domicilium nec quasi-domicilium.

§ I. De domicilio et quasi-domicilio voluntario

10. Notae historicae. Canonistae ante Codicem in defectu textus canonici, in quo notio et elementa domicilii traderentur, recurrebant ad ius Romanum; quod iure decretalium habendum erat ut suppletorium et subsidiarium iuris canonici. De facto tamen tum decretistae tum deinde decretalistae notionem et elementa domicilii canonici elaborarunt non tam in directo studio textuum iuris Romani, quam in expositione illius iuris facta a glossatoribus iuris civilis, quos deinde secuti sunt glossatores iuris canonici. Accuratiora vero studia et magis independentia a conceptu Romano non sunt facta a canonistis, v. gr. a *Fagnano* et *Sanchez*, quos plures alii secuti sunt, nisi postquam lex Tridentina de celebratione matrimonii ipsos adegit ad determinandum praeciso quodam modo parochum proprium, sub cuius praesentia autorizabili celebrandum erat matrimonium ad hoc ut esset validum. Attamen, licet de vero domicilio iam a tempore Concilii Tridentini perfecta existeret theoria, de quasi-domicilio non paucae aderant controversiae, quae solum ultimo saeculo diremptae fuerant per authenticas declarationes SS. CC., maxime S. Officii et per applicationem factam praesertim a S. C. C. in resolutione plurium causarum.

Summa illius iuris, ante Codicem iam certo modo definiti, haec erat: Admittebatur domicilium (itemque quasi-domicilium) *necessarium* seu *legale* pro certis personis, et domicilium *voluntarium*; illud ipsa lege imponebatur, hoc acquirebatur duplici

elemento corporis et animi, sc. commoratione in *loco* cum *animo* ibi perpetuo manendi si nihil avocet; amittebatur utroque elemento deficiente. *Locus* autem erat territorium determinatae *paroeciae*, non dioecesis, non municipium plures paroecias complectens. Quasi-domicilium acquirebatur commoratione in loco cum intentione ibidem permanendi per maiorem anni partem, amittebatur utroque deficiente elemento [1]. Quicumque in determinata paroecia nec domicilium haberet nec quasi-domicilium, is iuridice *vagus* habebatur.

Cum a domicilio et quasi-domicilio penderet qualitas parochi proprii, cuius praesentia erat necessaria ad valorem matrimonii, singularem difficultatem habebat probatio quasi-domicilii propter elementum animi requisitum; cui difficultati, quod ad *valorem* attinet celebrandi matrimonii, post varias S. Sedis concessiones, providit decretum *Ne temere* auferendo necessitatem parochi proprii et dando parochis competentiam territorialem independentem a qualitate subditi. Ex alia parte mobilitas fidelium, praesertim operariorum, qui ad magnas urbes confluunt laboris exercendi causa, nec in determinata urbis parte seu in determinata paroecia sedem figunt, sed in ea urbis parte commorari volunt ubi maior commoditas sese offerat, sive ob maiorem facilitatem adeundi officinas ubi laborare debent, sive etiam ubi minus pretium locationis solvere debeant, ea fidelium conditio erat ratio movens ad admittendum domicilium dioecesanum, independenter a domicilio in determinata paroecia acquisitum. Inde explicantur innovationes per Codicem inductae.

11. Ius Codicis. *Notio et varia species domicilii.* Per se vulgaris notio domicilii designat stabilem sedem seu habitationem in determinato loco; at ille conceptus vulgaris multis quaestionibus locum daret, nisi ius accurate determinaret conditiones illius stabilis habitationis, quibus unice servatis habeatur domicilium iuridicum.

Distinguitur autem domicilium *paroeciale*, quod habetur in paroecia, et domicilium *dioecesanum*, quod independenter a qualibet paroecia habetur in territorio dioecesano vel alio territorio dioecesi aequiparato. Porro distinguitur domicilium *necessa-*

[1] Cfr. Instruct. S. C. Inqu. 7 Iunii 1867.

rium seu *legale*, quod ipsa dispositione iuris etiam invito constituitur, et domicilium *voluntarium* seu *facti* quod per factum proprium voluntarium acquiritur.

Acquisitio domicilii voluntarii duplici ratione fit, vel *commoratione* in paroecia aut quasi-paroecia (aut saltem in dioecesi, vicariatu apostolico aut praefectura apostolica) coniuncta cum *animo* seu intentione ibi perpetuo manendi si nihil inde avocet, vel *sola commoratione* quae ad completum decennium sit protracta [2]. A primo momento, quo commoratio cum praedicta intentione coepta est, domicilium intelligitur acquisitum, nec requiritur emptio aut conductio domus aut translatio bonorum, licet non sufficiat commoratio per modum visitantis aut itinerantis, sed requiritur commoratio per modum inhabitantis, quae sive in propria domo, sive in domo conducta sive etiam in publico diversorio aut hospitio ex hodiernis moribus haberi potest. Ille animus commorationis perpetuae, seu in tempus indefinitum, pariter habetur in eo qui ad modum ceterorum incolarum sedem fixit, et nihilominus habet animum discedendi quotannis per aliquod tempus, rusticationis vel negotiorum causa, cum commoratio domiciliaris non necessario debeat esse continua.

Quoad alterum modum acquisitionis domicilii per decennalem habitationem, haec debet habere easdem conditiones; quare non requiritur decennalis commoratio physice continua, sed tantum moraliter, quae non interrumpitur nec suspenditur per ordinarias absentias rusticationis vel negotii causa, modo quis post illas absentias, aliorum incolarum more, revertatur tanquam in locum ordinariae habitationis, v. gr. in domum conductam toto illo tempore retentam. Neque ex analogia cum anno novitiatus, qui completus esse debet et in domo ipsa novitiatus peragi, dicendum est absentias debere suppleri, ita ut ex supplemento constituantur integri decem anni habitationis; nam cum probatione status religiosi in novitiatu peragenda veram quandam analogiam non habet inhabitatio propria incolarum

[2] Iure praecedenti decennalis commoratio constituebat iuris praesumptionem de animo perpetuo in loco commorationis manendi: iure Codicis decennalis commoratio verum inducit domicilium, non meram praesumptionem iuris et de iure, ut vult *De Smet*, De spons. et matr. pag. 34, not. 2; id apparet ex disiunctione can. 92 adhibita: *vel* « commoratione... quae sit protracta ad decennium ».

in loco domicilii [3]. Talis habitatio decennalis non ex *praesumptione*, tametsi dicatur iuris et de iure [4], sed ex dispositione legis, fundata utique in communi praesumptione, tribuit verum domicilium; ac proinde nulla probatio intentionis contrariae excluderet domicilium illius, qui per decennium locum inhabitasset incolarum more.

Prout elementa domicilii verificentur in determinata paroecia, aut in determinata dioecesi, vel territorio dioecesi aequiparato, domicilium dicitur *paroeciale* vel *dioecesanum*.

Quasi-domicilium, ut ipsum nomen indicat, est quaedam imitatio domicilii. Ex iure Codicis iam duplici ratione acquiritur, vel per *commorationem* in paroecia aut quasi-paroecia (respective in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica) cum *animo* seu intentione ibidem manendi per *maiorem* anni partem, si nihil inde avocet, vel per commorationem de facto ad maiorem anni partem seu ultra sex menses protractam. Per priorem modum quasi-domicilium acquiritur a primo momento quo duo elementa verificantur; in altero modo, solum expleto tempore quasi-domicilium intelligitur acquisitum ex ipsa iuris dispositione (can. 92, § 2).

Pro diversitate loci (paroecia, dioecesis) quasi-domicilium erit *paroeciale* aut *dioecesanum*.

Amissio domicilii et quasi-domicilii. Domicilium et quasi-domicilium voluntarium retinentur, quamdiu unum ex duobus elementis perseverat, nec proinde amittuntur nisi utrumque elementum esse desinat (can. 95) [5].

[3] *Verm.-Cr.*, Epit. I, n. 212, 3; *De Meester*, in Collat. Brugens. (1921) pag. 152. Aliter *Blat*, Commentar. II, p. 12.

[4] Ita videtur rem intelligere *De Meester*, l. c., pag. 151, et *De Smet*, l. c.

[5] Recessio a loco domicilii in ordine ad matrimonii celebrationem, ante matrimonium celebratum, cum mere provisoria sit et quasi conditionata, non importat domicilii amissionem, tametsi sit coniuncta, ut per se patet, cum intentione sequendi maritum. *Wernz*, Votum in caus. Parisien. n. 48 (20 Aug. 1908) in *Anal. Eccl.* 1899, p. 73; sq.; *De Smet*, De spons. et matr. p. 35, not. 1.

§ II. De domicilio necessario seu legali

12. Si attendantur casus in Codice enumerati, est domicilium illud, quod ipsa dispositione legis necessario acquiritur a certis personis quae sui iuris non sunt, ratione vinculi cum alia persona, cuius potestati subiiciuntur et ideo ex dispositione iuris eius domicilium participant. Id verificatur in hisce casibus: *uxor* a viro legitime non separata necessario retinet domicilium viri sui; *amens,* domicilium curatoris; *minor,* domicilium illius cuius potestati subiicitur (can. 93). Quod domicilium, sicut assignatur a lege independenter ab intentione commorandi in loco et etiam antequam verificetur actualis habitatio, ita per eandem dispositionem legis necessario retinetur, quamdiu durat status seu conditio, cui lex domicilium adnexuit, nec *cessat,* nisi amissis legitime illo statu et conditione. Quare minor, dum minor est et statum subiectionis proprium minoris retinet, propria voluntate non potest amittere domicilium parentum. At quam primum pervenit ad maiorem aetatem, illud domicilium cessat *qua necessarium,* cessante titulo legis, et, si illi non valedicit maior, transit in domicilium *voluntarium.* Nihil obstare videtur, quominus minor de parentum licentia, a fortiori si sit emancipatus, *proprium* domicilium acquirat. *Ferreres,* Theol. mor. II, 869, not. 3.

Tametsi lex loquatur de *domicilio* necessario, eadem legis dispositio videtur applicanda *quasi-domicilio,* ideoque uxor, minor, amens, si ii, quibus subiiciuntur, domicilio careant, habeant vero quasi-domicilium, hoc erit pro personis subiectis *quasi-domicilium necessarium*; nam a iure quasi-domicilium habetur ut subsidiarium domicilii eique aequiparatum quoad effectus iuridicos, nec cum eorum subiectione cohaeret ut sint iuridice *vagi,* si voluntarium quasi-domicilium habere neglexerint. Utrum autem pro ipsis sit quasi-domicilium necessarium illud quod, praeter verum domicilium, habeatur ab iis, quorum potestati subiiciuntur, minus clarum est; videtur tamen asserendum; iuridica quippe ratio cur lex ipsis assignat domicilium necessarium est quia propter specialem subiectionem in ordine ad actus et negotia iuridica sequuntur conditionem illius, cui sub-

iiciuntur; ergo huius tam domicilium quam quasi-domicilium participant[6], nisi quasi-domicilium voluntarium habeant.

At personae praedicto modo subiectae non ita sunt alligatae domiciliis eorum, quibus subsunt, ut proprium habere non possint. Quare minor iam infantia egressus[7], potest proprium *quasi-domicilium* voluntarium obtinere (non domicilium), itemque uxor a viro legitime non separata; legitime vero separata etiam domicilium, dummodo separatio legitima sit perpetua aut ad indefinitum tempus[8] (can. 93, § 2)[9*].

Personis hactenus consideratis ius assignat domicilium eorum, cui subiiciuntur; est domicilium *alienum,* ab alio veluti *mutuatum.* At videtur dicendum etiam posse dari domicilium, vel potius quasi-domicilium, quod sit *necessarium* et sit vere personale, non ab alio mutuatum et cum ipso commune. 1°) Tale est domicilium, aut saltem quasi-domicilium quod habet beneficiarius obtinens beneficium residentiale in loco suae residentiae, quem

[6] Paulo aliter *De Meester,* Iur. can. comp. n. 318, not. 7; *Verm.-Cr.,* Epit., I, n. 214; sed videtur insistendum in hoc, quod in casu illa participatio domicilii alieni sit favor seu protectio iuris, quae latam admittat interpretationem. Pater domicilium et quasi-domicilium acquirit pro se et pro suis sibi subiectis. *Maroto,* o. c. Institut. I. C., I, n. 413.

[7] Ad infantem et amentem haec non videntur extendenda, nisi forte agatur de quasi-domicilio ex commoratione ultra sex menses protracta acquisito, quod, cum lapsu temporis acquiratur independenter a propriae voluntatis actu, participat de necessario.

[8] Ratio est quia separatio ad definitum tempus, eo finito, non amplius est legitima et denuo exurgit obligatio redeundi ad domicilium mariti, cum qua pugnat intentio perpetuo seu in indefinitum tempus alibi habitandi, requisita ad voluntarium domicilium.

[9*] Mulier, a viro malitiose deserta, non potest acquirere proprium ac distinctum domicilium, nisi obtinuerit a iudice ecclesiastico separationem perpetuam aut ad tempus indefinitum. Comm. Cod., 14 Iul. 1922 ad I; A. A. S. XIV, 526. Ut separatio uxoris non solum licita, sed etiam legitima esse censeatur, opus est ut intercesserit sententia iudicis ecclesiastici permittentis separationem, saltem extra casus in quibus ipsi canones, v. g. 1130 et 1131, legitimam pronuntient uxoris separationem, etiam privata auctoritate factam. Ita *Vermeersch,* Epit., I, n. 212 ad 4; ita etiam *Michiels,* o. c., p. 136; secundum eum vero semper ac mulier, etiam propria auctoritate ad normam cc. 1130 et 1131, legitime discedit a viro suo ad tempus indefinitum, potest iam certo proprium domicilium acquirere.

locum inhabitare debet ex dispositione iuris, nec illud potest deserere nisi dimisso beneficio; ergo in sensu composito beneficii retenti est residentia necessaria seu beneficiario a iure imposita. (Cfr. can. 188, 8°; 1411, 3°; 2168 sq.). 2°) Pariter *incarcerati*, qui in poenam delicti per maiorem anni partem aut in perpetuum detruduntur in carcerem, acquirunt in loco carceris quasi-domicilium aut verum domicilium *necessarium* [10]. Quodsi reclusio sit facta solummodo ad custodiam dum processus instruitur, si de facto perduraverit ad sex menses, pariter habetur titulus quasi-domicilii necessarii. 3°) Simili ratione *milites* habent domicilium *necessarium* in suis *praesidiis stabilibus*, quod saltem habet vim quasi-domicilii, si commoratio in ipsis ultra sex menses durare debeat aut iam duraverit [11]; quamvis subordinatio militum ad Ordinarios locorum et parochos territoriales vel forte ad proprios cappellanos cum illorum exclusione, est res quae pendet ex iure particulari legitime constituto. (Cfr. can. 451, § 3).

Quoad commorationem aegrotorum in hospitalibus, quoad famulos et famulas in loco ubi servitia praestant, quoad puellas vel adolescentes in conservatoriis, hospitiis vel collegiis, itemque quoad magistratus publicos, professores, medicos etc. non videtur esse quaestio de domicilio vel quasi-domicilio *necessario*, sed potius de *voluntario* [12].

§ III. De pluralitate domiciliorum

13. *Plura* vera *domicilia* simul haberi posse erat res ante Codicem communiter admissa, nec innovationes Codicis illi communi doctrinae quidquam detrahunt [13]. Casus qui praesertim

[10] Cfr. L. 22, § 2, D. Ad municip. 50, 1; Benedictus XIV, Inst. eccl. 33, n. 12; *Laurin*, A. f. k. K. vol 26, p. 171, 211.

[11] Cfr. D. 23, § 1, ad municip. 50; 1; Benedictus XIV, Inst. eccl. 39, n. 9; *Laurin*, l. c. p. 206.

[12] Quod attinet ad religiosos, cum post professionem sui iuris non sint, minoribus videntur esse aequiparandi: ideoque ipsis competit domicilium necessarium in loco conventus seu domus cui adscripti sunt. Novitii vero, si minores sunt, retinent domicilium necessarium et in domo novitiatus saltem quasi-domicilium acquirunt. *Verm.-Cr.*, Epit. I, n. 217; *Maroto*, o. c., I, n. 410, not. 2.

[13] Leges civiles hodiernae satis communiter pluralitatem domiciliorum excludunt, et loca habitualis commorationis, quae forte habeantur

respiciebatur erat illius, qui aequaliter seu per aequas fere anni partes in duobus locis inhabitabat incolarum more (domicilium hibernum, domicilium aestivum); nec absurditatem continere videtur triplex domicilium simul habitum, v. gr. ab eo qui per aliquot menses, singulis annis, in tribus locis inhabitet [14].

Frequentissimus casus est coniunctio veri domicilii cum quasi-domicilio. Ex ipsa dispositione Codicis (can. 93) qui habent domicilium necessarium alterius, non prohibentur, servatis servandis, acquirere sibi proprium quasi-domicilium.

Concurrentia veri domicilii legalis cum voluntario can. 92 videtur excludi, ex hoc quod permittatur simul cum legali domicilio haberi proprium quasi-domicilium; casus autem in quibus habenti domicilium legale permittitur novi veri domicilii acquisitio videntur explicandi ita, quod eo in casu cessat domicilium legale. Ita v. gr. uxor a viro legitime separata proprium domicilium acquirere potest, sed eo in casu deficit fundamentum pro domicilio necessario, i. e. potestas maritalis in uxorem, vi cuius haec tenetur sequi maritum ut cum eo cohabitet. Pariter si filiusfamilias minor matrimonium contrahit, deficit dependentia minoris a parentibus, et consequenter cessat etiam domicilium necessarium pro eo, nec quidquam obstat ut habeat proprium domicilium coniugale; atque idem dicatur de minore emancipato.

14. Plura quasi-domicilia *voluntaria* simul haberi posse communiter ante Codicem negabant Doctores [15], eo quod impossibile esset quod quis haberet intentionem commorandi in duplici loco per maiorem anni partem; quae impossibilitas, cum sit ex natura rei, etiam post Codicem suum retinet valorem; nec minus impossibile est ut quis commorationem in duplici loco ultra semestre protrahat. Difficultas nulla est de concurrentia quasi-domicilii *necessarii* cum *voluntario*, cum necessarium nec residentiam exigat nec animum. At insuper duplex quasi-domi-

praeter sedem principalem, designant nomine *residentiae*, quas residentias plures simul haberi non excludunt. *Verm.-Cr.*, o. c., I, n. 212.

[14] *Vermeersch*, l. c. Plura domicilia haberi posse supponit aperte can. 1216, § 2.

[15] Contrarium iam tenuit *Fourneret*, « Le Domicile matrimonial », p. 134; etiam Instructio *Card. Rauscher*, § 61, supponebat possibilem et practicam hypothesim habentis plura simul quasi-domicilia.

cilium voluntarium ex iure Codicis simul haberi posse tenet *Maroto*, o. c., I, n. 413, ex illa ratione, quod Codex dicat quasi-domicilium tunc tantum amitti, cum quis ab ipso recedit cum animo non revertendi (can. 95). Quae ratio exinde videtur inefficax, quod Doctores, qui ante Codicem negabant possibilitatem duplicis quasi-domicilii simultanei, etiam exigebant ad amissionem quasi-domicilii discessum cum animo non revertendi, et profecto absentia per aliquot dies aut hebdomadas erat discessus cum animo revertendi, quo non amittebatur quasi-domicilium. Ergo animus revertendi, si coniungatur cum discessu et animo alibi commorandi saltem per maiorem anni partem, erit animus *repristinandi* quasi-domicilium amissum vel habendi *successive* duo quasi-domicilia; non erit animus sufficiens ad retinendum prius quasi-domicilium simul cum secundo, si quis ad prius quasi-domicilium non intendit redire nisi post commorationem ultra sex menses alio loco protràctam (*Verm.-Cr.*, o. c. n. 213). At cum ex una parte commoratio domiciliaris aut quasi-domiciliaris non necessario debeat esse *continua*, et ex alia parte quasi-domicilium, quod ex protractione commorationis ultra sex menses habetur, participet de conditione quasi-domicilii *necessarii, videtur* dicendum *ordinarium* et *plene voluntarium* quasi-domicilium posse stare simul cum alio quasi-domicilio ex *dispositione iuris* illi competenti, qui in determinato loco commorationem ultra sex menses protraxit. (*Verm.-Cr.*, l. c.). V. gr. qui Romam venit ad septem annos, ut ibi absolvat studia ecclesiastica, si valetudinis causa per sex menses completos Neapoli cogatur versari, retento animo repristinandi studia cum primum per vires corporis licuerit, illa *coacta* commoratio in loco curationis, quam infirmus vellet esse brevissimam, esse potest commoratio *necessaria*, quae non videtur impedire retentionem voluntarii quasi-domicilii Romani; quamvis hoc ipsum ex principiis iuridicis plane certum dici non possit [16].

Vagus in iure est qui nullibi domicilium habet vel quasi-domicilium (can. 91); quare ex iure Codicis illa conditio non verificatur per solam desertionem domicilii paroecialis sine acquisitione novi, sed opus est ut tam paroeciale quam dioecesanum domicilium et quasi-domicilium fuerit amissum sine novi acquisitione.

[16] Cfr. *Chelodi*, De pers. p. 166, not. 3 et 4. Cfr. quoque *Lega*, Rotae Decis. 7 Dec. 1912, dec. 39, n. 8.

§ IV. Effectus iuridici domicilii

15. Effectus domicilii brevi formula complectitur Codex can. 94 dum sancit, sive per domicilium sive per quasi-domicilium suum quemque *parochum* et *Ordinarium* sortiri. Vagis autem proprius parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo actu commorantur; illorum quoque, qui non habent nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium, proprius parochus est parochus loci in quo actu commorantur.

Caput V

De personis ratione propinquitatis (can. 96-97)

§ I. Consanguinitas seu coniunctio sanguinis inter personas

16. **Notio.** *Consanguinitas* (cognatio carnalis) est vinculum seu coniunctio personarum ab eodem stipite propinquo descendentium, carnali propagatione contractum. Quod vinculum maioris amicitiae, affectus, necessitudinis inter consanguineos distinguitur ab aliis vinculis amicitiae, eo quod *fundamentum* habeat in unitate et *communione sanguinis* quae habetur per generationem, non in alia quadam communione bonorum. Et praecise in hoc respectu omnino peculiaris amicitiae, simul cum reverentia inter certos consanguineos ipsa lege naturae debita atque verecundia ab ipsa natura indita, habetur ratio legis irritantis seu impedimenti dirimentis matrimonium inter consanguineos. Qui peculiaris respectus non est proprius huius loci, sed pertinet ad tractatum de matrimonio: hic consanguinitatis notio dumtaxat praemittitur, sicut datur notio de aliis conditionibus personarum tanquam introductio in librum *de personis*. Quare uberior disputatio canonica et historica de consanguinitate, sicut etiam de affinitate et publica honestate, ad tractatum *de matrimonio* est remittenda.

Divisio. *Consanguinitas* dividitur: in *legitimam*, quae iustis nuptiis inducitur, et *illegitimam*, quae oritur ex fornicaria coniunctione. Cum factum naturale generationis in utraque consanguinitate existat, in pluribus nihil refert diversa origo seu fons unde oritur.

17. Modus quo computatur. Consanguinitas communem parentem supponit in iis, qui consanguinei dicuntur: communem parentem plus vel minus remotum omnes habent; at remotum communem parentem habentes non amplius censentur de eodem sanguine participare, ideoque consanguinitas omnino determinatis limitibus circumscribitur. Hi limites designantur per *stipitem, lineam* et *gradus*.

Stipes est persona illa, sive mas sive femina, a qua tanquam a radice seu trunco *communi reliquae* personae, de *quarum* consanguinitate agitur, per carnalem propagationem sive immediatam sive mediatam, legitimam vel illegitimam descendunt. Qui stipes *solet* constare duabus personis (pater et mater), at quandoque *una sola* (sive pater sive mater), si haec persona e pluribus prolem habuit.

Linea consanguinitatis dicitur ordinata series personarum consanguinitate coniunctarum ab uno stipite descendentium, quae *gradus* continet et *cognationes* distinguit. *Dividitur* in lineam *rectam* et in lineam *transversam* seu *collateralem*: illa complectitur personas, e quibus una ab altera originem duxit, seu continet *genitores* et *genitos;* et si computatio inchoatur a genitoribus et progreditur ad genitos, dicitur *descendentalis* sive descendentium, si a genitis ad genitores numeratio fiat, *ascendentalis* sive ascendentium audit. *Collateralis* vero linea est series illarum personarum, e quibus una ab altera non descendit, sed omnes originem ducunt ab uno communi stipite. Quae linea collateralis, si consanguinei de quibus quaeritur pari gradu distant a communi stipite, *aequalis;* si dispari gradu, *inaequalis* appellatur.

Gradus est distantia unius personae ab alia in eadem linea consanguinitatis. Quoad modum computandi gradus, adest duplex computatio, altera quae dicitur *canonica*, altera *civilis*, i. e. propria iuris civilis Romani nunc regulariter in foro saeculari retenta. Uterque modus in numerandis gradibus lineae *rectae* eandem sequitur regulam, videlicet: *Tot sunt gradus, quot sunt generationes,* sive tot sunt gradus, quot sunt personae stipite dempto (can. 96, § 2). In linea vero obliqua seu collaterali, cum leges Romanae eandem regulam secutae fuerint, computando *tot gradus, quot generationes* seu *particulares actus generationum*, ius canonicum iamdiu adhibuit regulam, quam Codex sancit (can. 96, § 3), videlicet: *Tot sunt gradus, quot generationes* (*species generationum*) *in uno latere seu tractu;* si duo tractus sint *inaequales*, quot generationes *in tractu longiore* [1].

De historica origine et rationibus illius duplicis modi computandi uberius in tractatu de matrimonio, ubi explicatur impedimentum consanguinitatis.

Hic potius notandum consanguinitatem posse esse vel *simplicem* vel *multiplicem*, quae divisio post praemissas notiones facilius intelligitur. *Simplex* habetur, si personae unum stipitem communem habent; *multiplex*, si plures habent communes stipites: quae notio nunc est completa, cum iure Codicis (can. 1076, § 2) solum multiplicetur consanguinitas ex multiplicatione stipitis, et non amplius ex hoc quod per *duplicem viam* ascendatur ad communem stipitem. Quare multiplex consanguinitas provenit: 1°) ex eo quod quis prolem habuerit ex persona sibi consanguinea; 2°) ex eo quod quis filios habuerit ex personis inter se consanguineis; 3°) ex eo quod plures personae consanguineae filios procreaverint ex personis inter se consanguineis. Quae tres causae non se mutuo excludunt, sed duae simul in eodem coniugio concurrere possunt.

§ II. Affinitas seu propinquitas ex vinculo maritali procedens

18. *Affinitas*, iure praecedenti, proxime accedebat ad consanguinitatem censebaturque vinculum quoddam *naturale*, non mere iuridicum vel ecclesiasticum, atque oriebatur ex carnali copula perfecta sive matrimoniali sive fornicaria, per quam vir et mulier censebantur fieri una caro, ideoque consanguinei viri attingebant consanguineos mulieris et cum eis speciale necessitudinis vinculum contrahebant, et vicissim consanguinei mulie-

[1] Si de iure aut stylo Curiae in petenda dispensatione sit quoque nominandus gradus proximior, usurpatur illa formula: consanguinei *in tertio cum primo* vel *in tertio attingente primum*.

ris cum consanguineis viri. Et dividebatur in affinitatem *ex copula licita* seu *matrimoniali* et affinitatem *ex copula illicita* seu *fornicaria;* in affinitatem *antecedentem* matrimonium et matrimonio *supervenientem*.

19. Notio. In iure Codicis (can. 97) affinitas est propinquitas personarum, quae inter virum et consanguineos mulieris et vicissim oritur ex matrimonio *valido*, sive illud ratum tantum sit, sive ratum et consummatum.

Quare vinculum propinquitatis, quod affinitatis nomine designatur, non amplius oritur ex carnali copula etiam matrimoniali qua tali, sed ex vinculo seu coniunctione animorum, quae fit in matrimonio valido, seu ex vinculo conjugali. Quare iure Codicis omnino abrogata manet altera species affinitatis, quae oriebatur ex fornicaria copula, seu extra legitimum matrimonium habita. Quatenus vero oriebatur ex matrimonio, relicta praecedenti causa matrimonii consummationis seu maritalis copulae, Codex rediit ad conceptum affinitatis proprium iuris Romani, quod affinitatem derivabat *ex iustis nuptiis*. Cfr. L. 4, § 3, D. 38, 10. « Affines sunt viri et uxoris cognati, dicti ab eo quod *duae cognationes*, quae diversae inter se sunt, per *nuptias* copulantur, et altera ad alterius cognationis finem accedit; nam coniungendae affinitatis causa fit *ex nuptiis* ».

Cum affinitas immediate oriatur ex matrimonio valido independenter a copula, parum refert ad hoc ut existat affinitas quod illud matrimonium fuerit necne consummatum; quod Codex definit illis verbis: « oritur (affinitas) ex matrimonio valido *sive rato tantum, sive rato et consummato* ». Qui modus loquendi difficultate non caret. Nam ex una parte illa vocabula *ratum, ratum et consummatum*, attento canone 1015, sunt vocabula technica quae applicantur matrimoniis *baptizatorum*, i. e. matrimonio *christiano* seu matrimonio *sacramento*, reservato nomine matrimonii *legitimi* ad designandum matrimonium non baptizatorum, quod sacramenti ratione caret; unde videretur inferri ex matrimonio *legitimo infidelium* vinculum affinitatis sensu canonico acceptae (non confundendum cum impedimento matrimoniali affinitatis) non amplius oriri; iuridica enim vincula subditis Ecclesia imponere non potest, naturalia autem vincula agnoscere debet; solummodo *utroque* coniuge converso et baptizato simul cum sacramento affinitas orirетur.

Difficulter tamen concipitur hanc fuisse mentem legislatoris; praesertim si conferatur cum hoc canone 97, § 1 canon 1078, ubi impedimentum publicae honestatis dicitur oriri ex matrimonio invalido, *sive consummato sive non*; ex quo facile quis inferre posset illum modum loquendi can. 97, § 1 de matrimonio valido, *sive rato tantum, sive rato et consummato*, adhibitum fuisse in eodem sensu pro matrimonio, *sive consummato sive non*. Nam ex una parte Codex rediit ad conceptum Romanum affinitatis, quae affinitas iure Romano oriebatur ex iustis nuptiis, legitimum autem infidelium matrimonium ab Ecclesia agnoscitur ut verum validumque matrimonium. Porro Codices moderni fere omnes affinitatem agnoscunt, eamque pariter derivant ex legitimo matrimonio, sive consummato sive non consummato, ac ponunt eam non cessare soluto matrimonio; unde iuxta communem hominum aestimationem quodlibet matrimonium affines facit atque ubique habentur propria nomina ad designandos affines: qua in hypothesi vix credibile est Ecclesiam hoc vinculum non considerare quando una pars ei subest, et v. gr. permittere matrimonium inter Titium infidelem, deinde conversum, et filiam vel matrem aut sororem iam demortuae Caiae eius uxoris, pariter infidelis.

Quamdiu de hac re non prodierit authentica declaratio, videtur dicendum quod etiam ex matrimonio *legitimo* oriatur affinitas, quae, cum affines recepto baptismate facti fuerint subditi Ecclesiae, suos producet canonicos effectus [2*]. Quod multo magis est asserendum, si matrimonium *legitimum* fuerit consummatum, cum ex matrimonio consummato ex communi Doctorum sententia [3] et ex declarationibus Ecclesiae [4] vinculum *naturale* oriatur [5].

[2*] Aliter opinatur *Vermeersch*, Epit. I, n. 219.

[3] *Schmalzgr.*, libr. IV, tit. 18, n. 96 sq.; De matrim. n. 1934; *Sanchez*, De matr. l. VII, disp. 65, n. 1 sq.; *De Becker*, De matr. pag. 190; *Wernz*, De matr. n. 430.

[4] S. C. Inq. 26 Aug. 1891 in Coll. S. C. de P. F. n. 1247.

[5] Cfr. *Chelodi*, Ius matrimoniale n. 99, not. 3, ubi scite monet in latinitate veterum canonistarum voces *ratum, ratum et non consummatum* usurpari etiam saepe de matrimonio legitimo infidelium. Nec solum apud veteres canonistas, sed etiam apud recentiores passim obtinet ille modus loquendi, tametsi expresse agnoscant et tradant illa vocabula proprie

20. Inter quos existit affinitas. Vinculum matrimonii inter virum et uxorem est fundamentum affinitatis, quae unice existit inter virum et consanguineos mulieris ex una parte, et mulierem et consanguineos viri ex altera parte (can. 97, § 2), non vero existit inter consanguineos viri et consanguineos mulieris; *affinitas non parit affinitatem.*

Qua ratione computatur. Proprie in affinitate non adsunt nec stipes, nec linea, nec gradus, cum non adsint generationes. Nihilominus solent etiam distingui stipes, linea et gradus; pro stipite hic sumuntur duae personae, vir et mulier, inter quos existit maritalis coniunctio, quae principium est affinitatis; lineae autem, recta vel obliqua, sunt quae continent alterius coniugis consanguineos, ideoque linea et gradus affinitatis determinantur ex linea et gradu consanguinitatis existentis ex altera parte (can. 97, § 3): quare in qua linea et gradu consanguinitatis aliquis reperitur cum aliqua persona, in eadem linea et gradu affinitatis dicitur esse cum altera, quae vinculum matrimonii contraxit cum priore.

De affinitate multiplici inter easdem personas concurrente agetur in propria sede materiae, explicando impedimentum matrimoniale affinitatis.

Caput VI

De personis quoad ritum (can. 98)

21. Praenotiones. Vox *liturgia*, cum ex etymologia significet ministerium publicum, nunc in Ecclesia adhibetur ad significandum complexum sacrarum functionum cum omnibus rubricis circa ritus et caeremonias, prout haec a ministris Ecclesiae exercentur, dum Deo tribuunt cultum externum socialem seu publicum ipsi debitum, seu brevius liturgia est cultus publicus quatenus est auctoritate ecclesiastica ordinatus [1].

referri ad matrimonium sacramentum. Cf. v. gr. *Wernz*, l. c., n. 701; *De Becker*, l. c., p. 411.

[1] *Thalhofer-Eisenhofer*, Handbuch d. Kath. Liturgik (2. ed.) t. I, p. 4; *Callewaert*, Liturg. Institut. n. 5, 6.

Ritus stricte significat *modum rite actus liturgicos peragendi* seu *debitum ordinem externum liturgiae;* unde vocantur libri rituales qui hunc ordinem praescribunt. Per extensionem quandam, ac proinde in sensu latiore, praeter alias significationes, habet etiam hanc, ut significet *formam universae liturgiae alicuius ecclesiae*, et sic distinguitur Ritus Romanus, Ambrosianus, Mozarabicus, Graecus, Syrus etc. Et in hac significatione sub voce *ritus* solent comprehendi omnes res peculiares disciplinae alicuius Ecclesiae quavis ratione, saltem remote, connexae cum peculiari forma liturgiae, quae vel auctoritate ecclesiastica directe constitutae sunt, vel usu et consuetudine introductae, ab eadem auctoritate fuerunt deinde comprobatae; ideoque comprehenditur varia cultus divini forma, varius ecclesiasticus ritus, varia etiam disciplina; hoc sensu latiore sumitur vox ritus in hoc canone.

Omissis longis disquisitionibus circa originem diversitatis rituum, breviter dici potest circa finem saec. IV christianam liturgiam diverso modo evolvi coepisse in diversis locis et sensim ortas esse duas liturgiae familias, *orientalem* et *occidentalem* [2]. In Occidente mutatio seu evolutio perfectiva maiorem uniformitatem habuit propter maiorem influxum centri unitatis; in Oriente illa uniformitas fuit minor ob contrariam rationem maioris distantiae a centro unitatis: fere tot formae oriri potuerunt quot Ecclesiae vel saltem quot provinciae, quamvis decursu temporis propter primatum aliquarum Ecclesiarum patriarchalium formae liturgicae in ipsis observatae praevaluerint [3].

Praecipuum discrimen inter orientales et occidentales semper hoc fuit, quod priores magis retinuerunt indolem antiquam et fere recusant influxum anni ecclesiastici relate ad ritum sacrificii; e contra liturgia occidentalis, quasi liturgia viva, conti-

[2] In liturgia christiana evolutionem esse possibilem inde patet, quod partim divinae, partim humanae institutionis est. Christus D. ritus substantiales sacrificii et sacramentorum ipse quidem ordinavit, sed ulteriora Ecclesiae suae commisit, cui potestatem fecit, ut in mysteriorum dispensatione et sacrificii oblatione, salva substantia, ea statueret vel mutaret, quae fidelium utilitati et sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicaret. Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 2.

[3] *Gatterer*, Annus liturgicus, n. 13 sq.

nuo explicatur et crescit novis variationibus et additionibus, ex evolutione anni liturgici ortis [4].

22. In Ecclesia latina, pro qua Codex directe fuit promulgatus, tantum adsunt ritus Romanus, Ambrosianus, Mozarabicus, qui omnes simul sumpti constituunt ritum latinum.

Ecclesiam orientalem notum est quattuor complecti ritus, qui in varias species subdividi possunt: I. *Ritus graecus,* cuius species sunt: graecus purus, graeco-melchiticus, rumenicus, slavicus. *Slavicus* vero subdividitur in graeco-ruthenum et graeco-bulgaricum. — II. *Ritus syriacus,* cuius species sunt: syrus purus, syrus maroniticus et syrus chaldaeus. *Chaldaeus* vero subdividitur in syro-chaldaeum proprie dictum seu purum et in syro-malabaricum. — III. *Ritus coptus* seu copticus, cuius species sunt: coptus aegyptiacus et coptus abissinus seu aethiopicus. — IV. *Ritus armenus,* cuius non sunt variae species. Orientalis Ecclesia constat illis quattuor ritibus, et hi quattuor ritus universi intelliguntur sub nomine Ecclesiae graecae aut orientalis, non secus ac sub nomine Ecclesiae latinae, romanae seu occidentalis intelliguntur ritus romanus, ambrosianus, mozarabicus et varii speciales ritus Ordinum regularium. Benedictus XIV, Const. *Collatae,* § 3 [5].

In canone praeliminari 98 non continentur aliae quaestiones, nisi illa tantum de relationibus practicis inter diversos ritus nunc vigentes.

23. I. De pertinentia ad determinatum ritum. *Ad illum ritum quisque pertinet cuius caeremoniis baptizatus fuit* (can. 98, § 1): videlicet, sicut aggregatio ad Ecclesiam fit per baptismum, ita ad Ecclesiam determinati ritus fit per ritum quo baptismus collatus fuit. Fiunt tamen exceptiones: *a*) quando baptismus *per fraudem* collatus est a ministro ritus *alieni; b*) si baptismus collatus fuit etiam sine fraude a ministro ritus alieni in casu *necessitatis,* quia sacerdos proprii ritus praesto non erat; *c*) quando quis ex indulto obtinuit ut in alio ritu baptizaretur sine adscriptione ad illum ritum. Quae dispositio legislatoris supponit dari

[4] *Gatterer* l. c. n. 14.

[5] Cfr. *Nilles,* Kalendarium manuale utriusque Eccl. orient. et occid. I, pag. LXI et pag. XXIV, ubi ex *Papp-Szilágyi,* Enchiridion iuris Eccl. orient., in Praef. refert aliam significationem magis restrictam illius nomenclationis Ecclesiae orientalis et occidentalis.

ritum quendam *nativum,* in quo quisque baptizari debet: ritum hunc nativum determinat can. 756, ubi generale principium quod proles sequi debet conditionem parentum applicatur ad ritum, decernendo prolem debere baptizari ritu parentum; si vero parentes pertineant ad diversum ritum, proles debet baptizari ritu patris [6], nisi aliud iure particulari cautum sit, et si unus tantum parentum sit catholicus proles huius ritu est baptizanda. Ergo in casibus exceptis a generali principio canonis 98, § 1, dum quis a ministro ritus alieni vel in ritu alieno fuit baptizatus, non huic manet adscriptus cuius caeremoniis baptizatus fuit, sed illi cuius caeremoniis baptizari *debuit.* Cfr. can. 733 § 2; item declarationem Comm. Cod. d. 16 Oct. 1919 datam; A. A. S., XI, 478.

24. II. De transitu ad alium ritum. Mutatio seu transitus ab uno ritu ad alium est rigorose prohibitus nec fieri potest sine speciali venia Apostolicae Sedis [7*], sive agatur de prima mutatione, sive agatur de reditu ad ritum iam legitime desertum (can. 98, § 3); qui canon licet careat clausula expresse irritanti, ex natura rei non permittit ut transitus privata auctoritate factus effectum sortiatur; agitur enim de subiectione ad determinati ritus ministros, quam privatae personae propria sua auctoritate ex natura rei nec licite nec valide subvertere possunt.

Ne vero ille transitus, etiam requisita venia factus, per fraudes procuretur, districte vetantur clerici, ne quovis modo inducere praesumant sive latinos ad orientalem, sive orientales ad latinum ritum assumendum (can. 98, § 2); ubi non videtur contineri prohibitio inducendi ab uno ritu orientali ad alium orientalem; at quoniam Codex, ubi speciatim de orientali Ecclesia

[6] Illa dispositio de sequendo ritu patris iam continebatur in Decr. S. C. de P. F. de assistentia spirituali fidelium Graeco-Rutheni ritus in regiones Americae meridionalis immigrantium, n. 18 (A. A. S., VIII, p. 107), idemque fuerat constitutum pro Graeco-Ruthenis in Foederatis Americ. Sept. regionibus n. 32. (A. A. S., VI, pag. 463) et Graeco-Ruthenis in Canada n. 39 (A. A. S., V, pag. 398). Cfr. quoque Benedicti XIV Const. *Etsi pastoralis,* 26 maii 1742, § 2, n. 6, 8, 9, 10; Epist. encycl. *Demandatam,* 24 dec. 1743, § 17; Epist. encycl. *Inter omnigenas,* 2 Febr. 1744, § 8.

[7*] Norma servanda a die 1 Jan. a. 1929 ab omnibus, qui non sunt sacerdotes, ad petendum transitum ad alium ritum, statuta est a S. C. pro E. O. decreto d. 6 Dec. a. 1928. A. A. S., XX, 416. Posthac Legati Romani Pontificis gaudebunt facultate concedendi non sacerdotibus veniam transitus ad alium ritum.

non cavet, directe respicit Ecclesiam latinam, leges speciales vetantes inducere ab uno ad alium ritum orientalem in suo robore videntur manere. Cfr. v. gr. Const. Benedicti XIV *Demandatam*, § 12, 15 [8].

A prohibitione generali excipitur casus mulieris, quae matrimonium iniit cum viro diversi ritus, cui integrum est ad ritum viri, sive in matrimonio ineundo [9*] sive eo durante transire; matrimonio autem soluto resumendi proprii ritus liberam habet potestatem, nisi iure particulari aliud cautum sit (can. 98, § 4). Ergo mutatio ritus non inducitur ipso facto contracti matrimonii cum viro diversi ritus, nec reditus ad priorem ritum ipso facto dissoluti matrimonii, sed fieri debet per liberum actum mulieris sic matrimonium contrahentis. Clausula can. de iure particulari aliter statuente ad utrumque membrum videtur referenda, videlicet tum ad mutationem ritus propter matrimonium, tum ad resumptionem prioris ritus dissoluto matrimonio [10].

Mutatio autem ritus non continetur in praxi seu consuetudine, quamvis diuturna, ritu alieno communicandi (can. 98, § 5); quippe fidelibus cuiusvis ritus datur facultas, ut pietatis causa eucharistiam quolibet ritu confectam, ideoque a ministro diversi ritus, suscipiant (can. 866, 851); ergo tametsi quis veniam habeat mutandi ritum, illa mutatio non continetur in sola susceptione eucharistiae diverso ritu facta, cum possit fieri ex sola devotionis causa [11]. Atque idem videtur dicendum (attentis can. 881 et 1249)

[8] Illa prohibitio inductionis ad mutationes ritus non est nova, sed iamdiu fuerat facta atque severissimis poenis munita, v. gr. in Const. Benedicti XIV *Demandatam*, § 15, 19 et in Const. Leonis XIII *Orientalium dignitas*, 30 nov. 1894.

[9*] Mulier latina, etsi ante celebrationem matrimonii declaret se velle transire *in matrimonio ineundo* ad ritum orientalem viri, adhuc tamen tenetur ad formam celebrationis matrimonii, de qua in canone 1099, § 1, n. 3. Comm. Cod. d. 29 Aprilis 1940; A. A. S. XXXII, 212. Ex hac declaratione sequitur mulierem in adiunctis supra descriptis tunc demum transire ad ritum viri cum celebratio matrimonii perfecte absoluta fuerit; solum igitur a primo momento peracti matrimonii pertinebit ad ritum viri. Cfr. Period., XXIX, 178.

[10] Cfr. de huiusmodi iure particulari Benedicti XIV Const. *Etsi pastoralis*, § VIII, et *Ferreres*, « El Impedimento de Clandestinidad », n. 233 sq., Comp. Theol. mor. II, 1094; « Derecho Sacramental » 785 sq. quoad ritum mozarabicum.

[11] Cfr. citata Decreta de Graeco-Ruthenis in Canada et in America Septentr. et Meridionali.

de auditione sacri in alieno ritu et de absolutione sacramentali a diversi ritus ministro obtenta. Quare mutatio ritus non videtur rite facta, nisi quis cum debita licentia in regestis parochi vel Ordinarii novi ritus fuerit legitime inscriptus, et inde contrahat obligationem subiectionis ad novi ritus ministros et horum ritu suscipiendi sacramenta et sacramentalia illa, in quibus rituum permixtio est prohibita.

Caput VII

De personis moralibus (can. 99-102, can. 105)

25. Praeeunte iure Romano, in Ecclesia (prout fit etiam in qualibet societate civili) agnitum semper fuit duplex personarum genus: persona *physica* et persona *moralis*, quae passim persona *iuridica* audit. Cum autem persona sit subiectum iurium, illa distinctio inducit subiectum iurium distinctum a singularibus personis physicis, cui illa iura cohaerent, quae proinde non sunt iura determinatae personae physicae.

Conceptus personae *moralis* seu iuridicae sponte nascitur ex eo quod in societate sunt certi fines, qui licet indirecte singularibus seu individuis personis physicis aliquod commodum seu utilitatem possint afferre, nihilominus excedunt singulorum hominum necessitatem et finem atque obtineri debent exercitio certorum iurium intra ambitum determinati complexus obligationum. Qui complexus iurium et obligationum considerari potest vel in adunatione plurium personarum ad illum finem, qui finem singulorum excedit, vel in complexu bonorum ad illum finem permanenter obtinendum destinatorum. In quo conceptu iam continetur idea alicuius personae (subiectum iurium), distinctae a singulis personis physicis, ad illum finem adunatis, vel etiam ab omni persona physica (persona *collegialis, pia fundatio*) [1].

26. Iure Romano, in quo iura moderna fundantur, duplex species personae iuridicae [2] agnoscebatur: una species erat ea-

[1] *Arndts-Serafini*, « Pandette » I, § 41 A.

[2] Haec est denominato hodie communius recepta, licet adhuc praeclari Pandectistae indiscriminatim usurpent appellationem personae *moralis* vel *iuridicae*. (Cfr. v. gr. *May*, « *Eléments d. Droit Rom.* », 11 ed.,

rum, quae ex multitudine singularium hominum componerentur ad aliquem specialem finem consequendum inter se coniunctorum [3]; alia species erat earum, quae simpliciter constituebantur ex multitudine bonorum ad aliquem quoque specialem finem relictorum [4].

Prioris generis personae vocabantur *corpora, societates, communitates, respublicae* etc., uno verbo *universitates personarum;* alterius generis vocabantur *fundationes, instituta, pium corpus, piae causae* etc., uno verbo *universitates bonorum*. Et distinguebantur in *politicas et non politicas*: quaedam erant *ordinis publici* et quaedam ordinis *privati*.

a) Inter *corpora politica* primum locum obtinebat respublica (populus romanus), Status tanquam suprema societas iuridica recognitione non egens, sed natura ipsa constans. Fungebatur officio suo per magistratus, vel *publicam* vitam explicans (modo *politico*) vel privatam coram quolibet privato homine (modo *civili*).

Cetera *corpora politica inferiora, civitates, municipia, vici, fora, conciliabula,* (serius et *provinciae*) imitabantur Statum, a quo dependebant dependentia simili dependentiae pupilli a tutore [5].

b) *Corpora non politica* (voluntaria) [6] requirebant ad exis-

n. 20; *Girard*, « Manuel d. Droit Rom. », 3 ed., p. 232). Antiquitus certe
potius dicebantur personae *morales*, raro personae *mysticae* (Cfr. *Arndts-*
Serafini, l. c. not. 3). Aliis placet denominatio *fictae* seu *fictitiae*, velut
Winscheid, « Diritto delle Pandette » (versio italica *Fadda-Bensa*) I, § 49,
qui personam moralem considerat tanquam *iura sine subiecto*, in qua
proinde pro practica tractatione fingendum est subiectum; eum in hac
re vehementer plures impugnant, inter quos versionis auctores in nota (x).

[3] L. 22, D. de fideiuss. 46, 2; D. de colleg. et corporibus 47, 22; L. 1, D.
Quod uniusc. universit. 3, 4; L. 9, 11. 12. C. Th. XX, 2.

[4] Pr. Inst. 3, 17, de stip. serv.

[5] L. 4, C. *quibus ex causis* 2, 53 « Res publica minorum iure uti
solet ideoque auxilium restitutionis implorare potest ».

[6] Inter non politicas *publicas* recensebantur: *a*) *religiosae* (com-
munitates sacerdotales, vestalium etc.), quamvis antiquitus cultus erat
officium politicum; *b*) *civiles* (velut societas *decurionum*), quae dein si-
mul cum municipio confusa est; *c*) *militares* (uti legionariorum, equitum).
Inter non politicas *privatas* recensebantur: *a*) societates *religiosae* priva-
tae (vocabantur *sodalitates, sodalitia*, collegia *sodalitia*); *b*) societates
civiles officialium (velut apparitorum, scribarum, lictorum, viatorum, pu-
blicanorum) et opificum; *c*) societates cultorum scientiarum, voluptuariae
(vocabantur pariter *sodalitates, sodalitia, collegia sodalitia*).

tentiam tres personas physicas: *tres faciunt collegium* [7]; finem ut ipsius formam, ex cuius diversitate diversificabantur corpora; auctoritatis publicae recognitionem, saltem hoc sensu, quod si lex prohibuisset (corpora *illicita*), non tantum iuridice nulla erat constitutio, sed vi quoque dissolvi poterat [8]. Non ut existerent, sed ut agerent, requirebantur qui societatem, collegium, sodalitium repraesentarent (*syndaci, procuratores, magistratus* etc.), quemadmodum pupilli agunt per tutorem.

c) Corpora pia, fundationes piae, instituta, pertinebant ad pietatem divinam seu religionem (*ecclesiae, oratoria, asceteria, monasteria*) vel ad pietatem humanam (*xenodochia, nosocomia, gerontocomia, brephotrophia, orphanotrophia, ptochia*) et generatim omnia instituta quae ad publicam beneficentiam se referebant.

In causis piis ipse finis erat persona iuridica, ut nonnulli volunt, vel, ut alii rectius dicunt, determinatum patrimonium ad illum finem permanenter obtinendum. Iuxta plures personalitatem iuridicam obtinebant ab Statu, qui auctoritate sua confirmabat largitatem bonorum, quae ad aliquem finem pietatis relinquebantur: alii negant fuisse necessariam auctoritatis publicae confirmationem, ut largitates ad pium finem factae iuridicae haberentur, sed hoc ipso quod lex eas non reprobaret (seu finem illicitum non redderet), habebantur recognitae [9]. Posita recognitione, sive expressa, sive implicita in non reprobatione, omnia agere poterant ad instar corporum, cum hoc discrimine quod in istis procurator repraesentaret multitudinem personarum physicarum, in illis vero multitudinem bonorum pro determinato fine.

Ecclesia sese evolvit sub iure Romano, unde nihil mirum quod pro suis institutis ecclesiasticis eam personalitatem iuridicam tempestive in theoria et praxi agnoverit, quae ipso iure Romano erat sancita, praesertim postquam tempore imperii christiani non solum templa, sed et opera seu corpora pia plurimis privilegiis dotata fuerunt.

[7] L. 85, D. de verb. sign. 50, 16.

[8] L. 1, 2, 3, D. de colleg. et corpor. 47, 22.

[9] Certe Lex Iulia decrevit ne collegium fieret sine Senatus aut Prin-
cipis placito (Cfr. L. 1. pr. D. *Quod* cuiusc. universit. 3, 4; L. 1-3, D. de
colleg. et corpor. 47, 22) quibusdam exceptis, religiosis scilicet et te-
nuiorum.

Ius Codicis

27. Ecclesia agnoscit praeter personas physicas etiam personas *morales*, nec aliena est a iure Codicis denominatio *personae iuridicae* (can. 687) vel *entis iuridici* (can. 1409). Quas personas morales optime distinguit in *collegiales* et *non collegiales*.

Notio. Nullo loco Codex notionem dat personae moralis, non sine causa obtemperans, praesertim in re valde controversa, monito legislatoris Romani « Omnis definitio in iure periculosa est: parum est enim ut non subverti possit » L. 202, D. *de div. regul. iuris*, 50, 17. Praescindendo a diverso modo explicandi earum naturam, potest apte dici: *Personae morales eae appellantur quae, cum in oculos non incurrant perinde ac personae physicae, tamen mente et cogitatione informantur tanquam personae, quibus proinde iurium habendorum et acquirendorum et obligationum contrahendarum iuridica facultas sit, et iuris sui tuendi causa ipsis praesidia, perinde ac personis physicis comparata sint*[10]. An illa mentis consideratio *fictio* sit vel aliquid reale in controversia est inter iuristas, etiam inter illos qui pressius versantur in Romani iuris interpretatione, nec controversia sine exaggerationibus excitata fuit atque etiamnunc vertitur[11].

[10] *Muehlenbruch*, Doctrina Pandectarum I, § 196. In idem recidit notio data a *D'Annibale*, Summ. I, 43. « Quidquid iuris acquirendi et exercendi lege capax habetur, sive pluribus singularibus personis constet (corpora), seu minus, uti hospitalia, beneficia ecclesiastica ». Cfr. quoque *Maroto*, Instit. I, p. 458, ubi moralem personam vocat « ens iuridicum, independenter a personis singularibus ex concessione iuris subsistens atque capacitate iuris acquirendi exercendique donatum ».

[11] Idea *fictionis* iam apparet in litteratura iuridica post-glossatorum iuris Romani, et usque ad nostra tempora sectatores habuit. Speciatim *Savigny* necessitatem fictitiae personae propugnavit, dum personam moralem definivit *subiectum iurium fictitie creatum*. Ut persona iuridica existat duo iuxta ipsum requiruntur, ut aliquid habeatur tanquam fundamentum ipsius (*universitas personarum vel bonorum*), et ut super hoc fundamento legislator construat subiectum iuridicum fictitium. E diametro illi theoriae sese recentius opponens *Brinz*, personam iuridicam inde vere subvertit et quodammodo negat; distinctionem inter personas physicas et fictitias, fictionem vocat; absurdum habet quod iura competere possint enti quod non existit, sed fingitur existere: porro nulla adest necessitas subiecti iuridici proponendi, quia iura, ut vim suam exserant,

Can. 99, ubi duplex species personae moralis recensetur, aperte traditur, quod debent esse *publica auctoritate constitutae*. Hoc quidem non pertinet ad conceptum *personae moralis* ut sic; quippe adsunt personae morales, quae natura sua constant, velut Status, ideoque tales sunt independenter ab eo quod ab aliqua auctoritate sint constitutae. At in Ecclesia quaecumque personae morales iure divino non sint tales, ex ipsa Ecclesiae constitutione, illum characterem personae moralis habere non possunt nisi a legitima auctoritate ecclesiastica: nam persona moralis ecclesiastica est subiectum iurium quae dicunt relationem ad finem

non requiritur essentialiter ut *ad aliquem*, sed potius ut *ad aliquid* spectent: ipse ergo substituit personae iuridicae seu subiecto iurium *patrimonium ad aliquem scopum* (Zweckvermögen), in quo patrimonio inveniretur proprietas sine proprietario, creditum sine creditore, debitum sine debitore, iura sine iurium subiecto. Quae radicalis nova theoria iam contra se habet, quod dantur personae iuridicae ab omnibus ut tales agnitae, quae nullum possident patrimonium; v. gr. aliqua Universitas, quae sustinetur mediis ab Statu suppeditatis, nihil vetat quominus sit praedita iuribus veri corporis sine possessione cuiusvis patrimonii et inter alia iura etiam iure patrimonium acquirendi potiatur, quod proinde non est praesuppositum ad hoc ut existat persona iuridica.

Ceterum qui ab extremis prudenter cavent, merito tenent in hac re fictionibus non esse opus. Est necessitas socialis, factum naturale, quod nulla indiget artificiali fictione, quod capacitas patrimonialis aliorumque iurium non sit alligata dumtaxat individuis, sed pertineat etiam ad organizationes sociales, ipsa natura duce efformatas, cum adsit socialis necessitas ut bona patrimonialia aliaque iura non solis individuis subserviant, sed pertineant etiam ad generales fines in societate obtinendos, qui transcendunt finem hominis individui; id autem obtinetur, si iuxta personas physicas existant universitates personarum, instituta et fundationes cum simili capacitate patrimoniali aliorumque iurium pro ipsorum speciali fine. Personae iuridicae non sunt quidem entia corporea, quae ob oculos occurrant, sed non inde infertur esse entia ficta, irrealia, sed sunt rerum realium repraesentationes. Fictio mente attribuit facto id, quod revera non est; repraesentatio factum reale, cum fundamento in ipso facto, concipit modo ipsi facto respondente (*Dernburg-Cicala*, « Pandette » I, § 59). Cfr. quoque *Fadda-Bensa* in *Winscheid*, « Diritto delle Pandette » I, p. 716, nota (x). Nec Romani illam fictionem agnoverunt, ut optime ostendit *Pernice*, Labeo I, p. 281. Potest dici persona moralis esse subiectum *ideale* iurium, non subiectum *fictum*. Cf. *Arndts-Serafini*, « Pandette » I, § 42; *Waffelaert*, De iustitia, I, n. 160. Facilius tamen fictio aliqua admittitur in mera pia fundatione, utpote independente penitus a quavis persona physica.

supernaturalem Ecclesiae, i. e. ad publicum bonum religiosum, cuius omnis cura concredita est Ecclesiae seu ecclesiasticae auctoritati. Quae publica auctoritas ecclesiastica potest intervenire duplici ratione, vel per actum specialem elevando determinatam collectionem personarum ad conditionem personae moralis, vel per generalem dispositionem in ipso iure contentam: primus modus habetur dum aliqua fidelium associatio per formale erectionis decretum in iuridicam personam evehitur ad normam can. 687; altero modo habentur in ipso iure plures personae morales ipsa dispositione iuris illum characterem habentes, velut Capitulum cathedrale, paroecia et in genere omnia officia et beneficia ecclesiastica in ipso Codice relata et partem constituentia organizationis hierarchicae Ecclesiae (can. 100, § 1).

28. Divisio personarum moralium a Codice traditur in duo adaequata membra: in *collegiales* et *non collegiales*.

Personae morales *collegiales* illae sunt, quae constant pluribus personis physicis in unum corpus seu collegium adunatis. Quae adunatio in unum corpus seu in unum subiectum iurium distinctum a singulis membris, tam seorsim quam collective sumptis, fit per unitatem finis seu interesse distincti ab interesse singulorum etiam collective sumptorum: atque hoc interesse transcendens interesse singulorum atque ad bonum publicum pertinens est ratio, cur illam recognitionem in personam iuridicam distinctam ex parte Ecclesiae mereatur et obtineat. Talis est Capitulum cathedrale vel collegiatum, Capitulum alicuius Ordinis religiosi, confraternitas etc. Secundum hunc Collegii seu corporis conceptum: 1°) Collegium est independens a singulis eius membris, idemque manet in mutatione plurium atque adeo omnium membrorum [12]. 2°) Iura collegii seu personae moralis collegialis non sunt iura membrorum; credita et debita collegii non sunt credita et debita membrorum [13], sed ipsius collegii ut personae distinctae a membris etiam simul sumptis; si enim debita et credita pertinerent ad membra etiam collective sumpta, singulis responderet quota pars, singuli essent creditores aut debitores pro parte. Nihil igitur impedit quominus corporatio, collegium, capitulum contrahat aut alias obligationes assumat cum membris; nihil impedit quominus membrum collegii acquirat servitutem in praedium collegii, quod accidere non posset, si membra essent condomini praedicti praedii; itemque collegium potest acquirere servitutem in praedia membrorum [14]. 3°) Qui agit et qui convenitur est ipsum collegium, corporatio, capitulum, non membra, quae proinde nec sunt partes in causa. Agit autem per praesidem aut alium sive iure designatum, sive in defectu iuris aut particularis statuti per personam a membris collegialiter designatam.

Memorati characteres personae moralis collegialis non impediunt quominus aliqua iura, quorum subiectum est persona moralis collegialis, habeant pro fine etiam utilitatem ipsorum membrorum, quae respectu illorum iurium sunt subiectum utilitatis; et in his iuribus praesertim obtinet regula enuntiata can. 101, § 1, 2°. « Quod omnes, uti singulos, tangit, ab omnibus probari debet », dum generatim actus collegiales perficiuntur per suffragia partis absolute maioris, nonnunquam etiam per maioritatem relativam, id positivo iure vel statuto particulari disponente [15].

A personis moralibus collegialibus valde distant *societates* seu uniones plurium personarum physicarum factae in finem quidem communem, sed non transcendentem finem singulorum sociorum, qui potius eum in finem adunantur, ut efficacius et securius commodum et utilitatem propriam prosequi possint, et idcirco illae utilitates et commoda ad eos pertinent pro parte. Fatendum tamen est in iuribus civilibus modernis, sicut iam plurimis ex illis societatibus concessa fuit personalitas iuridica, ita adest tendentia ut cotidie illas concessiones amplient in favorem novarum societatum, quas novae necessitates industriae et commercii cotidie excitant, in quibus proinde characteres per-

[12] Hoc et iure Romano erat agnitum. L. 75, D. de iudic. 5, 1. « Populum eundem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuisset, cum ex illis nemo nunc viveret ». L. 7, § 2, D. quod cuiusc. universit. 3, 4. « In decurionibus vel aliis universitatibus nihil refert, utrum omnes idem maneant an pars maneat vel omnes mutati sint ».

[13] Ita iure Romano L. 7, § 1, D. quod cuiusc. universit. 3, 4. « Si quid universitati debetur, singulis non debetur, nec quod debet universitas singuli debent ».

[14] « Omnis servitus est in re *aliena*, quoties enim re *mea* utor, id non facio iure servitutis, sed iure dominii ». Cfr. L. 2, D. de servit. 8, 1.

[15] Cfr. *Dernburg*, « Pandette », I, § 61, n. 2; II, § 125 sq.

sonae moralis collegialis miscentur cum characteribus personae collectivae vel societatis [16].

Personae morales *non collegiales* eae sunt, quae personarum physicarum complexu non constant, sed aut *institutum* aliquod permanens sunt, intuitu publicae utilitatis constitutum, velut officia ecclesiastica et beneficia, aut *complexus bonorum* relictorum in finem publicae utilitatis, puta cultus divini, aut in commodum certae classis personarum, puta pauperum, aegrotorum, orphanorum etc. (pia fundatio, pia causa).

Secundum hanc notionem apte distingui potest duplex species personae moralis non collegialis, sc.: 1°) *Institutiones, instituta,* velut ecclesiae, dioecesis seu sedes episcopalis, paroecia et in genere officia et beneficia ecclesiastica in perpetuum erecta, Seminarium, gymnasium, studiorum universitas [17], quae in se sunt subiectum iurium independenter etiam a quolibet patrimonio. 2°) *Fundationes piae, piae causae* in quibus personalitas iuridica connectitur cum patrimonio in pium finem relicto, cuius subiectum quidem *utilitatis,* non iuris, possunt esse personae physicae, velut pia fundatio missarum, pro cultu, pro pauperum sepultura, pro dotandis puellis etc. [18].

[16] *Dernburg,* l. c. I, § 61, n. 3 ubi refert controversias inter iuristas existentes propter mixtionem factam societatis, seu personae collectivae, et personae iuridicae, ex hoc quod permanente conceptu societatis accesserit ex parte Status concessio personalitatis iuridicae. Quae controversiae pro foro ecclesiastico carent practica utilitate, cum personae iuridicae in Ecclesia non ordinentur ad augendum privatum fidelium patrimonium.

[17] Universitates studiorum, studia generalia, certe medio aevo vere induebant naturam stricte corporationis, erantque proinde personae morales collegiales. Cfr. *Dechevrens,* « Les Universités cathol. autrefois et aujourd'hui », P. I, p. 9 sq.; plures quidem adhuc servarunt organizationem propriam corporationum medii aevi (*Dechevrens,* l. c. p. 307 sq.), sed purae et simplices corporationes, quales medio aevo fuerunt, hodiernae Universitates plerumque non sunt. *Dernburg,* « Pandette » I, 862, n. 1.

[18] Nihil obstat quominus pia aliqua fundatio attribuatur personae iuridicae iam existenti, puta monasterio, ecclesiae, Seminario, quo in casu induit naturam donationis factae illi personae iuridicae, sub *condi-tione* vel *sub modo* operis pii praestandi; quamvis etiam ita attribui potest, ut bona separata permaneant, et persona iuridica, cui attributa sunt, sit veluti fiduciarius qui de eorum destinatione ad finem a fundatione praestitutum respondere debeat.

29. Qua auctoritate existant personae morales. In Ecclesia, ut praemissum est, nulla potest existere persona moralis, sive collegialis sive non collegialis, quae plene iuribus personalitatis fruatur, nisi intercedat actus competentis auctoritatis ecclesiasticae, quae talem personalitatem tribuat, sive ipsa iuris dispositione sive per specialem actum ipsius auctoritatis, qui specialis actus esse debet formale decretum erectionis (can. 100).

Haec pertinent ad personas morales inferiores in Ecclesia constitutas; at catholica Ecclesia et Apostolica Sedes moralis personae rationem habent ex ipsa ordinatione divina. Quae ordinatio divina quoad Ecclesiam catholicam in eo habetur, quod a suo Conditore fuerit fundata in veram societatem perfectam, supremam et independentem atque ab eodem immediate acceperit omnia media salutis et sanctificationis, ut sibi obligatos socios, etiam invitos, auctoritative et libere conducat ad finem necessarium. *Sedes Apostolica* est ipsum officium Primatus, Sedes pontificia, Episcopatus romanus, cum corporibus seu organis quibus in concreto existit; qui Primatus ab ipso Christo erectus est, perenniter duraturus, et positus tanquam fundamentum ipsius Ecclesiae, attributa plenitudine iurium ad regendam Ecclesiam necessaria. Utrum autem sustinens denominationem personae moralis sit ipsum officium supremum regendi, ipsa Sedes cui tale officium cohaeret, an persona moralis sit consideranda in serie personarum, quae inchoatur in primo seriei membro et eadem perseverat in quolibet membro succedente, est res disputabilis [19].

Prior explicandi modus, dum difficultates evitat quae inveniuntur in persona morali *successiva* [20], magis congruere videtur cum modo quo solet explicari iuridica personalitas in ceteris officiis et dignitatibus ecclesiasticis, de quibus *D'Annibale,* Summ. I, n. 46: « Personis moralibus accedunt Dignitates et officia publica, nam et ipsa perpetua sunt: ideo quod ab aliquo quasi a Dignitate conceditur, acceptari potest etiam eo remoto vel mortuo; et quod alicui conceditur quasi Dignitati, transit ad

[19] Hanc ultimam explicationem tuetur *De Meester,* Iuris can. comp. I, n. 325.

[20] Cfr. *Fadda-Bensa* in *Winscheid,* « Diritto delle Pandette » vol. I, p. 778 sq.; *Arndts-Serafini,* « Pandette » I, § 41, not. 7.

successores. Verum hoc inter eas distat, quod persona moralis intelligitur semper eadem esse; dignitas, officium, ipsa quidem eadem semper esse intelliguntur, at non personae sibi succedentes: scilicet successor a decessore suo causam non habet; cumque is ab illo nihil accipiat, nullum ab illo ius, nulla obligatio in hunc transit. Quamobrem, si quid v. c. Episcopus dignitatis nomine alicui concesserit, a successore eius revocari potest: eoque minus, si ille aes alienum contraxerit, hic tenebitur ». Qui modus explicandi magis cohaeret cum personalitate tributa ipsi officio vel dignitati, quam cum conceptu personae moralis agnitae in complexu personarum physicarum sibi in officio succedentium et a mente unitate quadam ideali donatarum [21].

30. Status iuridicus personae moralis. Etiam in Ecclesia personae morales distingui possunt in *publicas* et *privatas*. Et quidem in Ecclesia, cum omnes personae morales existant non ex privatorum fidelium voluntate, sed ultimo et formaliter per actum publicae auctoritatis, possunt omnes dici aliquo vero sensu publicae. Sed stricto sensu illae solae dici possunt *publicae*, quae directe ordinantur ad bonum publicum totius Ecclesiae; *privatae* quae ordinantur ad bonum privatorum fidelium. Maxime publicae sunt, quae ordinantur ad externum regimen Ecclesiae, ut Sedes Apostolica, dioeceses, certa officia, et praeterea quae sunt aut organa publicae auctoritatis ad prosequendum Ecclesiae finem, velut Capitulum cathedrale, Seminarium pro formatione ministrorum Ecclesiae, aut instituta ad publicum Ecclesiae finem, velut Ordo religiosus etc. Publicae reguntur auctoritate publica seu potestate verae iurisdictionis fori externi; privatae, si collegiales sint, reguntur interne potestate dominativa, aut ex natura ipsa corporationis derivante aut ex statuto et pacto membrorum, salva tamen subordinatione ad publicam auctoritatem, praesertim quoad externam activitatem, et non exclusa eiusdem auctoritatis vigilantia et visitatione etiam relate ad interna.

Nihilominus in pluribus actibus, non solum privatae, sed etiam publicae personae morales *instar privatorum* habentur;

[21] *Innocentius IV* in suo comment. ad cap. 3, X, de probat. II, 19 docet: « *Praebenda* potest habere iura sua et possidere, sicut episcopatus, abbatia, hospitale vel quaecumque alia domus vel *dignitas* vel administratio ».

ita acquirere possunt donatione aut testamento, contractus inire, iudicio agere, non solum cum huiusmodi contractus ineunt cum personis privatis, sed etiam cum contrahunt cum aliis personis moralibus. In quibus actibus, quos *privatorum instar* ponunt, *minoribus* aequiparantur (can. 100, § 3) eaque protectione fruuntur, quam ius minoribus impertitur, v. gr. beneficio restitutionis in integrum contra laesionem ex negotio vel actu valido rescindibili passam (can. 1687, § 2; 1688, § 2): cuius iuris favoris ratio iuridica est, quod sicut res minorum aguntur per personam tutoris vel curatoris, itá personarum moralium negotia administrantur per personas physicas, ex quarum negligentia detrimentum capere possunt, sicut minor ex negligentia tutoris.

31. Constitutio personae moralis. Personae morales collegiales, ut per actum formalis erectionis in personam erigantur, a membris sive singillatim sive collective sumptis distinctam, requiruntur ad minimum tres personae physicae (can. 100, § 2) [22], quibus in actu erectionis existentibus, persona moralis eadem perseverat, tametsi personae physicae, quae collegii membra sunt, continuo mutentur.

Ceterae personae morales ut constituantur, requiritur imprimis scopus religiosus, ad quem omnia instituta et fundationes ecclesiasticae ordinantur; qui scopus religiosus sistit aut in promotione *cultus divini,* aut in exercitatione *caritatis spiritualis* vel *corporalis.* Duplex hic finis *cultus* et *caritatis,* multiplicem admittit specificationem; unde multiplices distinguendae fundationes ecclesiasticae, velut missarum, monasteria, Seminaria, academiae, scholae, hospitalia etc. Sed, praesupposito scopo religioso, fiunt personae morales per ipsum formale decretum erectionis; quo posito fiunt personae *ecclesiasticae,* fundationes *sacrae, religiosae,* in dominio *subiecti ecclesiastici* constitutae, et tanquam res stricte ecclesiasticae, tum quoad privilegia et iura tum quoad onera, legibus ecclesiasticis de bonis vel rebus ecclesiasticis subiiciuntur. Illo actu erectionis non interveniente, fundationes piae manent *laicales,* non ecclesiasticae, nec in dominium Ecclesiae transeunt; subiiciuntur tamen regimini Ec-

[22] Cfr. L. 85, D. de V. S. 50, 16. « Neratius Priscus tres facere existimat collegium et hoc magis sequendum est ».

clesiae, in quantum ad eam per se pertinet, ut piae fidelium voluntates executioni mandentur.

Quodsi pia fundatio attributa sit personae iuridicae iam existenti, satis est ut ipsa sit vere ecclesiastica, ut legitimis modis acceptetur ab illa persona iuridica cui fuit attributa, nec requiritur specialis actus erectionis: illa persona iuridica est veluti fiduciarius, qui de pia fundatione respondere debet.

32. Personarum moralium actio. Personae morales, ut tales, plerumque per se agere non possunt; earum actio explicatur per personas physicas, quae personarum moralium repraesentationem gerunt; quod munus personam moralem repraesentandi diversa nomina sortitur pro diversa specie personae moralis; sic titularis officii vel beneficii huius personam gerit, est veluti ipsius tutor et simul in beneficio est administrator bonorum constituentium ipsius dotem. (Cfr. can. 1649, 1653).

Codex distinguit a personis collegialibus alias non collegiales, et quoad has remittit ad dispositiones iuris communis, quae in respectivis locis Codicis traduntur, praesertim vero in L. III, part. 2ª, ubi agitur de *Seminariis, de beneficiis,* ac de aliis institutis ecclesiasticis non collegialibus. Insuper praescribit servanda particularia statuta (can. 101, § 2º); quae particularia statuta aut sunt data per legitimam auctoritatem ecclesiasticam cui subsunt, aut sunt executio legis latae a pio fundatore in limine fundationis, quibus praesertim determinatur quis personam moralem repraesentat et intra quos limites eius negotia gerit.

Quoad personas morales *collegiales,* distinguendi sunt actus ipsius personae moralis ab actibus Superiorum qui eas regunt.

Circa actus qui sunt ipsius personae collegialis regula traditur can. 101, § 1. Ante omnia sc. attendenda sunt quae sive ius commune sive ius particulare sancit de determinata persona morali, v. gr. de numero suffragiorum requisito in electione, puta R. Pontificis, Praelati etc. Deinde notandum est actum non esse vere collegialem nisi collegium fuerit legitime convocatum per vocationem eorum, qui ius suffragii habent secundum statuta cuiusque collegii. Quo collegio legitime constituto, id vim iuris habet, quod demptis seu non computatis suffragiis nullis, placuerit parti absolute maiori eorum, qui suffragium ferunt (i. e. ex viginti suffragiis, undecim; si numerus fuit impar, excessus unius suffragii complet maioritatem absolutam, ex no-

vem suffragiis, quinque): quodsi nec primo nec altero scrutinio maioritas absoluta fuerit obtenta, id tenet quod in tertio scrutinio placuerit parti relative maiori. Si suffragia aequalia fuerint post tertium scrutinium (non post primum aut secundum), praeses suo voto paritatem dirimat; quae formula legis cum manifeste sit praeceptiva, praeses non potest abstinere a re per suum votum qualificatum dirimenda [23]. Illa libertas praesidi conceditur in electionibus, in quibus praeses *potest,* sed *non tenetur* electionem inter varios aequalia suffragia habentes suo voto dirimere: quodsi ab usu iuris abstineat, tunc paritas suffragiorum dirimenda est per praelationem eius qui est senior ordine, vel prima professione vel aetate, si respective etiam in ordine aut in ordine et professione detur paritas. Criterium ergo Codicis hoc videtur esse, ut, sive agatur de electione sive de quolibet alio negotio, tertio actu collegiali legitimo res maneat decisa et decisio sit tribuenda personae morali collegiali, cui stare debeant etiam ii, qui diversum tulerunt suffragium.

Atque haec in genere valent quando actus collegialis seu capitularis respicit commune interesse capituli seu collegii, in quibus plurium voluntas debet praevalere contra minorem partem non consentientem et contradicentem. At ubi agitur de bonis seu iuribus singulorum, non qua collegiales sunt, sed qua singuli, tunc maioritas minoritati et singulis de minoritate praeiudicium generare nequit; sed ubi est interesse singulorum debet esse singulorum placitum iuxta regulam can. 101, § 1, n. 2 enuntiatam: « *Quod omnes, uti singulos, tangit, ab omnibus probari debet* ». Specificatio regulae in casibus particularibus difficultate non caret [24].

[23] Ita *Vermeersch,* Epitome I, n. 225. Paulo aliter *Maroto,* Inst. I. C., I, n. 467.

[24] Qua de re, cum illa iuris Regula etiam esset contenta in iure decretalium (Reg. 29 in Sext.) imprimis consulendi sunt Doctores, qui illas Regulas commentati sunt, velut *Reiffenstuel,* in cit. Reg.; alii commentatores solent de re agere in l. III, tit. 11, de his quae fiunt a maior. p. capit. *Phaebeus,* De regulis iuris p. 184; itemque commentatores iuris Romani ubi eadem iuris regula effertur in L. 5, § 2, C, de auctor. praestanda V, 59. Praeterea iam SS. Congregationes casus practicos resolverunt, velut S. C. C. 17 Sept. 1796. *Assiss. apud Zamboni,* tom. IV, v. *Capitulum* § X et S. R. C. in *Verulana* 23 Mai. 1835. Cfr. quoque *Ferraris,* v. *Capitulum* art. 1, n. 55; *Pallottini,* v. *Capitulum* § III, n. 12; *Scarfan-*

33. Non omnes actus personae moralis collegialis sunt collegialiter ponendi; sed solet dari persona physica legitime deputata sive a iure, sive statuto, sive membrorum pacto seu conventione, quae personam moralem repraesentat atque in ordinariis actibus administrationis eius nomine agit, salvo onere reddendi collegio rationem suae administrationis. In his actibus, nomine personae moralis positis, praesertim valet principium, quod personae morales iure minores censentur (can. 100, § 3).

Personae morales, praeter internum regimen collegii, in quo saepe non adest verus ac proprius Superior ceterorum membrorum, subsunt Superioribus regimini ecclesiastico praepositis, quibus etiam ex dispositione iuris certae personae morales collegiales tanquam adiutores regiminis assignantur, de quorum consilio vel consensu in certis actibus procedere debent; v. gr. Capitulum cathedrale assignatur Episcopo in adiutorium regiminis dioecesani; capitulum consultorum, assistentium, definitorum tanquam adiutorium Superiori religioso in regimine religiosorum. In his actibus valet principium can. 105 propositum: videlicet ius nonnunquam exigit, ut Superior procedat in agendo cum *consensu* aut cum *consilio* aliorum. Si ius *aliorum consensum* exigit, actus positus contra requisitum aliorum votum iuridico valore destituitur; quodsi aliorum non consensus, sed consilium dumtaxat a iure exigatur, ad actus valorem quod attinet, satis est si Superior personas designatas de re consulat; datum vero consilium non tenetur sequi, concordibus tamen plurium personarum, quae audiendae fuerunt, suffragiis plurimum deferre debet et ab eisdem, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, non debet discedere (can. 105, 1°) [25].

Illud probe notandum, quod quoties ius non unius dumtaxat

tonius, lib. IV, tit. II, animadv. 5-16; tit. XIII, animad. 1-2; *De Herdt*, Praxis Capitularis P. IV, cap. 32, § 22; *Maroto*, Institutiones I. C., I, n. 467; *Verm.-Cr.*, Epitome I, n. 225.

[25] Quod satis dicatur ad valorem, si audiantur ii, quorum consilium est requirendum, non infert actum valore carere si consilium non fuit requisitum, nisi lex consilium requirens expresse vel aequivalenter id requirat ad valorem. Cfr. can. 11; nam de non requisito consilio canon nihil dicit, quemadmodum dicit de non subsecuto consensu et praecise in hoc ponitur oppositio. Cfr. *Verm.-Cr.*, Epit. I, n. 229. Cfr. etiam *Michiels*, o. c. p. 418. Aliter *Toso*, Commentaria ad Cod. I. C., II, p. 54, et praesertim *Ojetti*, Commentarium, II, p. 190.

vel alterius personae consensum aut consilium requirendum esse praecipit, sed plurium simul, satis non est ut consiliarii separatim de consensu aut consilio rogentur, sed opus est ut legitime convocentur; et in communi consultatione de re deliberationi obnoxia edocti et, si res ferat, ad secretum servandum iurisiurandi fide adstricti, ibi suffragia ferant vel mentem suam aperiant, ex quorum sententiis et rationibus lumen hauriat Superior. Si non fuerint legitime convocati omnes qui de iure debebant, haec omissio valori actus non officit, modo omnes, etiam praetermissi, communi deliberationi praesentes interfuerint (can. 105, 2°, iunct. can. 162, § 4). At praescriptis huius canonis satis non fit, si Superior consiliarios singillatim, seorsim a communi deliberatione, de suffragio aut de consilio rogaverit. In qua communi deliberatione, cum consiliarii evidenter sumantur per modum corporis seu collegii, obtinere debet quod can. 101, § 1, n. 1° edicitur de numero suffragiorum requisito ac de paritate suffragiorum per praesidem vel Superiorem, qui consensum exquirit, dirimenda [26].

Consiliarii de consensu aut consilio requisiti debent suam sententiam aperire cum debita reverentia erga praesidem vel Superiorem et erga collegas, et cum omni fidelitate et sinceritate (can. 105, 3°).

34. Personarum moralium duratio et extinctio. Persona moralis natura sua *perpetua est* (can. 102, § 1), quae perpetuitas, positiva Ecclesiae lege sancita [27], significat ab Ecclesia non erigi in personas morales nisi illas corporationes, instituta, pias fundationes, quae in perpetuum seu in indefinitum tempus sunt constituta. Quodsi agatur de persona morali collegiali, in qua paulatim deficiunt membra, iura personae moralis consistunt in membris quae supersunt, et etiam cum unicum superest membrum [28] ius omnium in illud recidit (can. 102, § 2), a quo nova

[26] *Verm.-Cr.*, Epitome I, n. 225.

[27] Aliter generatim obtinet iure civili moderno, nec ex natura rei, praecisa lege positiva, illa perpetuitas deduci potest; nam ex natura rei nihil obstaret quominus v. gr. pia fundatio missarum ita fieret, ut post quinquaginta annos bona in eum finem relicta essent pauperibus distribuenda et pia fundatio maneret extincta ex ipsa lege fundationis.

[28] Ita etiam iure Romano, L. 7 § 2, D. quod cuiusc. universit. 3, 4 « sed si universitas ad unum redit, magis admittitur posse convenire et

membra cooptari poterunt, si in collegium fiat ingressus per ceterorum membrorum cooptationem. Illa perpetuitas non necessario importat in persona collegiali, ut semper et modo continuo suam activitatem explicet, v. gr. Concilium oecumenicum, Capitulum generale Ordinis: est perpetuitas *institutionis*, quae cohaeret cum hoc quod activitas nonnisi statis temporibus explicetur.

Persona autem moralis extinctioni obnoxia est. Duplex autem modus extinctionis assignatur: 1°) per suppressionem a legitima auctoritate factam; 2°) si per 100 annorum spatium esse desierit. Quaenam sit auctoritas competens ad illas supprimendas suis locis explicatur: generatim loquendo, si sint immutandae piae fundatorum voluntates, intervenire debet Sedes Apostolica, cuius est bona ad certum finem relicta, reddito fine impossibili, in alium finem similem destinare.

Caput VIII

De actibus personarum (can. 103, 104)

35. Frequenter in iure et foro ecclesiastico incidit quaestio de dolo, errore, atque de vi et metu, velut in electionibus, renuntiationibus, professione religiosa aliisque votis, in sponsalibus et matrimonio, in baptismo adultorum, in testamentis, absolutionibus a censuris, iuramentis actui adiectis, praeter actus et contractus qui indiscriminatim versari possunt circa res temporales ecclesiasticas aut mere profanas. Quare convenienter in canonibus praeliminaribus ponitur regula generalis de influxu illarum circumstantiarum in actus.

§ I. De vi et metu

36. *Vis*, ut dicitur L. 2 D. quod metus causa IV, 2 est « maioris rei impetus, qui repelli non potest ». Potest autem esse vis *physica, praecisa* sive *absoluta* et consistit in applicatione violentiae physicae insuperabilis, qua efficitur ut is, cui applicatur, propriam actionem non ponat, sed sit merum instrumentum alterius. Et potest esse vis *moralis, conditionalis* sive *compulsiva*, quae minis absolvitur et cum *metu* confunditur *active* sumpto, seu cum causa inferente metum.

conveniri, *cum ius omnium in unum reciderit et stet nomen universitatis* ».

Metus autem (*passive* sumptus) est « instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio ». Cfr. L. 1, D. eod. Metum infert comminatio alicuius mali (vel eius apprehensio): illa minitatio (seu apprehensio) compellit *moraliter* voluntatem, ut velit quod secus nollet (*vis compulsiva*, coactio *conditionalis*).

Metus autem dividitur:

I. In metum *extrinsecus incussum*, per vim seu minas; et in metum *intrinsecus ortum* ex alia causa[1].

II. In *gravem*, qui vehementer animum perturbat propter malum, sive absolute sive saltem respective grave, et in *levem*[2].

III. In *iustum* sive *probabilem*, quem leges approbant, et in *iniustum* atque *non probabilem*, qui a legibus reprobatur.

37. Influxus vis et metus in actum. Nimis evidens est actus quoslibet et negotia per *vim* sive coactionem *absolutam* gesta ex ipso iure naturae esse nulla et irrita. Nam huiusmodi vis absoluta in eo, qui illam patitur, ipsam substantiam proprii et liberi consensus, sine quo actus vere humanus et legitimus exsistere nequit, omnino tollit, ideoque eam patiens etiam ab omni culpa et poena excusatur. Hoc firmat legislator can 103, § 1. Adverte tamen vim in actus dumtaxat externos a voluntate imperatos inferri posse, non in actus a voluntate elicitos: quare qui externam vim voluntarie admittit, aut non resistit cum debeat non est expers imputabilitatis.

Merito docent philosophi et theologi, quibus consentiunt iu-

[1] Cfr. *Vermeersch*, Periodica, XVII, 141*.

[2] Satis communiter *gravis* dicitur metus, qui cadit in virum constantem, seu quem vir constans et fortis prudenter et rationabiliter concipit. (Cfr. L. 3, § 1; L. 4, 6, 8. § 2, D. IV, 2). Quae formula abstracta fit magis practica per conditiones, quas Doctores declarant debere verificari. Videlicet: 1°) quod malum quod timetur sit grave in se et non solum in vana aestimatione timentis; 2°) quod certo immineat seu certo iudicetur eventurum; 3°) ut is qui timet non possit alia ratione illi malo occurrere seu illud evitare, nisi ponendo actum qui per metum intenditur extorqueri.

ristae, metum etiam gravem, nisi plane tollat usum rationis, liberum consensum quoad substantiam non auferre, sed solummodo minuere: in casu metus, libere eligitur actus ad vitandum malum quod timetur, quem actum non eligeret timens nisi apprehenderet necessarium ad malum vitandum. Cuius doctrinae corollarium est, actum ex metu positum iure naturali non reddi nullum et irritum, sed ad summum rescindibilem, si rescindi possit. Quae rescindibilitas ad nutum metum passi ex iure naturali ad illos solos actus est extendenda, qui positi fuerint ex metu gravi *extrinsecus* et *iniuste* incusso. Sane qui per iniustum metum extorsit actum, commisit iniustitiam, ad quam reparandam ipso iure naturali adigitur. Cum autem iniustitia et damnum praecise consistat in hoc quod per modum iniustum coegerit alium ad ponendum actum, unica apta reparatio quae sit facta ad aequalitatem in hoc habetur, quod actus rescindatur et reponatur is, cui metum intulit, in pristinum statum seu libertatem, interim vero iniustus coactor nullum commodum percipiat ex actu per violentiam extorto [3].

Congruenter ad id quod est ex iure naturali, legislator (can. 103, § 2) sancit, actum positum ex metu gravi et iniuste incusso valere, nisi aliud iure caveatur, sed posse rescindi per iudicis sententiam, sive ad petitionem partis laesae sive ex officio latam. Ergo ius positivum firmat principium de *valore actus* ex *gravi* et *iniusto* [4] metu extorti, sine distinctione inter *contractum* et *alios actus*, et cum exceptione de casu in quo aliud iure caveatur [5].

[3] Ratio allegata evidenter non potest applicari actui posito ex metu *ab intrinseco a causa naturali* orto: iniuria ponenti actum nulla fuit illata, unde nec ex hoc capite ipsi restituenda libertas ponendi actum, quam nullus abstulit, et consequenter obligatione, quam voluntarie suscepit, obligatus manet, nisi legitime dispensetur. Quare votum in medio periculo ex metu naufragii emissum non est unde vitietur, nec ratio cur ab ipso vovente rescindi seu relaxari possit.

[4] Metus *iuste* incussus aut ab intrinseco ortus a legislatore hoc canone non consideratur, ideoque huic casui non applicantur, quae dicuntur de rescissione; allegata autem ratio iuris naturalis etiam huic casui non applicatur, quia contrahenti vel actum ponenti nulla facta est iniuria.

[5] Illa locutio « nisi aliud *iure* caveatur », cum sit generalis, non necessario est restringenda ad *ius positivum* Codicis, sed apte sub illa comprehendi potest *ius naturale*, quod etiam pro Ecclesia est fons iuris; unde legislator non excludit quod aliquis actus metu gravi iniusto positus possit

Talis expressa in contrarium dispositio in Codice habetur: 1°) In can. 169, ex quo in electione suffragium est nullum, si ab electore adacto metu gravi aut dolo fuerit datum determinatae personae. 2°) Ex can. 185 est nulla renuntiatio officii ex metu gravi, dolo aut errore substantiali. 3°) Ex can. 572, § 1 est nulla professio religiosa, si vi aut metu gravi aut dolo emittatur. 4°) Ex can. 1087 est invalidum matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium. 5°) Ex can. 1307, § 3 est nullum votum metu gravi et iniusto emissum; at can. 1317, § 2 iusiurandum per vim aut metum gravem extortum dicitur valere, licet a Superiore ecclesiastico relaxari possit. 6°) Can. 2238 irritatur remissio poenae, vi aut metu gravi extorta.

38. Iuris remedium. Non obstante valore actus ex metu positi, ille actus est rescindibilis [6], nisi alicui actui particulari ex na-

ex ipso iure naturali esse nullus et irritus. Quare licet verum sit principium generale de metu, etiam gravi, ex se non auferente substantialem libertatem, aliae rationes quae, praesupposita substantiali libertate, ex ipso iure naturali afferri possunt, suo valore, hoc canone non obstante, non destituuntur; v. gr. si pro nullitate matrimonii ex iure naturali allegatur impossibilitas restituendi in integrum personam, quae vim passa est, propter matrimonii validi indissolubilitatem; quae restitutio in pristinam ac debitam libertatem est unicus modus ex iure naturali reparandi iniuriam per metum illatam. Ita pariter canon non obstat, quominus vertatur quaestio, utrum ex iure naturae contractus *gratuiti* sint tantum *rescindibiles* ad *nutum* donatoris metum passi, an vero etiam *irriti*: nam praesupposita et admissa sufficientia libertatis substantialis, haberetur pactum initum *sine causa contractus*, quae in contractibus gratuitis est animum liberalem ostendere, quem animum liberalem metus penitus tollit. Paulo aliter *Vermeersch*, Epit., I, n. 227.

[6] Illa rescindibilitas seu ius ad actionem rescissoriam, cum canon distinctionem non faciat, etiam habetur in casu metus non consulti seu non eo animo illati, ut extorqueretur assensus, quo etiam in casu rescindibilitatem ex iure naturae repetit *Lugo*, De iust. disp. 22, n. 175; itemque in casu, quo metus, non a contrahente, sed ab alio tertio fuit incussus, ut etiam apparet ex can. 1685, § 1; quo casu plures Doctores negant rescindibilitatem provenire ex iure naturae (Cfr. *Lugo*, disp. 22, n. 117). Ita etiam passim leges civiles modernae, congruenter ad id quod iam statuerat legislator Romanus L. Idem § 3, D. h. t. « In hac actione (quod metus causa) non quaeritur, utrum is qui convenitur, an alius metum fecit; sufficit enim hoc docere, metum sibi illatum vel vim et ex hac re eum, qui convenitur, etsi crimine careat, lucrum tamen sensisse ». Accedit ratio quod *metus* haud raro iniicitur ab iis qui se occultant; et proinde cum contra metum inii-

tura ipsius repugnet rescissio; rescindibilis autem est ad nutum metum passi, non ex voluntate illius qui metum intulit. Illa tamen rescissio pro foro externo debet implorari a iudice, sicut alia iura, ne quis arbitraria ratione, sub praetextu metus sibi illati, cum aliorum damno et iniuria actus rescindat. Ad hoc datur hoc canone metum passo *actio rescissoria* contra eum qui metum intulit, etiam in alterius commodum, itemque contra quemlibet malae vel bonae fidei possessorem, qui rem metu extortam possideat (can. 1684, 1685). Quodsi is qui metum intulit urgeat actus seu contractus executionem, succurritur metum passo per *exceptionem metus* (can. 1686).

Si actus rescissio intersit boni publici aut salutis animarum, etiam non proposita a parte laesa actione rescissionis, iudex ex officio debet procedere ad actum rescindendum ad normam can. 1618.

Planum est in casibus, in quibus sive ex natura rei sive ex dispositione iuris actus est nullus, metum passo non actionem rescissoriam competere sed actionem ad obtinendam declarationem nullitatis ad normam can. 1679.

§ II. De errore (can. 104)

39. Notio. *Error* et *ignorantia* re quidem inter se differunt; *errat* qui falsam rei notitiam habet; *ignorat* qui rei scientia destitutus est; in iure tamen idem efficiunt.

Divisio: 1°) Error potest esse *iuris*, si ius respicit; et error *facti*, si in *facto* consistat.

2°) *Substantialis* vel *accidentalis* prout cadat in illa, quae ad actus vel contractus substantiam pertinent, aut afficiat tantum accidentia ipsius.

3°) Potest esse *antecedens* sive dans causam actui seu contractui, vel *incidens* sive *concomitans*. Prior error habetur, si quis eo animo est comparatus, ut illo errore detecto sive facto cognito actum seu contractum non poneret; alter vero in hoc consistit, ut

cientes in tali casu agi non possit, legislator iure merito contractum ipsum rescindibilem esse constituit, ne metum passus iuris remedio privetur; aliter accidit v. gr. in *dolo;* deceptus enim facile deceptorem, ut se indemnem praestet, convenire potest, cum nemo ab ignoto decipiatur, *Marres,* De iustit. II, 95.

etiam cognito errore, ab actu seu contractu ab errante recessum non fuisset.

4°) Potest esse error ex alterius *fraude* et *dolo* vel sine alterius malitia productus. Sed de *dolo* inferius.

40. De influxu erroris in actus. Ita definitur a legislatore: «*Error actum irritum reddit, si versatur circa id quod constituit substantiam actus vel recidat in conditionem sine qua non; secus actus valet nisi aliud iure caveatur*». Canon agit de *actu* quolibet, qui habeat esse a consensu voluntatis, non de solo contractu in quo duorum placitum intercedit [7].

Iam vero si intervenit error circa id quod constituit substantiam actus, consensus voluntatis fertur in unam rem et actus seu contractus versatur circa aliam rem, ideoque actus seu contractus est positus sine voluntate et ex ipso iure naturali irritus. Et de hoc errore circa substantiam valet effatum iuris Romani: « Quid tam contrarium consensui est quam error » (L. 15, D. de iurisd. II, 1). Quodsi error non versatur circa substantiam, sed circa qualitatem aut circumstantiam rei vel actus, quae tamen in intentione actum vel contractum ponentis recidat in *conditionem sine qua non*, quatenus non habeat intentionem actum seu contractum ponendi, nisi illa qualitas seu circumstantia existat, pariter evidens est quod, conditione non existente, non existit consensus ab ea dependens, quo deficiente pariter ex ipso iure naturae actus seu contractus irritus est.

Difficultas est in praxi dignoscere quando error versatur circa id quod constituit *substantiam* actus. *Substantia* hic spectanda est non *in se*, sed in ordine ad actum voluntarium seu contractum. In contractibus habetur substantialis error, si is cadit in *speciem contractus*, vel sit error de *re* aut de *ipso corpore rei*, v. gr. acceptas *mutuum* putando *donationem*; intendis emere *meum* equum rufum, ego meum equum album in venditione do. Porró etiam qualitates rei possunt esse *substantiales*, non mere *accidentales*, in

[7] Quodsi agitur de *contractu*, perinde est utrum unus tantum aut uterque contrahens erret, dummodo unus alterius erroris conscius fuerit: si vero conscius fuit, quia paciscens paciscenti errorem suum aperuit, atque alter nihilominus errantem ad contrahendum movit, dum ex iustitia ei veritatem pandere deberet, non error solus sed *dolus* habetur, de quo postea.

ordine ad actum voluntarium. Ita in contractibus qualitas rei habetur *substantialis*, quando res, prout illam qualitatem habet vel non, ad *diversam* rerum *speciem* pertinet, v. gr. si catenam auratam pro aurea vendas. Et generatim quaelibet rei qualitas aut *expressa aut tacita conventionis stipulatione* a contrahentibus pro contractu, quem ineunt, qua *substantialis* iudicari potest: est error qui dicitur *redundare in substantiam*. Persona cum qua contrahitur plerumque accidentaliter venit in contractum, v. gr. in venditione; at v. gr. in matrimonio, quia obiectum contractus est, error de persona matrimonium irritat [8].

Extra casum erroris substantialis vel recidentis in conditionem *sine qua non*, actus valet, nisi aliud iure caveatur [9]. Qua dispositione legislatoris, id quod iure naturae non est undequaque determinatum magis determinatur, non tamen sine iuris remedio, quo semper aequitati et iuri naturali fieri satis potest.

41. Iuris remedium. Si actus propter errorem fuerit nullus, erranti competit actio ad obtinendam declarationem nullitatis ad normam can. 1679. Quodsi non obstante errore actus fuerit validus, in contractibus erranti succurritur per actionem rescissoriam, qua ille rescissionem actus a iudice implorare potest. Cfr. can. 1684.

§ III. De dolo

42. Codex dolum connumerat cum metu in eodem can. 103, cum tamen metus directum influxum exerceat in voluntatem, dolus immediate in intellectum in quem inducit errorem. Ergo quae sanciuntur de dolo cum iis, quae de errore dicta sunt, coordinari debent.

[8] Iure positivo in Codicibus modernis solent ob errorem circa personam irritari contractus donationis, transactionis, societatis, contractus de opere perficiendo, mandati, depositi, commodati, mutui gratuiti, ex illa ratione quod sint contractus postulantes quandam aut *benevolentiam* aut *fiduciam* contrahentis erga contrahentem, quam quisque non habet erga quamlibet personam, et propterea *praecipue intuitu personae* perficiuntur.

[9] Cfr. de foro civili notam praecedentem; pro foro canonico habetur casus de errore circa qualitatem redundantem in personam et circa conditionem servilem personae cum qua contrahitur, quo in casu matrimonium can. 1083 irritatur. Prior casus, iuxta explicationem datam, non est vera exceptio, sed tantum secundus.

Notio. Vocabulum *doli*, licet et in bonam et in malam partem accipi possit, tamen in iure simpliciter prolatum significat *dolum malum*. Qui dolus malus L. 1, § 2, D. de dolo malo IV, 3 in genere dicitur: Calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. Habetur ergo cum quis *fraude* aut fallacia usus est ad obtinendum alterius consensum in actum seu contractum [10].

Sicut error, quem inducit, potest esse *substantialis* et *accidentalis; antecedens* et *incidens*.

43. Influxus in actum. Si perinde ac dicitur de metu gravi ac iniusto, actus ex dolo positi per principium generale dicuntur valere nisi aliud iure caveatur (can. 103), hoc, ut cohaereat cum iis quae de errore dicuntur canone sequenti, ita est intelligendum, ut ab hoc principio generali excludantur omnes illi casus, in quibus propter errorem *substantialem* ex dolo inductum ex ipso iure naturali, per ipsum canonem 104 firmato, actus omnino est irritus et nullus ex substantiali defectu consensus.

Quare tunc solum actus ex dolo positus valet, cum error, quem dolus inducit, relinquit substantialem consensum. Et quidem in casu doli *accidentalis*, qui tamen *dedit causam contractui*, licet contractus iure naturae non sit nullus, ex ipso iure naturae est *rescindibilis* ad nutum decepti, dummodo contractus ex natura sua solvi possit. Sane hic dolus propter *errorem*, cum quo coniunctus est, quia contrahentium consensum in idem placitum non tollit, contractum iure naturae non reddit nullum. Sed cum contrahens alterum *fraude* movit ad contrahendum, libertatem alterius contrahentis etsi non abstulerit, *iniuste* tamen laesit et iniuriam stricte dictam alteri intulit; ut autem hanc iniuriam reparet, debet alteri contrahenti suam contrahendi libertatem restituere, quam dolo iniuste abstulit [11]; ipse vero contractum

[10] Si quis *bona fide* alterum decepit, dolus non intervenit, sed merus error; ideoque de valore actus diiudicandum est ex principiis de errore positis.

[11] Haec ratio non retinet suam totam vim in casu doli *incidentis*, seu non dantis causam actui seu contractui. Plerumque tamen dolus incidens saltem induxit ad contrahendum *tali modo* (v. gr. maiore pretio), unde deceptus damnum ceperit: ex natura rei deceptor ex stricta iustitia tenetur ad reparandum tale damnum: quare, cum lex non distinguat, etiam ad hunc casum actio rescissoria videtur pertinere; at fortasse iudex loco

rescindere non potest, quia libere consensum dedit: contractus igitur rescindibilis est ad nutum decepti. Est eadem fere argumentatio adhibita pro actu ex metu iniusto posito; unde patet cur legislator sub eodem canone metum et dolum posuerit, inter quos insuper adest paritas quoad remedium iuris.

44. Iuris remedium. Cum ex dictis dolus *substantialis* actum nullum reddat, ex natura rei et ex positiva dispositione can. 1679 remedium iuris habetur in actione pro declaratione nullitatis. Extra casum doli substantialis remedium iuris est idem quod dictum est de metu, videlicet *actio rescissoria* contra eum qui dolum patravit, quamvis ipse non in suum, sed in alterius commodum dolum adhibuerit [12], et contra quemlibet bonae vel malae fidei possessorem, qui rem dolo extortam possideat: insuper *exceptio doli* apponenda ei qui dolum patravit, si actus vel contractus executionem urgeat.

Caput IX

De praecedentia inter personas (can. 106)

45. Clerici iam per ipsam assumptionem ad statum clericalem atque per ordinum susceptionem consequuntur maiorem *dignitatem* et *excellentiam* prae laicis, cui maiori excellentiae respondere debet maior reverentia et perfectior honoris significatio, cuius reverentiae et honoris praecipua quaedam manifestatio est praecedentia digniori et excellentiori relicta. Sed inter ipsos clericos dantur varii gradus dignitatis, ideoque etiam inter ipsos secundum dignitatem est regulanda praecedentia. Difficultas potius inde habetur quod in clericis est duplex hierarchia, altera ordinis, altera iurisdictionis, nec necessario qui est altior in una debet etiam esse altior in alia. Ante Codicem, saltem completa quadam ratione, per principia generalia non erat accurate determinatum ius praecedentiae, sed aderant particulares decisiones,

concedendi rescissionem, quam deceptus non urgeat, saltem obligabit ad compensandum damnum.

[12] De casu quo contrahens a tertia persona deceptus fuerit cfr. *Lessium*. De iust. l. II. cap. 17, n. 33; *Molina*, De iust. disp. 352, n. 8; *Lugo*, De iust. disp. 22, n. 84; *Marres*, De iust. II, 33 sq.

praesertim S. R. C., quae in ea re maxime respiciebat functiones liturgicas. Haec determinatio facta est in Codice per generalia principia hoc canone proposita, quorum deinde in aliis canonibus fit practica applicatio.

46. Principia de praecedentia. I. Qui alterius personam gerit obtinet praecedentiam respondentem personae quam repraesentat, tametsi praecisa repraesentatione sit inferior. V. gr. Legatus R. Pontificis, tametsi Episcopus non sit, praecedit Episcopos qui Cardinales non sint. Non attenditur propria dignitas et praecellentia, sed illius quem repraesentat eius vices gerendo.

In Conciliis tamen aliisque similibus conventibus, qui procuratorio nomine intersunt sedent post illos eiusdem gradus, qui intersunt nomine proprio. Ergo v. gr. qui procuratorium mandatum habet ab Episcopo sedet post alios omnes Episcopos, tametsi qui procuratorium mandatum dedit pluribus Episcopis praecedere debeat ratione antiquitatis promotionis; qui interest procuratorio nomine loco Archiepiscopi sedet post alios omnes Archiepiscopos qui intersunt nomine proprio (can. 106, 1°). Procurator non plene repraesentat mandantem.

II. Cuius est auctoritas in personas sive physicas sive morales, eidem ius est praecedentiae supra illas (ib. 2). Habens auctoritatem in alium ex hac auctoritate obtinet superioritatem in ipsum tanquam in inferiorem et subiectum; praecedentia autem est signum honoris fundatum maxime in superioritate.

III. Supposito primo principio, quod semper valere debet, potest accidere ut agatur de duabus personis, quae si inter se comparentur non comprehendantur sub principio secundo, quia neutra in alteram habet auctoritatem, quo in casu: 1°) Praevalet gradus iurisdictionis: Patriarcha, Primas, Archiepiscopus, Episcopus etc. 2°) In pari gradu praevalet ordo, v. gr. inter Praelatum *nullius* et Episcopum consecratum, inter canonicum pertinentem ad ordinem presbyteralem et alium pertinentem ad diaconalem. 3°) In paritate gradus et ordinis qui prius est promotus ad gradum, v. gr. inter duos Episcopos, qui prius est promotus in consistorio, non qui prius consecrationem episcopalem receperit;

[1] Inter Episcopos suffraganeos eiusdem Provinciae attenditur antiquitas praeconizationis seu electionis ad episcopatum, non promotionis ad Ecclesiam suffraganeam. Comm. Cod. 10 Nov. 1925 (A. A. S., XVII, 582).

inter duos parochos qui prius ad munus fuit promotus, excepto parocho ecclesiae cathedralis (cfr. can. 478). 4°) Quodsi eodem etiam tempore sint promoti, praecedit senior ordine, nisi iunior fuerit ordinatus a Rom. Pontifice. 5°) Quodsi tandem etiam eodem tempore ordinați fuerint, senior aetate (can. 106, 3°).

IV. In praecedentia diversitas rituum non attenditur (ib. 4°).

V. De praecedentia *inter personas morales*. Si sunt eiusdem speciei et gradus, illa praecedit quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae; et si de hoc non constat, quae prius in loco, ubi quaestio oritur, instituta est; v. gr. inter duas confraternitates et duas pias uniones. De praecedentia inter associationes diversae speciei et gradus cfr. can. 701.

Quod vero attinet ad sodales alicuius collegii, ius praecedentiae determinatur ex propriis legitimis constitutionibus, secus ex legitima consuetudine, qua deficiente ex praescripto iuris communis (ib. 5°).

VI. Quoniam autem principia generalia difficulter comprehendere valent clare omnes casus particulares qui occurrere possunt, loci Ordinario tribuitur potestas ordinandi praecedentias inter suos subditos « habita ratione principiorum iuris communis, legitimarum dioecesis consuetudinum et munerum praedictis subditis commissorum ».

Insuper ad Ordinarium etiam spectat controversias de praecedentia exortas in casibus urgentioribus componere, tametsi agatur de personis exemptis quae collegialiter cum aliis procedant, v. gr. si duplex communitas religiosa diversorum Ordinum intersit processioni, aut religiosi singuli incedant cum reliquo clero. Quae decisio Ordinarii non admittit appellationem *in suspensivo*, sed etiam non praeiudicat iuri praecedentiae controverso, cuius tuitionem post praestitam obedientiam poterit quisque experiri apud Superiorem altiorem (ib. 6°).

VII. Praecedentia inter personas ad Domum pontificiam pertinentes regitur peculiaribus privilegiis, regulis et traditionibus quae constituunt ius omnino speciale.

PARS PRIMA

De Clericis

SECTIO I

DE CLERICIS IN GENERE

TITULUS PRAEVIUS

De Hierarchia ecclesiastica (can. 107-110)

Caput I

Art. 1. — De Hierarchia ecclesiastica in genere

47. *Hierarchia* ecclesiastica, si vel solum verbum [1] attendatur, est *sacer principatus* in Ecclesia constitutus et definiri potest: *Potestas a Christo suis Apostolis* eorumque legitimis successoribus tributa, ut Ecclesiam regant et divina religionis christianae mysteria in ea celebrent atque distribuant [2].

[1] Verbum illud *hierarchiae* ecclesiasticae per Dionysii Areopagitae spuria opera: De caelesti hierarchia, De ecclesiastica hierarchia (περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱεραρχίας) introductum atque promulgatum est. *Cfr. Migne,* P. G. III, 119 sq., 369 sq. et praesertim *Stiglmayr,* in Act. theol. Oenip. t. XXII, p. 180 sq., 135 sq.; *Wilmers,* De Christi Ecclesia p. 285 sq., iunct. p. 1 seq., 13 seq., 19 sq., 96 sq.; *De Groot,* Summa apolog. p. 46, 68 sq. (de const. Eccl. et hierarch.).

[2] *Devoti,* Inst. can. l. 1 tit. 1 § 4; *Bouix,* De princ. p. 513 sq.; *Ph. Hergenroelher-Hollweck,* Lehrb. d. k. Kirchenr. p. 51 sq.

Quare hierarchia, si *obiective* spectatur, denotat ipsam *universam potestatem* ecclesiasticam, quatenus a compluribus personis diversis gradibus participatur; si autem *subiective* consideratur, designat *subiecta* sive collectionem *personarum*, quibus ex certo ordine et distinctis subordinatisque gradibus illa potestas ecclesiastica competit.

Interdum vero eadem vox *sensu latiore* adhibetur et *universam* designat *Ecclesiam* Christi, sive congregationem omnium fidelium baptizatorum, non solum clericorum sed etiam monachorum et baptizatorum laicorum [3]. Nec deest *strictior* quaedam significatio, vi cuius hierarchia in Ecclesia distinguitur a monarchia ecclesiastica. Quo sensu Ecclesia dicitur non solum *perfecta* et *monarchica* [4], sed etiam *hierarchica* [5] *societas*, ut claris verbis enuntietur ex ipsa ordinatione divina *praeter principem Ecclesiae pastorem*, qui solus suprema et plena potestate in universam Ecclesiam instructus est, *alios* esse *secundarios pastores* certo ordine et diverso gradu potestatis ecclesiasticae participes [6]. Quae significatio ultimo loco recensita etiam alium quendam modum loquendi insinuat. Etenim hierarchia ecclesiastica, licet per se *universam* potestatem ecclesiasticam complectatur [7], tamen non raro, praesertim si argumenta scriptorum ponderantur, solummodo *de parte* sive specie quadam, v. g. de sola potestate ordinis

[3] *Bellarmin.*, De membris Eccles. milit. (Clericis, monachis, laicis); *Pesch*, Praelect. dogm. t. VII, n. 563 sq.; *Aichner*, Compend. iur. eccl. § 26; *Phillips*, Kirchenr. t. I, p. 276. At laici ex communi usu loquendi sunt *sub* hierarchia, non *de* hierarchia, cui coetus tantum illarum personarum accensetur, quae aliquo gradu potestate ecclesiastica pollent. Nam hierarchia est per se sacer principatus; principatus autem denotat tum *ipsum principem*, tum *multitudinem* ordinatam *sub* principe.

[4] *Phillips*, l. c. § 30; *Pesch*, l. c. t. I, n. 364 sq., 379 sq.; *Aichner*, l. c. §§ 25, 27.

[5] *Phillips*, l. c., § 32; *Pesch*, l. c. t. I, n. 333 sq.; *Wilmers*, l. c. p. 16 sq.; *Aichner*, l. c. § 26

[6] *Palmieri*, De Rom. Pontif. p. 106 sq.; *Granderath*, Const. dogm. Conc. Vatic. pag. 132 sq.

[7] *Paludan.*, De potestate Eccl.; *Vitoria*, De potestate Eccles., De potest. Pontif. et Conc.; *Hallier*, De hierarchia ecclesiast.; *Petavius*, De hierarchia ecclesiast.; *Gibalinus*, De principiis scientiae canon. et hieropol. lib. II, III, *Daude*, Maiestas hierar. eccl. P. I; *Phillips*, l. c. § 33; *Scherer*, l. c. §§ 7, 8.

aut iurisdictionis [8], non de *toto genere* potestatis ecclesiasticae, i. e. ordinis *et* iurisdictionis intelligitur [9].

Hinc cum constitutio Ecclesiae catholicae sit ordinatio Ecclesiae, tum respectu *potestatis* sanctificandi et regendi ipsi attributae, tum respectu *personarum*, in quibus illa potestas residet [10], facile intelligitur disputationem de constitutione Ecclesiae catholicae a disquisitione de hierarchia ecclesiastica re non esse distinctam et ius de personis ecclesiasticis pertinere ad *Ius constitutionis* [11] *Ecclesiae catholicae*, quod recte definitur: *Complexus legum sive divinarum sive humanarum, quibus hierarchia ecclesiastica ordinatur.*

[8] Qua ratione multi theologi in suis praelectionibus de constitutione Ecclesiae saepe de solo *magisterio* vel *regimine* ecclesiastico agunt, dum alii scriptores, v. g. *Palmieri*, l. c. 59 sq., et *Pesch*, l. c. t. I, n. 281 sq., aliique etiam disputationem de hierarchia *ordinis* suis tractatibus de Ecclesia Christi inserere solent.

[9] Conc. Trid. Sess. XXIII, v. g. can. 6, nomine *hierarchiae* comprehendit *solam* hierarchiam ordinis; at cap. 4, *hierarchia ecclesiastica* designat *totam* potestatem spiritualem; *Phil. Hergenroether-Hollweck*, Lehrb. d. k. K. p. 197 sq.

[10] *Tarquini*, l. c. p. 2; *Zech*. l. c. §§ 1 sq.; *Cavagnis*, l. c. I, p. 17 sq. Cfr. quoque *Gerber*, Grundzüge d. deutsch. Staatsr. p. 19 sq., 76 sq.

[11] Etenim persona ecclesiastica vocari quidem potest *omne* subiectum iurium ecclesiasticorum capax, et in quod Ecclesia, tanquam in verum membrum sibi subditum, iurisdictionem suam spiritualem exercere valet. At praeter personas statui religioso addictas *speciali modo* personae ecclesiasticae dicuntur, quae aut potestatis *ordinis* aut *iurisdictionis ecclesiasticae* aut forte *utriusque* potestatis participes factae sunt, i. e. hierarchiae ecclesiasticae sensu stricto adscribuntur. Cfr. *D'Annibale*, Sum. P. I, n. 20; *Arndts-Serafini*, Lehrb. d. Pand. §§ 24 sq.; *Devoti*, l. c. l. I, t. I, § 1, 2, 3, 4. Imo *Devoti*, l. c. §§3, 4, tantum pro re nata, non sub propria rubrica vult agere de laicis. Aliter *Zech*, l. c. tit. 39; *Phillips*, l. c. t. I, § 33, t. II, § 92. Cfr. quoque *Cavagnis*, l. c., I, p. 6 sq. (de personis perfectis et imperfectis, physicis et moralibus, publicis et privatis).

Art. 2. — De hierarchia ordinis et iurisdictionis

§ 1. De notione, existentia, distinctione mutuaque relatione hierarchiae ordinis et iurisdictionis

48. In Ecclesia catholica existit duplex hierarchia sive potestas, sc. ordinis et iurisdictionis [12], a Christo instituta, et duplex series personarum a quibus in diversis gradibus inter se subordinatis illa duplex potestas participatur (can. 108).

I. *Potestas ordinis* [13] est illa pars potestatis ecclesiasticae, quae directe ad hominum sanctitatem et salutem supernaturalem per exercitium cultus divini publici, maxime *eucharistici sacrificii,* atque per administrationem *sacramentorum* et sacramentalium refertur et a Christo Domino vel ab Ecclesia vi ritus sacri

[12] Catechism. Rom. P. II, cap. 7, q. 6; schema Const. dog. de Ecclesia Christi in Conc. Vat. propon.: « *Cum vero Ecclesiae potestas alia sit et dicatur ordinis, alia iurisdictionis* ». Quibus verbis schematis mox in adnotatione 19 haec adduntur: « *Duplex enim, inquit Suarez in defens. fid. cath. l. III, c. 6, de Primat. Rom. Pontif., distingui solet potestas ecclesiastica, scilicet,* ORDINIS *et* IURISDICTIONIS; *ad haec enim duo membra alia, quae adnumerari solent, reducuntur* ». *Potestas ergo ordinis, subdit,* « *non est potestas Superioris in subditos, sed est facultas quaedam moralis ad cultum Dei religiosum ordinata vel per oblationem sacrificii vel per administrationem aut dispensationem sacramentorum, quae ad sanctificationem fidelium sunt instituta vel denique per quascumque alias caeremonias, quae ad ornatum sacrificii aut sacramentorum convenienter et ordinate fieri debent ... Potestas item iurisdictionis subdistinguitur in iurisdictionem interni fori poenitentiae et externi fori ecclesiastici ...* ». *(Quare) in proposito schemate generalim ac in obliquo asseruisse ordinis potestatem eamque a potestate iurisdictionis distinctam satis visum est* ». Cfr. *Martin,* Collect. doc. Conc. Vatic. p. 44, et Collect. Lac. t. VII, coll. 601 sq., 604 sq. Quare ex verbis praecedentibus eiusdem schematis: « *Alii ad sanctificandum, docendum et regendum praediti sunt, alii destituuntur* », non recte deducitur tripartitionem in schemate esse approbatam. Cfr. *S. Thom.,* Summa theol. II^{a}, II^{ae}, q. 39 art. 3, III^{a}, q. 6, art. 2; *Devoti,* Inst. can. l. I, tit. 2, § 1, quem minus recte reprehendit *Scherer,* l. c. p. 20, not. 8; *Nilles,* in Act. theolog. Oenip. t. I, p. 285 sq.; *Laynez,* Disputationes Trident. ed. *Grisar,* t. I, p. 68 sq.; *Aichner,* l. c. §§ 23, 26; *Wilmers,* l. c. p. 96 sq., 104 sq.; *Cavagnis,* l. c., I, p. 19 sq.

[13] *Gasparri,* De sacra ordinat. n. 2 sq., 1137 sq.; *Aichner,* l. c. § 24, n. 5.

sive sacrae ordinationis alicui *ordinum* gradui ita est alligata, ut etiam sine missione canonica *ordinarie* semper et ubique, saltem *valide,* exerceri possit. *Iurisdictio* vero *ecclesiastica* [14] est publica potestas *regendi* homines baptizatos directe in ordine ad sanctitatem et beatitudinem supernaturalem, a Christo vel ab Ecclesia per iniunctionem sive missionem canonicam alicui concessa.

Quare *hierarchia ordinis* est *series personarum,* quibus ordo sive *potestas ordinis* pro diversis gradibus competit. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXII, can. 6. *Hierarchia* autem *iurisdictionis* est *series personarum,* quae *iurisdictione ecclesiastica* per diversos gradus distributa pollent. Sensu autem *stricto* eae tantum personae hierarchiae iurisdictionis adnumerantur, quae in *foro externo* et

[14] Cfr. de *generica* quadam notione iurisdictionis eiusque differentia a iure proprietatis et potestate *patria* vel *dominativa*: *S. Thom.,* l. c. II^{a}, II^{ae}, q. 65, art. 2; *Lugo,* De iust., disp. 2, n. 1 sq.; *Schiffini,* Phil. mor. n. 309 sq., 394 sq., 433; *Biederlack,* Inst. iur. eccl. priv., de iurisd. eccl. cap. 1; *Schmalzgr.,* l. I, t. 31, n. 32 sq. Vocabulum *iurisdictionis,* quamvis in iure romano magis limitatam habeat significationem, tamen in foro ecclesiastico iam inde a Gregorio M. *universam* designat potestatem regendi in Ecclesia, i. e. potestatem legiferam, iudicialem, coercitivam. Cfr. *Reiffenstuel,* l. I, t. 29, de off. et pot. iud. del. n. 1 sq.; *Pirhing,* l. I, t. 31, n. 1; *Suarez,* De censur. disp. 14, sect. 1, n. 12; disp. 26, sect. 4, n. 19; *Phillips,* l. c. t. II, p. 5 sq., 142 sq.; *Bouix,* De princip. iur. can. p. 544 sq.; *Wilmers,* l. c. p. 13 sq.; *D'Annibale,* Summula theol. moral. P. I, n. 71 sq.; *Hinschius,* Kirchenr. t. I, p. 166 sq. At praeter latiorem illam significationem, cfr. Innoc. IV in comment. cap. 11, X. de maior I, 33: « *Potestas iurisdictionis transfertur in capitulum* », strictior sensus merae potestatis iudicialis etiam postea in fontibus occurrit. Cfr. cap. 16, X. de maior.; cap. unic. de for. comp. II, 2, in Clem. Res vero ipsa est antiquissima, et primis iam saeculis potestas iurisdictionis a potestate ordinis distincta non ignorabatur optimisque verbis significabatur. Cfr. *Petav.,* De eccles. hierarch. l. III, cap. 9, n. 10 sq., l. IV, cap. 2, n. 2. Nihilominus distinctio atque adeo separabilitas utriusque potestatis antiquis temporibus minus apparet; etenim fere usque ad saeculum duodecimum simul *eodem tempore,* quo per electionem vel missionem canonicam *iurisdictio* data est, etiam *ordinatio* fuit peracta. Cfr. *Hallier,* De sacr. electionib. et ordinationib. P. I, proleg. cap. 4; *Kober,* D. Depos. p. 6 sq.; *Suarez,* De leg. l. 9, cap. 6, n. 14, ubi recte monet iurisdictionem *in habitu,* de qua auctores quandoque disserunt, non esse veram iurisdictionem, sed potius potestatem *ordinis;* at idem *Suarez,* De censuris, disp. 26, sect. 1, n. 2, scite observat iurisdictionem posse retineri *habitu,* non *actu,* si quis suspensus est ab officio suo.

gradu quodam *perfecto* iurisdictione ecclesiastica, i. e. potestate legifera, iudiciali, coercitiva gaudent, veluti Romanus Pontifex vel Episcopi.

II. Si *de facto* a Christo Domino duplex hierarchia instituta esse dicitur, *existentia* utriusque potestatis ordinis et iurisdictionis in Ecclesia ultimatim repetitur ex *iure divino*, nequaquam vero ex concessione potestatis *civilis* vel *conventione* quadam humana fidelium. Quare reprobandi sunt multiplices *errores* de potestate *iurisdictionis* ecclesiasticae, quos tenuerunt Waldenses, Wikleffus, Hussius, Marsilius Patavinus, Lutherus, Calvinus eorumque sequaces, v. g. Grotius, Puffendorf, Boehmer, Mosheim atque recentiores scriptores protestantici, v. g. Hatch, Harnack aliique. Quae doctrina catholica, quatenus asseritur potestas ordinis et iurisdictionis complectens potestatem legislativam, iudicialem atque coactivam, saltem mediis spiritualibus exercendam, indubitanter est *de fide;* quatenus vero Ecclesiae *generatim* vindicatur potestas coactiva infligendi corporales quoque sive *temporales* poenas, est sententia *theologice certa.*

Et sane potestas *ordinis* potissimum consistit in facultate quadam morali eaque speciali offerendi sacrificium et administrandi sacramenta. At in Ecclesia Christi existit specialis potestas offerendi sacrificium Missae; nam sacrificium eucharisticum supponit verum sacerdotium, quod non cuilibet de plebe, sed tantum Apostolis eorumque legitimis successoribus est concessum. Praeterea ex theologia dogmatica pariter constat ad administrationem sacramenti confirmationis, poenitentiae, extremae unctionis, ordinis, specialem in ministro requiri potestatem, non unicuique fideli datam. Denique Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, cap. 1, can. 1, de sacram. ord., inhaerens universali et constanti traditioni Ecclesiae sollemniter definivit: « *S. q. d. non esse in novo testamento sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini et peccata remittendi vel retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium praedicandi evangelium, vel eos, qui non praedicant, prorsus non esse sacerdotes, anathema sit* ».

Iurisdictio vero Ecclesiae propria imprimis evidenter continet potestatem *legiferam*, ut patet ex verbis Christi (cfr. Act. Apost. XV, 23; XX, 28; I, Timoth. III, 2 sq.; V, 19), ex constanti et universali praxi Ecclesiae ipsisque definitionibus dogmaticis, v. g.

Conc. Florent. in declar. de primatu R. Pontificis, Conc. Trid., Sess. VII, can. 7 sq.; Pii VI Const. *Auctorem fidei*, 28 aug. 1794; Conc. Vat., Const. *Pastor aeternus*, cap. 3; Syllab. prop. 19. Qua ex potestate legifera necessario consequitur Ecclesiam etiam obtinuisse potestatem *iudicialem* et *coactivam;* nam Christus pro sua sapientia certe non dedit potestatem plane inefficacem; at insuper eandem potestatem duplicem etiam expresse concessit, ut eruitur ex disertis verbis Christi apud Matth. XVIII, 17. Quibus demonstrationibus accedit praxis Apostolorum (cfr. I ad Corinth. IV, 18, 21; I ad Timoth. V, 19) et Ecclesiae traditio sollemnibus definitionibus confirmata, v. g. a Ioanne XXII, Benedicto XIV, Pio VI. Cfr. quoque Pii IX Encycl. *Quanta cura* et Syllab. propos. 19, 24.

Nec minus certum est ingressum in utramque hierarchiam non vocatione et consensu populi aut saecularis potestatis fieri; sed in gradibus hierarchiae ordinis fideles constitui per sacram ordinationem, in gradibus iurisdictionis per missionem canonicam seu mandatum competentis auctoritatis ecclesiasticae, excepto supremo pontificatu, ad quem rite electus ab ipso Deo immediate recipit potestatem. Can. 109; Conc. Trid., Sess. XXIII, cap. 4, et can. 7, infra tit. de Rom. Pont. et de Episc.

III. Utraque hierarchia vere et realiter est *distincta*, ita ut quis in una, non in altera, existere possit [15]. Nam utraque potestas sive hierarchia habet distinctam et independentem originem et existentiam, plane diversas proprietates, fines proximos omnino distinctos. Mirum igitur non est, quod etiam ex constanti doctrina Ecclesiae et theologorum duplex sit hierarchia ordinis et iurisdictionis realiter distincta. Cfr. Conc. Trid., Sess. VII, can. 4, 7; supr. h. tit. not. 12. Id ipsum satis aperte declarat Codex can. 108, § 3, 109. Hinc nequaquam *unica* tantum asserenda est *hierarchia* in Ecclesia catholica [16]; attamen hierarchia ordinis

[15] V. g. Episcopus titularis; laicus, si electus esset ad dignitatem R. Pontificis. Cfr. *Laynez*, l. c. p. 323 sq.; *Bouix*, l. c. p. 546 sq.

[16] Distinctionem illam inter utramque potestatem negarunt *Georgius Sicardus*, aliique heterodoxae doctrinae fautores. Cfr. *Devoti*, Inst. canon. l. I, t. 2, § 1; *Phillips*, quoque l. c. t. I, § 32, et *Hinschius*, l. c. t. I, p. 170, aliique, reiecta duplici hierarchia, unam tantum admittunt, quae episcopatum et presbyteratum sub Papa comprehendens, sacramentali ordinatione secundum triplex munus magisterii, sacerdotii, iurisdictionis obtineatur.

cum hierarchia iurisdictionis intime est *connexa* atque *unita*[17]. Etenim ex iure communi soli clerici ordinati sunt capaces iurisdictionis ecclesiasticae adipiscendae, non laici, nisi speciale obtineant indultum apostolicum (can. 118). Porro potestas ordinis saltem in suo exercitio *licito* est dependens a potestate iurisdictionis. Tandem connaturali modo et regulariter reperitur in *iisdem* subiectis, v. g. in R. Pontifice et Episcopis.

Quodsi merito *duplex hierarchia* sive potestas ecclesiastica distinguitur, *minime tertia* hierarchia vel potestas *magisterii*, tanquam nova quaedam species, duabus prioribus est *coordinanda*[18]. Ipsa enim potestas magisterii sub potestate *iurisdictionis* ut species continetur[19], quae ab altera specie iurisdictionis, i. e. a potestate *regiminis* probe est distinguenda[20]. Nam magisterium ecclesiasticum non est mere *doctrinale* sive simplex propositio doctrinae, qua nulla imponitur obligatio, sed est *auctoritativum*, quo vi *definitionis* ecclesiasticae oritur obligatio credendi, ita ut secus fideles vere *constitutionum* ecclesiasticarum sint transgressores. Quare potestas magisterii profecto *differt* a potestate regiminis, quia illa ad *credenda*, haec ad *agenda* refertur. At utraque potestas in hoc convenit, quod unaquaeque proxime *voluntati* imponat praecepta. Quae praecepta potestatis regiminis in regenda voluntate fidelium quoad *agenda sistunt*, cum praecepta magis-

Schulte postquam *unam* hierarchiam esse defendit, tamen postea saltem distinguit inter missionem canonicam et ordinationem; at cum magisterium ad potestatem ordinis referat, novam inducit confusionem. *Walter* recte animadvertit magisterium ecclesiasticum ad potestatem ordinis reduci non posse, sed perperam divisionem S. Thomae in potestatem ordinis et iurisdictionis reprehendit, quasi doctor angelicus in divisione universae potestatis ecclesiasticae omiserit tertiam potestatem magisterii. Qua in reprehensione eum maiore fervore sequitur *Phillips*.

[17] *Laynez*, l. c. p. 339 sq.; *Wilmers*, l. c. p. 109 sq.

[18] *Practica* quaedam vel *oratoria enumeratio* ex triplici munere Christi petita, sc. prophetae (magistri), sacerdotis, regis, non est confundenda cum *logica* vereque scientifica *divisione*, Cfr. *Scherer*, l. c. p. 19, 21; *Aichner*, l. c. § 24, not. 1; *Hinschius*, l. c. l. IV, p. 432 sq.

[19] Conc. Vat. Sess. IV, cap. 1, 4; Relat. de observat. Patr. Concil. Vatic. in Collect. Lac. t. VII, col. 275, 406; *Granderath*, Const. dogm. Conc. Vatic. p. 218, not. 3, p. 230, not. 3; *Perez*, Inst. iur. publ. eccl. t. I, p. 45 sq.; *Tarquini*, l. c. p. 2 sq.; *Bouix*, l. c. p. 542 sq.; *Bargilliat*, Prael. l. c., t. I, n. 175; *Palmieri*, l. c. p. 2 sq.; *Cavagnis*, l. c. I, p. 20 sq.

[20] *Id* recte urgent *Card. Franzelin*, De Ecclesia, p. 41 sq.; *Billot*, l. c. p. 8 sq. qui ceteroquin aliquam tripartitionem potestatis ecclesiasticae in potestatem *ordinis*, *magisterii*, *iurisdictionis* defendunt. Nam sicut genus (iurisdictio) non est confundendum cum specie (potestate regiminis), ita multo minus una species (potestas regiminis) cum altera specie, i. e. magisterio. At stricta illa trimembris divisio hucusque argumentis efficacibus non est demonstrata. Certe in vera divisione omnino requiritur, ut nihil in re dividenda praetermittatur, ut nihil eidem rei alienum intromittatur, ut membra divisionis sese mutuo non includant. Quodsi in allegata divisione tanquam *secundum* membrum ponitur *magisterium*, illud aut intelligitur de *simplici propositione doctrinae*, et tunc tripartitio laedit secundam conditionem legitimae divisionis, nam magisterium ecclesiasticum ita acceptum non est *auctoritativum*, quod fidelibus *obligationem* imponit, aut sumitur de *auctoritativa propositione* doctrinae, et tunc tertia conditio non verificatur, quia tale magisterium ut *species* sub *genere iurisdictionis ecclesiasticae* continetur.

Neque excipi potest magisterium ut sic non importare aliquam *potestatem obligandi;* non enim agitur de magisterio quodam ut sic et in abstracto considerato, sed de magisterio prout de facto et de iure unice in Ecclesia catholica existit; sed illud est auctoritativum, non mere doctrinale. Multo minus argumentum exinde peti potest, quod ad rationem potestatis non pertineat imperandi facultas, quia secus sola potestas iurisdictionis, non ordinis, esset potestas ecclesiastica. Qua in difficultate potestas quaedam *publica generice* spectata confunditur cum potestate quadam *publica specifice* considerata, sc. *regendi*. Profecto potestas saçerdotis sacrificandi est *publica*, sed non exercetur *legibus* vel *iudiciis*, ut potestas regendi; at potestas magisterii ecclesiastici spectat ad potestatem *regendi* fideles cum auctoritate quoad credenda, ideoque includit potestatem imperandi et a potestate ordinis natura sua distinguitur. Denique potestas illa imperandi in magisterio ecclesiastico data est, ut ipsum magisterium magis esset *efficax*, sed potestas ordinis ex Dei ordinatione suam habet efficaciam, atque ad valorem actus intervenire non debet praeceptum Ecclesiae; attamen vel ipsa potestas ordinis *licite* nonnisi dependenter a iurisdictione ecclesiastica potest exerceri. Tandem in favorem tripartitionis nequaquam provocari potest ad Concilium Vaticanum, Sess. IV., cap. 4, ubi secundum sensum obvium praecise contraria doctrina traditur, sc. sub primatu iurisdictionis etiam potestatem magisterii comprehendi. Quodsi verba Conc. Vatic. dubium quoddam relinquerent, illud manifeste solvitur ex actis eiusdem Concilii. Cum enim a Patribus quibusdam postularetur ut post verbum iurisdictionis (*vero proprioque iurisdictionis primatu*) adderetur « *et magisterii* », huiusmodi emendatio non fuit admissa. Cuius rei in relatione ad cap. 1 haec redditur ratio: « *Potestas magisterii, cuiusmodi est potestas docendi, tum in Episcopis omnibus, tum in Episcopo Episcoporum, ad potestatem iurisdictionis pariter spectat* ». Cfr. Collect. Lac. t. VII, col. 275.

terii voluntati imponantur ad regendum *intellectum* circa *credenda;* nam licet fides sit actus *intellectus*, tamen fidei assensus imperatur *a voluntate*. Quare huiusmodi natura magisterii ecclesiastici necessario exigit, ut sub potestate iurisdictionis Ecclesiae, *generice* spectatae, comprehendatur ut *species*. Quae doctrina etiam efficitur ex conformitate *originis* et *proprietatum;* nam magisterium certe non est potestas diversa a iurisdictione (generice spectata), si eodem modo acquiritur, augetur, amittitur atque generatim iurisdictio, sc. iniunctione sive missione canonica vel revocatione competentis Superioris ecclesiastici. Porro ad eandem conclusionem pervenitur, si comparetur *natura* iurisdictionis et magisterii. Etenim, ut cum S. Bonaventura loquamur, iurisdictio duobus modis operatur, sc. *discernendo* causam et *obligando* subditum, in quem ius habet, etiam vera coactione; at profecto magisterium ecclesiasticum discernit causam *fidei* et sententiam in suo foro prolatam ut legem fidei universalem sub ipsa anathematis poena proponit. Denique doctrina Ecclesiae et theologorum idem suadetur. Nam v. g. in Pii IX Syllab. prop. 33 legitur: « *Non pertinere unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem proprio ac nativo iure dirigere theologicarum rerum doctrinam* ». In Concilio Vaticano, Sess. IV, cap. 4, definitur: « *Ipso autem apostolico primatu* (iurisdictionis)... *supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec Sancta Sedes semper tenuit* ». Praeterea veteres theologi et canonistae constanter duplicem tantum potestatem ecclesiasticam admiserunt nec magisterium ecclesiasticum a iurisdictione separant; sed plane absonum est praeclarissimos illos viros tertium quoddam genus potestatis ecclesiasticae non attendisse, ut revera *Phillips* opinatus est.

Plane vero perversum est, si quis *magisterium* ecclesiasticum ad potestatem *ordinis* referat [21], quasi esset altera species atque exercitatio quaedam potestatis ordinis. Cfr. *Scherer*, Kirchenr. t. I, p. 21 sq., et *Hinschius*, Kirchenr. t. I, p. 164 sq., qui contrariam sententiam recte reiiciunt. Etenim magisterium comparatur *missione canonica* et limitari atque revocari potest (cfr. can. 1328, 1337 sq.): ordinis vero potestas *sacra ordinatione* confertur eaque immutabiliter. Deinde ordinis potestas exercetur actibus cultus

[21] Ita *Schulte* aliique. Cfr. *Nilles*, l. c.

divini, consecrationibus et benedictionibus sacramentorumque administratione; at magisterium legibus fidei condendis, praedicatione evangelii, lectionibus theologicis, i. e. actibus plane diversis exercetur ideoque non pertinet ad potestatem ordinis.

Neque admittenda est mira sententia, quam tenet *Scheeben*, Handb. d. k. Dogmatik, t. I. p. 66 sq., sc. magisterium ecclesiasticum ut *testificationem authenticam* spectare ad potestatem *ordinis*, sed *auctoritativam propositionem* doctrinae revelatae per *definitiones*, sive leges et iudicia, pertinere ad *iurisdictionem* ecclesiasticam. Nam missionarius apostolicus est testis authenticus sive autorizabilis vi *missionis canonicae*, quae ad potestatem *iurisdictionis*, non ad potestatem *ordinis* est referenda. Cfr. *Palmieri*, l. c., p. 164, sq., 166, sq.; *Wilmers*, De Christi Eccl. p. 371 sq., 381 sq., 486.

IV. Mutua utriusque potestatis, sc. ordinis et iurisdictionis, relatio sufficienter patebit, si constet quomodo ambae potestates inter se conveniant aut differant in causa efficiente, in fine, in subiecto, in ipsa essentia.

a) Itaque *in causa efficiente conveniunt*, quod a Deo et a Christo profectae sint; *differunt* vero in eo, quod ad omnem *ordinem* iuris divini conferendum Deus immediate concurrat, atque homo ordinem conferens sese magis habeat ut *instrumentum;* *iurisdictio* autem soli R. Pontifici immediate a Deo conceditur, ipse vero R. Pontifex reliquis dispensat iurisdictionem, non ut merum instrumentum, sed ex auctoritate et ut vera causa secundaria.

b) *In fine conveniunt*, quia utraque potestas ultimatim homines dirigit ad supernaturalem sanctitatem aeternamque gloriam; at *differunt* in hoc, quod ordo magis *immediate* ad salutem aeternam disponat, quia dat gratiam; iurisdictio vero *remote*, v. g. disponendo ad veram fidem per magisterium vel absolvendo ab excommunicatione.

c) *In subiecto conveniunt;* etenim pro utraque potestate requiritur creatura ratione praedita, homo viator et baptizatus: *differunt*, quod ex ipso certo iure divino pro omni ordine imprimente characterem requiratur *vir;* pro iurisdictione autem, id tantum pro certo affirmari potest, quod feminae ex iure divino ordinariae iurisdictionis pastoralis sint incapaces ob specialem relationem, quam iurisdictio illa ordinaria, v. g. Episcopi, habet

ad sacramentum ordinis et curam animarum; est autem controversia num mulieres iurisdictionis delegatae sint capaces.

d) *In essentia conveniunt;* nam utraque potestas est vere supernaturalis, sive quia ipso suo esse et suis effectibus naturam excedit, v. g. in consecratione eucharistiae, in concedendis indulgentiis, in remissione peccatorum, sive quia ratione *finis,* a quo res specificatur, vere supernaturalis fit, etsi ratione materiae sit quid naturale, v. g. si ostiarius claudit ianuam; *differunt*: 1) Quatenus *potestas ordinis* nititur charactere, qui est ens absolutum et physicum animae inhaerens; iurisdictio vero est *relatio moralis* inter eum, qui regit, et eos, qui reguntur. 2) Praeterea potestas ordinis ex ipsa sua essentia est magis supra naturam, quia est ens quoddam absolutum, quod in ordinibus commemoratis a solo Deo produci potest; at iurisdictio, cum sit relatio, quamvis supponat aliquid supernaturale in utroque extremo, sc. in uno baptismi characterem, in altero potestatem regendi sive a Deo sive ab hominibus concessam, tamen his positis sponte sua sequitur; ergo Deus ordinarie non adeo immediate ad utramque potestatem conferendam concurrit, ut ex consecratione et confirmatione Episcopi electi patet. Papa iurisdictionem, quam solus in Ecclesia immediate a Deo accipit, modo quodam connaturali eandem cum reliquis Praelatis ecclesiasticis communicat. 3) Potestas ordinis est immutabilis et ita indelebilis, ut tantum usus licitus, non autem ipsa essentia et usus validus tolli possint, quia nititur charactere indelebili; iurisdictio vero est multum mutabilis, et ipsa essentia cum usu valido potest auferri, quia nititur hominis voluntate, quae facile mutari potest; v. g. Papa suae dignitati resignare valet; iniunctio vero iurisdictionis ab ipso facta, sive lege, sive consuetudine, sive privilegio, sive actu transeunte, pariter revocari potest.

§ II. De divisione hierarchiae ordinis et iurisdictionis

49. I. Utraque hierarchia ecclesiastica tum ordinis tum iurisdictionis dividi potest in hierarchiam *iuris divini* et *iuris ecclesiastici.*

Quae divisio in hierarchia *iurisdictionis* est certa. Nam indubitatum est solummodo *primatum* S. Petri eiusque legitimorum successorum [22] atque *officium* Episcoporum, qui in Apostolorum locum successerunt [23], niti *iure divino,* reliquos vero gradus hierarchiae iurisdictionis iure *mere ecclesiastico* esse constitutos [24].

In hierarchia quoque *ordinis* eadem divisio non caret solido fundamento. Profecto ordines Episcoporum, presbyterorum, diaconorum certo sunt vera sacramenta [25], ideoque iure divino instituti. Reliqui vero ordines inferiores, saltem multo probabilius, ex institutione Ecclesiae [26], non Christi, originem repetunt, eamque ob causam vera sacramenta novi testamenti non sunt. Idem satis aperte indicatur can. 108, § 3, cuius ultimum incisum « ex Ecclesiae institutione alii quoque gradus accessere » sensu obvio ad utramque hierarchiam refertur.

II. Speciatim *potestas ordinis* subdividitur:

a) In potestatem *liturgicam* et in potestatem *sacramentalem.* Illa refertur *principaliter* ad cultum divinum et *secundario* ad sanctificationem hominum, v. g. potestas celebrandi sacrificium Missae. Altera vero *primario* operatur sanctificationem hominum et *secundario* dirigitur ad cultum divinum, v. g. potestas administrandi sacramenta confirmationis vel extremae unctionis.

b) In potestatem ordinis *sensu stricto,* quae *vero ordini,* sive a Christo, sive ab Ecclesia instituto, alligatur, v. g. potestas sacerdotis administrandi sacramentum extremae unctionis, et in potestatem ordinis *sensu lato,* quae vero ordini non est alligata, v. g. potestas vel facultas valide baptizandi in homine infideli vel administrandi sacramentum matrimonii, cuius ministri sunt ipsi sponsi contrahentes. Cfr. *Lugo,* De sacram. in genere, disp. 8, n. 230; *Pesch,* Praelect. dogm. t. VI, n. 230.

c) In potestatem ordinis *completam,* quae solis Episcopis parique ratione singulis quoad validum exercitium competit, et in *incompletam,* quam quis solummodo ex parte atque pro di-

[22] Conc. Vat. Sess. IV, cap. 1, 2, 3; Collect. Lac. t. VII, col. 269 sq.
[23] Conc. Trid. Sess. XXIII, vera et cath. doctr. cap. 4.
[24] *Thomassin.,* l. c. P. I, l. 1.
[25] Conc. Trid. l. c. can. 6.
[26] Cfr. interim *Benedict. XIV,* de Synod. dioeces. l. VIII, cap. 9, 10; *Palmieri,* l. c. p. 98 sq.; *Santi,* l. c. 1. I, tit. 11, n. 5; *De Angelis,* l. c. eodem tit. n. 1; *Scherer,* l. c. p 19, 20; *Gasparri,* De sacr. ord. n. 16 sq., 31 sq., 1133 sq.; *Pesch,* Praelect. dogm. t. I, n. 361 sq. t. VI, n. 569 sq.

versis gradibus maiori minorive ambitu consequitur. Cfr. *Gasparri*, De sacr. ord., n. 495, 1146 sq.

III. *Iurisdictio* vero *ecclesiastica*, omissis divisionibus quae alio titulo explicantur, subdividitur:

a) Si *forma* attendatur, qua iurisdictio ecclesiastica exercetur, adaequata divisio est illa, quae distinguit potestatem *legiferam, iudicialem, coercitivam*. Cfr. *Tarquini*, l. c. p. 8 sq. Quodsi auctores quoque catholici loco potestatis coercitivae commemorant potestatem *executivam*, aut alio nomine eandem rem designant aut parum accurate loquuntur. Nam potestas executiva sensu stricto non est *propria* quaedam *species* iurisdictionis ecclesiasticae, sed potius ad *unamquamque* ex tribus speciebus supra commemoratis *accedit*; etenim leges et sententiae iudiciales et poenae sunt *executioni* mandandae. Propter eandem rationem etiam propria et specialis quaedam potestas *inspectoria* non est distinguenda. Cfr. *Hinschius*, l. c. t. I, p. 167.

b) *Ratione extensionis* in *universalem*, quae neque quoad *personas* nec quoad *materias* nec quoad *locum* sive territorium certis limitibus coarctatur, v. g. iurisdictio Romani Pontificis, et in *particularem*, quae vel ad certas personas vel ad certas materias vel ad certum territorium restringitur. Cfr. cap. 2 de const. I, 2, in Sext.; cap. unic. de foro comp. II, 2, in Clem.

c) *Ratione subiectionis* in *immediatam* et *mediatam*. Illa proxime et directe ligat unumquemque subditum, altera proxime et directe tantum attingit aliquem Superiorem ecclesiasticum, non ipsius subditos, nisi forte in casibus a iure speciatim exceptis, v. g. iurisdictio metropolitana.

Caput II.

De statu laicorum et clericorum

50. Fontes: Decret. Grat. Dist. 21; c. 7, D. 90; c. 7, C. XI, q. 1; Decret. Greg. IX, l. I, tit. 11. — Concil. Trident. Sess. VII, can. 8, 14, Sess. XXIII, vera et cath. doctr. de sacram. ordinis; Decretales Clem. P. VIII, ed. *Sentis*, p. 14, 15; Leonis XIII. Ep. ad Arch. Paris. 17 Iun. 1885; Collect. Lac. t. I, IV, V, VI, v. Laici et etiam t. II, III, IV, v. Clerici; Acta S. Sed. v. v. Laici, Clerici [1].

[1] Cod. I, 3, de Episcopis et clericis.

Scriptores: Comment. in cit. tit. 11. lib. I. — *Paucapalea*, Summa p. 21; *Stephan. Tornac.*, Summa p. 30 sq. — *Zech*. Hierarchia ecclesiastica, t. 1, de materia h. l., tit. 30, de laicis prout sunt membra Eccles.; *Devoti*, Inst. can. l. I, tit. 1, de iure personar. deque laicis et clericis generatim; *Card. Soglia*, Inst. iur. priv. eccles. § 1; *Phillips*, Kirchenr., t. I, § 33; *Scherer*, Handb. d. K. §§ 64, 65, 7, 8; *Aichner*, Compend. Iur. eccl. §§ 57 sq.; *Tarquini*, Inst. iur. eccl. publ. p. 81 sq.; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, Lehrb. d. k. K. p. 197 sq.; *D'Annibale*, Summula theol. moral. P. I, n. 87 sq. — *Ferraris*, Bibl. v. v. Laicus, Clericus; *Politi*, Ius laicorum in Ecclesia; *Scherer*, in Kirchenlex. v. Clerus; *Gasparri*, De sacra ordinatione [2]; *Cavagnis*, Inst. iur. publ. eccl., II, p. 104. — *Thomassinus*, l. c. P. I, 2, cap. 29; *Kraus*, Real-Encykl. v. v. Klerus, Laien; *Bruders*, « La costituzione della chiesa » (vers. del D. Villa).

Art. 1. — De statu laicorum [3].

51. *Laici* [4] dicuntur omnes *fideles baptizati*, qui gradu quodam in hierarchia ecclesiastica, *praesertim ordinis*, carent.

[2] Ex theologis consulendi sunt: *S. Thom.*, Summa theol. Suppl. q. 34 sq.; *Paludanus*, De potestate eccles.; *Vitoria*, De potestate ecclesiast.; *Suarez*, De leg. l. IV, X; *Bellarminus*, D. controv. christ. fid. t. II, sec. controv. de *membris* Eccl. milit.; *Petavius*, De ecclesiast. hierarch.; *Wilmers*, De Christi Eccl. p. 38 sq., 96 sq.

[3] *Bellarmin.*, De membr. Eccl. milit.; *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. III, lib. 1, cap. 1, de *statu* vitae christianae, praesertim cap. 2, n. 3.

[4] Verbum laici derivatur a greco vocabulo (λαός) quod S. Petrus in prima epistola, cap. II, v. 10, adhibet de universo populo fidelium christianorum. Inde ortum est verbum (λαίκοι,) quo iam utitur S. Clemens (I Cor., cap. 40). Postquam a S. Iustino pariter populus christianus appellatus est λαός, inde a *tempore Tertulliani* (De praescript., cap. 41) et *S. Cypriani* (De fuga in persecut. II) *laici* per modum stabilis terminologiae dicuntur fideles a clero distincti. Nihilominus alia quoque nomina ad eandem rem significandam usu fuerunt recepta, velut sancti, fideles, fraternitas, βιωτικοί ἰδιῶται, (privati). Cfr. quoque c. 8. Conc. Neocaesar. (a. 314-325). Vocabulum *status* cum apud Romanos significarit complexum iurium et officiorum communis civis Romani, in foro ecclesiastico apte translatum est ad denotanda iura et officia *laicorum* sive *status ecclesiastici communis*. Quae significatio de complexu iurium et officiorum est omnino congrua, si de *statu* clericorum intelligatur. At quoniam penes Romanos *ordo* significavit statum quendam privilegiatum, qui ultra iura communis civis Romani etiam alias praerogativas obtinuit, v. g. ordo senatorius, equitum, idem verbum *ordinis* singulari modo de clericis fuit adhibitum; etenim clerici vi potestatis or-

Quare status laicalis complectitur elementum quoddam *genericum* et *positivum*, sc. baptismum, quo quis *membrum corporis* Ecclesia constituitur. Quare catechumeni [5] *populo* christiano nondum adnumerantur.

Ex altera parte vocabulum laici est etiam denominatio quaedam *specifica* et *negativa*, quod quis *membrum* quidem sit corporis Ecclesiae, *sed intra hierarchiam* ecclesiasticam non sit constitutus.

Perfectissima igitur ratione laicus dicitur, qui *utraque potestate* et ordinis et iurisdictionis plane *caret*, sed sensu maxime stricto laicus appellatur ille, cui ne infimus quidem gradus et initiatio hierarchiae *ordinis* competit, quamvis fortasse aliquo gradu iurisdictionis ecclesiasticae sit instructus. Quo sensu si vir fidelis vel ipsa prima tonsura carens eligeretur Romanus Pontifex, vere *laicus* diceretur promotus ad dignitatem Romani Pontificis, licet is, electione acceptata, in hierarchia *iurisdictionis* iam esset supremus *Praelatus* Ecclesiae. Quare *laicus* et *subditus ecclesiasticus* [6] opponuntur *clerico* et *Praelato ecclesiastico*. At facile quoque intelligitur verba *membri corporis Ecclesiae* vel *subditi ecclesiastici* latius patere quam vocabulum *laici*, quemadmodum Ecclesia *audiens* et *obediens*, quae distinguitur ab Ecclesia *docente* et *imperante*, nequaquam solos laicos [7], sed in ordine ad R. Pontificem, clericos ceteros ideoque Episcopos aliosque Praelatos ecclesiasticos etiam complectitur; in communi vero sive *generica* notione *membri* corporis Ecclesiae comprehenduntur clerici, religiosi, laici.

I. Quodsi *hierarchia sensu lato* accipiatur, quatenus *universam* denotat *Ecclesiam*, sine dubio laici gradum quendam sive

dinis et iurisdictionis constituunt in Ecclesia statum quendam *superiorem*.

[5] *Kraus*, l. c. v. Katechumenen.

[6] Ioann. XXII, in praefat. ad Clement: *Et dare in commune subiectis*.

[7] In antiqua Ecclesia inter laicos distinguebantur confessores, virgines Deo sacratae, ascetae, diaconissae, poenitentes, quibus accesserunt monachi et moniales; etenim status religiosus statum clericalem non requirit. (Cfr. *Kraus*, l. c. v. Laien; *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 3, cap. 42 sq.; *Devoti*, Inst. can. l. c. l. I, tit. I. § 1, not. 1 (de servis); *D'Annibale*, l. c. n. 20 sq. (de personis); *Cathrein*, Philosoph. moral. n. 259 sq.

ordinem occupant in hierarchia [8]. Sicut enim acies bene ordinata praeter duces requirit gregarios milites, atque natio quaedam non solis magistratibus, sed etiam civibus vel populo constituitur, ita status laicorum complectitur maximam partem fidelium in Ecclesia et *populum* christianum repraesentat. At si *hierarchia sensu stricto* usurpetur, illud statui laicali singulare atque essentiale est, ut ex ordinatione Christi iure quodam proprio et nativo ne infimum quidem gradum in hierarchia ecclesiastica occupet, planeque extra illam existat neque ullam *potestatem* sacrificandi et sanctificandi, docendi et regendi in *Ecclesia catholica* habeat [9].

II. Qui status laicalis intra Ecclesiam Christi *acquiritur*, non per nativitatem a parentibus christianis, sed unice per *validum baptismum* a singulis hominibus legitime receptum. Inde enim efficitur ut quis fiat *verum membrum* Ecclesiae, ut societatis *visibilis*, sive saltem *corporis* Ecclesiae, atque ex ipso iure divino subiiciatur auctoritati ecclesiasticae [10]. Quare quemadmodum

[8] Cfr. de corpore Ecclesiae: Rom. XII, 4; I Cor. XII, 12, 16, 19; de sacerdotio universali: S. Petr. l. c.; *S. August*, De civit. Dei l. XX, cap. 10; *Phillips*, l. c. § 33; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. p. 197 sq.

[9] C. 7, C. XII, q. 1, « *Duo sunt genera christianorum. Est autem genus unum... ut sunt clerici et Deo devoti, videlicet conversi... Aliud vero genus christianorum, ut sunt laici* ». Quod caput, a Gratiano S. Hieronymo adscriptum, est caput incertum. Cfr. quoque Conc. Trid. Sess. VII, de sacram. in genere can. 10, Sess. XXIII, l. c. cap. 4, can. 1 sq. Quae Protestantes in favorem aequalis potestatis etiam *ordinis* (de qua hoc loco *unice* agitur), omnium fidelium christianorum congerunt, v. g. *Hatch*, « The organisation of the early christian churches », p. 111 sq., solido fundamento carent (cfr. *Scherer*, Kirchenlex. v. Clerus p. 540 sq.), atque ipsi praxi et doctrinae primorum saeculorum manifeste sunt contraria. Cfr. *Tertullian.*, l. c., ubi hisce verbis reprehendit haereticos: « *Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes... Itaque alius hodie Episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus; nam et laicis sacerdotalia munera iniungunt* »; *Pesch*, l. c. n. 310, 356 sq.; *Phillips*, l. c.; *Wilmers*, l. c. p. 115 sq., 123 sq.; Cfr. c. 34, 149, Dist. IV, de consecr. (S. August.); lib. III, tit. 42, X. de bapt. et eius eff., tit. 43, de presbyt. non baptiz. cap. unic. de bapt. III, 15, in Clem.; Conc. Trid. Sess. VII, de baptism. praesert. can. 7, 8, 11; *Aichner*, l. c. §§ 55 sq.: *Schulte*, Lehrb. d. k. K. §§ 122 sq.

[10] Decret. pro Armenis; Conc. Trid. Sess. XIV, doctr. de ss. poenit. etc., cap. 2; *Palmieri*, l. c. p. 40 sq.; *Card. Franzelin*, De Ecclesia p. 387

ordinatio est actus, quo fidelis baptizatus incorporatur hierarchiae, ita baptismus est consecratio quaedam ad cultum divinum, qua quis *Ecclesiae visibili* coniungitur [11].

III. Laici ex ipsa legitima acquisitione sui status, partim iure *divino*, partim iure *ecclesiastico*, consequuntur *iura* quaedam et certis *obligationibus* fiunt obnoxii [12]. Imprimis ratione hierarchiae ordinis acquirunt *habilitatem* recipiendi, servatis servandis, *reliqua sacramenta;* fiunt ministri sacramenti baptismi, si adsit causa necessitatis, item matrimonii, si altera pars huius sacramenti capax sit; vi baptismi recepti gaudent privilegio Paulino; pro suo iure postulant a sacerdotibus sibi constitutis participationem in publico cultu divino, administrationem sacramentalium, certas functiones vel benedictiones liturgicas, v. g. mulieres legitimo matrimonio iunctae benedictionem post partum; libere sibi eligunt sepulturam. Atque haec quoad cultum et sacramenta exempli causa attulisse sufficiat, cum de diversis iuribus laicorum hac in re et multo magis de *prohibitionibus* ex professo melius in propria uniuscuiusque materiae sede agatur [13]. Quoad hierarchiam *iurisdictionis* laici certe gaudent iure libere communicandi cum Superioribus ecclesiasticis independenter a potestate civili, recipiendi instructionem religiosam in lingua vulgari, tuendi iura sua in foro ecclesiastico, si ab ipsis Praelatis ecclesiasticis vel clericis vel aliis laicis fuerint violata. At cum laici sensu stricto, licet reges vel imperatores fuerint, etiam extra hierarchiam *iurisdictionis* sint constituti atque

sq.; *Pesch*, Praelect. dogm. t. I, n. 328 sq.; *Wilmers*, l. c. p. 619 sq.; *Kraus*, l. c. v. Taufe.

[11] Cfr. de receptione inter catechumenos; C. 7: Concilio Constantinop. (a. 381), falso attributum; *Kraus*, l. c. v. Katechum.; *Devoti*, Inst. canon. l. 1, tit. 1, § 3.

[12] Conc. Trid. Sess. VII, l. c. c. 8, 14; *Aichner*, l. c. § 58; *Schulte*. l. c. §§ 125 sq.

[13] Benedict. XIV Const. *Certiores*, 13 Nov. 1742, (Missam celebrantes non teneri sacr. euchar. omnibus petentib. infra actionem ministrare); Collect. Lac. t. III, col. 220, 231, 381, 506, 982, 1085 (de iure assistendi Missae sine taxa soluta); S. R. C. 21 Nov. 1893, (de iure expetendi a *parocho* bened. post partum) iunct. Coll. Lac. l. c. col. 462, 766, 1048; cap. 1, X. de sepult. III, 28 iunct., can. 1223 sq. — S. R. C., 22 Ian. 1876, (de prohibito laicis ingressu in presbyterium); *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. 204 sq., 202 sq.

adeo iurisdictionis ecclesiasticae ex iure communi incapaces, nulla ipsis competit de rebus ecclesiasticis disponendi facultas, sed tantum necessitas incumbit obediendi [14], nisi speciali iure aliud cautum sit [15], v. g. in iure patronatus, in laico delegato a Rom. Pontifice [16], in administratione iustitiae vel bonorum ecclesiasticorum.

IV. *Obligationes* omnibus fidelibus communes in ordine ad magisterium et regimen ecclesiasticum, ad cultum divinum et sacramentalia, ad ordinem iudiciorum et ius criminale Ecclesiae etiam laicis sunt impositae. Hinc laici obstringuntur generalibus Ecclesiae praeceptis, v. g. de audienda Missa diebus dominicis et festis, de recipienda communione paschali, de annua confessione sacramentali, de abstinentia et ieiunio, de solvendis decimis vel aequivalentibus taxis pro clero cultuque divino. Specialibus obligationibus obstricti sunt principes et magistratus saeculares quoad defendendam et custodiendam Ecclesiam. Quae defensio iurium Ecclesiae cum nostra aetate longe aliis mediis fieri possit et debeat quam saeculis elapsis, v. g. per electiones optimorum deputatorum ad comitia publica, inde etiam novae obligationes laicorum ortae sunt atque ab ipsis RR. Pontificibus inculcatae, licet quandoque benigniore forma con-

[14] Cfr. c. 1, 2, Dist. 96; cap. 7, 10, X. de const. I, 2; Conc. Trid. Sess. XXV, de ref.; contin. Sess. cap. de delectu cib., ieiun. et dieb. festis; cap. 2, X. de iud. II, 1; *Pii IX* Syllab. prop. 54; *De Luca*, Prael. iur. can. t. II, p. 13 sq.

[15] Cum iure communi nitatur illa exclusio laicorum a gerendis negotiis ecclesiasticis, solus Romanus Pontifex iura laicorum in hac re *extendere* potest ad casus in iure non expressos. Imo vel ipse R. Pontifex laicis, saltem de facto, non solet concedere aliquam *ordinariam* iurisdictionem, sed solummodo delegatam. Quae delegatio cum pariter censeatur exorbitans, nulla consuetudine etiam immemoriali obtineri potest, sed tantum expressa concessione Ecclesiae. Cfr. Urbani VIII Const. *R. Pontifex*, 7 iul. 1641, §§ 2 sq.; *Fagnan.*, Comment. in cap. 13, X. de for. comp. II, 2. Summopere autem dubitandum est num sola extensione iurium laicorum bono communi Ecclesiae et saluti fidelium consulatur. Cfr. de autonomia hungarica: *Vering*, Lehrb. d. K. p. 155 sq.; *Sentis*, De Monarchia Sicula.

[16] Quare *laicus*, qui a Rom. Pontifice delegatur, propter acceptam iurisdictionem *spiritualem* verus est iudex *ecclesiasticus;* at *clericus*, qui vi iurisdictionis *saecularis* ius dicit, est iudex *saecularis*.

silii, moniti, exhortationis usi sint [17]. At in illa quoque defensione iurium Ecclesiae salvum semper maneat principium quod de rebus ecclesiasticis, non de negotiis mere saecularibus, supremum ius declarandi et disponendi sit penes auctoritatem ecclesiasticam, praesertim penes Sedem Apostolicam.

V. *Status laicorum*, quatenus nititur *charactere indelebili baptismi*, amitti nequit, sicut clericus, qui characterem sacramentalem per ordinationem recepit, nullo unquam tempore denuo *vere* et *intrinsece* ad statum laicalem reduci potest [18]. At laicus per *mortem* membrum Ecclesiae militantis esse cessat neque amplius iurisdictioni ecclesiasticae subest solique iudicio Dei reservatur. Quodsi per apostasiam, haeresim, schisma, vere et proprie, non tantum secundum quid, sese a *corpore* Ecclesiae *visibilis* segreget, per huiusmodi *delictum* ecclesiasticum contra ipsam legem *divinam* patratum *absolute* ab Ecclesia non separatur; etenim vi baptismi, quamdiu vivit, Ecclesiae manet *subiectus* [19].

Art. 2. — De statu clericorum.

52. *Clericus* dicitur is, qui *statui* clericali sive *hierarchiae* ecclesiasticae legitime est adscriptus. *Clerus* vero denotat *universam hierarchiam* ecclesiasticam *sensu stricto* acceptam. Quare verus clericus est is, qui saltem aliqua ratione *intra hierarchiam ecclesiasticam* constitutus est. Quod cum possit fieri diversis modis et gradibus, etiam diversas significationes verbum clerici sortitum est. Denotat enim hoc verbum modo eum solum, qui saltem *prima tonsura* per initiationem quandam hierarchiae *ordinis* incorporatus est, modo comprehendit eos tantum, qui *uno ex minoribus ordinibus* instructi sunt, denique *omnes* gradus hierarchiae *ordinis*, etiam maiores, designare potest [20]. Hinc si dicitur *clericum* esse *habilem* ad accipiendam iurisdictionem ecclesiasticam (can. 118), clericus idem significat atque *ordinatus*, et maxime *hoc sensu* intelligitur fundamentalis divisio in can. 107 facta. Denique perfectissimo modo aliquis clero addictus est, qui non solum gradum occupat in hierarchia *ordinis*, sed etiam in hierarchia *iurisdictionis Praelatus* sive praepositus sive magistratus existit [21].

53. I. *Clerus* universim spectatus *ex ipsa ordinatione* Christi Domini, ut in canone 107 asseritur, constituit statum sive ordinem ecclesiasticum a statu laicali essentialiter distinctum. Ipse enim Christus divina sua ordinatione instituit in Ecclesia catholica hierarchiam, quae constat ex Episcopis et presbyteris et ministris [22]. Praeterea status ille clericalis distinctus etiam su-

[17] Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 12, 20 de ref.; concord. hispan. (a. 1851); concord. austr. (1855) art. 1; *Leon. XIII* Encycl. et Epist. de multis obligationib. laicor., v. g. Encycl. *Sapientiae*, 14 Ian. 1890, aliaque documenta; cfr. *Acta Leon. XIII*; *Bellarmin.*, Disputation. de controv. christ. fid., t. II, secund. controv. l. 3, de laicis; *Zech*, l. c. §§ sq.; *Hollweck*, D. k. Strafg. § 134.

[18] Conc. Trid. Sess. VII, de sacram. in genere can. 9, de bapt. can. 8, 14; *Schulte*, l. c. §§ 168, 189, 170; can. 211 sq.

[19] *Bellarmin.*, l. c. t. II, prim. controv. l. 1, cap. 3 sq.; *Franzelin*, l. c. p. 377 sq.; *Pesch*, l. c. n. 330; *Wilmers*, l. c. p. 630 sq.; *Devoti*, Inst. can. I, tit. 1, §§ 1, 2, 3. Qua in re sectae protestanticae, sicuti de *necessitate ingrediendi* Ecclesiam, ita etiam de *discessu* suorum asseclarum ad alias societates religiosas saltem *in theoria* saepe mitius iudicant quam Ecclesia catholica. Cfr. *Wilmers*, l. c. p. 648 sq.; *Hinschius*, in Encyclop. d. Rechtsw. P. I, p. 863; *Hinschius*, System. d. k. K. t. V, p. 494, not. 5, frustra impugnat Episcopos Germaniae et scriptores quosdam catholicos, quasi illi excommunicationi fidelium baptizatorum tribuissent vim *absolutae* separationis ab Ecclesia.

[20] Clerus, si vis vocis attendatur (ὁ κλῆρος) significat sortem. Quod verbum imprimis potuit applicari ad universum populum christianum. Cfr. I S. Petr. V, 3. At comparatione instituta cum sacerdotio veteris testamenti, speciali ratione sacerdotium et magistratus sacri in testamento novo aptissime clerus dicebantur. Quae specialis huius vocis significatio inde ex saeculo tertio iam occurrit (cfr. *Origenes*, Homil. *in Ierem.* XI, n. 3; *Tertullianus*, De idololatr. c. 8, De monogam. c. 12), atque ita usque ad nostram aetatem verba cleri vel clerici artis vocabula manserunt. Cfr. c. 1, D. 21, (S. Isidor.); c. 5, 7, C. III, q. 1, (S. Hieron.); *Hallier*, l. c. P. I, proleg. cap. 1 sq.; *Phillips*, l. c. § 33; *Scherer*, l. c. § 65; *Kraus*, l. c. v. Klerus.

[21] Cum sensu *lato* clerus designet fideles speciali modo servitio divino dedicatos, etiam viri religiosi ipsaeque moniales nomine clericorum comprehenduntur. Cfr. c. 7, C. XII, q. 1. Cui rationi accedit illa, quod religiosi non raro iisdem legibus favorabilibus et odiosis regantur atque clerici. Cfr. can. 592, 614, imo et can. 680; *D'Annibale*, Summula theol. mor. P. I, n. 88.

[22] Conc. Trid. Sess. XXIII, vera et cath. doct. de sacram. ord. cap. 1, 2, 4, can. 1, 6; *Palmieri*, l. c. p. 59 sq. aliique theologi catholici disputantes de sacramento ordinis, v. gr. *De Augustinis*, De re sacrament. t. II, p. 409 sq.

perioritate sive praeeminentia praeditus est, quae nequaquam nititur sola potestate *ordinis*, sive potestate sacrificandi et sanctificandi, sed potestatem quoque *regendi* Ecclesiam continet [23]. Non omnes clericos esse divinae institutionis constabit ex iis quae in titulo *de ordine* erunt disputanda.

II. Status clericalis acquiritur *ritu quodam sacro*, qui sensu lato *sacra ordinatio*, vel ob elementum principale et ordinarium χειροτονία vel χειροθεσία [24] dici potest. Quo sensu lato sacra ordinatio est ritus sacer, quo quis ex laico fit simplex clericus, aut ex simplici clericatu gradatim ad altiores ordines promovetur. Qua ratione vel ipsa primae tonsurae collatio nomine ordinationis continetur (cfr. can. 950), licet in Pontificali Romano aptius *de clerico faciendo* agatur.

Strictiore vero magisque usitato sensu ordinatio est sacer ritus (causa), *quo* confertur *ordo* (effectus) [25], sive potestas quaedam ecclesiastica ad exercendas functiones sacras cultus divini, praesertim sacrificii eucharistici et administrationis sacramentorum et sacramentalium ordinata, non merum *officium* ecclesiasticum. Qui sacer ritus non est necessario verum sacramentum, sed merum sacramentale esse potest. Neque potestas collata (ordo) nitatur oportet immediata concessione *divina*.

[23] Conc. Trid. l. c. cap. 4, can. 7, 8; *Tarquini*, l. c. p. 47, 82 sq.; *Nilles*, in Act. theolog. Oenip. t. I, p. 285 sq. recte contra *Vering* (et *Hinschius*). Quemadmodum potestas ordinis non constat *sola* facultate « *efficiendi sacramenta* », ita potestas iurisdictionis ecclesiasticae non est *sola facultas* legitime exercendi illam habilitatem (ordinem) per sacram ordinationem acquisitam. Cfr. *Aichner*, l. c. §§ 23, 24.

[24] S. Paulus (I Tim. IV, 14; II Tim. I, 6), loquitur de manuum impositione (ἐπίθεσις τῶν χειρῶν); S. Augustin. in c. 74, C. I, q. 1, « *Quid enim est* (i. e. manus impositio) *aliud, nisi oratio super hominem?* » — manuum impositio *ordinatoria*.

[25] Cfr. c. 37, § 1, C. 1, q. 1, cum alibi, v. g. cap. 17, de praeb. III, 4, in Sext. verbum ordinandi potius de concessione *beneficii* vel *officii ecclesiastici* adhibetur. Cfr. quoque c. 1 sq., D. 71; *Scherer*, l. c. p. 311; *Hefele*, l. c. t. I, p. 598 sq.; *Gasparri*, l. c. n. 1 sq.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VIII, cap. 9 n. 8, ubi negat in Ecclesia occidentali *officia* cantorum, fossorum, custodum martyrum etc. fuisse *ordines* per veram ordinationem sacram collatos. Cfr. c. 10, spur. Conc. Carthag. de psalmista iunct. Synod. Mont. Liban. (a. 1736) de *ordine* cantoris apud Maronitas in Collect. Lac. t. II, col. 227, 242, 254, et Pontif. Rom. P. III, *De officio psalmistatus*, i. e. cantoris iunct. *Many*, l. c. n. 9; Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888), p. 141: « *Primus ordo minor est cantoratus* (*ordo psaltis*) *cum exorcistatu qui in eo continetur* »; *Synod.* Alexandr. Copt. (a. 1898) p. 133 sq.: « *Ordines vero minores, qui in usu Alexandrinae Ecclesiae reperiuntur, sunt lectoratus atque subdiaconatus, qui simul ostiariatum et acolythatum Ecclesiae Romanae involvit... Psaltes seu cantor in nostra Ecclesia non proprio ritu constituitur, sed orationem tantum super eum Episcopus recitat. Denique apud nos exorcista nullam habet propriam ordinationem, sed persona aliqua ecclesiastica ab Episcopo, quando opus est, ad exorcismos peragendos deputatur* ».

Denique strictissimo sensu sacra ordinatio est ritus sacer vereque *sacramentalis*, quo confertur unus ex tribus ordinibus hierarchicis certo a Christo institutis. Quae ordinatio, si conferat ordinem Episcoporum, secundum terminologiam receptam dicitur *consecratio*, retento vocabulo *ordinationis* ad designandam collationem aliorum ordinum [26]. De fide autem catholica est saltem aliquam ordinationem sacram esse verum et proprie dictum sacramentum, ut constat ex definitione Conc. Trid. Sess. XXIII, can. 3, contra Protestantes [27].

III. *Iura* et *officia* specialia cum ipsa susceptione status clericalis coniuncta sunt. Quae iura specialia cum potestate ordinis sive simpliciter cum « *ordine* » confundenda non sunt. Nam per primam tonsuram iam certa *iura* singularia acquiruntur, potestas vero ordinis sive *ordo* non obtinetur. At plerique clerici gradum *verae potestatis ordinis* acquirunt, quae saltem in tribus ordinibus hierarchicis nititur *charactere* indelebili a charactere baptismi et confirmationis distincto.

Porro ex incorporatione in hierarchiam ordinis clerici consequuntur *habilitatem* ad accipiendam *potestatem iurisdictionis*. Nam iure communi soli clerici, i. e. saltem prima tonsura insigniti, minime vero laici ad iurisdictionem ecclesiasticam accipiendam *habiles* sunt (can. 118). At sola incorporatione in hierarchiam *ordinis* etiam clerici per se et *actu* ne *infimum* quidem gradum *iurisdictionis* ecclesiasticae acquirunt, sed concessione *officii* ecclesiastici vel *speciali iniunctione* sive missione canonica opus est (can. 147). Interim haec insinuasse sufficiat. Alia quoque non pauca sunt iura nec minora *officia* clericorum, de quibus fusius infra tit. II erit agendum.

[26] *Kraus*, l. c. v. v. Handaufleg., Ordination, Ordo; *Phillips*, l. c. § 33.

[27] Cfr. theolog. de *Sacramento* ordinis, v. g. *Pesch*, Praelect. dogmat. t. VIII, n. 569.

IV. *Amissio status clericalis,* quatenus is acquiritur saltem uno ex tribus ordinibus hierarchicis, vere et intrinsece fieri non potest. Nam character sacramentalis animae indelebiliter et in perpetuum est impressus [28]. Quin imo, vel ipsi ordines inferiores cum prima tonsura adeo stabiliter collati censentur ut nunquam sint *vere* renovandi, etiamsi quis post liberum transitum ad statum laicalem (cfr. cap. 1, 3, 5, X. de clericis coniug. III, 2), vel degradationem, denuo redeat ad statum clericalem. Quodsi in casu degradationis iniustae, vel invalidae, vel alias iuste inflictae, dispensatione autem Romani Pontificis sublatae, restitutio alicuius clerici sit facienda, huiusmodi restitutio etiam sollemnis non habet vim *novae* collationis tonsurae vel ordinis, sed *merae* caeremoniae [29]. Verum etiam in clericis maiorum ordinum extrinseca quaedam reductio ad statum laicalem, sive per speciale indultum Sedis Apostolicae sive per degradationem legitime inflictam, a foro ecclesiastico non est aliena [30].

54. *Tam laici quam clerici possunt esse religiosi;* unde status religiosus non est status medius inter statum laicorum et statum clericorum. Quodsi liber de personis exclusive deberet continere ius *constitutionis* Ecclesiae, quod totum vertitur in hoc, quaenam sit Ecclesiae *potestas* et in quonam *subiecto* resideat, profecto tractatus de religiosis non esset inserendus libro de personis, cum religiosis *ut religiosis nulla competat potestas ecclesiastica,* sive ordinis, sive iurisdictionis. Ratione *potestatis ecclesiasticae* eiusque *subiecti* omnes fideles distinguuntur in *clericos* et *Praelatos* atque *laicos* et *subditos.* Et haec est distinctio, quae quoad gradus fundamentales et essentiales dicitur provenire ex iure divino seu ex conditore Ecclesiae sub forma societatis inaequalis.

[28] Conc. Trid. l. c. can. 4; cap. 1, 3, X. de sacram. non iter. I, 16; c. 1, Dist. 68; *D'Annibale,* l. c. P. I, n. 91, de potestate ordinis per Eccl. non supplenda.

[29] Cfr. c. 65, C. XI, q. 3; Pontifical. Rom. P. III, *Degrad. forma*; *Suarez.* De censur. disp. 30, sect. 2, n. 10; *Schmalzgr.,* l. V, tit. 37, n. 150; *Kober,* D. Deposition u. Degradation p. 285 sq.

[30] Cfr. tit. VI huius libri et can. 2305, iunct. c. 78, D. 50 (de communione laica clericorum); cap. 10, X. de iudic. II, 1; cap. 27, X. de V. S.; V, 40; *Suarez,* l. c. n. 1 sq.; *Kober,* l. c. p. 217 sq., 90 sq. Cfr. quoque de iure antiquo circa dimissionem status clericalis, *Thomassin.,* l. c. P. II, l. 1, cap. 11-14; *Kober,* l. c., p. 96 sq.

Codex agit in Libro II de omnibus personis, sive pertineant ad hierarchiam ideoque ad ius constitutionis Ecclesiae, sive subsint hierarchiae. Ergo cum religiosi *ut tales* non necessario pertineant ad unam ex his duabus classibus, divisio personarum in *religiosos* et *non religiosos* aliunde est petenda. Solet peti illa divisio ex *relatione singulorum fidelium* ad veram *sanctitatem* supernaturalem; sub quo respectu universus coetus ecclesiasticus distinguitur in statum vitae *communis* et statum *perfectionis,* tum exercendae, tum acquirendae, in quo continetur status religiosus. Cfr. *Suarez,* De virt. et stat. religion., tract. VII, l. 1, cap. 2, n. 3, 4, 7 sq., 17, 21; *Palmieri,* De R. Pontif. p. 29 sq. Inde, licet in rigore iuris *quatuor* species sive status personarum ecclesiasticarum essent distinguendae, tamen ratione habita partis principalis, pro more antiquorum theologorum et canonistarum (cfr. supra *Zech,* l. c.) tres tantum status personarum in Ecclesia recenseri solent, sc. status *laicorum,* qui *ut plurimum,* non semper, sunt simul in statu vitae *communis*: porro status *religiosorum,* qui *praesertim* repraesentant statum *perfectionis,* licet simul in utraque hierarchia supremos gradus tenere possint; denique status *clericorum,* qui proxime et directe ad sanctificandam et regendam Ecclesiam deputantur, licet ratione *internae sanctitatis* simul in statu perfectionis, sive exercendae, sive acquirendae vel forte tantum in statu vitae communis existant. Cfr. *Palmieri,* l. c. p. 40 sq., de anima et corpore Ecclesiae [31].

55. *Praelati in hierarchia.* Proprio nomine in iure dicuntur *Praelati* clerici, sive saeculares, sive religiosi, qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent (can. 110). Quare Superiores religiosi Praelati dici non possunt, nisi et sint clerici et agatur de religione clericali exempta (can. 501, § 1).

Latiore tamen sensu etiam dicuntur Praelati plures clerici, qui tali titulo, honoris causa, a Sede Apostolica donantur, quales sunt plures Praelati Curiae Romanae (can. 110).

[31] De diversis modis quibus explicatur illa distinctio inter statum perfectionis acquirendae et exercendae cfr. S. Thom. 2, 2, q. 185, art. 4, ad 1; *Suarez,* De virt. et statu perfect. tract. VII, cap. 14 sq.; *Biederlack-Führich,* n. 4; *Vermeersch,* De religiosis, I, n. 8 sq.

TITULUS I.

De clericorum adscriptione alicui dioecesi (can. 111-117)

56. Fontes: Conc. Nicaenum (a. 325) can. 15; Conc. Chalcedon. (a. 451) can. 5, 20; Decr. Gratiani, Dist. 70, 71, 72, Caus. VII, q. 1; Decret. Gregor. IX, III, 4, de cleric. non resid.; Conc. Trid., Sess. XXI, cap. 2, de ref. Sess. XXIII, cap. 16, de ref.; Innocent. XIII, const. *Apost. ministerii*, 13 mart. 1723; Benedict. XIII, const. *In suprem. militant.*, 23 sept. 1724; Benedict. XIV, const. *Ex quo dilectus*, 17 ian. 1747; S. C. C. Decr. *Anteactis temporibus*, 22 dec. 1894; Decr. *A primis*, 20 iul. 1898; Decr. *Clericos peregrinos*, 14 nov. 1903 in Act. S. S., t. 27, p. 373; t. 31, pag. 50; t. 36, pag. 355.

Scriptores: *Thomassinus*, P. II, libr. I, cap. 19: libr. II, cap. 9; *Phillips*, K. R., t. I, pag. 608; *Bouix*, De Episcopo, t. II, pag. 268 sq.; id., L'exeat in *Rev. des sciences eccl.*, t. V, p. 5 sq.; *Devoti*, Ius can. univ., lib. I, tit. 13, § 4; *Hoffmann*, D. Excardination einst und jetzt, Z. f. Kath. Theol., t. XXIV; *Oberkamp*, Wann bewirken die litterae dimissoriae... in Arch. f. k. K. R., t. XXXVI, pag. 389 sq.; *Claeys Boúúaert*, D. canonica cleri saec. obedient., p. 192 sq., 200 sq.; *Maroto*, Inst. Iur. can., t. I, pag. 467 sq.; *Ferreres*, Inst. I, 246 sq.; *Verm.-Cr.*, Epit. I, n. 236 sq.; *Chelodi*, De person., n. 106 sq.; *Ojetti*, Comment. I. C., III, p. 28 sq.; *Matth. C. a Coronata*, Inst. I. C., I, p. 203 sq.

57. Connexio materiae. Cum clerici constituant statum segregatum a communi coetu fidelium ut divinis ministeriis mancipentur, illa assumptio et mancipatio, quae fit per ordinationem Episcopi, vinculum speciale debet inducere inter clericos et *determinatos* Episcopos; qui cum habeant suam auctoritatem restrictam et ambitu territorii et numero subditorum, non possunt sibi assumere sacros ministros nisi in ordine ad divina ministeria in *propria* dioecesi et in *suos subditos* exercenda. Inde necessitas, ut unusquisque Episcopus *suum* habeat proprium clerum, *suos* proprios sacros ministros, de quibus solus libere disponere possit et de quorum vita et actione speciali modo rationem reddere debeat, eos *sibi* formet et ad sacra ministeria in *sua* dioecesi exercenda *sibi* praeparet ad normam sacrorum canonum. Illa conditio *cleri proprii* debet per legem ecclesiasticam determinari, quod hoc titulo praestatur.

58. Notio. *Canonica adscriptio* clerici est eius iuridica adnumeratio inter clerum determinatae ecclesiae seu dioecesis, vi cuius speciali et permanenti subiectionis vinculo subest Episcopo illius dioecesis, in ordine ad obligationes sui status et ad sacra ministeria in subditos illius Episcopi exercenda.

Quoniam vero religiosi suos proprios habent Superiores, quibus ex voto obedientiae subordinantur, nec subordinatio perfecta et completa potest simul haberi erga duos Superiores immediatos, pro ipsis, tametsi clerici sint, adscriptio fit ad ipsam religionem in ordine ad obligationes status religiosi et ad ministeria sacra secundum propriam vocationem exercenda, tametsi in iis plus minusve pro ratione exemptionis possint simul esse subordinati Episcopis, dum ministeria in illorum Episcoporum subditos exercent.

Adscriptio clericorum alicui dioecesi peculiari nomine dicitur incardinatio [1].

59. Principium. *Quemlibet clericum oportet esse vel alicui dioecesi vel alicui religioni adscriptum, ita ut clerici vagi nullatenus admittantur* (can. 111, § 1). Quibus ultimis legislatoris verbis clare deducitur, quo spectet illa clericorum incardinatio, ut videlicet clerici sint subordinati determinato Superiori ecclesiastico, cuius vigilantiae subsint, tum in observantia obligationum sui status, tum in exercitio sacri ministerii, ita ut a subiectione erga talem Superiorem non possint sola propria voluntate se subtrahere, perinde ac laici; cum consensu vero Superioris ita solum possint, si alius consentiat eos in suum clerum recipere. Iuridica vero ratio generalis praescripti illa est, quod clerici nonnisi ob necessitatem vel utilitatem servitii ecclesiastici instituendi sunt, quemadmodum antiquissima fert traditio ecclesiastica [2]; quae necessitas ex natura rei debet considerari respectu illius Superioris, a quo fit promotio, ideoque respectu ecclesiae seu dioecesis cui ille praeest, cum qua dioecesi vincu-

[1] Vocabulum *incardinare* (cardinare), a *cardine* derivatum, iam primitus significavit adscribere clericum alicui ecclesiae seu *titulo;* clerici autem sic adscripti dicebantur *cardinales* aut etiam *intitulati, titulati,* per oppositionem ad non ita adscriptos qui dicebantur *vagi, acephali, absoluti. Thomassin.*, P. I, libr. 2, c. 116; *Devoti*, Inst. can. libr. I, tit. 3, n. 23; *Ferreres*, « La Curia Romana », n. 46 sq., 54 sq.

[2] Cfr. textus in fontibus allegatos.

lum contrahat servitii praestandi, quod pro lubitu deserere non possit. Atque inde fit ut incardinatio fiat per ipsum actum, quo quis assumitur ad statum clericalem, seu per primam tonsuram (cfr. rubricam Pontificalis Romani *De clerico faciendo*): assumi autem debet in clerum determinatae dioecesis, ideoque incardinatur illi dioecesi pro cuius servitio promotus fuerit.

Religiosum vero non pro se ad ordines promovet Episcopus, sed pro usu et ministeriis propriis religionis, cui illum ipsa natura vinculi professionis religiosae permanenti modo adscribit.

60. Notae historicae. Primis Ecclesiae saeculis, cum rigorose essent prohibitae ordinationes *absolutae*, arctissima fuit unio clerici cum sua ecclesia pro cuius necessitate ordinatus fuerat et cui dicebatur *incardinatus*. Arctissimum illud vinculum sancivit Conc. Nicaenum (a. 325), a quo can. 15 (= can. 19, C. VII, q. 1) arbitrarius transitus in aliam dioecesim irritatur et clerici restitutio urgetur (cfr. quoque can. 16 = can. 23, C. VII, q. 1). Canonem Nicaenum firmavit Conc. Chalcedonense (a. 451), a quo unica commemoratur exceptio de clerico, qui propriae civitatis destructionem deflens alio ex necessitate cogitur migrare (can. 5 = can. 26, C. VII, q. 1). Quae lex de perpetua incardinatione clerici suae ecclesiae seu titulo, eo etiam expectabat, ut impedirentur mutationes, lucri aut ambitionis causa peractae [3]. Eandem canonicam regulam inculcarunt particularia Concilia per septem priora saecula celebrata, tam Africana quam Hispanica et Gallica; in quorum nonnullis invenitur iam illud temperamentum de facultate Episcopi aliquem ex suis clericis alteri Episcopo concedendi [4]. Inde ab VIII et IX saeculo a regula canonica coepit non parum discedere abusiva praxis non paucorum clericorum huc illuc vagantium, id quod passim osten-

[3] Eandem regulam tradit Conc. Sardicense (a. 345), can. 18, (= c. 1, Dist. 71) et Conc. Antiochen. (a. 341), can. 3 (= c. 24, C. VII, q. 2). Leo I ad Episcop. Achileien. (a. 442) « Unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ibi ubi ordinatus est, perseveret ».

[4] Cfr. Conc. Carthagin. (a. 307), can. 21, (= c. 2, Dist. 71); Carthagin. (a. 348), can. 5, (= can. 6, Dist. 71) — Conc. Toletan. I, (a. 400), can. 12, Toletan. II, (a. 527 vel 531), can. 2; Hispalense II, (a. 619), can. 3 — Conc. Arelatense I, (a. 314), can. 2 et 21; Conc. Turonense (a. 460), can. 11; Conc. Aurelian. (a. 549), can. 5; Conc. Epaonense (a. 517), can. 5 — *Thomassin.*, P. II, libr. I, cap. 19, n. 3.

dunt variarum Synodorum querelae [5]; regula tamen permansit immutata, ut ostendunt tum canones per idem tempus in Synodis conditi, tum antiquorum canonum insertio a Gratiano facta in suo Decreto circa medium saec. XI.

At paulatim admissa praxis ordinationum absolutarum, quae inde a saeculo XII inoleverat, valde relaxavit atque adeo nonnullis locis fere penitus solvit vinculum inter clericum et Episcopum a quo ordinatus fuerat. In causa fuit, tum imminuta vita communis clericorum, tum communium redituum ecclesiae, quibus antea alebantur clerici, in singulis beneficiis divisio; unde factum est ut Episcopi non semper attenderent, ut clericis singulis separatum reservaretur beneficium, nec in ordinandis clericis stricte respicerent ad propriae ecclesiae necessitatem [6], cum praesertim et maior honor eo tempore statui clericali tributus plures ad statum clericalem alliceret, et Episcopi atque etiam domini temporales frequenti clericorum cohorte circumdari optarent. Quibus causis accessit Universitatum inde a saeculo XII efflorescentia et clericorum multitudo ad eas confluentium ad studia peragenda, cui accessui ad Universitates Romani Pontifices suis favoribus videbantur incitamentum praebere, v. gr. Alexander III [7]. Quare cum idem Pontifex in Conc. Lateranensi III (a. 1179), prohibuit Episcopis ne sacerdotes et diaconos sine certo titulo ordinarent [8], qua constitutione pristina severitas, saltem quoad illos duos maiores ordines, intendebatur restitui, tamen propter adiectam sanctionem sustentandi clericum absolute ordinatum, « *nisi ex bonis patrimonialibus sibi necessaria posset comparare* », finem intentum non obtinuit, cum potius ex illo canone legitimitas tituli patrimonialis pro ordinatione deducta fuerit. Quem titulum postquam Innocentius III pro tribus maioribus ordinibus admisit, ex illo tempore factum est ut iuxta clericos, qui se propriis sumptibus

[5] Cfr. Syn. Parisiensem (a. 829), can. 36, Melphensem (a. 1089), can. 9.

[6] *Claeys-Boúúaert*, l. c. pag. 204; *Phillips*, l. c. t. 1, pag. 652 sq.; *Hoffmann*, l. c. p. 401 sq.

[7] Cfr. *Phillips*, l. c. t. VII, p. 265 sq.; *Henry*, De resident. beneficiat. p. 105 sq. Decretalis Alexandri III ad Episc. Eboracensem = c. *Fraternitati*, 5, X. de cleric. non resident III, 4, dat facultatem spoliandi beneficiis non residentes, « nisi forte scholasticis disciplinis invigilaverint ».

[8] C. Episcopus, 4, X. de praebendis, III, 5.

Ecclesiae servitio mancipabant, turba existeret clericorum inertium et vagantium, qui se Episcopi sui iurisdictioni et vigilantiae subtraherent [9]. Cum tandem ius agnosceret ut proprium Episcopum etiam illum a quo clericus beneficium receperat, paulatim efformata est doctrina [10], quae clericis non beneficiatis agnoscebat ius ad aliam dioecesim transeundi in ordine ad recipiendum beneficium, ordinatis vero titulo patrimonii prope illimitatam permittebat libertatem quoad dioecesis mutationem. Clerici non beneficiati poterant dioecesim definitive relinquere etiam sine Episcopi consensu; beneficiati, propter legem residentiae, tenebantur vinculo, quod sine Episcopi licentia regulariter solvere non poterant. Sed paulatim admissae sunt restrictiones quoad legem residentiae; condita sunt beneficia, quae sub nomine portionum seu praestimoniorum ex ipsa institutione conferebantur absentibus, v. gr. studiorum causa; beneficia simplicia, quae primitus ex iure communi ad residentiam obligabant [11], ex universali consuetudine paulatim habita sunt ut non residentialia: quare ne hos quidem beneficiatos potuerunt Episcopi impedire quominus in aliam dioecesim migrarent, ubi sibi beneficium quaererent.

Concilium Tridentinum, ut a sanctuario arceret clericos inutiles et vagos, visum est velle integre repristinare antiquam disciplinam; sed obsistentibus pluribus Episcopis [12] mediam quandam viam iniit inter antiquum rigorem et relaxationem eo tempore inductam; quod praestitit per duo decreta. In altero (Sess. XXI, cap. 2, de ref.) prohibebat ne Episcopi titulo patrimonii ordinarent nisi quos assumendos iudicarent « pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum »; in altero (Sess. XXIII, cap. 16, de ref.) prohibuit ne quisquam ordinaretur, qui « ecclesiae aut pio loco non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur ». Quo altero de-

[9] *Thomassin.*, P. II, libr. 2, cap. 9, n. 2; *Phillips*, l. c. t. I, p. 608.

[10] Cfr. v. gr. *Panormitanum*, in cap. Fraternitati 5, X. de cleric. non residentibus, III, 4 « Clericus saecularis vel laicus non sunt ita subiecti proprio Episcopo, quominus possint transferre domicilium et acceptare alibi beneficium sine licentia Praelati ».

[11] *Henry*, l. c. p. 10 sq.

[12] Cfr. *Pallavicini*, Vera Conc. Tridentini historia, P. III, lib. 17, c. 9.

creto canon 6 Concilii Chalcedonensis quoad substantiam repristinari videbatur [13].

Sed decretum de adscriptione pluribus locis non fuit observatum [14]; in aliis ad usum deductum est incomplete [15]; in paucis modo efficaciore et urgentiore eius observantia procurata est [16]; at partim reddita fuit inutilis et impossibilis ob erectionem Seminariorum ab ipso Conc. Trid. decretam. Nec defuerunt Romani Pontifices, v. gr. Innocentius XIII, const. *Apostolici ministerii* (13 Martii 1723) pro regnis Hispaniarum, et Benedictus XIII, const. *In supremo* (23 sept. 1724), qui legem Tridentinam innovarunt et ampliarunt. Quo non obstante, Doctores saec. XIX anteriores perrexerunt in propugnandis mitioribus sententiis circa facultatem clericorum, beneficia residentialia non obtinentium, sese in aliam dioecesim transferendi [17], et decisiones SS. Congregationum illi modo sentiendi robur addiderunt. Quare, si Concilium Tridentinum suo decreto Sess. XXI suppressit turbam clericorum vagantium et altero decreto Sess. XXIII Episcopis media suppeditavit ad retinendos in dioecesi suos clericos, in praxi allegatae circumstantiae illius disciplinae rigorem multum mitigarunt.

Sed iam ultimo saeculo rigidior disciplina Codicis praeformata fuerat, et sine promulgatione novarum legum, per solam diversam applicationem principiorum, firmatam iurisprudentia

[13] Vigente systemate beneficiali nequaquam erat possibile integre disciplinam Chalcedonensem repristinare: sed per illud decretum Episcopis dabatur medium quo clericos, qui aliunde ad residentiam non tenebantur, v. gr. ratione beneficii, modo quodam stabili ecclesiae adnectendi atque etiam probandi, cum Seminaria nondum essent instituta. Cfr. *Benedictum XIV*, De Syn. dioec. Lib. XI, c. 2, n. 8, 9; *Bouix*, De Episc. t. II, p. 272.

[14] *Garcia*, De benefic. P. II, c. 5, n. 103, cuius testimonium saltem valet pro Hispania. Cui contradicit *Monacelli*, Formularium P. I, tit. 3, form. 20, 21. Cfr. tamen *Benedictum XIV*, l. c. n. 13, et decisionem S. C. C. in causa Valentina 29 Iun. 1628, de obligatione adscribendi *petentem* adscribi apud *Barbosa*, Summa Apost. decis. coll. 295, n. 13.

[15] Cfr. Conc. Mediolanense a. 1569, decr. 28; Syn. Cameracensem a. 1586, tit. 10, n. 6.

[16] Ita factum est a Conc. Remensi a. 1564, n. 12; a Rotomagensi a. 1581, c. de episcopi officiis n. 6; a Burdigalensi a. 1624, c. 6, n. 6.

[17] Cfr. *Barbosa*, De off. et pot. episc. P. II, alleg. 21, n. 5, 6; *Garcia*, l. c. n. 102; *Pirhing*, l. I, tit. 22, n. 3; *Schmalzgrueber*, L. I, tit. 22, n. 2.

S. C. Concilii, clerici arctiore quam antea vinculo coeperant suae dioecesi haberi devincti. In quam rem influxum exercuit ex una parte imminutio numeri beneficiorum, ex alia parte introductio novorum titulorum ordinationis, quibus causis effectum est, ut ordinatio clerici, quae ex sola necessitate vel utilitate *dioecesis* fieri potest, habenda esset tanquam adscriptio *ad servitium dioecesis,* quod deseri non possit, modo clericus aliquam destinationem ab Episcopo sortiatur; simul autem Episcopi possent per formalem excardinationem clericos non adeo necessarios aliis Episcopis commodare.

61. Disciplina vigens. In canonibus huius tituli ponuntur varii *modi* incardinationis, *auctoritas* competens ad incardinationem faciendam et *conditiones* ad eius valorem et liceitatem requisitae.

Conceptus propriae et alienae dioecesis. Cum Codex non absolute prohibeat clericis dioecesis mutationem, sed tantum desertionem propriae dioecesis sine adscriptione facta alteri dioecesi vel alicui religioni, quo clericus fieret *vagus* seu acephalus, *incardinationi,* quae cum interventu Superioris, non privata voluntate, fit, respondet tanquam actus contrarius *excardinatio,* quae pariter non dependet a privata voluntate clerici, sed per actum Superioris fieri debet.

Respectu quidem *laicorum* conceptus *propriae* et *alienae* dioecesis est facilis. *Propria* dioecesis illa est, in qua sive dioecesanum sive paroeciale habet domicilium vel quasi-domicilium. Quam propriam dioecesim potest laicus independenter a consensu Superioris ecclesiastici libere relinquere per desertionem domicilii, sive cum adquisitione novi domicilii in *alia* dioecesi, per quam haec nova dioecesis fit *propria,* sive etiam sine adquisitione novi domicilii, tumque fit vagus seu propria dioecesi carens; quamvis ne maneat sine ullo Superiore ecclesiastico, quo tempore vagus est, provisorie subiicitur Ordinario loci, ubi actu commoratur, tanquam *proprio* Ordinario (can. 94, § 2).

At cum clerici iure praecedenti *plures* possent habere Episcopos *proprios* a quibus ordines reciperent, conceptus dioecesis *propriae* et *alienae* respectu clericorum erat minus praecisus. Principium quidem erat, ne quis Episcopus subditis *alienis* ordines conferret; sed Episcopus, quocumque ex titulis admissis esset *proprius,* non *alieno* sed *proprio* subdito ordines conferebat[18]. Quibus accedebat, quod quilibet ordinandus, saltem seclusa fraude, liberam haberet facultatem eligendi unum ex variis competentibus Episcopis, imo poterat unum ordinem ab uno Episcopo competente, alium ab alio petere[19]; cum vero Episcopus originis, si subditus dioecesim originis reliquisset, in plerisque aliis rebus non esset amplius competens, puta quoad iudicia, quoad matrimonia etc., quoad collationem ordinum adhuc suam competentiam retinebat. Porro ad Episcopum *titulo proprio* pertinet augere numerum *suorum* clericorum, non clerum alterius dioecesis. Poteratne ergo clericus habere plures dioeceses *proprias,* et sic per illas libere vagari? Non probatus nec acceptus in una ex illis dioecesibus, poterat ab eius Episcopo extrahi a numero suorum clericorum, et sive sponte sive coactus redire ad alium Episcopum proprium, qui eum invitus recipere teneretur? Poterat unus Episcopus proprius ab alio Episcopo proprio suum clericum reclamare? Hae quaestiones difficilem habebant solutionem per principia iuridica.

Hae difficultates per Codicem penitus sublatae sunt, si quae de incardinatione hoc titulo sanciuntur conferantur cum iis quae de Episcopo proprio relate ad ordines suo loco (can. 956 sq.) sunt constituta. *Laicus* debet pro una determinata dioecesi ordinari, non absolute sine respectu ad dioecesim (can. 969); cui determinatae dioecesi per receptionem tonsurae incardinatur (can. 111, § 2) sicque fit dioecesis ipsius *propria* et unica propria[20*]. Porro talis laicus pro ordinatione seu pro tonsura reci-

[18] Iure antiquo Episcopus videtur fuisse competens ex titulo *baptismi sive nativitatis spiritualis* (can. 24, Conc. Illiber a. 300-306; c. 1 sq. D. 93; c. 1. D. 73; *Hoffmann,* in Act. theol. Oenipont. t. XXIV, p. 115, 112 sq.) vel ex titulo *domicilii* sive diuturnae habitationis (Conc. Carthag. a. 345-348; c. 9, Conc. Arausic. I, a. 441; c. 16, Conc. Roman. a. 402; *Hoffmann,* l. c. p. 115), vel ex titulo *ordinationis.* Qui ultimus titulus quoad clericos, propter necessitatem adscriptionis servitio determinatae ecclesiae, excludebat alios titulos. Iure Decretalium tituli erant: *origo naturalis, domicilium, beneficium,* et post Conc. Tridentinum et *Innocentium XII* etiam titulus *familiaritatis;* inde, etiam in clerico, libertas optionis inter varios titulos.

[19] Cfr. S. C. C. in caus. Fundana 27 Feb. 1666; Conc. Trid. ed. *Richt.,* p. 186; Const. *Speculatores,* § 3; *Many,* De sacr. ordinat. n. 42.

[20*] Si vero aliquis laicus a proprio Episcopo promoveatur ad primam tonsuram in servitium alicuius dioecesis determinatae de consensu huius

pienda, qua clericus fiat, non habet nisi unicum Episcopum proprium, sc. *originis*, si locum originis non reliquit, *domicilii qualificati* per iuramentum, si originis locum reliquerit (can. 956). Iam factus clericus ideoque determinatae dioecesi incardinatus, hanc unicam habet ut *propriam*, ceterae sunt *alienae*, in quas transire non possit, nisi servatis regulis de excardinatione et incardinatione hoc titulo traditis.

62. Divisio excardinationis et incardinationis. Incardinatio et excardinatio potest esse *expressa* seu *formalis* et *tacita* seu *virtualis*. Prima fit per actum Superioris competentis debitis sollemnitatibus vestitum; altera exurgit ex ipsa iuris dispositione ex facto, cui illa vis a iure tribuitur.

De incardinatione formali et expressa. Clerici iam per primam tonsuram in determinata dioecesi, pro qua promotus fuit, incardinati in alienam dioecesim translatio generatim fieri debet per formalem excardinationem a prima et incardinationem formalem in alia [21], i. e. per *litteras* ab Ordinario dimittente subscriptas, quibus declaret se suum clericum *perpetuo* et *absolute* a sua dioecesi dimittere, et per *litteras* Ordinarii recipientis, quibus declaret se clericum ita ab alio dimissum *perpetuo* et *absolute* in suam dioecesim recipere seu adscribere (can. 112). *Ordinarius* autem in hac re est ipse Episcopus (vel respective Praelatus *nullius*), non autem Vicarius Generalis, nisi ad hoc habeat mandatum speciale, nec Vicarius Capitularis, nisi iam elapsus fuerit annus a vacatione sedis et insuper consensum Capituli obtinuerit aut, deficiente Capitulo, consultorum dioecesanorum (can. 113, 427). Est idem principium quod observatur pro ordinatione clerici proprii, ad quam litteras dimissorias non potest dare Vicarius Generalis sine mandato speciali nec Vicarius Capitularis nisi post annum a sede vacante (can. 958, § 1, n. 3); sicut enim per ordinationem augetur numerus clericorum, ita per incardinationem clerici alieni.

Episcopi, eo ipso huic dioecesi incardinatus manet. Comm. Cod. 24 Iul. 1939; A. A. S., XXXI, 321; cfr. Period., XXIX, 141.

[21] Cfr. S. C. C. in caus. Romana et aliarum 15 Sept. 1906, in qua decisum fuit per Decr. « A primis » abrogatum fuisse modum quendam incardinationis *praesumptae* sine formali incardinationis documento, prout eam Synodus Baltimorensis III admiserat et probaverat; quae ex iure Codicis pariter videtur exclusa.

Excardinatio et *incardinatio* ita sunt inter se connexae, ut excardinatio effectum non sortiatur nisi incardinatione secuta in alia dioecesi, nec incardinatio effectum habeat nisi praecesserit excardinatio legitime facta: quare Ordinarius incardinans Ordinarium dimittentem quantocius de incardinatione facta certiorem reddere debet (can. 116, 117, n. 2°). Qua connexione et dependentia inter excardinationem et incardinationem efficitur, ut ne momento quidem temporis clericus ab una in aliam dioecesim ita transiens fieri possit vagus, quippe reipsa incardinatio pendet a valida excardinatione tanquam a conditione sine qua non, et vicissim excardinatio simili modo pendet a subsecuta incardinatione.

63. Requisita ad expressam excardinationem et incardinationem. I. *Excardinatio* fieri nequit sine iustis causis (can. 116), quales esse possunt: necessitas, quam dioecesis admittens habet ministerii illius, qui incardinationem postulat, vel utilitas inde expectata; minor utilitas vel necessitas ex parte dioecesis dimittentis; infirma valetudo clerici, quae mutatione confirmanda censeatur, etc.

II. Pariter ad *incardinationem* requiritur: 1°) Quod necessitas vel utilitas dioecesis recipientis illam exigat, quae sicut est unica ratio augendi per ordinationem cleri (can. 969, § 1) ita eodem modo urget pro allectione clerici alieni (Decr. *A primis*, n. 4°). 2°) Requiritur ut caveatur de titulo ordinationis in nova dioecesi, si clericus transiens sit in maioribus ordinibus constitutus [22]. 3°) Episcopus incardinans non solum debet habere au-

[22] Tituli ordinationis (Cfr. can. 979 sq.) sunt: *beneficium*; subsidiarie, *patrimonium* aut *pensio*; iis quoque deficientibus, *servitium dioecesanum*. Si clericus transiens in dioecesi *a qua* pro titulo habebat beneficium residentiale, clarum est quod titulum illum per transitum in aliam dioecesim debet amittere, nisi uterque Episcopus consentiat ut, non obstante excardinatione et incardinatione, per aliquod tempus retineat beneficium in eo loco residendo; cuius beneficii dimissio nequit fieri, nisi substituendo alium titulum ad normam can. 1485. Quodsi beneficium non sit residentiale, per se nihil obstaret quominus non obstante transitu illud retineret, quamvis non est facile quod Episcopus excardinans in excardinationem consentiat cum retentione beneficii, quod potius optabit reservari suis clericis, et tunc pariter dimissio fieri non poterit, nisi substituendo alium titulum; atque idem fere dicatur de pensione. Titulus patrimonii nullam affert difficultatem, cum sit independens a muneribus in

thenticum documentum de obtenta legitima excardinatione, exclusa mere orali manifestatione, sed habeat praeterea necesse est a Curia dimittente, sub secreto, si opus sit, opportuna testimonia de natalibus, vita, moribus clerici recipiendi, maxime si agatur de incardinandis clericis diversae linguae et nationis. 4°) Tandem clericus coram Ordinario aut eius delegato iurare debet se in perpetuum velle addici servitio novae suae dioecesis (can. 117, 3°).

Enumerata requisita, non excepto iuramento incardinandi, pertinent ad *liceitatem* non ad validitatem transitus [23].

64. *Incardinatio et excardinatio tacita seu virtualis* habetur per collationem beneficii residentialis ab Ordinario clerico alieno facta, si illa collatio facta est cum consensu a proprio clerici Ordinario in scriptis dato, vel cum licentia ab ipso pariter in scriptis obtenta e dioecesi in perpetuum discedendi (can. 114). Illa collatio beneficii residentialis, si beneficium sit *perpetuum* seu inamovibile [24], est factum externum tam facilis et evidentis probationis quam litterae incardinationis ab Ordinario subsignatae, praesertim cum ex dispositione iuris scripto consignari debeat (can. 159, iunct. can. 146, 1413, § 2); porro obligatio residendi ex una parte et ex alia parte subiectiva perpetuitas beneficii includunt perpetuam et absolutam addictionem servitio dioecesis Ordinarii conferentis; quare *tacite* et *implicite* in Ordinario conferente habetur quidquid requiritur ad formalem et expressam incardinationem, et ob similem rationem in Ordinario consen-

dioecesi habitis. Tandem titulus servitii dioecesani evidenter deficit in transitu ideoque postulat substitutionem novi tituli; qui si expresse non substituatur, videtur esse applicandus can. 980, § 2.

[23] Cfr. can. 11, iunct. dec. S. C. C. in caus. Bismarckien. et aliarum, 31 Ian. 1913, A. A. S., V, p. 35 sq. et decis. S. R. R. in caus. London., 9 Ian. 1912 in A. A. S., IV, p. 249 sq. Formularia apta pro litteris incardinationis et excardinationis exhibet *Ferreres*, Comp. Theol. mor. vol. II, p. 814.

[24] Cfr. can. 1438. Ob allegatas legis rationes tacita incardinatio non est dicenda contineri in collatione beneficii *manualis temporarii* seu *amovibilis*, S. C. C. in caus. Viterbien. 14 Iulii 1905, in A. S. S., XXXIX, p. 207 sq. Paulo aliter *Chelodi*, qui insistit in hoc quod conditio perpetuitatis expresse non ponitur et idcirco in nota vocat hunc canonem incautis Episcopis periculosum. Cfr. caus. Adrien., 11 Iul. 1925 in A. A. S., XVIII, 55.

* Negat etiam *Creusen*, Ius pont., 1935, 37, necessitatem collationis beneficii inamovibilis ut tacita incardinatio habeatur.

tiente seu licentiam praebente quidquid praestatur per formalem et expressam excardinationem [25*].

65. *Effectus*, qui sequitur ex transitu per incardinationem sive expressam sive tacitam facto, ille est quod Episcopus dimittens non amplius possit reclamare clericum ut suum, nec is exigere ut in eius dioecesi admittatur; itemque Episcopus recipiens non potest remittere clericum receptum ad Episcopum dimittentem contra huius voluntatem, at potest impedire ne clericus in aliam dioecesim migret, perinde ac ceteros clericos qui originario titulo ad suam dioecesim pertinent.

66. De religiosis ratione excardinationis et incardinationis. Per religiosam professionem, sive votorum sollemnium sive simplicium, dummodo vota sint *perpetua*, religiosus *ipso facto* excardinatur a propria dioecesi et perpetuo ex ipsa natura votorum perpetuorum adscribitur religioni in qua professus est (can. 115, 585). Quae vis professioni votorum *temporaneorum* non competit, sed talibus votis ligatus manet adhuc propriae, quam reliquit, dioecesi incardinatus, donec perpetuam professionem, ad quam plerumque ordinatur temporanea, emiserit.

Quare religiosus clericus dimissus vel quacumque ratione *post vota temporanea* egressus, siquidem sit in maioribus ordinibus constitutus, debet ad propriam dioecesim nondum amissam redire; si vero in minoribus sit constitutus ipso iure reducitur ad statum laicalem, ideoque perinde ac ceteri laici nulli dioecesi manet incardinatus, sed liber est ut in qualibet dioecesi, servatis servandis, suum domicilium constituat (can. 641, § 1, 648, 669, § 1). — Dimissus vero vel saecularizatus *post professionem votorum perpetuam*, si sit in sacris ordinibus constitutus, dioecesim, a qua per professionem perpetuam excardinatus fuerat, non recuperat, ita ut eius Ordinarius eum recipere teneatur: quare *dimissus*, qui adhuc votis religiosis adstrictus maneat (can. 669, § 1), generatim (ad normam can. 671, 672, § 1), post emendationem tenetur ad claustra redire; si vero ipsius vota in dimissione cessarunt (praeter casum exceptum can. 670), tractatur

[25*] Ordinarii proprii consensus aut venia, de quibus in c. 114, videntur debere dari *scripto* ut valeat tacita excardinatio. Ita *Ojetti*, Comm. in Cod. III, p. 37. Hanc sententiam ut probabiliorem habet *Creusen*, Epit. I, n. 239.

ut religiosus gaudens indulto *saecularizationis*, qui Episcopum benevolum receptorem quaerere debet, a quo suscipi *potest*, sive pure et simpliciter, et haec receptio ex iuris dispositione habetur ut *tacita incardinatio*, sive pro experimento, et etiam in hoc casu post unum et alterum triennium probationis manet *tacite incardinatus*, nisi antea fuerit dimissus (can. 669, § 1, iunct. can. 672, § 2, et can 641, § 2).

Per tales iuris dispositiones in praxim deducitur principium can. 111, § 1, de adscriptione clerici in aliquam dioecesim vel in aliquam religionem; quodsi adhuc est rarus casus in quo non verificatur determinata adscriptio clerici religiosi in maioribus, huic manet prohibitum exercitium ordinum, donec S. Sedes aliter providerit.

67. Scholion I. Si per primam tonsuram dicitur laicus fieri clericus et incardinari illi dioecesi pro qua promotus fuit, non tamen Episcopus potest quemlibet laicum ita pro se promovere et incardinare [26*]; sed eius potestas ad illos solos laicos extenditur, qui antecedenter sunt ipsius subditi ad normam can. 956. Quare si Episcopus pro se promoveret laicum non sibi subiectum, ratione originis cum domicilio vel ratione domicilii qualificati, committeret usurpationem adversus proprium Episcopum, cui reclamanti clericum ita male promotum deberet restituere.

Scholion II. Utrum iure Codicis possint incardinari laici ad tenorem Decreti S. C. C., 24 nov. 1906 (iunct. decis. S. C. C. in caus. Rom. et aliar., 15 sept. 1906), cum illa iuris praecedentis dispositio haberet respectum ad sortiendum Episcopum proprium pro sacra ordinatione, in propria sede materiae, ubi de ordinationis ministro, erit discutiendum. Cfr. Acta S. S., 39, pag. 486 sq., 600 sq.; *Many*, De sacr. ord., n. 71.

Scholion III. Circa demigrationem clericorum in certas regiones transmarinas eorumque in dioecesibus illarum regionum incardinationem, standum est Decr. S. C. Cons. *Magni semper*, 30 dec. 1918 in A. A. S., X, pag. 39 sq., iunct. eiusdem S. C. Decr. *Ethnographica Studia*, in A. A. S., VI, pag. 182 sq. Cfr. *Ferreres*, in « Razon y Fe », vol. 41, pag. 217 sq., 105 sq.

[26*] Haec sententia est iam authentice confirmata per declarationem factam a Comm. Cod.; 17 Febr. 1930; A. A. S., XXII, 195.

TITULUS II.

De iuribus et privilegiis clericorum (can. 118-123)

68. **Fontes:** Decret. Grat. D. 21, 22, 23 sq.; C. XI, q. 1; C. XXI, q. 5. — Cpl. I, l. I, t. 25, de M. et O.; cpl. II, l. I, t. 15, ead. r.; cpl. III, l. I, t. 21, ead. r.: cpl. IV, l. I, t. 14 ead. r.; cpl. V, l. I, t. 18, ead. r. — Decret. Gregor. IX, Lib. I, tit. 33, de maiorit. et obed.; lib. II, tit. 2, de foro comp.; lib. III, tit. 49, de immun.; lib. V, tit. 39, de sent. excom. Decr. Bonif. VIII, l. I, t. 17, d. M. et O.; Extravg. com. l. I, t. 8, ead. r. (Const. *Unam sanctam*). — Conc Trid. Sess. XXV, cap. 13 de ref.; Sess. XXV, cap. 17, de ref. — Decret. Clem. VIII, ed. *Sentis*, p. 32 sq. — Collectan. S. C. de Prop. F. et Act. S. Sed. v. v. Praeced., Privil. cleric.; *Nussi*, Convent. p. 4, 161, 176, 220.

Scriptores: Commentat. in cit. tit. iur. Decret. — *Zech*, Hierarch. eccles. tit. 5, de privil. cler.; *Devoti*, Inst. canon. l. I, t. 1, 2; *Scherer*, l. c. t. I, § 71. — *Del Bene*, De immunit. et iurisd.; *Antonellus*, De iurib. et onerib. clericor.; *De Grassis*, De eflectib. clericat.; *Ferraris*, Bibl. v. v. Clericus art. 2, 7, Praeced.; *Anal. iur. pont.*, VIII, p. 1789. — *Ferreres*, Inst. I, n. 251 sq.; *Verm.-Cr.*, Epit., I, n. 240 sq.; *Maroto*, Inst. I. C. n. 500 sq.; *Chelodi*, De person., n. 109 sq.; *Thomassin.*, l. c. P. III, l. 1, cap. 33 sq.; *Kraus*, Real-Encykl. v. v. Honor cathed., Immunitates, Privileg.; *Blat*, Commentarium in C. II, n. 52 sq.; *Ojetti*, Comm. in Cod. III, p. 41.

69. Notio et divisio. *Iura* clericorum hoc titulo intelliguntur universus ille *complexus* facultatum moralium sive iurium subiectivorum, omnibus clericis communium *vi sui status clericalis*, aliquid agendi vel omittendi vel exigendi. Quae iura cum *speciales* continere soleant *favores* solis clericis concessos, dicuntur etiam *privilegia* vel *iura singularia* clericorum. Solent iura vocari *praerogativae*, *privilegia* vero immunitates. Sane *immunitas* personalis (de reali et locali alibi est sermo) est privilegium, quo personae ecclesiasticae a *communi onere* eximuntur, i. e. quod lege *civili* a Statu subditis suis promiscue imponitur, et ad hanc immunitatem reduci possunt privilegium canonis et fori et exemptio a servitio militari et a certis muneribus et officiis publicis.

Quae iura vel privilegia clericorum sunt *divina* aut *humana*, quatenus ordinatione *divina* aut concessione *humana* nituntur. Praeterea alia immediate ipsa *natura ritus* ordinationis obtinentur, alia extrinsecus per *iuris* dispositionem. Quatenus *ritus* ille

a Christo institutus est, etiam *iura* per illum collata ex *Dei* ordinatione sunt repetenda; at si *Ecclesia* ritum instituit, ex *iure* tantum *humano* privilegia consequuntur. Denique nihil obstat quominus clerici etiam concessione potestatis *civilis* singularia obtineant iura.

De origine sive historica sive iuridica immunitatum in genere agunt scriptores iuris publici ecclesiastici, v. gr. *Cavagnis, Inst. iuris publici eccl.*, II, p. 323 sq., 332 sq., *Cappello*, Summa iuris publ. n. 495 sq. De singulis immunitatibus et privilegiis agetur in explanatione respectivi canonis.

Caput I

De potestate clericorum (c. 118)

70. I. Cum omnis ordinationis ritus, quo quis *post* receptam tonsuram assumitur ad gradum quendam clericalem, conferat verum *ordinem, principalis effectus* ordinationis est *potestas* quaedam ordinis sive ius saltem valide perficiendi ex officio et *vi ordinis* sacras quasdam functiones illi ordini proprias; ut autem ordinationem recipere quis possit, requiritur ut iam per primam tonsuram sit factus clericus. At per simplicem ordinationem non acquiritur ulla *potestas iurisdictionis spiritualis*, sive ius regendi subditos in Ecclesia, sed tantum *capacitas* recipiendi iurisdictionem ecclesiasticam[1]; ideoque ex iure communi hoc can. 118 expresso *soli clerici*, saltem prima tonsura insigniti, sunt habiles ad accipiendam iurisdictionem ecclesiasticam; verumtamen ut *actu* gradum quendam iurisdictionis obtineant, insuper opus est legitima *concessione officii* ecclesiastici aut speciali *delegatione*, quibus missio canonica concedatur sive iurisdictio *iniungatur* (can. 109).

II. *Potestas ordinis a gratia sanctificante*, quae eodem ritu ordinationis in tribus ordinibus vere hierarchicis ex opere operato confertur, plane independens est; aliunde vero obtineri nequit, nisi ordinatio saltem *valide* sit facta.

[1] *Tarquini*, Inst. iur. eccl. publ. p. 84; *Palmieri*, De Rom. Pontif. p. 59 sq.

Quae res manifesta est, si agatur de potestate ex *divina institutione* cum tribus ordinibus *hierarchicis* indubitanter coniuncta. Illa enim potestas iuris divini necessario in subiecto supponit characterem sacramentalem, qui sola ordinatione valida imprimitur. Potestas vero ordinis, quae potius ex *institutione Ecclesiae* ordinibus *hierarchicis* est concessa, v. g. facultas perficiendi certas consecrationes vel benedictiones ecclesiarum, etiam aliqua ratione in charactere sacramentali suum habet fundamentum. Etenim *Ecclesia* huiusmodi facultatem concedere *non vult,* nisi per *validam* ordinationem, qua imprimitur character sacramentalis, etiamsi eandem facultatem *absque* ulla ordinatione directe concedere *posset*[2].

III. Ordinationes *infra diaconatum* cum probabilius vera sacramenta non sint, sed potius sacramentalia, veros quoque characteres sacramentales non imprimunt; hinc si *valide* factae sint, dant potestatem ordinis solo iure *humano* institutam et suis *limitibus* circumscriptam.

IV. Functiones sacrae per ordinationes illas *inferiorum* graduum concessae, quamvis per se etiam a personis ecclesiasticis non ordinatis exerceri possint, tamen *iure* quodam *proprio,* ex vi muneris sive *ex officio* et perfecto modo, solis *ordinatis* clericis competunt. Laici etiamsi extraordinarie sacramentum baptismi administrare possint et ministri sint sacramenti matrimonii, huiusmodi habilitatem ad exercendas sacras illas functiones non *vi alicuius ordinis* habent ideoque inter clericos non reputantur. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 17, de ref. circa exercit. ord. minor. iunct. *Gasparri*, l. c. n. 1140.

V. *Generatim* sustineri potest ordinem inferiorem *eminenter,* non *formaliter* vel *aequivalenter,* contineri in ordine *superiore,* velut ordines minores in diaconatu et potestatem *diaconi* in ordine presbyteratus. Inde autem non sequitur etiam potestatem

[2] Conc. Trid. l. c. can. 3, 4, 7 et cap. doctr. 3, 4, eiusd. Sess.; cap. 1, 3, X. de sacram. non iter. I, 16; c. 1, D. 68; *Gasparri*, l. c. n. 1129 sq., 1137 sq., 798 sq. et n. 2 sq.; *Scherer*, l. c. t. II, p. 597 sq., 599 sq., not. 16; *Hinschius*, l. c. t. I, p. 117 sq., 83, 84, parum accurate de doctrina catholica et eius definitione disputat simulque, l. c. p. 84, not. 1, sine ullo argumento solido allato asserit haesitationem Romanorum Pont. in quaestione de nullitate ordinum « *evidenter* » motivis *politicis*, non dogmaticis et iuridicis fuisse causatam.

sacerdotalem eminenter *conferri* in consecratione *episcopali*. Etenim ordo episcopalis quoad potestatem est merum complementum ordinis presbyteratus eumque essentialiter *supponit*, ita ut per se et independenter ab illo existere omnino non possit.

Similiter ordines infra diaconatum non certo *semper* continentur eminenter in nobiliore ordine inferiore, v. g. ordo exorcistatus, si omissus fuerit, in ordine subdiaconatus [3].

71. Quibus praemissis de potestate clericorum *in genere*, facilius explicatur *singulorum graduum* potestas.

I. Clerici tantum tonsurati nullam habent potestatem *ordinis*, quoniam per primam tonsurationem nullus confertur *ordo*, cui certae functiones sacrae sint *vi illius ordinis* propriae. At ex collatione primae tonsurae haec sequuntur *iura*: Tonsurati:

a) *cessant* esse *laici* atque statui clericali adscribuntur verique fiunt *clerici;* cfr. Pontificale Rom. tit. de clerico faciendo;

b) superpelliceo induti possunt in *choro* ecclesiae assistere divinis officiis et ad altare recipere sacram communionem [4];

c) ad *supplendas functiones* minorum ordinum prae laicis sunt admittendi; cfr. Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 17, de ref.;

d) habiles fiunt ad acquirenda ecclesiastica *beneficia* et officia quae determinatum ordinem non requirant, dummodo habeant alias qualitates ad illa beneficia et officia requisitas; necnon ad obtinendas pensiones ecclesiasticas.

e) capaces sunt ad ordines suscipiendos, si Episcopus illos alias idoneos iudicaverit; cfr. can. 973, § 3.

f) gaudent intra iuris terminos *exemptione* a iurisdictione laica, privilegio canonis aliisque communibus clericorum privilegiis [5].

II. Clerici *minorum ordinum* praeter iura clericorum tonsuratorum potestate ordinis sunt instructi, quae verbis ritus ordinationis satis exprimitur. Praesertim *exorcistae* cavere debent, ne limites suae potestatis ex vigenti Ecclesiae disciplina statutos transgrediantur [6], cum exercitium potestatis exorcizandi sit reservatum sacerdoti, peculiari et expressa Ordinarii licentia munito (can. 1151).

Multo magis clerici minores *prohibentur* quominus sacras functiones *subdiaconi* sollemniter exerceant, nisi speciali privilegio apostolico sint muniti, vel in casu necessitatis a S. R. C. permisso, sine manipulo vices suppleant subdiaconi in Missa sollemni [7].

Generatim vero ex disciplina nunc in Ecclesia vigente et iam ante Concilium Tridentinum recepta functiones ordinum minorum ordinarie etiam a viris laicis exerceri possunt, dummodo id non fiat *ex officio* sive per modum *sollemnis actus ordinis* [8]. Ipsi enim Patres Tridentini, qui ministeria ordinum minorum nonnisi per clericos in illis ordinibus constitutos exerceri voluerunt, huic rei efficiendae impares fuerunt, quamvis permitterent ut, si clerici caelibes praesto non essent, etiam coniugati vitae probatae suffici possent, dummodo non essent bigami, ad ea munia obeunda idonei iudicarentur et tonsuram et habitum clericalem in ecclesia gestarent. Cfr. Conc. Trid. l. c.; *Gasparri*, l. c. 1140. Nostra igitur aetate ordines minores tantum suscipiuntur, ut per eos *via* pateat ad ordines maiores. Cfr. can. 973, § 1. *Schmalzgr.*, l. c. l. III, t. 1, n. 10, 11.

III. *Subdiaconi* exercent functiones ministerii altaris in sacra ordinatione expresse sibi traditas, praeterea deferunt crucem in processionibus, sollemniter sive *ex officio* iam recitant horas canonicas et in Ecclesia orientali per ordinationem suam simul deputantur ad exercendas functiones *acolythi* et *ostiarii*.

[3] Cfr. Benedict. XIV, Const. *Etsi Pastoralis*, 26 Maii § 7, n. VII, de ordinibus minoribus, qui apud Graecos formaliter aut saltem aequivalenter existunt; *Gasparri*, l. c. n. 495, 1146.

[4] Cfr. cap. 1, X. de vita et honest. III, 1; *Kraus*, l. c. v. Honor cathedrae; *Kober*, D. Deposit. p. 57 sq.

[5] Cfr. cap. unic. de cleric. coniug. III, 2, in Sext.; Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 6, de ref.; *Zech*, l. c. § 110.

[6] Cfr. de iure antiquo: D. 1, D. 21; c. 1, D. 25; c. 16 sq. D. 23; Pontif. Rom. in collatione singulorum ordinum minorum; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II, col. 242 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 141 sq., 192 sq.; *Zech*, l. c. §§ 114 sq.; *Gasparri*, l. c. n. 1137 sq.; *Many*, l. c. n. 14, p. 46 sq.

[7] S. R. C. 5 Iul. 1698, 22 Iul. 1848 et 17 Iul. 1894, in *Decret. auth.*, n. 2003, 2965, 3535; Conc. prov. Vienn. (a. 1858) et Conc. prov. Prag. (a. 1860) in Collect. Lac. t. V, col. 173, 434. Quae potestas *concionandi* clericis inferiorum ordinum concedi possit, determinat can. 1342, § 1. Cfr. Conc. prov. Prag. l. c.

[8] Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 17 de ref.; *Suarez*, De censur. disp. 12, sect. 2, n. 9 sq.; *Scherer*, l. c. t. I, p. 318; *Hollweck*, l. c. § 261.

Cfr. Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 2, de ref., Sess. XXIII, cap. 13, de ref.

IV. *Diaconorum* potestas *ordinis* iuxta probatam Ecclesiae disciplinam [9] pariter facile intelligitur ex ritu ordinationis. Generatim tamen diaconi, etsi in ordinatione accipiunt characterem indelebilem, tamen minime ut Episcopi et presbyteri vi ordinationis acquirunt potestatem in *certas* functiones sacras ex iure divino ita ordini diaconatus alligatas, ut illae absque ordine diaconatus nullatenus *valide* exerceri possint. Ordo igitur diaconatus non dat *absolutam* quandam potestatem ad certa ministeria ecclesiastica, sed tantum concedit facultatem ut functiones ab Ecclesia commissae *ex officio* et pro *dignitate* et *congrua ratione melius* exerceantur. Cfr. Conc. Trid. Sess. VII, can. 9, et Sess. XXIII, can. 4, et cap. 4; *Theol. Wirceburg.*, De sacram. ord. n. 75 sq., 83; *Palmieri*, l. c. p. 93 sq.; *Pesch*, l. c. 636 sq. 640; *Bouix*, De princip. iur. can. p. 535; *Gasparri*, l. c. n. 1150.

In specie *diaconis* competit potestas ministrandi *sacerdoti* in sollemni celebratione sacrificii Missae et in administratione sacramentorum aliisque sacris functionibus. Cfr. c.1, D. 25. Minime igitur diaconis propria est ipsa potestas *sacrificandi* [10]. At diaconi non prohibentur quominus, ex *commissione* Episcopi vel parochi, licite administrent sacramentum *eucharistiae* tanquam veri huius sacramenti ministri extraordinarii. Quae licentia ex causa gravi est concedenda et si adest casus necessitatis, v. gr. quia nullus sacerdos adest, qui eucharistiam commode dare possit, ex ipsa iuris dispositione praesumitur (can. 845, § 2). Imo in casu *extremae* necessitatis diaconi *absque* ulla commissione Episcopi vel parochi licite eucharistiam administrant. Hinc diaconus, si *extra* casum *gravis* necessitatis etiam cum licentia Episcopi vel parochi, illegitime data, eucharistiam administrat, certe illicite agit, sed irregularitatem non incurrit; exercet enim actum sui ordinis [11].

[9] Antiquis temporibus profecto diaconi *etiam* potestatem *ordinis* sibi omnino non competentem haud raro usurparunt. Cfr. c. 15, Conc. Arelat. a. 314 et c. 18, Conc. Nicaen. a. 325, iunct. *Hefele*, l. c. t. I, p. 213 sq., 424 sq.; *Phillips*, l. c. t. I, §§ 36, 37.

[10] Cfr. cit. can. Conc. Arelat. et Nicaen. in not. 9; cap. 2, X. de cler. non ord. V, 28.

[11] Cfr. can. 985, 7°; *Suarez*, De cens. disp. 11, sect. 3, n. 24; *Scherer*, l. c. § 68, not. 81; *Gasparri*, l. c. n. 341, 1154; aliter *Hollweck*, l. c. § 261.

Pariter diaconi baptismi sollemnis sunt ministri extraordinarii, qui tamen hac sua potestate uti non debent sine loci Ordinarii vel parochi licentia; quae licentia in casu necessitatis a iure praesumitur, extra casum necessitatis, solum ex iusta causa concedi potest (can. 741) [12]. Hinc diaconus sane *illicite agit*, si *extra* casum necessitatis aut non obstante gravi necessitate *sine* legitima commissione baptizet, at idcirco irregularitatem non contrahit [13]. Nam vi ordinationis suae diaconum oportet non solum *ministrare ad altare*, sed etiam *baptizare*.

Alia sacramenta, sc. confirmationis, poenitentiae, unctionis, ordinis, diaconus neque licite neque valide administrare valet. Quare diaconi ex probata Ecclesiae catholicae doctrina et disciplina nunquam fuerunt ministri *poenitentiae sacramentalis*, sed tantum in poenitentia publica et canonica suas partes habuerunt. Cfr. c. 32, Conc. Illib. (a. 300-306) iunct. *Hefele*, l. c. t. I, p. 172, et t. V, p. 1009, ubi in nota minus accurate loquitur.

Denique administratio *sacramentalium* ab Ecclesia diaconis generaliter non est permissa; sed tantum possunt administrare sacramentalia, quae ipsis in libris liturgicis conceduntur aut quae occurrunt in sacramentis, quae ab ipsis legitime conferuntur (can. 1147, § 4, 1153). Cfr. cit. decr. S. R. C. 20 Febr. 1888 et *Thesaur.* De poen. v. Bapt. cap. 3; de *praedicatione* diaconi: *Devoti*, Inst. can. l. I, t. 2, sect. 2, § 24 sq. ubi § 27 etiam aliae functiones recensentur in *antiqua* Ecclesia diaconis commissae.

V. Presbyteri ex *divina* institutione per sacram presbyteratus ordinationem habent potestatem absolutam et indelebilem in his terris *celebrandi sacrificium eucharisticum* [14]. Saltem va-

[12] Paulo strictiorem necessitatem et graviorem causam exigebant c. 7, Conc. Roman., (a. 402); c. 13, D. 93, (Gelas.); S. R. C. 20 Febr. 1888; Rituale Rom., De sacram. bapt.; *Thesaurus*, De poen. P. II, v. Baptismus cap. 3, cum nota edit.; *Hefele*, l. c. t. V, p. 761, 796, 1009, 1052. Mitius vero *Gasparri*, l. c. 1153, cum aliis putavit istam licentiam *semper* diacono sicut *presbytero* etiam *citra necessitatem* delegari posse.

[13] *Gasparri*, l. c. n. 339; *D'Annibale*, Summula P. I. n. 411, not. 23; *Scherer*, l. c. et § 106 not. 2; *Doubrava*, in Arch. f. k. K. t. 62, p. 99 sq. aliique quibus alii communius, sed argumentis minime peremptoriis, contradicunt. Cfr. quoque *Thesaur.*, l. c. not. edit.; *Hollweck*, l. c.

[14] Conc. Trid. Sess. XXII, doctrina de sacrif. Missae, Sess. XXIII, vera et cath. doctr. de sacram. ordin.

lide tanquam *ministri ordinarii* administrant sacramenta *communionis* (can. 845) *baptismi* [15] et *extremae unctionis* [16], item *poenitentiae*, dummodo ad potestatem ordinis accedat iurisdictio [17]; quamvis ut licite agant pro baptismo indigent licentia parochi aut Ordinarii loci, quae a iure in casu necessitatis praesumitur, pro extrema unctione citra casum necessitatis eadem indigent licentia, quam tamen ex rationabili causa praesumere possunt (can. 738, 938, § 2). Denique ut *ministri extraordinarii* dispensant sacramentum *confirmationis*, si praeterea commissio apostolica aut speciali indulto aut iuris communis dispositione ipsis concedatur [18], et conferunt *ordines* [19] infra diaconatum, qui ex multorum opinione sunt sacramenta, si insuper indultum Sedis Apostolicae habeatur [20].

Praeterea presbyteri ex *institutione Ecclesiae* per ordinationem suam consequuntur potestatem vel habilitatem plura *sacramentalia* conficiendi sive iure quodam ordinario sive delegato ex accedente speciali commissione Episcopi vel etiam Romani Pontificis. Cfr. can. 1147; Ritual. Rom. et Pontificale Rom.

[15] Can. 738; Decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. VII, doctr. de sacram. in gen. can. 9, 10; Rituale Rom. l. c.

[16] Can. 938, Decret. pro Armen.: Conc. Trid. Sess. XIV, de sacram. extr. unct. can. 4. Imo in Ecclesia orientali presbyteri in actu administrationis extremae unctionis oleum infirmorum ex praxi a Sede Apostolica approbata benedicunt. Cfr. Benedict. XIV, Const. *Etsi pastoralis*, 26 Maii 1742 § 4, n. 1; *Papp-Szilágyi, Enchir.* P. II, § 79, p. 402 sq. Presbyteri vero ritus latini oleo a se, non ab Episcopo benedicto, etiam in extrema necessitate nec licite nec valide sacramentum extremae unctionis administrant. Cfr. S. C. Inqu. 13 Ian. 1611, 14 Sept. 1842, 15 Maii 1878, in Collect. S. C. Prop. F. n. 1146, 1149, 2176.

[17] Conc. Trid. Sess. XIV, doctrina etc. cap. 6, Sess. XXIII, de sacram. ord. can. 1, 4.

[18] Can. 782; Decret, pro Armen.; Conc. Trid. Sess. VII, doctr. de conf. can. 3. Cfr. de praxi Eccles. orientalis: Benedict. XIV, l. c. § 3; Collect. S. C. de Prop. F. n. 664, 674, 676 sq., 679 sq.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VII, cap. 9.

[19] Can. 951; Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 10, de ref.; cap. 11, X. de aet. I, 14; *Thesaurus*, l. c. P. II, v. Ordo, cap. 21; *Gasparri*, l. c. n. 1149, 941 sq., 798 sq.

[20] Decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. VII, doctr. de conf. can. 3, Sess. XXIII, vera et cath. doctr. de sacr. ord. can. 7; *Benedict. XIV*, l. c. cap. 8.

VI. *Episcopi* ex *divina* institutione vi consecrationis episcopalis obtinent absolutam et perfectam et indelebilem potestatem in his terris saltem valide conferendi *sacramenta ordinis* et *confirmationis*. Quam potestatem consequuntur, etiamsi ex qualicunque causa ordo diaconatus aliique ordines minores fuissent omissi, ut recte tenuit *Gasparri*, l. c. n. 1147, contra *Suarez*, De cens. disp. 42, sect. 4, n. 9, aliosque multos antiquos theologos et canonistas.

Quare in sententia eorum, qui tenent ordines infra diaconatum *ab Ecclesia* fuisse institutos, potestas Episcoporum conferendi ordines illos inferiores pariter ex concessione Ecclesiae gradu illo perfecto derivetur necesse est. Pari ratione potestas Episcopis reservata non pauca conficiendi *sacramentalia*, velut consecrationes ecclesiarum, ex institutione et concessione Ecclesiae est repetenda [21].

72. *Iura honorifica clericorum.* Praeter potestatem sacram inter iura clericorum recenseri possunt quidam honores ipsis debiti. Tales sunt locus proprius ipsis reservatus in *presbyterio*, qui antiquitus a sedibus populi per cancellos fuit distinctus et laicis non patebat, tituli quidam honorifici quo compellantur, v. gr. si clerici iam sacerdotio initiati titulo reverentiae honestantur aut aliis superioribus pro diversa ipsorum dignitate [22].

CAPUT II

De privilegio canonis clericorum (can. 119, 2343)

73. Notio. *Privilegium canonis* clericorum, quod etiam olim dicebatur simpliciter « *privilegium* » vel « *excommunicatio canonis* » [1], *nomen* suum sortitum est a canone 15 (= c. 29, C. XVII, q. 4) « *Si quis suadente diabolo* » Concilii Lateranensis II, a. 1139 ab *Innocentio II* celebrati; quoad *rem* vero consistebat

[21] *Schmalzgr.*, l. c. l. I, t. 15 de sacr. unct. n. 12; *Gasparri*, l. c. n. 1147; *Scherer*, l. c. t. II, p. 597 sq.

[22] Cfr. *Kraus*, l. c. v. Honor cathed.; *Kober*, D. Deposit. p. 9 sq., 38 sq., 11 sq.

[1] *Phillips*, l. c. t. I, § 60; *Aichner*, l. c. § 67; *Hueffer*, in Arch. f. k. K., t. 3, p. 155 sq.; *Hinschius*, l. c. t. I, p. 118 sq., t. V. p. 745 sq.

in *poena* excommunicationis maioris latae sententiae, Romano Pontifici simpliciter reservatae, *omnibus* inflicta, qui suadente diabolo in clericos vel utriusque sexus monachos violentas manus iniecissent [2], *ut personae* illae *ecclesiasticae* contra iniurias reales efficaciter protegerentur magisque redderentur inviolabiles. Quod privilegium substantialiter mansit in Codice (can. 119, 2343), licet hoc nomine non donetur. Nam in primo canone statuitur character sacer personarum ecclesiasticarum, quarum violatio per iniuriam realem inducat reatum sacrilegii, in altero tale delictum punitur excommunicatione praeter alias poenas.

74. Notae historicae. Clerici pro maiore sua dignitate et excellentia, tanquam personae sacrae, multo magis quam alii homines ab iniuriis realibus alieni sint oportet. Cuius dignitatis violationes cum primis saeculis certe non essent frequentes [3] et legibus Romanis postea satis viderentur proscriptae [4], novis et specialibus legibus ecclesiasticis opus non fuit.

Postquam religio christiana etiam apud populos barbaros, ad caedes et violentias promptiores, propagata est, vel ipsi clerici ab iniuriis realibus saepe non fuerunt immunes. Qua in re illi populi barbari dignitati status clericalis saltem ea ratione consuluerunt, quod homicidis vel mutilatoribus clericorum graviores imponerent *compositiones* et *poenas* [5]. Ecclesia vero eosdem malefactores severissimis subiecit poenitentiis [6] atque forte contumaciter satisfactionem detrectantes sententia excommunicationis innodavit [7].

Quae excommunicatio, ipso facto incurrenda, iam saeculo IX

[2] Pii IX Const. *Apost. Sed.*, n. 2, inter excom. simpl. R. P. reserv. iunct. n. 5, inter excom. special. R. P. reserv.

[3] Cfr. c. 28 Apost.; c. 11 Conc. Tolet. a. 400; *Phillips*, l. c.

[4] L. 10, L. 33, § 6, Cod. de Episc. I, 3.

[5] Lex Ripuar. tit. 36, Lex Baiuw. tit. 1, c. 8 sq.; *Scherer*, l. c. not. 21; *Sägmüller*, Lehrb. d. k. K. p. 186.

[6] Capitulare apud Theodon. villam a. 821; c. 24, Synod. Mogunt. a. 847 = c. 24, C. XVII, q. 4; c. 26, Synod. Wormat. a. 868; *Schmitz*, D. Bussbücher p. 355 sq.

[7] Cfr. c. 21, § 3, (c. 5, Synod. Ravenn. a. 877), c. 22, § 1, (*Alex. II*, a. 1061-1073) c. 23, *Nicol.* I, a. 860-867), C. XVII, q. 4.

ob maiorem criminis atrocitatem imprimis contra eos statuta est, qui *Episcopos* laederent vel occiderent [8].

Cum ob turbulenta tempora et bella privata saeculo XI tregua Dei (c. a. 1040) introduceretur, clerici atque monachi huсusque non leviter vexati novam acceperunt protectionem [9].

Non cessantibus violentiis in clericos et monachos, Concilium Lateranense ab Urbano II a. 1097 celebratum c. 6 excommunicationem maiorem, Romano Pontifici reservatam, inflixit omnibus, qui violentas manus in *clericos* vel *monachos* iniecerent. Quoniam autem ex saeculo duodecimo in diversis regionibus duces sectarum haereticarum atque praesertim Arnoldus Brixiensis in clericos saevirent [10], *Innocentius II* a. 1130 in Concilio Claromontano c. 10 eandem poenam excommunicationis innovavit atque pariter ad violatores *omnium* clericorum et monachorum *extendit*. Denique idem Romanus Pontifex in Synodo Remensi, a. 1131 c. 13, promulgavit celeberrimum decretum *Si quis suadente diabolo,* quod deinde can. 15 Conc. Lateran. II, a. 1139 sub *Innocentio II* congregati, sollemniter pro universa Ecclesia confirmatum est [11]. Excommunicatio ista, quae iam vi verborum canonis 15 est *latae*, non tantum *ferendae* sententiae, compluribus capitibus Decretalium *Gregorii IX*, (cap. 7, 14, X. de sent. excom. V, 39), tanquam poena ipso facto incurrenda *supponitur* et tandem etiam ad *mandantes extenditur* [12]; in Sext. autem in odium clericorum, qui non incedunt in habitu et tonsura, potius *limitatur* [13].

In decreto Martini V *Ad vitanda,* favor concessus fidelibus quoad excommunicatos non *denuntiatos* non fuit extensus etiam ad *notorios* percussores clericorum [14].

[8] Cfr. c. 14 Synod. Roman. a. 862, vel 863, (*Hefele*, l. c. t. IV, p. 260)

[9] *Hefele*, l. c. t. IV, p. 698 sq.; cap. 2, X. de tregu. et pace, I, 34.

[10] *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 13, n. 4; *Hefele*, l. c. t. V, p. 442 sq., 514.

[11] Ita recte *Phillips*, l. c. t. I, § 90, p. 660; *Scherer*, l. c. p. 395; *Sägmüller*, l. c. p. 186, not. 6, contra *Berardi*, *Hüffer* aliosque.

[12] Cap. 6, X. de sent. exc.; *D'Annibale*, l. c. n. 184, not. 5; *Bucceroni*, Comment. de Const. *Apost. Sed.*, n. 48.

[13] Cap. un. de cleric. coniug. III, 2 in Sext.; cfr. de amissione privilegii clericalis: cap. unic. de vit. III, 1, in Sext.; cap. 1, de vit. III, 1, in Clem.

[14] *Kober*, D. Kirchenb. p. 248 sq.; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 505 sq., 509.

Concilium Tridentinum [15] sanctiones iuris Decretalium de isto privilegio non immutavit, nisi excipias clericos coniugatos, quibus privilegium canonis et fori tantum reliquit, si iidem praeter conditiones a *Bonifacio VIII* statutas etiam servitio alicuius ecclesiae ab Episcopo deputarentur. Tandem circa ambitum huius privilegii in clericis et monachis et Praelatis superioribus praesertim standum erat *tenori* Const. *Apost. Sed.*, a Pio IX promulgatae. Cfr. n. V inter excom. spec. mod. et n. II inter excom. simpl. R. P. reserv.

75. Disciplina Codicis. Si clerici speciali ratione proteguntur contra reales iniurias, fundamentum positivum huius protectionis est character sacer clericis competens, ex eo quod saltem per primam tonsuram fiant personae, ad cultum divinum publica Ecclesiae auctoritate deputatae, et consequenter eorum violatio induat naturam veri sacrilegii (can. 119). Specialis vero protectio, quae maxime venit nomine privilegii canonis, est poena specialis qua illa violatio plectitur, seu censura vario gradu reservata.

I. *Personae*, quae favore huius privilegii canonis gaudent, sunt:

a) *Omnes clerici* aliquo ordine vel sola prima tonsura initiati;

b) *Omnes* utriusque sexus *religiosi*, etiam conversi laici et novitii (can. 614) [16];

c) Sodales societatis, sive virorum sive mulierum, qui in communi viventes sub regimine Superiorum secundum probatas constitutiones, religiosorum vivendi rationem imitantur, tametsi votis, saltem publicis, careant (can. 680) ideoque veri religiosi non sint [17].

[15] Sess. XXIII, cap. 6, de ref.; *Schmalzg.*, l. III, t. 3, n. 39, 40.

[16] Etiam religiosi per vota publica fiunt personae sacrae; si *novitii* votis publicis carentes destituuntur illo titulo, ius tamen propter inchoationem vitae religiosae illos in hoc aequiparat veris religiosis, sicut generatim ad ipsos extendit omnia privilegia religiosorum (can. 567, § 1).

[17] Huiusmodi sodales in hac parte accensentur religiosis propter imitationem vitae religiosae contentam in vita communi et studio perfectionis forte firmato per emissionem votorum privatorum aut iuramenti vel promissionis stabilitatis. — Si Leo X Const. *Dum intra*, in Conc. Later. V, Sess. 21, et Const. *Nuper*, ibid., visus est extendere privilegium canonis

Sed hoc privilegium licet a privilegiatis, quia concessum statui, directe renuntiari non possit, potest tamen amitti. Quare excluduntur a privilegio canonis:

a) *Clerici*: 1°) qui quavis de causa ad statum laicalem transierunt, ad normam can. 211 sq., ex can. 213, § 1; quae reductio ad statum laicalem in clericis minoribus etiam ex pluribus aliis causis fit ex ipsa iuris dispositione, v. gr. ob initas nuptias (can. 132, § 2), ob susceptam militiam (can. 141, § 2), ob depositum habitum et tonsuram (can. 136, § 3), ob dimissionem a religione (can. 648, 669, § 2), praeter casus in quibus illa reductio decernitur in poenam (Cfr. can. 2358, 2387);

2°) qui fuerunt degradati sive degradatione reali sive etiam verbali seu edictali (can. 2305);

3°) qui sive perpetuo sive ad tempus fuerunt privati iure deferendi habitum clericalem ad normam canonum 2300, 2304;

b) *Religiosi* non clerici qui legitime egressi fuerint, v. gr. expleto tempore votorum vel ex indulto exclaustrationis aut saecularizationis, aut a religione fuerint dimissi (can. 639): idem dicendum est de sodalibus pertinentibus ad societatem imitantem vitam religiosam.

II. *Poena*, qua munitur privilegium est excommunicatio pro diverso gradu reservata aliaeque poenae enumeratae can. 2343. Quae poenae incurruntur secundum normas traditas in libro V, de delictis et poenis.

III. *Actio punita* contra hoc privilegium est iniuria *realis*, non mere verbalis, clerico aliisve privilegiatis facta, quae, cum designetur per verba iuris praecedentis « violentas manus iniicere », ex vetere iure intellecta consistit in *facto* iniurioso quo *ipsa persona* laeditur, sive immediate attingatur ipsum *corpus*, sive immediate violetur *libertas* aut *dignitas* personae [18]. Illa

etiam ad tertiarias mulieres ducentes vitam virginalem seu caelibem aut castam viduitatem sub voto et habitu religioso, tametsi in consanguineorum et affinium suorum aut propriis domibus vel seorsim habitent (cfr. *Ballerini-Palmieri*, Opus morale tract. 9, c. 2, n. 337), ad tales mulieres, nisi in communitate vivant, privilegium ex iure Codicis non videtur extendi.

[18] *Verm.-Cr.*, Epitome n. 241; *Maroto*, o. c., I, n. 510. Quae antiquitus erant constituta de absolutione huius censurae pro diversis casibus nunc sunt penitus antiquata et res ad normas Codicis est exigenda.

autem actio induit rationem sacrilegii ex deputatione ab Ecclesia facta talis personae in rem sacram in ordine ad eius inviolabilitatem personalem.

Caput III

De privilegio fori (can. 120, 2341) [1]

76. Notio. Privilegium fori est illud privilegium quo clerici, aliaeque personae aequiparatae, redduntur immunes a iurisdictione fori saecularis in omnibus causis etiam temporalibus, tam contentiosis quam criminalibus, et subiiciuntur exclusive iudicibus ecclesiasticis, ita ut apud solum iudicem ecclesiasticum conveniri possint, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit.

Cuius privilegii substantia tantum hic est declaranda, relictis quaestionibus historicis et specialibus, v. gr. de reconventione, de causa iam ante clericatum coepta etc. ad titulos de processibus. Substantia autem est clericos non posse *conveniri* apud iudicem laicum (can. 120), non posse *trahi* ad iudicem laicum; quibus locutionibus in re forensi significatur aliquem trahere, aliquem convenire *ut reum* vel *contra quem* agatur (*Forcellini*, Lexic. lat. v. v. convenire, trahere; *Calvini*, Lexic. iurid.). Quare ex hoc privilegio iudicibus saecularibus non est adempta omnis iurisdictio in clericos; nam profecto clericus in re temporali agens contra laicum, hunc apud iudicem laicum convenire debet, cum actor sequatur forum rei et tam in reum quam in actorem aliqua iurisdictio exercetur a iudice; sed illa iurisdictio ipsis denegatur, qua directe cognoscere et per sententiam definire possint causam sive contentiosam sive criminalem contra clericum intentatam [2].

[1] Cfr. Pii IX Const. *Apost. Sed.*, I, 7; S. Off. Litt. enc. 23 Ian. 1886; Pii X Mot. pr. *Quantavis diligentia*, 9 Oct. 1911.

[2] Quare prohibitio, quam privilegium continet, non videtur comprehendere casum, quo clericus in iudicium vocetur *ut testis*, vel ut procurator, tutor, aut rei laicalis administrator. Cfr. *Verm.-Cr.*, Epitome, n. 242; *Per.*, VI, p. 105 sq., 190; *Ferreres*, *Razón y Fe*, vol. 32, p. 100, vol. 34, p. 223, Inst. canonic. I, 255, Comp. Theol. mor. II, 1245; *Maroto*, o. c., I, 515; *Chelodi*, o. c., n. 111. Aliter post Decr. Pii X, *Il Monitore*, vol. 23, p. 506, vol. 24, p. 4. Quodsi in textu legis vocatio in testem non videtur comprehendi in prohibitione ecclesiastica praesertim in ordine ad censuras incurrendas, manet tamen obligatio iuris naturalis consulendi dignitati ministrorum Ecclesiae, praesertim altiorum, cui exigentiae iuris naturalis certe non faceret satis, qui inconsulta Sancta Sede Episcopum ut testem vocaret in iudicio criminali. *Verm.-Cr.*, Epitome, n. 242.

77. Iuridica ratio. Huius privilegii iuridica ratio ea est, quod Ecclesia, societas perfecta et independens atque superior Statu, propria habet tribunalia, in quibus pro suo iure exigere potest ut iudicentur personae suorum sacrorum ministrorum, eximendo ipsos a iurisdictione iudicum laicorum. Qua potestate convenienter usam esse et adhuc uti, probat factum recognitionis illius exemptionis factae in iure civili romano, in iure nationum quae ex ruinis imperii romani efformatae sunt et etiam saltem quoad partem in Concordatis cum modernis nationibus initis [3].

Licentia necessaria. At hodie a pluribus guberniis et ab ipsis Codicibus modernis haud raro haec immunitas negligitur. Inde ne Ecclesia possit argui, quod urgendo privilegium efficiat ut saepe fideles impediantur a iure suo efficaciter prosequendo, vel ut crimina clericorum maneant impunita, imprimis privilegium non urget in certis locis pro quibus aliter ab ipsa Ecclesia provisum est [4]. In aliis vero locis, pro quibus talis provisio non existit ideoque privilegium viget, non obstante defectu recogni-

[3] Cfr. *Zallinger*, in tit, 2, libr. II, Decret. § 68; *Zech*, in eund. tit. § 87 sq.

[4] Illa provisio est diversa pro diversis locis. In nonnullis sub certis cautionibus Rom. Pontifex per Concordatum concessit, ut in tribunalibus laicis clericorum causae civiles tractari possent atque adeo etiam criminales, certis factis reservationibus, v. gr. in Concordatis cum pluribus nationibus Americae meridionalis, velut Costa Rica, Nicaragua, Guatemala, Honduras, Colombia, in republica Sancti Salvatoris et Aequatoris. Item in Concordato Austriaco, Pol., Ital. et Lith. In aliis locis tolerata erat praxis recursus ad tribunal laicum praehabita Episcopi licentia. In aliis, velut in Germania, dicebatur privilegio fori derogatum fuisse contraria consuetudine, quae derogatio per consuetudinem videtur fuisse admissa per responsum Secretariae Status (Cfr. *Vermeersch*, *Periodica*, VI, p. 190; *Il Monitore* vol. 23, p. 543 sq.). Ubi vero, e contra, forum privilegiatum per Concordatum fuit agnitum, ibi pergit vigere ea ratione qua conventum fuit, nec derogatio unilateralis facta per gubernium potest habere iuridicum valorem, ut incompetenter factum est, v. gr. in Hispania per regium decretum 6 Dec. 1868.

tionis ex parte Status, saltem exigit ut fideles, quorum est iura Ecclesiae agnoscere, stante adversa saecularis potestatis voluntate, veniam impetrent a potestate ecclesiastica ad hoc ut ad laica tribunalia contra clericum recurrere possint.

Atque huc spectat dispositio § 2 can. 120, qua illa venia exigitur: 1°) A Sancta Sede obtinenda ad conveniendos Cardinales, Legatos Romani Pontificis, Episcopos licet tantum titulares, supremos religionum iuris pontificii Superiores, Officiales maiores Curiae Romanae in negotiis propriis sui muneris. 2°) Pro ceteris privilegio gaudentibus, quicumque illi sint tametsi exempti, requiritur et sufficit venia Ordinarii loci; quam licentiam Ordinarius loci non debet denegare, nisi adsit iusta et gravis causa, *praesertim* cum actor est laicus, tum maxime cum controversiae inter partes componendae frustra operam dederit.

Huc quoque spectat quod § 3 sancitur de ipsis privilegiatis, videlicet, si non obtenta debita licentia conveniantur et in iudicium vocati fuerint, ratione necessitatis, possunt comparere ad vitanda maiora mala, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit.

Ergo Ecclesia fori privilegium, ubi per ipsam aliter provisum non fuit, ita sustinet, ut iudicis laici competentiam non agnoscat, ideoque vere obligat fideles ut ad ecclesiasticum tribunal exclusive competens recurrant; cuius obligationis relaxationem concedit, dum imploratam veniam recurrendi ad iudicem laicum largitur [5]. Quae venia respectu iudicis laici est actus tolerantiae, qui in causis temporalibus vere reddit et validum et licitum exercitium iurisdictionis laicalis in clericum, nisi agatur de illis personis in quibus obstet forte ius divinum. Illa venia difficilius est danda cum actor est clericus, cui incumbit maior obligatio reverendi legem Ecclesiae in favorem sui status latam; facilius est danda cum actor est laicus. Is vero ad quem pertinet veniae concessio, antequam eam largiatur, ex natura sui officii et ex mente huius canonis adlaborare prius debet, ut inter actorem et clericum pacifica seu amicabilis fiat compositio aut transactio (cfr. quoque can. 1925).

[5] Iam S. Officium 23 Ian. 1886 concesserat, ut Ordinarii licentiam dare possent ad conveniendos in foro laicorum clericos Episcopo *inferiores*, non vero ipsos Episcopos.

78. Sanctio privilegii. Privilegium fori munitur sanctione gravis censurae vel aliarum poenarum statuta in violatores can. 2341, pro diverso gradu seu dignitate personae, quae per tale delictum offenditur.

79. Amissio privilegii. Amittitur in iisdem casibus in quibus privilegium canonis urgere desinit; in hoc enim differt ius Codicis a praecedenti, quod privilegia clericalia nunc simul habentur et simul amittuntur, dum iure praecedenti speciales nonnunquam requirebantur conditiones ad retinendum canonis et fori privilegium [6].

Caput IV

De exemptione a servitio militari et a publicis officiis (can. 121)

80. Notio. Exemptio seu immunitas *personalis* clericorum est illa exemptio, vi cuius clerici non possunt cogi ad servitium militare nec ad obeunda ea munera et officia publica civilia, quae iudicio Ecclesiae dedecent statum clericalem.

81. Notae historicae. Quamdiu *primis saeculis* Ecclesia diris persecutionibus fuit subiecta, ab Imperatoribus Romanis immunitatem personalem suorum clericorum ex iuris civilis sanctione non est consecuta.

Quae res immutari coepta est, cum Constantinus M. religionem catholicam non solum toleraret, sed etiam beneficiis et privilegiis cumularet. Quibus indultis et privilegiis, etiam clerici catholici ad instar sacerdotum ethnicorum ab omni omnino munere sive onere personali per leges saeculares reliquis civibus imposito sunt liberati, ut divinis rebus inservirent [1].

Inde factum est ut clerici eximerentur, v. g. a servitio militari, a personalibus muneribus sordidis, a stricta obligatione sus-

[6] Cfr. v. gr. Conc. Tridentinum Ses. XXIII, cap. 6, de ref. iunct. cap. unic. de clericis coniug. III, 2, in Sext.; *Benedict. XIV*, De Syn. dioec. XII, c. 2, n. 2; *Maroto*, o. c., I, n. 511.

[1] Constant. M. 31 Oct. 313; cfr. *Grashof*, in Arch. f. k. K. t. 37, p. 256 sq., ubi vicissitudines et immutationes iuris Romani de immunitate clericorum fuse exponuntur: *Sägmüller*, Lehrb. d. k. K. p. 188 sq., 190 sq.

cipiendi magistratus civiles vel curam et tutelam [2]. Ecclesia vero, ne clerici forte curis saecularibus implicarentur, a statu clericali exclusit inferiores magistratus et servitio militari addictos aut curam et tutelam aliaque negotia saecularia exercentes [3].

Quae immunitas personalis clericorum inter populos quoque christianos medii aevi fuit admissa [4] et iure canonico constituta [5]. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 20, de ref., principibus saecularibus denuo commendavit: « *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem* **Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam** ». Saeculis quoque subsequentibus immunitas personalis non penitus fuit sublata [6]. At inde a revolutione gallica magis magisque legibus civilibus immunitas personalis clericorum praesertim quoad militare servitium coarctata est, neque defuerunt viri, qui propter progressum civilem postularent abrogationem personalis immunitatis clericorum. Quare optimo iure *Pius IX* errores in hac materia proscripsit atque principia catholica denuo proclamavit [7].

82. Disciplina Codicis. Ecclesia vindicat etiam nunc [8] suis clericis aliisque personis aequiparatis immunitatem a *servitio*

[2] Cfr. L. 1, 2, 7, 9, 10, 11, 13, 14, 24, 40. Cod. Theod. de Episc., eccles. et cler. XVI, 2; L. 1, 2, cum authent. Frid. II, Cod. Iust. de Episc. I, 3.

[3] Cfr. c. 8, 9 Conc. Carthag. a. 345-348; *Hefele*, l. c. t. I, p. 741.

[4] Authent. Frider. II, a. 1220, post L. 2, Cod. de Episc. I, 3.

[5] Cfr. c. 69, C. XII, q. 2 = c. 21 Conc. Tolet. III, a. 589; cap. 2, 4, 7, X. de imm. III, 49; cap. 4, de censib. III, 20, in Sext.; cap. 3, eod. III, 13, in Clem.

[6] *Nussi*, Convent. p. 168 sq.

[7] Syllab. *Pii IX* prop. 30, 32; *Cavagnis*, Inst. iur. publ. eccl., II, p. 323 sq., ubi inter extremas sententias de origine immunitatis ecclesiasticae recte viam mediam tenet atque argumenta extremarum sententiarum solide refutat. *Scherer*, l. c. § 71, de origine immunitatis clericorum minus accurate disputat. Cfr. *Schmalzgr.*, l. III, t. 49, n. 56 sq., et praesertim *Zallinger*, l. II, t. 2, §§ 69 sq., ubi res haud raro a scriptoribus confusas accuratius distinguit; *Suarez*, Defensio fidei, l. IV. Cfr. quoque *Cappello*, Summa iur. publ. n. 505 sq.

[8] Tempore medii aevi Ecclesia clericis ipsisque Episcopis ad arma promptioribus pariter militiam interdixit, at ministeria spiritualia in exercitu permisit. Cfr. c. 2 Conc. nation. German. a. 742; c. 17, 18, 19, 20, C. XXIII, q. 8; *Scherer*, l. c. § 70, not. 22; *Hefele*, l. c. t. III, p. 626; *Phillips*, l. c. t. I, § 60, i. f. Cui prohibitioni non repugnavit capitulare Caroli M. (a. 805-806), quod condidit contra viros liberos, qui *non pie-*

militari [9]. Quae immunitas sese non solum extendit ad clericos in sacris ordinibus constitutos, qui statui clericali servitioque ecclesiastico iam in perpetuum et irrevocabiliter adscripti sunt, sed etiam ad illos, qui in Seminariis ad ordines sacros cum approbatione et sub directione Ecclesiae vere et non ficte sese disponunt atque praeparant. Quare gubernia non pauca maiore minoreve gradu iura Ecclesiae violant [10]. Cfr. v. g. Leonis XIII Epist. ad Card. Nina 27 Aug. 1878, de servitio militari clericorum in Italia, in Act. S. S. vol. 11, p. 278.

Praeterea clerici omnino non sunt cogendi, ut suscipiant officia iuratorum [11], tutorum et curatorum [12] aliorumque officiorum saecularium, quae cum statu clericali non conveniunt vel in iure expresse clericis prohibita sunt [13]. Quae leges Ecclesiae sunt adeo rationabiles et iustae, ut non pauci codices civiles usque ad nostram aetatem eosdem fere favores clericis, saltem officio ecclesiastico fungentibus, concedant.

Amissio fit modis iam enumeratis in praecedentibus privilegiis.

Caput V

De beneficio competentiae et de amissione et recuperatione privilegiorum clericalium (can. 122, 123)

83. Notio. Ecclesia quemadmodum legibus latis *de titulo* ordinationis clericis congruam sustentationem procurare studet, ne cum dedecore status clericalis mendicare cogantur, ita etiam clerico reditus sufficientes pro *dignitate* et exigentia sui status vel

tatis causa, sed ut servitio militari sese subducerent, statum clericalem ingressi sunt.

[9] Cfr. Syllab. *Pii IX*, prop. 32; *Cavagnis*, l. c. P. II, p. 320 sq., iunct. Decr. S. Congr. Cons. 25 oct. 1918, in A. A. S., X, 481.

[10] *Cavagnis*, l. c. p. 322; *Scherer*, l. c. § 71, not. 46.

[11] *Scherer*, l. c. not. 40 sq.; *Cavagnis*, l. c., II, p. 320.

[12] Conc. prov. Urbinat. (a. 1859) in Collect. Lac. t. VI, col. 52, *Nisi in casibus a iure permissis et ex Ordinarii venia.*

[13] *Schmalzgr.*, l. III, t. 49, n. 10 sq.; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 902, 978, i. f.

officii *conservare* studet, si forte infortunium quoddam superveniat. Id fit beneficio competentiae clericis concesso, vi cuius in solvendis *debitis* ab actione et executione iudiciali ea pars redituum alicuius clerici est immunis, quae ipsi ad honestam vitae sustentationem est necessaria [1]. Quare huiusmodi beneficium competentiae iuribus *realibus* clericorum est adnumerandum.

84. Notae historicae. Privilegium competentiae clericorum ab antiquioribus canonistis [2] ut plurimum repetebatur ex cap. 3, *Odoardus* X. de solut. III, 23, unde etiam privilegium cap. *Odoardus* nuncupatum fuit. At ex cit. cap. 3, X. de solut., clericus qui debita in totum vel pro parte solvere non valeret, solummodo *excommunicari* nequibat, et recepta prius ab eo *idonea cautione*, adigendus erat ut, si ad pinguiorem fortunam pervenerit, debita persolveret.

Nihilominus *in praxi*, praesertim attenta consuetudine et aequitate canonica et analoga dispositione iuris Romani in favorem militum [3], ex illo capite non solum deducta fuit immunitas *clericorum incapacium* ad solutionem debitorum ab *excommunicatione*, sed etiam ab *omnibus aliis* molestiis iudicialibus, veluti ab incarceratione. Incapacitas ita fuit limitata, ut clericus non esset cogendus *cedere* bonis ad honestam suam sustentationem *necessariis; cautio* vero idonea ita intellecta fuit, ut *iuratoria* sufficeret neque *pignoratitia* vel *fideiussoria* requireretur [4]. Beneficium competentiae extendebatur etiam ad reditus ex *titulo ordinationis*, non excluso ipso titulo patrimonii [5].

Ut privilegio frueretur clericus, ex praxi recepta vere et sine

[1] Cap. 2, 4, X. de fideius. III, 22; cap. 1, 2, et praesertim cap. 3, *Odoardus* X. de solutionib. III, 23; *Fagnan.*, in cit. cap. 3, *Odoardus; Santi*, l. c. l. III, t. 22, n. 3, 34, t. 23, n. 3 sq., 7 sq.; *Arndts-Serafini*, Lehrb. d. Pand. § 225, not. 5; *Scherer*, l. c. § 71, not. 28 sq.; *Phillips*, l. c. t. I, § 20 p. 664 sq.

[2] *Gonzalez-Tellez*, in cap. *Odoardus; Fagnanus*, l. c.; *Schmalzgr.*, l. III, t. 23, n. 32 sq.; at antiquissimi canonistae, v. g. *Goffredus de Trano, Innoc. IV, Hostiens.*, silent; *Benedictus IV*, De Syn. dioec. l. XII, cap. 2, n. 1, 2.

[3] L. 6, pr. L. 18. Dig. de re iud. XLII, 1; *Arndts-Serafini*, l. c. et § 224; *Scherer*, l. c. Oct. 29.

[4] *Santi*, l. c. n. 8 sq.; *Scherer*, l. c.; summar. cap. 3, *Odoardus*.

[5] S. C. C. 5 Febr. 1604 et 15 Mart. 1652, in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 115, not. 26.

dolo debuit esse impotens ad solvendum in causa *civili* et *poenali;* tenebatur *fateri* debitum atque insuper praestare idoneam *cautionem* iam supra commemoratam [6]. Cui privilegio, ob favorem publicum statui clericali concesso, clericus *renuntiare* non poterat [7]; at favorem privilegii istius amittebat, si conditiones praescriptas non servasset [8].

85. Disciplina Codicis. Codex retinet privilegium hoc ambitu, ut clerico, qui creditoribus satisfacere cogatur, iubeat relinqui ea quae sunt necessaria ad honestam sustentationem, definienda prudenti arbitrio iudicis ecclesiastici. Expresse non exigitur cautio, sed urgetur obligatio iuris naturalis satisfaciendi creditoribus quamprimum poterit. Illa tamen cautio prudenter exigi potest et convenit. Cum vero passim nunc huiusmodi causae clericorum de debitis contractis in foro *saeculari* discutiantur [9], inquirendum etiam erit, quasnam limitationes ius *civile* generatim executioni contra debitores atque speciatim forte contra magistratus publicos constituerit. Etenim non raro certa redituum pars vel pensiones, ex sese iam tenues, ab executione sunt immunes. Nec desunt leges civiles, quae favores magistratibus civilibus hac in re concessos etiam ad clericos, saltem officio ecclesiastico fungentes, extendunt. Cum praeterea fere ubique in foro civili incarceratio ob debita pro omnibus civibus sit abrogata, eodem favore etiam gaudent clerici [10].

Scholion. *De amissione et recuperatione privilegiorum clericalium* (can. 123).

Quae de amissione et recuperatione privilegii canonis dicta sunt in n. 75, valent etiam generatim de ceteris privilegiis hoc titulo positis.

[6] *Schmalzgr.*, l. c. n. 33 sq.

[7] *Scherer*, l. c. not. 30, 31; *Schmalzgr.*, l. c. n. 38 sq. Cfr. singularem praescriptionem pro Urbe a Paulo IV datam, et a Pio IV Const. *Cupientes*, 27 Oct. 1561, renovatam et in praxi non receptam de *viridi* birreto deferendo ab iis, qui petunt beneficium cap. *Odoardus*. Cfr. quoque Clem. VII Const. *Cum nuper*, 20 Iun. 1530, pro Statu pontif. de cap. *Pervenit* (2, X. de fideiuss. III, 22) et cap. *Odoardus* (3, X. de solut. III, 23).

[8] *Schmalzgr.*, l. c. n. 38 sq.; *Hinschius*, l. c. t. I, p. 127 sq.

[9] *Nussi*, Conventiones p. 197 sq.

[10] *Scherer*, l. c. § 71; *Vering*. Lehrb. d. k. K. § 78, n. 4; *Hinschius*, l. c. p. 128 sq. Cfr. v. g. ord. process. civ. in Germ. §§ 715, 749, 811, 850.

TITULUS III

De obligationibus clericorum (can. 124-142)

86. Fontes: Decret. Grat., c. 3, 23 sq., D. 23; D. 33, 41, 44 sq., 86, 91, 92; C. XII, q. 1; C. XXI, q 4; c. 35, D. 5 de consecr. — Cpl. I, III, IV, V, l. III de vit. et hon. cler. — Decretal. Greg. IX, Bonifac. VIII, Const. Clement. V, Extravg. com. l. III, t. 1 de vit. et hon. cler. — Conc. Later. V, Leon. X Const. *Supernae dispositionis*, 5 maii 1514, in Sess. IX. — Conc. Trid., Sess. XIV, prooem. et cap. 6 de ref., Sess. XXII, cap. 1, de ref., Sess. XXIII, cap. 4, 12, 13, 14 de ref., Sess. XXIV, cap. 12, 13 de ref., Sess. XXV, cap. 1 de ref. — Sixti V Const. *Cum sacrosanctam*, 9 ian. 1589; Benedict. XIII Const. *Catholicae Ecclesiae*, 2 Maii 1725; Benedict. XIV Const. *Ubi primum*, 3 Dec. 1740. Cfr. *Sentis*, Decret. Clem. P. VIII, p. 28. — Collect. S. C. de Prop. F., n. 216 sq.; n. 300 sq.; *Lingen et Reuss*, Causae select. S. C. C., n. 306 sq.; Act. S. Sed., III, p. 412; IV, p. 394; *Martin*, Collectio docum. Conc. Vat. p. 136 sq.; Collect. Lac. praesertim t. II, III, IV, V, VI; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899), n. 631 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 192 sq.; Synod. prov. Ruth. (a. 1891) p. 143 sq.; Instruct. Eystett., n. 563 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decret. in h. t. — *Zech*, Hierarch. eccl., tit. 3 de vit. et hon. cler.; *Phillips*, l. c., t. 1, §§ 61 sq.; *Papp-Szilágyi*, Enchirid. iur. eccles. oriental. cathol. p. 316 sq.; *Hinschius*, l. c., t. I, § 17 sq.; t. III, § 155 sq.. t. V, p. 893 sq. — *De Grassis*, De effectibus clericatus; *Antonellus*, De iurib. et onerib. cleric.; *Boekhn*, De clero seu obligat., offic., benef. et iur. utriusque cleri; *Hollweck*, D. k. Strafg., §§ 127 sq. — *Ponsius*, De antiquitat. iur. can., p. 39 sq.; *Ferreres*, Inst. I, n. 276; *Verm.-Cr.*, Epit. I, n. 247 sq.; *Maroto*, Inst. I, n. 529 sq.; *Chelodi*, De person., n. 113 sq.; *Ojetti*, Comm. in Cod., III, p. 83 sq.; *Blat*, Comm. in l. II, n. 60 sq.

Praenotiones (can. 124)

87. Recensentur hoc titulo obligationes *communes* clericorum, sicut in praecedenti agitur de eorundem *communibus* iuribus et privilegiis. Sicut autem clericorum privilegia extenduntur ad religiosos et alios, quos in hac parte Codex religiosis aequiparat, ita pariter communes clericorum obligationes eosdem comprehendunt, qui clericorum privilegiis fruuntur (can. 592, 679, § 1).

In iure Decretalium erant comprehensae praesertim sub duplici rubrica: « *De vita et honestate clericorum* » (L. III, tit. 1)

et « *Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se implicent* ». (L. III, tit. 50) [1]. Sub prima comprehendebantur obligationes *positivae* circa honestatem vitae, sive internam, sive externam et mixtam; sub altera obligationes *negativae* seu prohibitiones, quibus clerici arcebantur non solum ab actibus, rebus et negotiis vel ipsis laicis prohibitis, sed etiam a pluribus quae laicis de se sunt permissa, sed clericis propter singularem status dignitatem simpliciter interdicuntur.

In iure Codicis aptius distribui possunt in obligationes quibus certarum virtutum exercitium praescribitur et in eas quibus procurantur media vel removentur impedimenta vitae clericalis aut curae animarum.

Fundamentum specialium obligationum tum in ipso iure Decretalium et decretis Conciliorum, tum praesertim in Tridentino et Constitutionibus Rom. Pontificum semper fuit quod positum est in principio Codicis, sc. quod clerici prae laicis ad maiorem vitae sanctitatem et honestatem sunt vocati. Nam etsi clerici *formaliter* vi ordinis vel officii, exceptis Episcopis, *in statu perfectionis* non sint, tamen quo magis ad altiores gradus *accedunt* atque vi suae ordinationis, praesertim sacerdotalis, iam *inchoative* saltem in eo statu sunt constituti [2]. Deinde Conc. Tridentinum (Sess. XXII, cap. 1) etiam illam rationem commemorat, quod clericorum exemplum maximum influxum in populum exercet et quod reliqui in ipsos tanquam in speculum oculos coniiciant et ex illis sumant quod imitentur. Et hoc ipsum canone 124 fuit expressum, dum clericis inculcatur quod debeant virtute et recte factis ceteris fidelibus *in exemplum* excellere.

[1] Tit. 2 et 3, l. III de cohabitat. cleric. et mulier. evidenter erant continuatio tit. 1. Aliqua tamen erant sparsa per alios titulos, vel desumenda ex Pontificiis Constitutionibus aut Conciliorum decretis.

[2] *S. Thomas*, Summa theol., IIa, IIae, q. 84 sq.; *Suarez*, De relig., tract. VII, l. I, cap. 17, n. 4; *Phillips*, t. I, § 61.

Caput I

De obligationibus positivis clericorum

Art. 1. - *De virtutibus a clerico exercendis*

§ I. De pietate clericorum (can. 125, 126)

88. I. Inter pietatis exercitia, quae universi aedificii spiritualis solidum iaciunt fundamentum [1], *principem* locum occupant *exercitia spiritualia.* Quae exercitia spiritualia [2] ex iure communi nondum ubique clero universo fuerant praescripta; nunc autem prima vice saltem omnibus *sacerdotibus* saecularibus iure communi can. 126 iniunguntur, tertio saltem quoque anno peragenda. Attamen in schemate [3] pro Concilio Vaticano praeparato haec fere statuenda proponebantur: *Et quoniam in medio corrupti saeculi facile evenit, ut de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescant, ad ecclesiastici vero ordinis dignitatem et sanctimoniam retinendam ac fovendam pium spiritualium exercitiorum institutum vel maxime conducat, omni studio curent Episcopi, ut* **clerici,** *praesertim parochi et confessarii, singulis saltem trienniis vel quadrienniis certo dierum spatio in opportunum aliquem locum iisdem peragendis exercitiis secedant.* Quae rationes videntur valere de omnibus sacerdotibus, quos Codex nunc obligat. Cum praeterea saltem indirecte, per curam Episcopo impositam, omnibus alumnis Seminarii quotannis per aliquot dies exercitia spiritualia iniungantur can. 1367, n. 4, practice omnes clerici saeculares veniunt obligati ad exercitia spiritualia peragenda.

Item cum *regularibus* in iisdem schematibus Concilio Vaticano propositis *praeciperetur,* ut *singulis annis per decem dies* peragerent exercitia spiritualia, nunc Codex eam obligationem

[1] Cfr. de orationis studio etiam clericorum: *Suarez,* De virt. et stat. relig., tract. IV, lib. I sq.; Collect. Lac. v. g., t. III, v. Sacerdotes, n. 32, 33, t. IV, v. Clerici, n. 14 sq., t. V, v. Sacerdotes, n. 17, t. VI, v. Clerici, n. 39 sq.; *Martin,* Collect. doc. Conc. Vatic., p. 136 sq.; pag. 202.

[2] Cfr. *Scherer,* l. c. t. I, p. 385.

[3] *Martin,* l. c., p. 138 iunct. p. 148 sq.

imponit omnibus religiosis (can. 595, § 1, 1°) et aliis qui privilegiis clericalibus gaudent (can. 679, § 1) [4].

Illa obligatio sacerdotum, quoad *tempus* quo debent durare exercitia spiritualia et quoad locum, relinquitur determinanda prudenti arbitrio proprii Ordinarii, qui debet designare piam aliquam seu religiosam domum.

II. Directe ipsis locorum Ordinariis imponitur cura ut clerici frequenter recipiant sacramentum poenitentiae (can. 125, 1°). Quare *Episcopi* pro iure suo clericos, tum maiorum tum minorum ordinum, ad frequentem confessionem sacramentalem stricto praecepto obligare possunt et de facto quoque haud raro obligarunt, v. g. semel singulis hebdomadis, aut semel vel bis in mense, aut quater vel sexies in anno, etiam addito praecepto de exhibendo testimonio peractae confessionis [5], salvo graviore praecepto confessionis iniunctae sacerdoti in peccato mortali constituto et Missam celebraturo [6].

III. De usu *sacramenti eucharistiae* expresse nihil hoc loco Codicis praecipitur clericis *nondum* in *sacerdotio* constitutis. Indirecte tamen, praeter commendationem omnibus fidelibus factam can. 863, ipsis imponit obligationem frequentis communionis in quantum sunt alumni Seminarii (can. 1367, 2°). Item sacerdotibus incumbit illa obligatio Missam celebrandi, quam urget can. 805.

IV. Alia pietatis exercitia, velut meditatio, examen conscientiae, visitatio SS. Sacramenti, recitatio rosarii B. V. Mariae, clero simili ratione praescribuntur, iniungendo Ordinariis curam ef-

[4] Praecesserat in hac re ius particulare passim introductum. Cfr. S. C. C., 20 Sept. 1878, in Act. S. Sed., XII, 609 sq.; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899), n. 663 sq.; Collect. Lac. v. g., t. VI, col. 49, 200, 268, 815, t. III, p. 753.

[5] Conc. Trid., Sess. XXIII, cap. 18, de ref. (de clericis in seminar.); Collect. Lac., t. VI, col. 442, 815, 52; 199, 227, 317, t. V, col. 23, 170, 421, t. IV, p. 989, 1067; t. III, col. 1047, 1214; *Martin,* l. c. p. 196 sq. (postulatum Episcopi de lege ferenda contra sacerdotes rarissime confitentes).

[6] Can. 807, iunct. Conc. Trid., Sess. XIII, cap. 7. Prop. damn. ab Alex. VII, 18 Mart. 1666, n. 38, 59, apud *Denzinger,* Enchiridion, n. 1009, 1010; *Schmalzgr.,* h. t. n. 18, 19; *Gasparri,* De euchar., n. 440 sq. Cfr. de monachis et monialibus; Cap. 1, § 2, de stat. mon. III, 10, in Clem.; Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 10, de regul.

ficiendi ut in praxim reapse deducantur, ex qua consequitur potestas eadem praecipiendi [7].

§ II. De temperantia clericorum

89. Ecclesia praeter orationis studium praesertim *temperantiam* in cibo et potu cum *hospitalitate* coniunctam clericis praescripsit [8]. Clerici, saltem saeculares, cum specialibus legibus ieiunii et abstinentiae non sint subiecti, eodem iure quo alii fideles in dioecesi reguntur, nisi forte favor quidam singularis, laicis concessus, ad clericos vel saltem ad certos regulares non sit extensus. Cfr. cap. 3, X. de observ. ieiun. III, 36. Multo magis Ecclesia clericis crapulam et ebrietatem [9] aliosque excessus affines [10] severe interdixit, etiam sub poena suspensionis ferendae sententiae ab officio vel etiam a beneficio, vel similibus poenis nunc usitatis et prudenti arbitrio Episcopi inflictis [11]. Quare clerici, ut vel ipsum periculum intemperantiae facilius vitent et dignitati consulant status clericalis, ab ingressu in tabernas prohibentur, nisi agatur de casu *necessitatis,* v. g. in itinere (can. 138) [12]. Cum quoad *poenas* incurrendas non ubique vigeat eadem disciplina, maxime ius particulare est consulendum, quod contra clericos frequenter, v. g. aliquoties in hebdomada vel cotidie, mera edendi bibendique ratione cauponas ingredientes merito utitur maiore rigore. Praesertim prohibitio visitandi tabernas pro diversitate regionum legibus dioecesanis vel legitimis consuetudinibus accuratius est circumscripta. Quae leges vel consuetudines omnino servandae sunt neque speciosis nominibus et praetextibus (casinos, caffè) elidendae [13].

[7] Cfr. Collect. Lac., t. III, v. Sacerdotes n. 32 sq.; t. IV, v. Clerici n. 16 sq.; t. VI, v. Sacerdotes n. 17 sq.; v. Clerici n. 39 sq.

[8] Cfr. c. 7, D. 41. (ex stat. ant. Eccl.); Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 1, 8, de ref.; Instr. Eyst. n. 570, 581.

[9] Cfr. c. 2, 3, 4, D. 44; cap. 15, X. h. t.

[10] Cfr. c. 7, D. 44; cap. 14, X. h. t.; cap. 9, X. de celebr. III, 41; Conc. Trid., Sess. XXII, cap. 1, de ref.

[11] Cfr. c. 19, D. 35; cap. 14. X. h. t.; Conc. Quit. (a. 1863) in Collect. Lac., t. VI, col. 403; *Scherer*, l. c. p. 371; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 663, 899.

[12] Cfr. c. 2, 4, D. 44; cap. 15, X. h. t.; Collect. Lac. t. V, col. 53, 426.

[13] *Reiffenstuel*, lib. III, t. 1, n. 53; *Lehmkuhl*, l. c. t. II, n. 616; *Scherer*,

§ III. De beneficentia clericorum

90. Clerici, nisi statum religiosum amplexi sint, ad paupertatem voto confirmatam minime obligantur. Quare vita quoque communis [14], quae sine voto paupertatis nonnisi difficulter institui et conservari potest, saltem clero saeculari ex obligatione non est imposita neque invitis imponi potest. Ubi autem, omnibus difficultatibus superatis, convenienter introduci potest et *sponte* suscipitur, multum est laudanda et commendanda (can. 134) [15]. Ecclesia potius a suis clericis exigit, ut omnem inordinatum affectum in bona temporalia atque imprimis turpissimum *avaritiae* vitium fugientes beneficentia christiana ad usus pios excellant [16]. Speciatim beneficiarii obligantur, ut bona, quae subtracta congrua sustentatione ex reditibus mere beneficialibus supersunt, in causas pias vel eleemosynas elargiantur (can. 1473) [17]. Quae obligatio etiam in *testamento,* mature et rite a clericis beneficiariis condendo, omnino est attendenda [18].

Imprimis autem clerici liberales et benefici sint necesse est, ubicumque Ecclesia expressis verbis praescripsit, ut *gratis* suum ministerium exercerent, v. gr. erga pauperes (can. 463, § 4 iunct. can. 736), aut eis prohibet ne quaevis munera acceptent, v. gr. occasione agendi iudicii (can. 1624). At aeque clerici ab inconsiderata munificentia et prodigalitate sint alieni, praesertim si ista liberalitas exerceatur per *debita cum levitate contracta* et summa iniuria non soluta.

l. c. p. 375; Collect. Lac. t. VI, v. Clerici n. 61; Instr. Eyst. n. 570; *Hollweck*, l. c. § 236.

[14] *Poüan*, De seminar. cler., p. 14 sq.; Kirchenlex. v. Canonica s. vita communis; *Holzhauser* († a. 1658), Vita clericorum saecularium in communi viventium.

[15] Cfr. c. 2, 9, 16 (Pseudo-Isid.), C. XII. q. 1; cap. 9, X. h. t.; Act. S. Sed., II, 387 sq.; *Martin*, l. c. p. 149, 175, 199 sq.; *Schmalzgr.*, h. t., n. 44; *Scherer*, l. c. p. 384 sq.; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 50 sq.

[16] Cfr. c. 12, 13, D. 45; c. 8, 26, C. XII, q. 1; c. 3, D. 22; c. 21. C. VI, q. 1; *Thomassin.*, l. c. P. III, lib. 3, cap. 26 sq.

[17] Coll. Lac. t. III, v. Sacerd. n. 80 t. IV, v. Clerici n. 98 sq.

[18] Conc. prov. Austral. II in Coll. Lac. III. 1080.

§ IV. De castitate clericorum

91. *Clerici* et *beneficiarii caelibes*, praesertim in *sacris* constituti, continenter et *caste* vivere debent, imo etiam ita *caute*, ut sint extra omnem *suspicionem* incontinentiae. Qui vero secundum morem ritus orientalis matrimonio legitime contracto uti possunt, castitatem saltem coniugalem sub graviore reatu observare tenentur. Imo canones quidam Ecclesiae orientalis presbyteris coniugatis strictissimam imponunt obligationem sese ab usu matrimonii abstinendi, quoties ad s. altare, celebrandae sacrae liturgiae causa, accedere intendunt. Quodsi papadiam fidem coniugalem fregisse testibus fide dignis comprobetur, presbyter coniugatus non solum a commercio coniugali abstinere tenetur, sed etiam in perpetuum eam dimittere convenit; secus, si nihilominus cum illa convixerit, ab omnibus functionibus sacris cessare debet [19].

Ad virtutem castitatis perfectius colendam, clerici servare debent leges ecclesiasticas de prohibita cohabitatione cum mulieribus, item ex natura rei evitare tenentur frequens colloquium cum monialibus sine iusta et rationabili causa [20], denique etiam abstineant necesse est a visitatione theatrorum vel chorearum atque multo magis ab ipsa saltatione.

§ V. De obedientia canonica clericorum (can 127, 128) [21]

92. In primo canone 127 urgetur in clericis, praesertim vero in presbyteris, specialis obligatio exhibendi proprio Ordinario reverentiam et obedientiam. Quae duae voces *reverentia* et *obedientia*, licet a nonnullis commentatoribus iuris Decretalium explicentur de obedientia in iis quae fiunt *extra iudicium* vel *in*

[19] Conc. prov. Alb. Iul. (a. 1872) p. 138, 140.

[20] Cfr. *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 37, 76; *Ferraris*, v. Moniales, art. 6, n. 10 sq.

[21] Cfr. comment. iur. Decretal. in t. 33, l. I, v. g. *Schmalzgr.* vel *Pirhing; Phillips*, l. c. t. II, § 80, p. 171; *Scherer*, l. c. t. 1, p. 444 sq.; *Hinschius*, l. c. t. III, p. 199 sq. Praeclare et fuse de hac materia agit *Claeys Boúúaert*, De canonica cleri saec. obedientia a. 1904. Cfr. quoque *Heiner*, D. kanon. Obed. p. 13 sq.; 90 sq.; *Schneider*, in Arch. f. k. K. t. 82, p. 290 sq.; *Saedt*, ibid., t. 76, p. 41 sq.

iudicio, ordinarie tamen *obedientia* sese refert ad monita et mandata, *reverentia* vel ut synonymum exhibetur, vel ut specialiter ad signa quaedam honorifica attendens [22], et apte simul posita videntur significare obedientiam coniunctam in exteriore actu cum illis signis honoris, quae respondent dignitati praecipientis [23]. Ea debet exhiberi proprio Ordinario, qui respectu religiosi exempti est eius Superior maior, nisi agatur de iis in quibus ius eos subiicit locorum Ordinariis. Exigitur autem obedientia *specialis*, i. e. maior, saltem ratione tituli, quam quae debetur a laicis et etiam ad specialia obiecta se porrigens.

In altero canone declaratur obedientia Ordinario debita in casu speciali, quo hic in certis circumstantiis, videlicet cum Ecclesiae necessitas id exigat nec adsit legitimum impedimentum excusans, clerico aliquod munus obeundum committat, qui in tali casu debet illud munus suscipere et fideliter implere.

93. Ratio iuridica canonicae obedientiae. Si iam laici suis praepositis ecclesiasticis et imprimis Romano Pontifici obedire tenentur [24], id maiore perfectione a clericis iure exigitur. Ipsi enim iam vi ordinationis ob *necessitatem* vel *utilitatem* Ecclesiae factae, quam libera sua voluntate postularunt, speciali modo ad eius servitium sunt vocati et obligati. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 4, 14, 16, de ref. Cui rationi accedit sollemnis *promissio* obedientiae in sacra ordinatione emissa [25], et haud raro specialis obedientiae sponsio etiam *iuramento* confirmata. Cfr. cap. 19, X. de V. S., V, 40. Denique si clericus *officium* ecclesiasticum libere suscepit, aut tale officium ipsi imponitur, cum pro officiis ecclesiasticis obeundis fuerit ordinatus, ex ipsa natura rei ad fidelem administrationem officii iuxta intentionem et mandata Ecclesiae obligatur et saepe etiam *vi iuramenti* [26] *tenetur* [27].

[22] *Abbas Antiquus* et *Fagnanus* ad c. 9, X. de maior. et obedient. I, 33.

[23] *Fagnanus*, ad cap. 16, X. de offic. iud. ord., I, 31, n. 14.

[24] Cfr. Cap. 1, de maior. obed. I, 8, in Extravg. com. = Bonif. VIII, Const. *Unam Sanctam* a Leone X confirmatam in Concilio Lateranensi V, Sess. XI, Const. *Pastor aeternus*, 19 Dec. 1516; Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 20, de ref. et contin. Sess. XXV, decr. de delectu cibor.

[25] Pontificale Rom. tit. de ordin. presbyt. iunct. Benedict. XIV Const. *Ex quo*, 14 Ian. 1747.

[26] *Scherer*, l. c. § 78, not. 68; *Phillips*, l. c. § 81, p. 184 sq.

[27] *Cavagnis*, l. c., II, p. 259, de iuramento ab Episcopis guberniis civilibus praestando; *Nussi*, l. c. p. 139 sq.; *Vering*, l. c. § 61, n. IX, not. 11 sq.

94. Notae historicae. Obligatio obedientiae cum sit adeo evidenter a clericis requisita, statim primis saeculis in canonibus ecclesiasticis inculcatur [28]. At *promissio* quaedam obedientiae canonicae a clericis, etiam scripto data, prima vice saeculo V reperitur [29]. Saeculo autem VII in Hispania nemo ad gradus ecclesiasticos assumptus est, nisi ante ordinationem et fidem catholicam profiteretur et sese regulis canonicis atque mandatis suorum Praelatorum obedientiam exhibiturum esse sollemniter sponderet [30].

Episcopi [31] vero tempore consecrationis suae in manus consecratoris, qui ordinarie fuit Metropolitanus (cfr. cap. 13, X. de maior, I, 31) obedientiam promiserunt, et si ab ipso Romano Pontifice vel ex speciali illius mandato consecrati fuerunt, Romano Pontifici obedientiam iurarunt [32]. Ex saeculo IX Archiepiscopi quoque Romano Pontifici iuramentum obedientiae canonicae praestiterunt simulque professi sunt se suis Suffraganeis exhibituros esse adiutorium [33]. Inde autem ex saeculo XIII communi iure [34] et praxi statutum est, ut omnes Episcopi tempore consecrationis Romano Pontifici cum iuramento promitterent obedientiam.

Quae formula iuramenti usque ad tempus *Clementis VIII* nonnullas vicissitudines et modificationes subiit, sed post novam illius revisionem a. 1596 factam usque ad nostram aetatem non

Cfr. quoque Conc. Tolet. XVI (a. 693), c. 8, 9, 10, ubi omnibus clericis et laicis fidelitas erga regem inculcatur atque contra coniurationes et perduellionem graves poenae statuuntur.

[28] Cfr. c. 38, 40 Apostol; c. 8, Conc. Chalced. (a. 451).

[29] Cap. 3, X. de maior. I, 33 = Leon. M. Epist. (a. 446); *Claeys*, l. c. p. 22 sq.

[30] Conc. Tolet. XI (a. 675), c. 10 = c. 6, D. 23.

[31] Cfr. de praxi non approbata saeculo VIII et IX in Italia et Gallia exigendi in ordinatione obedientiam iuramento promissorio confirmatam: *Muratori*, Antiquitates italic. VI, 371, 412; Capitul. Ludovici Pii, c. 16 (a. 818-819); c. 13, Conc. Cabil. (a. 813); *Scherer*, l. c. p. 445; *Hinschius*, l. c.

[32] *Thomassin.*, l. c. P. II, lib. 2, cap. 44 sq.; *Bianchi*, « Della potestà e della polizia della Chiesa », t. V, p. 262 sq.; *Hinschius* l. c., ubi complures affert singulares interpretationes, quas non efficaciter probat; *Phillips* et *Scherer*, l. c.

[33] Cfr. c. 4, D. 100; cap. 4, X. de elect. I, 6.

[34] Cap. 13, X. de maior. I, 33; cap. 5, X. de iur. II, 24.

iam est mutata. Solummodo interpretationes quaedam formulae ad meliorem intelligentiam, et modificationes particulares, ut odium ab Ecclesia catholica averteretur, postea secutae sunt [35].

Cum a Concilio Tridentino [36] introductae essent novae leges *de fidei professione*, cum illa etiam promissio obedientiae Romano Pontifici praestanda fuit coniuncta. Quae professio fidei et sponsio obedientiae postea a *Pio IV* quoad *formam* accuratius est definita et quoad *personas* obligatas non leviter extensa: haud raro etiam ultra terminos iuris communis statutis particularibus fuit ampliata. Cui ampliationi praesertim illa accessit, quod etiam Episcopo sive Praelato ordinario speciali modo obedientia debita, *promissione* quoque et *iuramento* esset confirmanda.

95. Disciplina vigens. I. *Subiectum*, cui ab omnibus clericis imprimis obedientia debetur, est *Romanus Pontifex* [37]. Quam obedientiam spondere et iurare debent quicumque ad ordinem subdiaconatus promoventur in ipsa fidei professione atque iterum cum de quolibet beneficio providentur atque etiam in plerisque officiis suscipiendis ad normam can. 1406 sq.

Episcopo diocesano obediendum est in rebus ecclesiasticis ab omnibus clericis dioecesanis sive saecularibus sive religiosis, qui privilegio exemptionis non gaudent; imo ipsi clerici religiosi exempti, ubicumque in casibus exceptis exemptio non habet locum. Qua in re tamen illa intercedit differentia, quod clerici religiosi etiam *vi voti* obedientiae Romano Pontifici sint subiecti (can. 499), Episcopo autem propter solam potestatem *iurisdictionis* in casibus exceptis debeant obedire, nisi Romanus Pontifex Episcopo specialiter dederit potestatem, v. g. religioso fruenti indulto exclaustrationis etiam *vi voti obedientiae* praecipiendi (can. 639).

[35] *Phillips*, l. c. p. 193 sq.; Collect. Lac. t. III, col. 108; *Hinschius*, l. c. p. 211.

[36] Sess. XXIV, cap. 1, 2, 12, de ref., Sess. XXV, cap. 2, de ref.

[37] Cfr. cap. 1, 2, 3, de maior. I, 8, in Extravg. com.; cap. 5, X. de maior. et obed. I, 33; Synod. prov. Ruth. (a. 1891), p. 29, ubi iubet servare praxim ante presbyteratum emittendi *iuramentum fidelitatis* atque *obedientiae* tum Summo Pontifici tum Ordinario proprio; *Phillips*, l. c. p. 173 sq.; *Hollweck*, l. c. §§ 129, 26, 134, iunct. § 245.

Cardinalibus debetur obedientia a clericis, quos in ecclesiis suis titularibus sibi subiectos habent. Ibidem enim Cardinales obtinent potestatem, quae Ordinariis locorum in suis ecclesiis competit, ad debitum servitium ipsius ecclesiae (can. 240, § 2)[38].

Clerici religiosi suis Praelatis tum *vi voti* obedientiae tum non raro etiam propter potestatem *iurisdictionis* sunt subiecti atque ad obedientiam praestandam obligati. Quodsi clerici religiosi exerceant *curam animarum*, obedientia erga Episcopum et Praelatum religiosum ordinanda est secundum praescripta can. 630 et 631[39].

Scholion. Si inter mandata diversorum Superiorum humanorum oriatur collisio, profecto in casu conflictus inter leges *ecclesiasticas* et leges *civiles* sine dubio *leges ecclesiasticae praevalent* iuxta normam definitam in Syllab. prop. 42. Si mandatum *Romani Pontificis* opponitur praecepto inferioris Praelati ecclesiastici, *Romano Pontifici* est obediendum. Cfr. cap. 2, de elect. I, 3, in Clem. At si Superiores ecclesiastici sint *aequales*, ex prioritate mandati (cfr. R. I, 54, in Sext.) obligatio obedientiae videtur esse definienda, ut recte tenet *Scherer*, l. c. p. 448, contra *Phillips* et *Hinschius*. Speciatim parochus religiosus, ex can. 630, in quaestionibus *disciplinae religiosae* stare debet praeceptis Superioris religiosi, quoad *curam animarum* Episcopo obediat necesse est.

II. *Subiecta*, quae ad obedientiam Romano Pontifici etiam cum iuramento promittendam obligantur, sunt imprimis *Cardinales* tempore promotionis suae, *Archiepiscopi* ante pallii receptionem, *Episcopi* intra ritum consecrationis suae, *Abbates* et *Praelati exempti* ante benedictionis abbatialis receptionem, denique omnes *personae ecclesiasticae*, quae *fidei professionem*, iuxta formam a *Pio IV* et *Pio IX* approbatam et in principio Codicis relatam, iure communi can. 1406 aut iure particulari emittere tenentur. *Promissio obedientiae* Ordinario *sine iuramento* facienda ex iure communi in sola ordinatione presbyteri iuxta ritum Pontificalis Romani est praescripta.

[38] Cfr. Const. Innocentii XII *Rom. Pontif.*, 17 Sept. 1692, ubi antiqua iurisdictio valde fuerat limitata; Act. S. Sed., XI, 511 sq.

[39] Cfr. Benedicti XIV Const. *Firmandis*, 6 Nov. 1744 et Leonis XIII Const. *Romanos Pontifices*, 8 Maii 1881.

III. *Vis* atque *ambitus* illius promissionis obedientiae et iuramenti fidelitatis, etiam in clericis, refertur tantum ad res licitas et ecclesiasticas[40], praesertim illas quae in formula *speciatim* exprimuntur[41]. Quare huiusmodi iuramentum obedientiae nequaquam tempore medii aevi omnes Episcopos vel clericos constituit *vasallos* aut nostra aetate *cives* in imperio quodam politico Romani Pontificis[42]. Praeterea obedientia canonica non habet vim *voti* religiosi, sed est promissio merae fidelitatis *homini* facta, ad quam accedit obligatio religionis, si *iuramento* sit confirmata.

Obedientia canonica, quam clericus vel beneficiarius suo Episcopo dioecesano praestare tenetur, generatim in hoc consistit, ut ipsius legibus et praeceptis, sententiis et correptionibus, doctrinis et monitis prompte obsecundet[43]. *Inter alia*[44] praeter expressam iuris sanctionem can. 143, 144, etiam vigore promissae obedientiae canonicae illud exigitur, ut clericus sine licentia sui Episcopi in aliam dioecesim non discedat derelicto servitio ecclesiae, cui in ordinatione addictus fuerat[45]. Quae licentia ab Episcopo in forma legitima est danda et absque iusta causa denegari nequit[46], aut iam concessa revocari contra naturalem aequitatem.

Inde tamen non infertur quod Episcopus clericum dioece-

[40] Cfr. c. 2, Conc. Bracar. (a. 572) = c. 1. C. X, q. 3; cap. 11, X. de off. et pot. iud. del. I, 29; cap. 28, § 3, X. eod.; *Phillips*, l. c. p. 176 sq.

[41] Cap. 4, X. de iureiur. II, 24, iunct. Pontificali Roman., tit. de consecr. electi in Ep., ubi reperitur forma iuram. Episcopi.

[42] Cap. 17, X. de simon. V, 3; cap. 11, X. de R. I. V, 41, ubi absolute homagium pro rebus spiritualibus reprobatur; *Phillips*, l. c. p. 196 sq.

[43] Cap. 2, 4, 9, X. de maior.; *Heiner*, l. c. p. 32 sq. Cfr. *Claeys*, l. c. p. 31 sq.

[44] Benedict. XIV, cit. Const. *Ex quo; Scherer*, l. c. p. 448. Quare nequaquam promissio obedientiae canonicae clericorum vel beneficiariorum ad solam illam obligationem *non discedendi* restringi potest, at etiam arbitrarie ab Episcopo non est extendenda.

[45] Benedict. XIV, cit. Const. *Ex quo*, iunct. Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 16 et declar. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 207 sq., praesertim n. 4, 6, decis. in caus. Tinen., 15 Mart. 1625 et in caus. Reat., 26 Ian. 1833, unde iam deducebatur etiam sacerdotes ad titulum patrimonii ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiae ordinatos non habere absolutam libertatem discedendi.

[46] S. C. C. in caus. Segnen., 13 Sept. 1749, l. c. n. 2.

sanum, qui *certo loco* non est adscriptus aut in determinato officio constitutus, sed forte relinquatur otiosus, invitum retinere possit, ne e sua dioecesi discedat et alibi paroeciam accipiat [47]; quodsi propter necessitatem omnino eum in dioecesi retinere vel ad illam revocare velit, id facere non prohibetur, dummodo eidem de *congrua* provideat [48].

Cum maxime illi clerici, qui nulli dioecesi vel monasterio stabiliter adscribuntur, ab obedientia canonica practice sint immunes, et *oves* dicantur *perditae sine pastore* [49], ideo unusquisque clericus suam habeat necesse est dioecesim vel societatem religiosam, cui sit incardinatus (can. 111, § 1). Inde quoque facile intelligitur, quare excardinatio ex dioecesi [50] vel dimissio etiam voluntaria ex Ordine vel Congregatione religiosa non privato relinquatur arbitrio, sed formis legitimis sit adstricta.

IV. Codex in particulari can. 128 declarat speciale obiectum in quo a clericis debetur obedientia et inde firmat potestatem Episcopi in illa obedientia imponenda, quae in iure praecedenti non erat clare expressa et in doctrina Doctorum satis erat controversa [51]. Agitur de impositione muneris per Episcopum clerico facta, et de obligatione hujus illud suscipiendi et fideliter implendi. Quae obedientiae obligatio asseritur de omnibus clericis, non solum de iis, qui nullum beneficium aut officium permanens in dioecesi habent, sed pertingit ad ipsos beneficiarios aut aliud officium in dioecesi habentibus. Quoad beneficiarios illa obligatio limitatur ad munera, quae cum oneribus beneficii sint compatibilia, nam legem fundationis Ordinarius sua ordinaria potestate immutare non potest (can. 1417, § 2): et officia incompatibilia haberi non possunt (can. 156). At legem fundationis iure Codicis [52] non immutat Ordinarius qui oneribus a fundatore impositis beneficiario alia imponit munera cum illis com-

[47] S. C. C. in caus. Arimin., 5 Dec. 1574, in caus. Ferrar., 12 Iun. 1604, l. c. n. 3.

[48] S C. C., in caus. cit. Reatin.; *Scherer*, l. c. p. 149 sq.

[49] Cfr. c. 18, Conc. Roman. (a. 826) = c. I, D. 72.

[50] Cfr. de excardinatione e dioecesi: can. 112 sq., iunct. caus. select. S. C. C., ed. *Lingen* et *Reuss*, p. 147 sq.; Act. S. Sed., XIII, 522 sq., XVI, 534; Arch. f. k. K., t. 33, p. 389 sq.; S. C. C. 20 Iul. 1898; *Hoffmann*, in *Act. theol.* Oenipont, t. 24, p. 92 sq. (de excardinatione).

[51] Cfr. *Claeys Boúúaert*, l. c. p. 274 sq., 353 sq.

[52] De iure praecedenti cfr. *Claeys Boúúaert*, l. c. p. 354 sq.

patibilia; quin imo retentis illis oneribus beneficium simplex potest Ordinarius convertere in curatum (can. 1430, § 2). Multo magis nihil obstat, quominus illa munera imponat clericis non beneficiariis, tametsi ordinatis titulo patrimonii et a fortiori si fuissent ordinati titulo servitii ecclesiae seu dioecesis (cfr. can. 981); nam sacerdotes ordinantur propter populi spirituales necessitates et qua tales Episcopi mandatis tenentur obedire in iis quae spectant ad bonum animarum et regimen dioecesis ipsis concreditum [53].

Haec autem Ordinarii potestas restringitur ad casum, quo id exigat necessitas ecclesiae nec adsit in clerico legitimum impedimentum ab illo munere suscipiendo excusans; cuius rei iudicium definitivum est penes ipsum Ordinarium, non penes clericum.

V. *Recursus* contra gravia et iniusta mandata proprii Praelati ecclesiastici ad Superiorem altiorem in foro canonico ex natura rei clericis permittitur [54]; at poenae quoque in clericos inobedientes, quatenus in iure certis delictis non iam sunt statutae, prudenti arbitrio competentis Superioris ecclesiastici pro gradu contumaciae, v. gr. etiam censurae sunt decernendae [55].

Art. 2. - De honestate externa clericorum (c. 136)

§ I. De vestitu et habitu externo clericorum

96. Principia fundamentalia. Quamvis pro diversitate temporum et locorum varius semper fuerit habitus clericorum, tamen principia, quibus disciplina ecclesiastica innititur, mutationi non sunt obnoxia [56]. Etenim habitus clericorum generatim *honestus* sit oportet (cfr. Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 1, de ref.), atque proprio *congruens ordini* (cfr. cap. 2, h. t. in Clem.), ut per decentiam habitus extrinseci morum honestas ostendatur; denique *non*

[53] Cfr. Benedicti XIV Const. *Etsi minime*, 7 Febr. 1724; Const. *Declaratio*, 16 Mart. 1746; Inst. eccl. 31; Conc. Plen. Americ. Lat. tit. 3, c. 12.

[54] Cfr. Decr. lib. V, tit. 31, de excessib. Praelat.; cap. 13, X. de maior. et ob.

[55] Cfr. can. 2220, cap. 2, 5, X. de maior. et obed.; Conc. Plen. Baltimor. III (a. 1884), n. 38; *Phillips*, l. c. p. 180 sq.; *Scherer*, l. c. p. 449.

[56] *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 52, n. 10.

laicalis sit, sed vere *clericalis* iuxta ordinationem Ecclesiae (cfr. Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 6, de ref.), atque a modis *mundanis* omnino alienus [57].

97. Notae historicae [58]. Primis fere quatuor vel quinque saeculis religionis christianae vestes, quibus clerici extra functiones sacras et liturgicas utebantur, a communibus laicorum vestibus ad summum *modestia* et *simplicitate* [59], *non forma* et *colore* speciali distinguebantur. Et profecto ipsa temporum ratio postulavit, ut clerici a laicis per habitum externum non secernerentur. Saevientibus enim persecutionibus ipsi sese tyrannis ad necem obiecissent, si manifesta signa clericatus etiam in vita communi retinuissent.

Qui mos, procellis persecutionum sedatis, non illico est mutatus. Nam vel ipse Caelestinus Papa in epistola data ad Narbonensem Episcopum a. 428 reprehendit morem, quo clerici pro *tunica* et *toga romana monachorum vestes* affectabant. Inde autem a saeculo V et VI clerici coeperunt gestare vestes peculiares, quibus a laicis discernebantur. Quae immutatio inducta est per barbarorum incursiones. Cum enim barbari, qui saeculo IV et V Romanum imperium invaserant, vestibus *brevioris formae* uterentur, clerici, cum iure Romano uterentur, etiam *longiores vestes romanas* retinuerunt. Qua constantia clericorum in servandis traditionibus antiquis, non studio rerum novarum, discrimen inter habitum laicalem et clericalem paulatim ex saeculo VI est introductum. Plurima Concilia provincialia istam praxim inculcarunt atque explicarunt [60]. Id vero sollemni quadam ratione factum est c. 16 Conc. Later. IV (a. 1215) = cap. 15, X. h. t. Quod decretum Conc. oecumenici mox ad compilationem authenticam *Gregorii IX* translatum et a multis Conciliis provin-

[57] Collect. Lac. v. v. Clerici vel Sacerdos v. g., t. IV, v. Clerici, n. 32 sq. (Conc. prov. Galliae); Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 204 sq. (de clericorum habitu).

[58] *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 43, sq.; *Benedict. XIV*, Inst. eccles. 71, De Synod. dioec., l. XI, cap. 8; *Kraus*, l. c. t. II, p. 181 sq.; *Wilpert*, D. Gewandung der Christen; *Armellini*, « Lezioni di archeologia cristiana », p. 419; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 893 sq.

[59] Cfr. c. 15, qui adscribitur alicui Conc. Carthag. IV, a. 398, non existenti; *Hefele*, l. c. t. II, p. 68 sq.

[60] Cfr. c. 20, Conc. Agath., a. 506 = c. 22, D. 23; c. 5, Conc. Matisc. a. 581; c. 7, Conc. plenar. German., a. 742; c. 3, Conc. Roman., a. 743.

cialibus innovatum [61] denuo in Clementinis (cap. 2, h. t.), fuit confirmatum, sed iustae immutationis, v. g. quoad manicas pendulas, habita est ratio.

Praxi et legibus Ecclesiae tandem effectum est ut, reprobatis non paucis abusibus et levitatibus, vestis *longa* et *clausa* sive talaris, non diversorum nimisque splendidorum colorum fieret de iure habitus ordinarius clericorum. Inde ex fine saeculi XV atque multo magis ex saeculo XVI etiam disertis verbis in statutis particularibus color *niger* habitus clericalis praescribitur [62]. Concilium Tridentinum in iure antiquo quoad substantiam nihil immutavit, sed innovando et ampliando sanctiones *Clementis V*, Sess. XIV, cap. 6, de ref., prohibet, ne clerici vestes etiam publice deferant laicales; insuper personis ecclesiasticis l. c. nominatis praescribit, ut honestum habitum clericalem deferant illorum ordini et dignitati congruentem iuxta ipsius *Episcopi ordinationem*. Quam generalem Conc. Trid. sanctionem postea Sixtus V, Const. *Cum sacrosanctam*, 9 Ian. 1589, amplificavit et disertis verbis habitum *talarem* clericis praescripsit. Quae Constitutio Sixti V, cum interpretatione *usuali* aliquantulum benigniore quam littera legis sonat, et citatum decretum Conc. Trid. constituebant normam, quam S. C. C. (Conc. Trid. in ed. *Richt.*, p. 92), et recentiora Concilia provincialia (cfr. Collect. Lac., l. c. in font.) inculcarunt. A qua norma etiam in schemate Concilii Vaticani non est recessum. Cfr. *Martin*, l. c. in font.

98. Disciplina Codicis. I. Sine distinctione inter clericos *minores* et *maiores* Codex omnibus promiscue clericis imponit obligationem deferendi decentem habitum ecclesiasticum secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta. Quinam sit quoad formam habitus ecclesiasticus non definitur in particulari, sed tantum illo principio generali quod sit habitus, qui ex legitima loci consuetudine et ex praescripto Ordinarii loci habeatur ut verus habitus ecclesiasticus [63] non confundendus cum laicorum habitu. Usus vestis *talaris* saltem prae-

[61] *Hefele*, l. c. t. III, p. 36, 54; t. IV, p. 20, 23; t. V, p. 127.

[62] Const. Synod. Eccl. Paris., a. 1495; Conc. Mediol. I (a. 1565), c. 17, 23.

[63] Cfr. Conc. Trid., Sess. XIV, cap. 6. de ref. cum decis. S. C. C., in ed. *Richt.*, l. c.; cap. 2, h. t. in Clem.; *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 21, 34, 71;

scribitur (can. 811, § 1) pro celebratione missae; quae praescriptio videtur ob paritatis rationem pertinere ad quaslibet sacras functiones, ut satis clare deducitur ex declarat. S. C. Cons. pro Canada, 31 Martii 1916 (A. A. S., VIII, 148), ubi vestis talaris *communi lege* in sacris functionibus unice adhibenda dicitur; porro cum illo iure communi tunc exsistenti [64] congruit ius Codicis quoad formulam qua habitus *ecclesiasticus* praescribitur. Ex eadem Instr. S. C. Cons. sequitur, clericum, qui ut peregrinus, v. gr. itineris causa, in aliena dioecesi versatur, posse ibi vestem suae dioecesis retinere, licet diversam ab ea quae in tali loco est praescripta; sed potest etiam clericus se conformare usibus loci in quo versatur nec ob hanc unam causam a proprio Ordinario reprehendi aut puniri potest.

Nulla pariter fit distinctio in Codice inter clericos beneficiarios et alios clericos; unde relate ad minores clericos non beneficiarios ius rigidius potius introductum est. (Cfr. *Benedictum XIV*, De Syn. dioeces., l. XII, cap. 3).

Scholion. Circa usum collaris Romani [65], femoralium [66], cinguli, birreti, pallii, baculi, leges dioecesis vel provinciae vel probatae consuetudines sunt attendendae. Prudenter quoque complures Episcopi clericis prohibuerunt vestes clericales commodare, ne forte alii personam clerici simularent; merito quoque *laicis*, etiam *religiosis*, gestationem collaris Romani interdixerunt [68].

II. Clerici *minores*, qui propria auctoritate sine legitima causa habitum ecclesiasticum et tonsuram dimiserint, nec, ab Ordinario moniti, sese intra mensem emendaverint, ipso iure a statu clericali decidunt (can. 136, § 3). Clerici vero *maiores* hac in re

Ferraris, l. c. v. Clericus, art. 1, n. 26; *Putzer*, Facult. Apost., l. c. n. 167. Cfr. etiam Decret. S. C. C. d. 28 Jul. 1931, De habitu ecclesiastico a clericis deferendo; A. A. S., XXIII, 336.

[64] Cfr. *Benedict. XIV*, Inst. 34, 71, De Synod. dioec., l. XI, c. 8; Collect. Lac., t. III, v. Sacerdos n. 61 sq., t. IV, V, v. Clerici n. 32 sq.; t. V. v. Sacerdotes n. 45 sq.; t. VI, v. Clerici n. 46 sq.; Instr. Eyst., n. 566.

[65] Collect. Lac., t. V, col. 52; Instr. Eyst., n. 566 et cit. Instr. S. C. Cons. pro Canada.

[66] Collect. Lac., t. V, col. 200, 909.

[67] Collect. Lac., t. VI, col. 754, 815, 779.

[68] Conc. Quitens. I (a. 1863), in Collect. Lac., t. VI, col. 403; Conc. plen. Hibern. (a. 1875),, in Arch. f. k. K., t. 43 p. 62.

peccantes, post monitionem sunt puniendi usque ad suspensionem atque adeo usque ad depositionem ad normam can. 2379.

III. *Annulus* iis tantum clericis permissus est, quibus competit, aut ex speciali privilegio seu indulto aut ex officio dignitatis, velut R. Pontifici, Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus, Protonotariis, canonicis ecclesiarum cathedralium, doctoribus theologiae et iuris canonici. At intra Missam praeter Cardinales, Episcopos, Praelatos mitratos, Abbates, omnibus sacerdotibus, etiam Abbatibus non benedictis, Protonotariis titularibus, doctoribus quibuscumque [69], dignitatibus et canonicis ecclesiarum cathedralium ex decretis S. R. C., 20 Nov. 1628, 22 Iun. 1630, 9 Mart. 1894, non obstante quacunque consuetudine, gestatio annuli denuo est interdicta. *Decr. Auth.*, S. R. C. n. 483, 536, 2907, 3061, 3821; *Ferraris,* v. Annulus, n. 10 sq.

IV. Clerici *arma*, praesertim publice, portare sine iusta et gravi causa, v. g. in itinere periculoso ad propriam aliorumque defensionem, iam ipsis legibus ecclesiasticis prohibentur (can. 138) [70]. Nostra autem aetate, qua immunitas personalis clericorum ordinarie est sublata, clerici pariter *leges civiles* attendant necesse est. Quae leges non raro cavent, ne arma absque permissione *speciali* auctoritatis civilis in scriptis obtenta portentur; imo interdum ad certa arma (pistola) gestanda *specialissima* licentia est necessaria, cum in *generali* permissione portandi arma non contineatur [71].

§ II. De tonsura et coma barbaque clericorum [72]

99. Principia fundamentalia. Si clericis in universo habitu externo modestia est praescripta, illae praescriptiones eccle-

[69] Conc. Neograpat, (a. 1868), in Collect. Lac. t. VI, col. 543.

[70] Cfr. c. 5, Conc. Matisc. I (a. 581); c. 6, Conc. Metens. (a. 888); c. 6, Conc. Remen. (a. 1049); c. 7, Conc. Turon. (a. 1060); cap. 2, X. h. t.; cap. 6, de sent. excom. V, 11, in Sext.; cap. 1, h. t. in Clem.; Collect. Lac., t. VI, col. 50, 51, t. III, col. 433; *Ferraris*, l. c. v. Arma; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec., l. X, cap. 2, n. 3, ubi non probat decretum, quo Episcopus Melitensis poenae excommunicationis latae sententiae subiecit clericos occulte detinentes arma prohibita; *Scherer*, l. c. t. I, p. 684; *Hollweck*, l. c. § 237.

[71] Cod. crimin. Ital., art. 464, 465, 466.

[72] Vide Pontificale Rom. p. III, De barba tondenda; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec., l. XI, cap. 9, Inst. eccl. 34, § 4, Inst. eccl. 96; *Ferraris*,

siasticae merito etiam ad *comam* et *barbam* extenduntur. Facile enim clerici aut mores feminarum vel vanorum virorum cum dedecore status clericalis imitantur, aut neglectis legibus et probatis regionum moribus, barbaro vel rustico modo incedentes iusto sese contemptui exponunt. Cfr. I Corinth. I, 14. Verumtamen apud clericos nequaquam aliquid illico obsoletum est habendum, eo quod a laicis illius regionis forte iam diu est derelictum. Imo si clerici a saecularibus formis in coma vel barba nutrienda *recedant*, id ipsorum statui singulari et a laicis distincto omnino convenit. Neque illud est omittendum, quod *tonsio capillorum* et gestatio tonsurae suas habeant symbolicas significationes. Cfr. c. 7, C. XII, q. 1. Denique in hac quoque re, legitima varietate retenta, unitati disciplinae et conformitati cum Ecclesia Romana est consulendum [73].

100. Notae historicae. I. Clerici usque ad saeculum IV speciali *comae* forma a laicis non fuerunt distincti, prohibentur vero sacris canonibus ne comam nimis nutriant et prolixam teneant [74]. At vera quaedam *tonsura* clericorum, in forma tempore medii aevi aut nostra aetate recepta, in antiquissimis monumentis christianis non reperitur. Ita v. g. S. Petrus in antiquissima imagine apud S. Pudent. et S. Sabin. ordinarios habet capillos.

Quae praxis paulatim *ex saeculo IV* immutari coepta est. Certe iam illo saeculo fuit mos monachorum perfecte tondendi comam, ut sese segregarent a mundo et contemptibiles redderent [75]. Item, saltem in Africa, clerici exeunte saeculo IV et ineunte V coronam capillorum gestarunt [76], unde iam saeculo V dicebantur *coronati* [77]. Hinc mirum non est, quod ex eodem saeculo V in picturis vel ipsi Apostoli cum tonsura reperiantur [78], et ton-

l. c. v. Coma fictitia; *Phillips*, l. c. t. I, p. 697 sq.; *Thalhofer*, in Arch. f. k. K., t. IX, p. 93 sq. (de barba clericor.); *Kraus*, l. c. t. II, v. Tonsur; *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 1, p. 37 sq.

[73] Epist. Nunt. Apost. in Bavar. ad Archiep. Monac., 4 Maii 1863.

[74] Cap. 5, X. h. t. (ex can. Conc. Carthag IV, a. 398, adscriptis); cap. 7, X. h. t. (ex Conc. Agath., a. 506); *Kraus*, l. c. t. II, p. 902.

[75] *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 37, n. 11, 12.

[76] *Scherer*, l. c. t. I, p. 381; *Phillips*, l. c. t. I, § 34.

[77] L. 38. Cod. Theod. de Ep. XVI, 2, iunct. *Godofred.*, comment. in h. l.. 38.

[78] *Kraus*, l. c.

sura tanquam signum quoddam distinctivum inter clericos et laicos praescripta sit [79]. Quae obligatio clericorum gestandi tonsuram in Conciliis provincialibus inde ex saeculo XI frequenter inculcatur [80]. Paulatim etiam illa praxis introducta est, ut saeculo XV, v. g. in Conc. Mediolanensi a. 1575, clericis pro maiore minoreve ordine etiam maior vel minor tonsura praescriberetur [81].

Denique nostra aetate penes clerum saecularem illa tonsurae forma in usu est, quam Concilium Toletanum IV (a. 633), c. 41, reprobavit.

II. Dubium existere nequit quin Christus Dominus eiusque Apostoli pro more Hebraeorum aliorumque populorum orientalium *barbam* prolixam, non tonsam gestarint [82]. At minime inde sequitur Ecclesiae pastores passim huiusmodi exemplum esse secutos. Etenim cum clerici in Ecclesia orientali morem orientalem gestandi barbam retinerent, et monachi quoque suas barbas haberent promissas, in Ecclesia occidentali certe ex saeculo IV et V magis magisque receptus est mos *barbam non nutriendi*, sed potius *tondendi* atque adeo radendi [83]. Quare *Photius*, saeculo IX, clericis occidentalibus crimini vertit, quod barbas radere non abnuerent. Quod factum clerici occidentales non negant, sed legitimum esse ostendunt, velut Ratramnus, monachus Corbeiensis, qui suadente Nicolao M. graecorum exceptiones bene refutavit [84]. Quae autem postea fuerit praxis in Ecclesia occidentali recepta, facile eruitur ex verbis *Cardinalis Humberti*, Legati *Leonis IX* in civitate Constantinopolitana saeculo IX, *Graeci capillos capitis ac barbam nutrientes eos, qui comas tondent* **et secundum institutionem Romanae Ecclesiae barbam radunt**, *in communionem non recipiunt. Gregorius VII autem*, cum clerus insulae Sardiniae pro more orientalium clericorum barbam gestare coepisset, acriter istum abusum reprehendit et Archiepiscopum Calaritanum coegit, *ut quemadmodum totius Ecclesiae occidentalis clerus ab ipsis fidei christianae primordiis*

[79] *Thomassin.*, l. c. cap. 37 sq.

[80] *Thomassin.*, l. c. cap. 41; *Hefele*, l. c. t. V, p. 347, 419.

[81] *Scherer*, l. c. p. 387.

[82] Kirchenlex. v. Bart; *Thalhofer*, in Arch. f. k. K. l. c.

[83] Cap. 5, X. h. t., *Scherer*, l. c. p. 382.

[84] *Hefele*, l. c. t. IV, p. 364, 776.

barbam radendi morem tenuit, ita et ipse ... Archiepiscopus raderet.

Quae praxis ipso iure Decretalium (cfr. cap. 7, X. h. t.) confirmata et iure quoque particulari inculcata [85] usque ad saeculum XVI inviolabiliter fuit servata. At illo saeculo [86] paulatim gestatio barbae in clericis fuit tolerata. Frustra *S. Carolus* (a. 1576) hortatus est clericos, ut derelicto more barbae gestandae, *in universa fere Italia ex abusu paucis ab annis* introducto, iterum redirent ad barbirasium. Quod verba Sancti Caroli non effecerunt, id pruritus imitandi mores *Ludovici XIV*, praesertim ab anno 1680, denuo in praxim deduxit. Qui mos barbirasii, observantia duorum saeculorum iterum corroboratus, etiam in cit. epist. Nuntii Apost. ex mandato speciali *Pii IX* approbatus et inculcatus est. Quod exemplum Episcopi etiam in Conciliis congregati secuti sunt [87].

101. Disciplina codicis. Verba iuris Decretalium (cap. 4, 5. 7, X. h. t.), quod clerici *comam* non nutriant, ita iam intelligenda erant, ut *clerici saeculares* a coma nimis *prolixa* et more *saeculari* studiose composita [88] abstinere et *tonsuram nunc usitatam gestare* [89] deberent. Cui iuri consonat ius Codicis, dum clericis praecipit ut capillorum *simplicem cultum* adhibeant, i. e. nec vanum nec rusticum. At severius sine distinctione inter minores et maiores clericos omnibus iniungit, ut tonsuram seu coronam clericalem deferant, cum sola illa exceptione de locis, ubi recepti populorum mores aliter ferant, cuius rei iudicium, non ad privatos clericos aut sacerdotes, sed ex natura rei ad Ordinarios locorum pertinet.

Scite monet *Ferreres*, Inst. canonic. I, 295, turbatis temporibus, quibus violentae in clerum persecutiones imminent, legitimam adesse causam ad dimittendam tonsuram, et praesente iam periculo ad dimittendum etiam habitum ecclesiasticum, dum talis rerum status perseverat. *Clerici* autem *regulares* pro diversi-

[85] *Thalhofer*, l. c. p. 100.

[86] *Pierius*, Pro sacerdotum barba apologia (Rom. 1531).

[87] V. g. Patres Conc. Westmonaster. IV (a. 1873); Conc. plen. Baltimor. II, a 1866. Cfr. Collect. Lac. t. III, col. 548 sq., 442.

[88] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XI, cap. 9, n. 4; Conc. prov. Galliae in Collect. Lac. t. IV, v. Clerici, n. 38.

[89] Collect. Lac. v. Tonsura v. g., t. IV, l. c. n. 35; t. VI, v. Clerici, n. 47.

tate Ordinum religiosorum suas consuetudines, praxi communi rigidiores, laudabiliter retinent.

Scholion I. *Caesaries sive coma ficta*, quae vulgo dicitur parrucca, de qua nihil dicit Codex, omnibus clericis censebatur interdicta [90]; sed *extra* Missae celebrationem *Episcopi* ex legitima causa clericis et sacerdotibus facultatem gestandi comam fictam concedere poterant. Quae facultas vel licentia nunc facilius concedi potest, cum in antiquitate illae comae fictae, saeculo XVIII adhuc usitatae, profecto a modestia clericali saepe fuerint prorsus alienae [91], quibus nunc aliae modestiores fuerunt substitutae. Solus autem *Romanus Pontifex* sacerdoti *celebranti* vel *sacris ministris assistentibus* facultatem concedere valet gestandi comam fictam etiam modestam. Nam Missa a sacerdote eiusque ministris velato capite celebrari non potest; at qui gestat comam fictam, certe aperto capite non celebrat Missam [92].

Scholion II. Clerici ritus *latini*, nisi in regionibus *orientalibus* sint constituti aut tacitum vel expressum privilegium [93] vel dispensationem Sedis Apostolicae obtinuerint, *barbam* decenter et integre *radere* tenentur [94]. Codex quidem expresse nihil dicit de hac re; sed prohibitionem gestandi barbam confirmat decis. S. C. C., in causa Wratislavien., 10 Ian. 1920, ubi negatur per Codicem datam esse clericis saecularibus libertatem gestandi bar-

[90] S. C. C., in caus. Melphit., 8 Aug. 1722, in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 184, n. 12; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec., l. c. et *Scherer*, l. c. p. 382.

[91] *Benedict. XIV*, l. c., Inst. eccl., 38, § 4, n. 14 sq.; Inst. eccl., 96, n. 1 sq., 5 sq., 9 sq.; Instr. Eyst., n. 566.

[92] S. R. C., 4 Apr. 1699, in *Decret. auth.*, n. 2027, iunct. n. 467, 1636; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec., l. c. Inst. eccl., 34, 96, l. c.; *Santi*, h. t., n. 37. Quodsi *Hollweck*, l. c., § 226, not, 6, videtur putare, etiam *intra* Missam sufficere facultatem Ordinarii, id ex praxi S. Sedis non videtur tutum: cfr. Facultates concessas Nuntiis et Delegatis Apostolic., n. 35, ubi supponitur res reservata R. P. Cfr. de pileolo missionariis Sinensibus a *Paulo V* concesso atque etiam nunc permisso in celebratione Missae aliisque sacris functionibus: *Benedict. XIV*, Inst. eccl., 96, n. 1 sq.; Collect. S. C. de Prop. F., n. 1205, 799, 809, 812; *Decret. auth.* S. R. C. v. Pileolus. Ita communiter; paulo mitius *Creusen*, Epit. I, n. 254; secundum eum nullius licentia videtur requiri ad calvitiem tegendam, etiam intra Missam, coma ficta, modesta et tonsuram simulante.

[93] Clement. VII, Const. *Religionis zelo*, 7 Iul. 1528, § 7, ubi omnibus sociis Ordinis Capuccinor. permittitur, ut *barbam deferre* possint.

[94] Cit. epist. Nunt. Apost. ad Arch. Monac.

bam et sustinetur potestas Episcopi *prohibitionem* hucusque vigentem retinendi pro sua dioecesi. (A. A. S., XII, 43 sq.).

Caput II

De coelibatu clericorum eiusque custodia

Fontes: L. 42, 45, 48. Cod. de Episc., l. 3; Novell. 6, cap. 5, 1; Nov. 22, cap. 42; Nov. 123, cap. 1, 14; Nov. 127, cap. 2, iunct. Leon. VI, Nov. 279. — Decret. Grat., D. 27, 28, 31, 32. — Cpl. I, II, III, l. III, t. 3 de cler. coniug.; cpl. V, l. III, t. 2, eod. — Decretal. Greg. IX, l. III, t. 3; Decretal. Bonif. VIII, l. III, t. 2, eod. — Conc. Trid., Sess. XXII, cap. 6, 17, de ref., Sess. XXIV, doctr. de sacr. matr., can. 9, 10; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 201 sq.; Synod. Alex. Copt. (a. 1898), p. 143 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decretal. in cit. tit. 3. — *Suarez*, De virt. et stat. relig., tract. VII, l. 9, cap. 13 sq.; *Zech*, Hierarchia eccl., tit. 4, de coelibatu clericorum; *Devoti*, l. c. t. I, de iure person., §§ 35 sq.; *Phillips*, l. c. t. I, §§ 63 sq. - *Zaccaria*, « Storia polemica del celibato », « Nuova giustific. del celib. »; *Laurin*, Der Coelib. d. Geistlichen; *Schnitzer*, Kath. Eher., p. 454 sq. — *Roskovány*, Coelib. et breviar.; *Krauss*, Real-Encyklp., v. Coelibat; *Thomassin.*, l. c., P. I, l. 2, cap. 60 sq.

102. Coelibatus prout imponitur clericis pertinet ad obligationes *positivas;* ipsa tamen adeo praecipua est et clericalis status tam singulare existit ornamentum ut sub proprio capite et rubrica mereatur tractari.

Art. I. — De coelibatu clericorum (c. 132)

103. Coelibatus, si sensu stricto accipiatur, nequaquam est tantum obligatio ex *lege divina* quibusvis hominibus *solutis* imposita omnem incontinentiam vitandi et castitatem colendi, *quamdiu* in illo statu *libere* et *de facto* perseverant, sed proxime est illa *obligatio*, quam clericus vel beneficiarius habet, ex lege quadam ecclesiastica sibi imposita, *abstinendi a matrimonio*, aut si matrimonio iunctus sit, saltem ab illius *usu*. Quam obligationem coelibatus S. *Leo* hisce verbis aptissime describit: *Et qui habent* (uxores), *sint tanquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares* [1].

[1] Cfr. c. 1, D. 32; *Laurin*, l. c. p. 13.

At ista obligatio *negativa* abstinendi a matrimonio aut eius usu perfectissimum gradum coelibatus clericorum non comprehendit. Is enim consistit in *positiva* obligatione iure ecclesiastico certis clericis imposita servandi *perfectam castitatem vero voto* confirmatam [2]. Quae obligatio *positiva* coelibatus est causa et fundamentum perfectum negativae illius obligationis. Ecclesia autem, ut istum effectum separationis clericorum a matrimoniis eo securius et efficacius consequeretur, legem *suam* certis clericis matrimonium *prohibentem* atque obligationem iuris *divini* ex *voto* ortam abstinendi a matrimonii celebratione munire potuit *irritante lege ecclesiastica*, qua matrimonium forte attentatum plane nullum et invalidum redderetur.

II. Divisiones. Pro diversis gradibus, quibus obligatio coelibatus clericis et beneficiariis imponitur, utiliter videtur esse *distinguenda* praxis Ecclesiae *occidentalis* a disciplina Ecclesiae *orientalis*. Porro secernenda est obligatio *non contrahendi* matrimonium ab obligatione *non utendi* matrimonio iam contracto, obligatio *absoluta* et *perpetua* coelibatus in clericis maiorum ordinum ab obligatione *conditionata* et *temporanea* in beneficiariis minorum ordinum. Praesertim vero distinguenda est obligatio coelibatus orta etiam ex *voto* perfectae castitatis ab obligatione, quae *sola lege* ecclesiastica, sive absolute sive conditionate data, inducitur.

§ I. De coelibatu clericorum maiorum ordinum

104. Principia fundamentalia. I. Si Ecclesia catholica generatim a clericis maioribus exigit, ut perfectum coelibatum servent, principale et inconcussum fundamentum huius disciplinae ecclesiasticae est certa et indubitata doctrina catholica de *honestate*, *possibilitate* atque etiam *praestantia* status coelibatus et *virginitatis*, si cum statu coniugali comparetur [3].

Quae doctrina catholica manifeste comprobatur ipso exem-

[2] *Lehmkuhl*, Theol. mor. II, n. 618; *Dilgskron* in *Analect. eccl.* (a. 1893), t. I, p. 333 sq. (a. 1894), t. II, p. 42 sq.

[3] Conc. Trid., Sess. XXIV, can. 9, de doctr. matr.; *Palmieri*, De matrimon. christ., p. 26 sq.; *Laurin*, l. c. p. 27 sq.; 42 sq., 183 sq.; *Phillips*, l. c. § 63; *Pohle*, Lehrb. der Dogm., t. III, p. 583 sq. Cfr. etiam Alloc. Consist. Benedicti XV, 16 Dec. 1920, A. A. S., XII, 587.

plo Christi Domini, Apostolorum, tot sanctorum Episcoporum et sacerdotum. Accedunt clara et aperta testimonia Christi Domini et Apostolorum atque declarationes totius Ecclesiae catholicae. Denique eadem doctrina eruitur ex intrinseca natura coelibatus et virginitatis. Quo solido fundamento iacto procul dubio etiam *aliae* rationes Ecclesiam ad introducendum coelibatum moverunt, minime vero illa motiva Ecclesiae sunt tribuenda, quae ab acatholicis gratis sunt conficta [4].

II. Summa autem *convenientia* coelibatus clericorum nequit negari, si attendatur imprimis dignitas *sacerdotii* novi testamenti. Nequaquam enim *carnali generatione*, ut in vetere testamento, sed *spirituali vocatione* assumuntur sacerdotes novae legis. Porro ipsis incumbit celebratio *sacrificii eucharistici*, in quo victima immaculata Deo offertur. Quodsi iam in vetere testamento sacerdotes, dum in templo officiis suis fungerentur, a matrimonio abstinuerunt, quanto magis virginitas sacerdotibus novi illius et purissimi sacrificii eucharistici convenit. Praeterea sacerdotibus commissa est *cura animarum, defensio iurium* Ecclesiae, aliaque *gravissima officia spiritualia*, quae sine magnis incommodis exerceri non possunt et a clericis coniugatis difficulter suscipiuntur. Denique si universus clerus esset coniugatus, facile via aperiretur ad *haereditariam* successionem in officiis Ecclesiae, ad *dilapidanda bona ecclesiastica* in favorem uxoris, prolis, consanguineorum atque ad *negligendos pauperes* Christi.

III. Denique si ab ipsis *hostibus* capiendum est *consilium*, coelibatus clericorum denuo omnibus catholicis praeclare commendatur. Qui enim impugnant coelibatum, vero odio in Ecclesiam catholicam agitantur, miseris et futilibus utuntur argumentis et a calumniis et iniuriis non refugiunt.

105. Notae historicae [5]. I. Christus Dominus et suo exemplo et sollemni doctrina castitatis perfectae servandae consilium dedit [6]. Quod consilium S. Paulus et ipse prompta voluntate est secutus et aliis christianis, ut eiusdem consilii sectatores essent, mira facundia suasit. Cfr. I Corinth. VII, 7, 25 sq. Quare mirum

[4] *Hinschius*, l. c. t. I, p. 153, aliique v. g. *Holzendorff*, *Schulte*, quorum refutationem habes apud *Laurin*, l. c. p. 183 sq.

[5] *Laurin*, l. c. p. 63 sq., 116 sq.; *Scherer*, l. c. p. 388 sq.; *Phillips*, l. c. § 64; *Zaccaria*, l. c.; *Thomassin.*, l. c.; *Funk*, Kircheng. Abh., t. I, p. 121 sq.

[6] Matth. I, 18 sq., XIX, 1 sq., 10 sq.; Luc. I, 26 sq.

non est quod vocationem Christi ad statum virginitatis praesertim ii viri secuti sint, qui *ex officio legationem* Christi et opus Apostolorum continuant, i. e. *clerici*. Inde autem inferri nequit primis temporibus religionis christianae viros matrimonio iunctos fuisse a clero exclusos, dummodo iidem fuerint unius uxoris mariti. Cfr. I Timoth. III, 2; Tit. I, 6. Tot enim viri coelibes, quot ad ministerium ecclesiasticum requirebantur, non sunt reperti, atque leges Romanae contra coelibatum et orbitatem non leve fuerunt impedimentum [7]. Quare clerici coniugati, qui aetate iam provecta ad clerum fuerunt assumpti, ex *laudabili more et consuetudine* inde ab aetate Apostolorum ab usu matrimonii abstinuerunt. Quo sensu facile admittitur coelibatum esse *institutionem* quandam apostolicam [8].

At certis et concludentibus argumentis hucusque non est probatum *generali* et *expressa lege* ab ipsis Apostolis [9] lata *eosdem clericos coniugatos* ad illam abstinentiam illico *stricto iure* fuisse obligatos [10]. Illud autem certum est, quod ex consuetudine, vim *verae legis* habente, iam saeculo IV in Ecclesia occidentali, diu ante Siricium Papam, clerici coniugati maiorum ordinum ab usu matrimonii essent exclusi et ad coelibatum servandum obligati. Id obtinuit etiam in iis regionibus orientalibus, ubi canones ecclesiastici *accurate* observabantur [11]. Multoque minus dubium existere potest quin, vel ipso teste Paphnutio, ex antiqua traditione [12] *viri soluti* et *coelibes*, qui ad ordines maiores fuerunt admissi, *postea* eodem rigore sint a matrimonio

[7] *Walter*, Geschichte d. roem. Rechts, n. 640.

[8] *Suarez*, l. c. h. tit.; *Laurin*, l. c. p. 63 sq., 116 sq.; *Schiwietz*, in Arch. f. k. K., t. 78, p. 313 sq., ubi exceptiones proponit contra *Funk*, l. c.; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. p. 254, not. 5, i. f. potius inclinat in sententiam a *Bickel* contra *Funk* propugnatam.

[9] Quare etiamsi Apostoli, qui matrimonio iuncti fuerunt, usum matrimonii dimiserunt, huiusmodi *exemplum* vim legis non habuit, licet ad inducendam *praxim* et *observantiam* multum conducere potuerit.

[10] Instr. S. C. de Prop. F., 24 Mart. 1858, in Collect. S. C. de Prop. Fid., n. 230; *Laurin*, l. c.; *Scherer*, l. c. p. 388; *Funk*, l. c.

[11] Epiphan. († a. 403), Panarion, Haeres. 59, cap. 4; *Socrates*, Histor. eccl., l. V, cap. 22.

[12] Cfr. de historia Paphnutii in Concilio Nicaeno; *Hefele*, l. c. t. I, p. 431 sq.; *Laurin*, l. c. p. 101 sq.; *Scherer*, l. c. p. 389.

contrahendo *prohibiti*, quo maioribus clericis coniugatis *secundae* nuptiae fuerunt interdictae [13].

Cum in non paucis clericis primitivus ille fervor refrigesceret [14], expressis et scriptis iuris sanctionibus obligatio coelibatus clericis maioribus fuit inculcanda, non denuo imponenda. Prima illa *expressa lex* [15] coelibatus gravi sanctione poenali munita pro Episcopis, presbyteris, diaconis aliisque clericis, etiam coniugatis, positis in ministerio, i. e. in servitio *altaris*, continetur c. 33, Conc. Illiber. (a. 300-306). Cfr. *Hefele*, l. c., t. I, p. 168 sq. Cui sanctioni eodem saeculo mox aliae accesserunt, inter quas principem locum occupat epistola Siricii Papae ad Himerium Tarraconensem Episcopum (a. 385) = c. 3, 4, D. 82 [16].

Quodsi canonibus hucusque commemoratis subdiaconi legi coelibatus expresse non subiiciuntur, certe in cit. can. Conc. Illiber. iam aequivalenter [17] et tandem can. 25 Conc. Carthag. (a. 419), etiam disertis verbis comprehenduntur. *Leo M.* autem (a. 446) in epist. ad Anastas.Thessalonic. cap. 3, 4, adeo certo supponit obligationem *subdiaconorum* ad coelibatum servandum, ut exinde petat argumentum, quo obligationem superiorum graduum demonstret. Cfr. c. 1, D. 32. Versus finem saeculi VI profecto *Gregorius M.* (a. 591) ob sapientes rationes immutavit legem a *Pelagio* II (a. 588) subdiaconis coniugatis Siciliae datam, atque futuro tempore etiam a subdiaconis illius insulae coelibatum servandum esse statuit [18].

Inde a tempore *Gregorii M.* lex coelibatus ex iure *communi* in Ecclesia *occidentali* Episcopos, presbyteros, diaconos, subdiaconos eosque solos obstrinxit neque unquam ad alios clericos fuit extensa, sed tantum novis atque iteratis sanctionibus confirma-

[13] Cfr. de clericis minoribus: C. 27 Apost. et c. 14 Conc. Chalced. (a. 451); de clericis maioribus: C. 1 Conc. Neocaesar. (a. 314-325) et c. 10 Conc. Ancyr. (a. 314).

[14] *Bickell*, in Act. theol. Oenip., t. II. p. 51 sq.; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c.

[15] *Dilgskron*, l. c. t. I, p. 337 sq. de coelibatu *lege ecclesiastica* praescripto.

[16] Cfr. quoque *Innoc. I* epist. ad Exup. Tolosan. (a. 405), cap. 1 = c. 2, D. 82, ad Victric. Rothomag. (a. 404), cap. 10 = c. 4, D. 31.

[17] Cfr. *Hefele*, l. c. t. I, p. 168 sq.

[18] Cfr. c. 1, D. 28; c. 1, D. 31; c. 2, D. 32; c. 2, C. XXVII, q. 2; *Laurin*, l. c. p. 78.

ta [19]. At sacris canonibus de coelibatu latis, praesertim in saeculo X et XI, praxis clericorum parum fuit conformis. Quare a Romanis Pontificibus, praesertim a Benedicto VIII (a. 1022), Leone IX (a. 1054), Nicolao II (a. 1059), Alexandro II (a. 1063) atque imprimis a Greg. VII (a. 1074) eiusque successoribus novis legibus, intrepida vi et constantia etiam executioni mandatis, coelibatus in clero restauratus est. Cfr. v. g. c. 5 sq., D. 32. Quae salutaris reformatio in Conc. oecumenicis et compilationibus authenticis Decretalium denuo approbata [20] profecto subsequentibus saeculis non ubique parem sortita est effectum; at certe usque ad pseudoreformationem saeculi XVI non amplius eadem vi impugnata est atque saeculo XI. Pseudoreformatoribus autem Ecclesia in Conc. Trid. Sess. XXIV, can. 9, de doctr. matr. opposuit sollemnissimam coelibatus approbationem neque unquam usque ad nostram aetatem suam de coelibatu clericorum disciplinam immutavit.

II. Longe diversa est historia coelibatus in *Ecclesia orientali*. Quamvis enim ibidem antiquis temporibus, saltem in illis regionibus, quae melius servarunt sacros canones, eadem vigeret disciplina atque in Ecclesia occidentali [21], paulatim ex saeculo IV, V, VI, mitior quaedam praxis altiores egit radices [22]. Quae disciplina laxior, praesertim in regionibus haeresi Ariana aliisque dissidiis dogmaticis perturbatis, eo maiore facilitate et celeritate propagata [33], tandem a Conc. Trullano (a. 692), quod inter Graecos summa auctoritate pollet, etiam can. 13 expressa lege ecclesiastica ita approbata est, ut *presbyteri, diaconi, subdiaconi* suo matrimonio ante ordinationem contracto etiam postea uti licite possint [24]. Patres Concilii Trullani, can. 13 de coelibatu lato, profecto vel ipsa forma modum excesserunt atque Ecclesiae Roma-

[19] Cfr. c. 6 Conc. Tolet. VIII (a. 653); c. 2 Conc. Roman. (a. 826); *Laurin*, l. c. p. 118 sq.; *Scherer*, l. c. p. 391.

[20] Cfr. c. 3, 21, Conc. Later. 1 (a. 1123) = c. 8, D. 27; c. 6, 7, Conc. Later. II (a. 1139) = c. 2, D. 28 et c. 40, C. XXVII, q. 1; Lib. III, X. tit. 2, 3.

[21] *Epiphan.*, l. c.; *Laurin*, l. c. p. 97 sq.

[22] Cfr. c. 6, 50 Apost.; c. 4 Conc. Gangr. (a. 362-370).

[23] Cfr. c. 5 Conc. Tolet. (a. 589); *Bickell*, l. c. p. 49 sq.

[24] Cfr. c. 3, 6, Conc. Trull. = c. 7, D. 32, de prohibitione et nullitate nuptiarum, quae a clericis maioribus post ordinationem attentantur, iunct. L. 45, Cod. de Episc. I, 3; Nov. 6, cap. 5; Nov. 126, c. 14.

nae praxim perperam damnarunt. Insuper mitiorem suam praxim mira inconsequentia *Episcopis* coniugatis applicare non audentes illorum uxores etiam in monasteria ablegarunt. Ad comprobandam vero temporaneam continentiam presbyteris, diaconis, subdiaconis impositam, sine ullo fundamento ad canonem Concilii Carthaginiensis provocarunt [25]. Mitior illa lex coelibatus, quam Romani Pontifices tolerarunt, in omnibus Ecclesiis orientalibus usque ad nostram aetatem quoad substantiam servatur [26]. At Synodus Sciarfensis Syrorum (a. 1888, p. 202), *praecipit et statuit, ut coelibatus, quem iam nunc servat maxima pars presbyterorum Ecclesiae nostrae,* **abhinc** *omnibus communis sit,* i. e. relicta libertate presbyteris vel diaconis *iam coniugatis* permanendi cum suis uxoribus et excepto casu dispensationis a Patriarcha ob necessitatem concessae. Immo Synodus Alexandrina Coptorum (a. 1898), p. 148, absolute decrevit: *Ut in posterum omnes ad maiores ordines promovendi coelibes esse debeant iuxta antiquam disciplinam Ecclesiae Alexandrinae ceterarumque Ecclesiarum Dei.*

106. Scholion I. Ecclesia quemadmodum a clericis paulatim exegit *obedientiam* canonicam *iurata* promissione confirmatam, ita etiam obligationem coelibatus sua *lege* impositam per expressam castitatis *promissionem* a clericis maioribus, ordines sacros suscepturis, voluit corroborari [27].

Quae professio continentiae a principio per solos sacerdotes et diaconos fuit emittenda [28], sed extensa lege coelibatus etiam ad subdiaconos eadem promissio castitatis ab ipsis quoque subdiaconis exigebatur [29]. Neque ullum dubium existere potest quin huiusmodi promissio, licet proxime in manus hominis fieret, tamen vim *veri voti* sive promissionis *Deo factae* habuerit [30]. Paulatim vero illa praxis introducta est, ut in ordinatione subdiaconorum iam non fieret expressa castitatis professio. Ipsa enim ordinis sacri susceptio eodem modo censebatur voti castitatis tacita professio, quemadmodum cum certis actibus ex iure antiquo tacita professio religiosa potuit emitti [31]. Quo iure tacitae emissionis voti castitatis in ordinatione subdiaconorum etiam nunc utimur [32].

107. Scholion II. A *lege* coelibatus et *voto* in ordinatione emisso distincta est quaestio, quo iure, sc. *lege* ecclesiastica *irritante,* an *voto sollemni* nitatur *nullitas* matrimonii forte a clericis maiorum ordinum attentati, et quonam *tempore* nullitas illa in Ecclesia orientali et occidentali introduci coepta sit. Nequit enim dubitari quin saltem iam a Conc. Later. II (a. 1139), c. 7 = c. 40, C. XXVII, q. 1, nullitas matrimonii a clerico maiore celebrati expressis verbis statuatur vel potius declaretur. Unde facile patet quantopere in hac historica quaestione errarit *Nuytz* (prop. Syllab. 72), qui putavit *Bonifacium VIII* (a. 1294-1303) *primum* asseruisse votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere.

108. Disciplina Codicis. I. Clerici *Ecclesiae occidentalis* in sacris ordinibus rite constituti ad coelibatum servandum graviter obligantur, i. e. qui soluti sunt, ut *S. Leo* loquitur, permanere debent *singulares,* et qui uxores habent, sint tanquam non habentes. Quare saltem matrimonium neque licite nec valide contrahere, nec matrimonio ante sacram ordinationem legitime contracto licite uti possunt. Can. 132, § 1. Insuper positive obligantur ad servandam perfectam castitatem ita, ut contra eam peccantes sacrilegii reatum admittant (ibid.) [33].

[25] Cfr. c. 12, 48, Conc. Trull. iunct. L. 42, § 1. Cod. de Episc.; *Hefele,* l. c. t. III, p. 333

[26] Cap. 13, X. de vit. III, 1; cap. 6, X. de cler. coniug.; Benedict. XIV Const. *Etsi pastoralis,* 26 Maii 1742, § 7, n. 26; *Laurin,* l. c. p. 97 sq.; Conc. Alba-Iul. (a. 1872), p. 140 et 290 sq.

[27] *Laurin,* l. c. p. 83 sq.; *Dilgskron,* l. c. t. I, p. 333 sq., 435 sq., 467 sq., t. II, p. 269 sq.; *Freisen,* Gesch. des can. Eher., p. 750 sq., 759.

[28] Cfr. c. 22 Conc. Araus. (a. 441); c. 2, 43, Conc. Arelat. (a. 443-453) = c. 6, 7, D. 28; c. 1, 2, Conc. Arelat. IV (a. 524), iunct. *Hefele,* l. c. t. II, p. 704, 653; c. 37, Conc. Epaon. (a. 517).

[29] Cfr. c. 1 Conc. Tolet. II (a. 527-531) = c. 5, D. 28; S. Gregor. I. in c. 1, D. 28, c. 1, D. 31, c. 9, D. 32.

[30] Cfr. c. 6 Conc. Bituric. (a. 1031); Synod. Winton. in Anglia (a. 1075); *Dilgskron,* l. c. t. II, p. 269 sq., ubi tamen postea vim argumentorum elidere tentat.

[31] Cap. unic. de vot., III, 15, in Sext.; cap. unic. de voto, tit. 6 in Extravg. *Ioann. XXII; Freisen,* l. c.; *Laurin,* l. c.

[32] *Wernz,* in tit. de matrimonio, ubi haec sententia fusius propugnatur; aliter *Ph. Hergenroether-Hollweck,* l. c. p. 257, not. 7, qui cum aliis *excluso voto castitatis* repetit obligationem coelibatus ex *sola* lege ecclesiastica.

[33] Cfr. c. 8, D. 27; cap. 1, 4, X. h. t.; l. IV, t. 6, X. qui clerici vel voventes; cap. 14, X. de fil. presbyt. I, 17; cap. unic. de vot., III, 15, in Sext.;

Ecclesia autem *orientalis* clericis maiorum ordinum, exceptis Episcopis, usum matrimonii ante primum ordinem maiorem legitime celebrati absolute et *generaliter* non interdicit [34]; omnibus vero clericis maioribus, qui coelibes vel solum primum ordinem sacrum susceperunt, post sacram ordinationem omnes nuptias prohibet, et iis, qui coniugati tempore sacrae ordinationis iam fuerunt, certe postea *secundas* nuptias absolute interdicit. Duplex ista prohibitio Ecclesiae orientalis munita est clausula irritante contra actus in contrarium gestos [35].

De coelibatu *presbyterorum* cuiuscumque ritus orientalis in *America* septentrionali consuli debent decreta S. C. de Prop. F. 13 Iun. 1891, et 10 Maii 1892, atque *Nilles*, in Act. theol. Oenipont. t. XVI, p. 174 sq., t. XVII, p. 160 sq..

II. Quodsi quaeratur ex quonam *fonte* repetenda sit in clericis maioribus illa coelibatus obligatio, nequaquam ex *vi ordinis* aut ex alio quodam *iure divino*, sive naturali sive positivo, sed ex iure mere *humano Ecclesiae* ultimatim est derivanda [36].

In Ecclesia occidentali sine dubio onus coelibatus ex *lege ecclesiastica* omnibus et singulis clericis *directe* imponitur, qui ad sacrum subdiaconatus ordinem rite sunt promoti, ut apparet ex can. 132, § 1, qui evidenter est *lex* Ecclesiae [37]. At Ecclesia occidentalis sua lege *conditionata* non solum *praescribit ipsum coelibatum* sive statum singularem, sed etiam specialem *formam*, qua sit suscipiendus et exercendus, i. e. per *votum* perfectae castitatis [38]. Quare obligatio coelibatus in clericis maioribus Ecclesiae latinae non nititur *sola* lege ecclesiastica, sed *directe* et immediate *etiam* sollemni voto perfectae castitatis in promotione ad subdiaconatum sponte et tacite iuxta sacros canones emisso [39]. Inde necessario consequitur obligationem coelibatus in clericis maioribus Ecclesiae latinae minime esse mere *negativam*, sc. non nubendi, sed etiam *positivam ex vero voto singulari perfectae castitatis* [40]. Quocum voto perfectae castitatis profecto nuptiae clericis multo efficacius quam ex sola lege ecclesiastica prohibentur. Porro efficacia illa voti aucta est quod Ecclesia votum illud in statu voti simplicis minime relinquens, vi atque natura voti *sollemnis* donarit. Cfr. cap. unic. de voto, in Sext.; Benedict. XIV Const. *Inter praeteritos*, 3 Dec. 1749, § 41. Illa autem *sollemnitas* voti continet *vim* irritandi matrimonium

cap. unic. de consang., IV, unic. in Clem.; cap. unic., tit. 6, de vot. in Extravg. *Ioann. XXII*; l. III, t. 22, X. de convers. coniug.; Conc. Trid,. Sess. XXIV, can. 9, de doctr. matr.; Syllab prop. 72; *Schmalzgr.*, h. t., n. 18, 22 sq.; *Laurin*, l. c. p. 1 cq., 25 sq., 90 sq., 152 sq., *Sanchez*, De sanct. matrim. sacr., l. VII, disp. 25.

[34] Cfr. c. 13 Conc. Trull. (a. 692); cap. 6, X. de vit. et hon., III, 1; cap. 7, X. de poenit., V, 38; Benedict. XIV, Const. *Etsi pastoralis*, 26 Maii 1742, § VII, n. 26; Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872), p. 140; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 201 sq.; *Papp-Szilâgyi*, Enchiridion iur. Eccl. oriental. cathol., p. 322; *Schmalzgr.*, l. c. n. 19, 21; *Laurin*, l. c. p. 109 sq.

[35] Cfr. c. 17, 26, Apost.; can. 10 Conc. Ancyr. (a. 314); c. 3, 6, Conc. Trull. (a. 692); Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872), p. 140, 142; Benedict. XIV Const. *Etsi Pastoralis*, l. c. n. 27, Const *Eo quamvis*, 4 Maii 1745, § 38 sq., Const. *Anno vertente*, 19 Iun. 1750; Synod. Ruthen. (a. 1720), et Synod. Mont. Liban. (a. 1736), in Collect. Lac., t. II, col. 45, 166; Instr. S. C. de Prop. Fide, 24 Mart. 1858; decret. S. C. Inq., 22 Dec. 1875, iunct. *Papp-Szilâgyi*, l. c. p. 429 sq.; *Laurin*, l. c. p. 135 sq.

[36] *S. Thomas*, Summ. theol., P. II, q. 88, art. 11; *Sanchez*, l. c. disp. 27, 29; *Schmalzgr.*, l. c. n. 25 sq. *Laurin*, l. c. p. 63 sq., 169 sq.

[37] Cfr. de iure praecedenti, v. g., c. 33, Conc. Illiber. (a. 300-306): *Placuit in totum* prohibere *Episcopis... abstinere se a coniug. et non generare filios* (?); Conc. Baltimor. II (a. 1866, in Collect. Lac., t. III, col. 446, inculcat *castitatis legem*; *S. Thomas*, l. c.; *Dilgskron*, l. c. t. I, p. 430 sq., 337 sq.

[38] Cap. unic., de voto, in Sext.; cap. unic., de vot., in Extravg. *Ioann. XXII*; *S. Thom.*, l. c. Suppl., q. 53, art. 3; *Dilgskron*, l. c. t. I, p. 333 sq., 467 sq.

[39] *Dilgskron*, l. c. t. II, p. 267 sq. Hinc quicumque repetit vim obligandi ex *lege* ecclesiastica, dummodo non addat verbum *sola*, non sibi contradicit, si etiam derivat ex *voto* ab Ecclesia *praecepto*. Cfr. *S. Thom.*, duob. locis supra cit.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 30; *Rosset*, De sacram. matrim., n. 1648; *Suarez*, De virt. et statu relig., tract. VII, l. 2, cap. 10, n. 1: *In sacra ordinatione non ordinatio, sed votum censetur inhabilitare personam vel immediate lex ipsa canonica, si forte ab aliquo malitiose votum non emittatur.* Deinde l. c. n. 10 pergit: *Ecclesia sola sua lege facit inhabilem ad matrimonium clericum in sacris, licet ipse votum castitatis emittere nolit, ut sine controversia omnes theologi docent.*

[40] *Lehmkuhl*, l. c. t. II, n. 618, 719 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. t. IV, p. 180 sq. = n. 235 sq., edit. 3. Hinc votum illud non est *votum commune* ab Ecclesia emissum et ab ordinando acceptatum, ut defendere videtur *Dilgskron*, l. c. t. II, p. 327 sq.; huiusmodi enim votum est factum nullo argumento historico comprobatum, neque cum verbis iuris conciliari potest neque ex difficultatibus non solubilibus, in quas *nonnulli* scriptores per exaggeratas assertiones (cfr. v. g. *Schmalzgr.*, l. c. n. 31), inciderunt, solide comprobatur, imo in easdem fere incidit, ut insinuatur l. c. p. 425.

forte attentatum. Quae vis irritandi ab Ecclesia adeo rigorose sustinetur, ut etiamsi in casu quodam particulari ex ignorantia vel malitia *votum* perfectae castitatis non emitteretur, tamen *obligatio* ad servandum coelibatum sive verum statum singularem et *inhabilitas* ad matrimonium celebrandum ex sola *lege ecclesiastica* omnino manerent [41], dummodo non agatur *de illa* ignorantia, in Ecclesia occidentali vix possibili et in foro externo non praesumpta [42], qua quis absolute ignoraret vel ipsam obligationem coelibatus sive status singularis *quacumque ex causa* clericis maiorum ordinum esse impositam, aut forte in aetate infantili vel impubere ordinatio facta esset [43]. Quae argumenta ex iure praecedenti allegata, etiam iure Codicis retinent suum valorem, cum nihil contineat Codex quo illa infirmentur, sed potius ad tenorem can. 6, 2°, 4°, ius Codicis de hac re ad ius praecedens reducendum est. Quin immo, Codex expresse asserit obligationem servandae *perfectae* castitatis, i. e. in sensu obvio *exterioris* et *interioris*, ita ut tam *interna* quam *externa* violatio reatum sacrilegii inducat, prout communi consensu docebant Theologi (*Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 235): ex violatione autem

[41] Ita *Schmalzgr.*, l. c. n. 30; *Laurin*, l. c. p. 178 sq. cum aliis non paucis, velut Vincentio Hispano (saec. XII), Scoto, Sanchez, Bonacina. Votum enim est lex privata, quam unusquisque sibi voluntarie imponit, neque quisquam tenetur ad votum per votum factum ab alio, maxime si habeat voluntatem contrariam. Cfr. *Dilgskron*, l. c. t. I, p. 336 sq., ubi bene exponit doctrinam Suaresii de voto facto a communitate, quod subditis non imponit obligationem *voti*, nisi ab ipsis speciatim acceptetur. At quod illi auctores disertis verbis tenent de ordinando clerico *nolente* et *excludente votum*, id optimo iure cum Vincentio Hispano et Azor extenditur ad penitus ignorantem votum adnexum. Nam qui penitus ignorat votum, pariter non vult votum. Cfr. *Schmalzgr.*, l. c. n. 31, ubi contrariam sententiam Sanchezii refert.

[42] *Schmalzgr.*, l. c. n. 31; *Laurin*, l. c. p. 165. Quae praesumptio in foro externo, saltem nostra aetate, videtur militare etiam contra clericum ad subdiaconatum promotum, qui allegare velit vel solam *ignorantiam voti* sacro ordini adnexi; esset enim ignorantia iuris clari et doctrinae communiter traditae, quae in subdiacono promoto non est praesumenda.

[43] Qua in re, derelictis antiquorum canonistarum sententiis (cfr. *Schmalzgr.*, l. IV, t. 6, n. 16 sq.), standum erat normae traditae a Benedicto XIV, Const. *Eo quamvis*, 4 Maii 1745, §§ 20 sq., at non cum *Laurin*, l. c. p. 165, ex mera quadam analogia nimium extendendae. Cfr. Collect. Lac., t. II, col. 527, 528, 530.

castitatis per actum mere internum reatus sacrilegii inferri non potest, si obligatio ex sola lege Ecclesiae proveniat, quae actus mere internos praecipere non potest. Cfr. praeterea can. 214.

Scholion. In Ecclesia orientali, cum a coniugatis clericis ante ordines maiores nullum exigatur *votum* continentiae aut non nubendi, *illiceitas* et multo magis *nullitas* matrimonii *secundi* ex *sola lege ecclesiastica* videtur esse repetenda [44]. Clerici vero, qui *coelibes* ad sacros ordines accedunt, interrogantur num continentiam servare velint. Quam si *promittunt*, ordinantur; secus antea matrimonium inire debent. Quare Ecclesia orientalis vel in ipsis clericis, qui coelibes sacros ordines suscipiunt, votum proprie dictum perfectae castitatis minus aperte videtur exigere quam Ecclesia latina [45].

III. Clerici in sacris ordinibus constituti, si fornicationis, concubinatus aliorumque delictorum carnis rei sunt, illas incurrunt *poenas*, quae in iure criminali can. 2359 recensentur. Quodsi *matrimonium* contrahere etiam civiliter tantum attentent, et *irregulares* fiunt ex delicto (can. 985, 3°) et excommunicationem latae sententiae Sedi Apost. simpliciter reservatam incurrunt atque adeo post inutilem monitionem sunt degradandi (can. 2388). Item beneficia et officia iam *acquisita* ipso facto attentati matrimonii amittunt, ad normam can. 188, 5°.

Quodsi clericus coniugatus postquam sacros ordines ex dispensatione, iure Codicis necessaria, suscepit, propriam uxorem denuo sacrilege cognoscat, filius ex tali consortio forte natus in poenam delicti paterni quoad effectus canonicos in foro ecclesiastico spuriis atque illegitimis adnumeratur can. 1114: si autem sine dispensatione etiam bona fide illos recepit, eorundem exercitio prohibetur (can. 132, § 3) [46].

[44] Cfr. c. 13 Conc. Trull. (a. 692); *Innocent. III*, in cap. 6, X. de cleric. coniug. III, 3: *Ecclesia orientalis votum continentiae non admisit;* Synod. Mont. Liban, (a. 1736), in Collect. Lac., t. II, col. 182 sq., 242; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 201 sq., 177; Synod. Alex. Copt. (a. 1898), p. 148 sq.; *Ballerini-Palmieri*, Opus theol., t. VI, p. 581.

[45] Synod. Mont. Liban. (a. 1736), l. c. col. 182; *S. Thom.*, Suppl., q. 53, a. 1; *Giovine*, De dispensat., § 243; *Laurin*, l. c. p. 100, 140; *Nilles*, in Act. theol. Oenip., t. XVI, p. 174.

[46] Cfr. de iure praec., cap. 14, X. de fil. presbyt., I, 17; cap. 6, X. h. t. 3; *Laurin*, l. c. p. 152 sq.

IV. *Dispensatio* super obligatione coelibatus, quatenus illa directe nititur sollemni *voto* castitatis, a solo Romano Pontifice [47] iure proprio ex causa iusta *valide* concedi potest. Qua iusta causa deficiente ex natura rei nulla et irrita est. At quatenus illa obligatio coelibatus, v. g. in casibus particularibus propter omissum votum, niteretur *sola constitutione* ecclesiastica, a Romano Pontifice etiam *sine* iusta causa per dispensationem *valide* tolli posset. Cum *nullitas* matrimonii a clerico maiore attentati nitatur *sola lege* Ecclesiae *irritante*, profecto a Romano Pontifice super ista *lege irritante* etiam absque iusta causa *valide* dispensari potest [48]. Quae dispensatio, gravi existente causa, facilius nunc datur in subdiaconis et diaconis, etiam in iis qui attentarunt matrimonium, si urgente mortis periculo illud sit necessarium ad consulendum conscientiae. De presbyteris vero *Benedictus XV* in epist. *Multiplices quidem*, 12 Mart. 1919, haec inculcavit: *alte vehementerque denuntient Episcopi, nullam prorsus ab Apostolica Sede de sacerdotalis continentiae lege permitti posse quaestionem.*

Dispensatio proprie dicta a lege coelibatus et voto et impedimento dirimente ordinis sacri non est necessaria, si ipsa *collatio ordinis* sacri fuit *irrita* [49]. At antequam quis post sacrum subdiaconatus ordinem invalide susceptum nuptias licite celebret, in foro externo per specialem processum canonicum ab Ecclesia praescriptum nullitas ordinis subdiaconatus ex duplici sententia conformi Episcopi et Metropolitae competentis constare debet (can. 1998) [50], nisi S. C. ad quam causa delata sit, ipsam disciplinae tramite pertractandam sumpserit (can. 1993 § 1, 3).

[47] Benedict. XIV, Const. *Inter praeteritos*, 3 Dec. 1649, § 41.

[48] *Ballerini-Palmieri*, l. c.; *Laurin*, l. c. p. 180 sq.

[49] *Sanchez*, l. c., lib. VII, disp. 27, n. 13.

[50] Benedict. XIV, Const. *Si datam*, 4 Maii 1748, iunct. Instr. S. C. C. a. 1838, apud *Sentis*, Decret. Clem. Pap. VIII, p. 41 sq., et Instr. S. C. Inq., 20 Iun. 1833, ad Episcop. Orient., i. f.: *Quoties tractanda occurrerit causa matrimonialis, in qua de impedimento sollemnis voti castitatis vel ordinis sacri cum adnexa castitatis lege agatur, ea integra, post processum informatorium ad necessaria documenta et motiva colligenda institutum, a Rev.mis Patriarchis aliisve Ordinariis ad Sedem Apostolicam deferatur.* Cfr. Collect. S. C. de Prop. F., n. 1572; Act. S. Sed., II, 443 sq.; *Laurin*, l. c. p. 159 sq.; *Many*, De sacra ordinat., n. 314 sq. (de causis nullitatis ordinationis et forma processus).

Quin imo, ordinatio subdiaconi licet non obstante metu gravi, qui absolutus non est, valida omnino sit, tamen neque *obligationem coelibatus* ex lege ecclesiastica et voto neque inhabilitatem ad validam matrimonii celebrationem inducit, nisi postea excusso metu expresse vel tacite rata habeatur (can. 214) [51]. Quo in casu vera et proprie dicta dispensatio pariter non requiritur [52], sed ut in casu praecedenti etiam in foro externo per specialem illum processum duplici sententia conformi de illo gravi metu constare debet, antequam nuptiae *licite* celebrentur (cit. can. 1998) [53]. Quodsi quis in *plena* probatione illius metus gravis deficiat, neque argumenta pro subsecuta ratihabitione perfecte solvere valeat, vera *dispensatio* Sedis Apostolicae requiritur ad *validam* matrimonii celebrationem [54].

V. *Cessatio* obligationis coelibatus et inhabilitatis ad matrimonium *non* habet locum, etiamsi clericus maiorum ordinum fiat irregularis, suspensus, excommunicatus aut per ipsam realem degradationem e statu clericali eiectus ad conditionem laicalem redigatur. Neque enim ex suo delicto commodum debet reportare (can. 213, § 2) [55]. Multo minus huiusmodi immunitate gaudent illi clerici maiores, qui per apostasiam, haeresim, schisma ab Ecclesia deficiunt; nam potius novis atque gravibus poenis in foro ecclesiastico sunt castigandi, etiamsi in foro civili ob sacrilegas nuptias impunitatem consequantur.

§ II. De coelibatu clericorum minorum ordinum

109. Notae historicae. I. Paucae fuerunt Synodi, quae vel ipsis clericis inferiorum ordinum legem coelibatus videntur im-

[51] Benedict. XIV, Const. *Eo quamvis*, 4 Maii 1745, De Synod. dioec., l. XII, cap. 4, n. 2; *Laurin*, l. c. p. 160 sq.; Act. S. Sed., I, 330.

[52] Rota Rom., in Act. S. Sed., VI, 90: *Ordinatum ex coactione causativa* (i. e. relativa, non absoluta), *ad continentiam ex iure non teneri*, ita ut opus non sit deprecari Pontificem pro dispensatione; *Laurin*, l. c. p. 162.

[53] *D'Annibale*, l. c. P. III, n. 162, not. 1; Act. S. Sed., I, 330, II, 443, VI, 85.

[54] Decis. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid., p. 261 sq.; Act. S. Sed., I, 328 sq., VI, 85 sq.; *Laurin*, l. c. p. 162 sq.

[55] Cap. 1, X. qui cler. IV, 6; cap. 2, de poenis V, 9, in Sext.; *Kober*, D. Depos. p. 190, 284; *Laurin*, l. c. p. 166.

posuisse [56]. Verum huiusmodi statuta particularia nunquam in ius commune transierunt neque in praxi universali Ecclesiae fuerunt recepta. Etenim iam Concilium Toletanum II (a. 527-531), c. 1 = c. 5, D. 28, clericis nondum ad subdiaconatum promotis nuptias permisit. Humbertus autem, Legatus *Leonis IX* (a. 1048-1054), nomine Romani Pontificis contra exceptiones Graecorum in civitate Constantinopolitana ita respondit: *Seriatim et aperte prosequamur quid Sancta Romana Ecclesia in gradibus clericorum agat. Clericos tantum ostiarios, lectores, exorcistas, acolythos...* **uxorem ducere permittit.** Cfr. c. 14, D. 32.

Qua permissione non obstante, in antiquo iure Decretalium clericis coniugatis constanter denegavit Ecclesia specialia status clericalis privilegia [57]. Quod ius a *Bonifacio VIII* ita immutatum [58] est, ut clerici minorum ordinum, si cum unica et virgine contraherent matrimonium et tonsuram et vestes gestarent clericales, privilegiis canonis et fori, non immunitatis *realis*, gauderent. Quodsi non observarent conditiones a iure requisitas, etiam duo illa privilegia ipsis relicta perdebant. Quod decretum *Bonifacii VIII* postea Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 6 iunct. cap. 17 de ref., innovavit et praeter conditiones Bonifacianas ad privilegia clericalia retinenda etiam illam requisivit, quod clerici coniugati servitio alicuius ecclesiae ab Episcopo essent deputati [59].

II. Unica exceptio a generali illa permissione nuptiarum pro iis clericis minorum ordinum facta fuerat, qui vera *beneficia ecclesiastica* obtinerent. Quae obligatio coelibatus antiquioribus temporibus maiore severitate a beneficiariis videtur fuisse exacta: at ex saeculo XII et XIII paulatim in praxi ita recepta erat [60], ut esset mere conditionata, i. e. si quis clericus coniugatus suum volebat retinere beneficium ecclesiasticum. Cui conditioni si renuntiavit, nuptiae ab Ecclesia non iam fuerunt prohibitae, atque huius disciplinae cap. 5, X. h. t. 3 ea reddebatur ratio, quod *rerum ecclesiasticarum substantia per tales soleat deperire.*

[56] Cfr. c. 14 Conc. Chalced. (a. 451) = c. 15, D. 32; c. 37, Conc. Epaon. (a. 517); *Laurin*, l. c. p. 81 sq., p. 95 sq.

[57] Cap. 7, 9, X. h. t. 3; *S. Raymund.*, Summa l. I, t. 7 § 5; Act. S. Sed., III, p. 446.

[58] Cap. unic. de cler. coniug. III, 2, in Sext.

[59] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec., l. XII, cap. 6, n. 4, 5, 6.

[60] Cap. 1, 2, 3, 5, h. t. 3; *Laurin*, l. c. p. 81, 95 sq.

110. Disciplina Codicis. Clerici in minoribus ordinibus constituti, si sponte singulares permanere velint, servare tenentur, quae iure divino omnibus solutis personis sunt praescripta, aut propter decorem status clericalis ad custodiam castitatis ab Ecclesia etiam clericis inferioribus sunt imposita, quamdiu in illo statu perseverant. At a matrimonio licite et valide contrahendo directe non arcentur; indirecte ea solum ratione arcentur, quatenus ipso facto contracti matrimonii et ipsa iuris dispositione a statu clericali decidunt, nisi matrimonium ex vi aut metu iniuste incusso fuerit nullum (can. 132, § 2).

Quae de inhabilitate clericorum minorum coniugatorum ad officia et beneficia ecclesiastica et de beneficiorum iam obtentorum amissione propter contractum matrimonium iure praecedenti statuta fuerant, iure Codicis iam sunt penitus antiquata: cum per matrimonium decidant a statu clericali et coniugati sint impediti quoad ordines recipiendos, nec in hoc detur dispensatio, nisi raro et ratione sacerdotii in aliquo Ordine vel Congregatione religiosa recipiendi cum debitis cautionibus ab uxore ipsa praestandis, v. gr. per eius quoque ingressum in religionem.

Art. 2. — De custodia coelibatus et castitatis clericorum (can. 133, 134) [61]

Praenotiones

111. Cum clerici non solum debeant vitam castam agere, sed etiam incontinentiae *pericula* et *suspicionem* vitare, nihil

[61] Novell. 123, cap. 29. — Decret. Grat., cc. 5, 6, 16 sq., D. 32; can. 1, D. 33; c. 1 sq., D. 34; c. 13, D. 83 sq. — Cpl. I, l. III, t. 2, de coh. cl. et mul. *et clericis concubinariis*; cpl. II, l. III, t. 1, cum ead. rubr.; cpl. III, l. III, cum rubr. Greg. IX. — Decretal. Greg. IX, l. III, t. 2, de coh. cl. et mul. — Conc. Trid., Sess. XXI, cap. 6, de ref., Sess. XXV, cap. 14, de ref. — Schema Conc. Vatic., apud *Martin*, l. c. p. 138, 139. — Act. S. Sed., VII, 414 sq. — Collect. Lac. in ind. v. v. Clerici, Sacerdotes, v. g., t. VI, n. 27 sq. — Comment. iur. Decretal. i. h. t. — *Scherer*, l. c. t. I, p. 371 sq.; *Devoti*, Inst. canon. l. IV, t. 15, de delict. vener.; *Hinschius*, l. c. t. I, p. 131, 144. — *Benedict. XIV*, De Synod. dioeces. l. IX, cap. 4, n. 4 sq.,

profecto huic obligationi magis adversatur, quam incauta conversatio cum mulieribus [62]. Quare ut pericula et suspiciones removeantur a clericis, specialis lex fertur de ordinanda vel prohibenda conversatione clericorum cum mulieribus.

II. Definitiones. Cohabitatio, cuius mentio fit in canone, sensu stricto est conversatio personarum in *una domo* sub *eodem tecto* commorantium. At in custodiam et tutelam castitatis non solum cohabitatio cum certis mulieribus est clericis prohibita, sed etiam *omnes alii modi* [63] conversandi cum mulieribus, ob quos clericis forte aequale aut maius imminet periculum incontinentiae, quam ex simplici facto cohabitationis in eadem domo, qui apte veniunt sub vocabulo *frequentare*, quod denotat frequentiam actuum quibus periculosa familiaritas inter personas physice eodem loco praesentes manifestatur aut fovetur. Unde epistolare commercium non videtur comprehendi sub prohibitione ecclesiastica, tametsi haud raro simile periculum adducat, quo casu subintrare potest prohibitio iuris naturalis.

Clerici in canone pariter intelliguntur sensu lato, prout complectitur etiam religiosos; maxime vero pertinet canon ad clericos *in sacris* et ad religiosos, non exclusis Praelatis ecclesiasticis, qui aliis clericis hac in re praeire suo exemplo debent; imprimis autem comprehenduntur clerici *coelibes* sive ordinum *minorum* sive *in sacris* constituti, imo vel ipsi clerici *coniugati*, quibus cohabitatio maritalis cum propria uxore est permissa.

Mulieres, quarum cohabitatio cum clericis est legibus ecclesiasticis ordinanda, sunt mulieres *extraneae*, *non uxores*, quibus clerici forte legitimo matrimonio sunt coniuncti, velut in Ecclesia orientali.

Inst. eccl. 82, 83; *Ferraris*, l. c. v. Clericus, art. 4, n. 1 sq., n. 32 sq. — *Muratori*, De synisactis et agapetis; *Kraus*, Real-Encyk., v. Subintroductae; *Laurin*, Der Coelib. d. Geitslichen p. 13 sq., 20 sq.

[62] Schema Conc. Vatic. l. c.; *Laurin*, l. c. p. 20 sq.

[63] Collect. Lac. t. VI, l. c.; *Laurin*, l. c. p. 90 sq.; *Freisen*, Gesch. des can. Eher. p. 720 sq., 729 sq.

De licita et illicita cohabitatione clericorum cum mulieribus

112. Notae historicae. Quamquam Apostolus Paulus sibi atque S. Barnabae vindicat ius mulierem sororem circumducendi ut ceteri Apostoli (I Cor. IX, 5, 6), qui more iudaico (Luc. VIII, 3) ad curandam rem domesticam opera illarum sororum usi sunt, tamen iam ipsum S. Timotheum (I Timoth., V, 11, 13) admonet, ut adolescentiores viduas devitet. Quodsi iam ipsi Apostoli ita cauti fuerunt, mirum non est quod Ecclesia inde a primis temporibus cohabitationem clericorum et mulierum vel ob ipsum profectum spiritualem curandum minime probarit [64]. Quae mulieres Deo devotae, quas clerici per quandam speciem pietatis sibi in filias vel sorores vel matres spirituales asciscebant domique retinebant, dicebantur agapetae (ἀγαπηταί) [65] vel synisactae (συνείσακτοι sc. παρθένοι) vel subintroductae virgines. At quae spiritu coepta sunt, facile in carne consummantur. Quare Ecclesia mox adacta est, ut clericis cohabitationem cum agapetis severissime interdiceret. Cuius prohibitionis prima vestigia iam reperiuntur in duabus epistolis ad virgines, quae S. Clementi (a. 92-101) adscribuntur [66]. S. Cyprianus in epist. 4, 13, 14, saeculo III, pariter scripsit contra abusum sororum spiritualium. Paulus Samosatenus in Synodo Antiochena (a. 269) ob eam quoque rationem depositus est, quod ipse eiusque clerus cum illis subintroductis mulieribus cohabitarent [67]. Tandem in Conc. Illiber. (a. 300-306) can. 27, prima vice expressis verbis haec lex ecclesiastica conditur: *Episcopus vel quilibet alius clericus aut sororem, aut filiam virginem dicatam Deo tantum secum habeat, extraneam nequaquam habere placuit.* In Conc. vero Nicaeno (a. 325), c. 3 = c. 16, D. 32, omnibus clericis *subintroductas* secum habere omnino interdicitur, et cohabitatio iis tantum permittitur cum matre, sorore, amita *vel talibus personis idoneis, quae omnem suspicionem fugiant.* Cfr. *Hefele*, l. c. t. I, p. 380 sq.

Qui canon Concilii Nicaeni eam continet *normam generalem*, quam Ecclesia subsequentibus saeculis quoad substantiam

[64] Cfr. c. 17, D. 32; *Laurin*, l. c. p. 20 sq.

[65] *Kraus*, Real-Encykl. l. c.; *Hefele*, l. c. t. I, p. 380 sq.

[66] Epist. I, cap. 10, epist. II, cap. 1, 5, 10, 14. Cfr. *Funk*, Opera Patr. Apost., prol. p. XL sq., vol. II, p. 8, sq., 15, 18, 22, 24.

[67] *Euseb.*, Hist. eccl. l. VII, cap. 30; *Hefele*, l. c. t. I, p. 140.

constanter retentam in suis Conciliis iterum iterumque innovavit [68]. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 14, de ref. Quodsi nonnulla Concilia particularia, v. g. Conc. Nannet., c. 3, eo progressa sunt, ut cum *omnibus feminis* consanguineis prohiberent clericis cohabitationem in eadem domo, id propter speciales suspiciones etiam de consanguineis ortas et extraordinariam lasciviam clericorum factum est. Qua ratione cap. I = c. 3, Conc. Nannet. (a. 658?) et 9 h. t. 2 in Decret. *Gregorii IX*, facile conciliantur et a nimio rigore sive vero sive apparente multoque magis a contradictione excusantur. Etenim cap. 9 potius *regula*, cap. 1 extraordinaria quaedam *exceptio* stabilitur, neque ulla ratione ad concilianda illa duo capita legitime recurrebatur ad adagium: *Lex posterior derogat priori* [69].

Etiam post publicatas collectiones authenticas iuris Decretalium in Conciliis provincialibus nequaquam semper eaedem stabiliuntur normae de cohabitatione clericorum et mulierum. At constanter retinetur principium Concilii Nicaeni de vitando contubernio cum mulieribus *suspectis* [70]. Paulatim diversa illa statuta canonica a doctoribus ita explicata sunt (in fontibus iuris communis illae normae speciales expresse non reperiebantur), ut licita diceretur clericorum cohabitatio cum mulieribus consanguineis *primi* et *secundi gradus*, imo etiam cum affinibus primi et etiam secundi gradus, dummodo illae essent personae, quibus reverentia deberetur [71]. Praeterea a cohabitatione cum clericis non fuerunt exclusae etiam mulieres extraneae, sed honestae atque in aetate *canonica quadraginta annorum* [72]. Quae

[68] Cfr. c. 17 Conc. Hippon. (a. 393); c. 4 Conc. Andegav. (a. 453); c. 10 Conc. Agath. (a. 506); c. 42 Conc. Tolet. IV (a. 693); c. 2 Synod. Roman. (a. 1063) = c. 5, 6, D. 32. Cfr. quoque Novell. 123, cap. 29 (a. 541).

[69] Cfr. c. 3, Conc. Nannet. (a. 658?) iunct. *Hefele*, l. c. t. III, p. 104, t. IV, p. 561; c. 3, Conc. Foroiul. (a. 796); c. 10, Conc. Mogunt. (a. 888). Cfr. c. 18 Conc. Nicaen. II (a. 787), vi cuius in Ecclesia orientali non tantum monachis in monasteriis, sed etiam Episcopis in episcopiis omnis cohabitatio cum mulieribus qualibuscumque interdicitur. Cfr. de interdictis focariis: *Hefele*, l. c. t. V, p. 753, 761, 866; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XI, cap. 4, n. 7; *Laurin*, l. c. p. 25; *Scherer*, l. c. t. I, p. 372, not. 9.

[70] Cfr. c. 41, 50, Conc. Alb. (a. 1254); c. 1, Conc. Sen. (a. 1269); c. 7. Conc. Bituric. (a. 1286).

[71] *Pirhing*, h. t. 2, n. 4; *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 83; Synod. Mont. Liban., (a. 1736) in Collect. Lac. t. II, col. 262, 263, 366.

[72] *Schmalzgr.*, h. t. 2, n. 1.

aetas canonica interdum fuit reducta ad *triginta* [73] vel aucta usque ad quinquaginta annos [74].

113. Disciplina Codicis. *a*) *Absoluta* prohibitio *retentionis* seu cohabitationis et *frequentationis* fertur solum relate ad mulieres suspectas vel de quibus suspicio esse possit (can. 133, § 1). Ius est Episcoporum tum in Synodis dioecesanis tum in Conciliis provincialibus ius commune de cohabitatione clericorum cum mulieribus in suis dioecesibus applicandi, et pro temporum, locorum, personarum necessitate accuratius definiendi poenisque urgendi.

Episcopus lege generali praescribere non potest, ut clerici *nullam omnino mulierem* sive consanguineam sive extraneam, etiam qualitatibus canonicis praeditam, in domibus suis ad curandam rem domesticam retineant, cum ius commune Codicis supponat suspicionem de qualibet promiscue muliere non esse fundatam [75]. At vicissim minime prohibetur, quominus clericis cohabitationem cum mulieribus suspectis qualibuscumque, etiam consanguineis et provectae aetatis, penitus interdicat [76]. Imo, si alii sacerdotes, v. g. coadiutores, in eadem domo, v. g. paroeciali habitent, exigere potest ut etiam mulieres consanguineae, v. g. parochi, habeant aetatem canonicam [77]. Porro multo magis Episcopis integrum est, ut omnes feminae extraneae etiam per se honestae et non suspectae, quae aetatem canonicam quadraginta annorum completorum [78] non habeant, a cohabitatione cum cle-

[73] Conc. prov. Ultraiect. (a. 1865) in Collect. Lac. t. V, col. 905.

[74] Synod. Mont. Liban. (a. 1736) l. c. p. 263; *Ferraris*, l. c. n. 17; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 895 sq.

[75] Cfr. cap. 9, X. h. t. 2; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XI, cap. 4, n. 4, 7; *Bouix*, De paroch. p. 595; *Scherer*, l. c. t. I, p. 372.

[76] Cfr. Conc. prov. Venet. (a. 1859) in Collect. Lac. t. VI, col. 317; Conc. prov. Quebec. II (a. 1854), l. c. t. III, col. 655.

[77] Cfr. Conc. prov. Quebec. II (a. 1854); Conc. prov. Neo-Halif. (a. 1854); Conc. prov. Armac. (a. 1854), l. c. col. 654, 785, 852; *Pirhing*, h. t. 2, n. 3.

[78] Cit. Conc. prov. Venet. (a. 1859), l. c.; Conc. prov. Urbinat. (a. 1859), l. c. t. VI, col. 51; Convent. Laurent. (a. 1850), l. c. col. 770; Conc. prov. Quit. I (a. 1863), l. c. col. 403; Conc. prov. colon. Angl. (a. 1854), l. c. t. III, col. 1101; Conc. prov. Aquens. (a. 1850), l. c. t. IV, col. 985; Conc. prov. Strigon. (a. 1858), l. c. t. V, col. 53.

ricis omnino excludantur, nisi Episcopus in scriptis specialem det licentiam.

b) Expresse permittitur (ib. § 2) cohabitare cum illis tantum mulieribus, in quibus aut naturale foedus excludit omnem suspicionem mali aut eam suspicionem amovet spectata morum honestas cum provectiore aetate coniuncta. Tales ergo mulieres a iure non habentur suspectae in ordine ad cohabitationem cum clerico, licet in casu particulari, non praesumendo, sed speciatim cognoscendo, suspicio, quae a iure non habetur, merito habenda sit ab homine, i. e. ab Ordinario.

Extensionem illius naturalis foederis Codex non declarat, sed commemorat matrem, sororem, amitas et huiusmodi. Interpretes iuris praecedentis, unde illa locutio fuit deprompta, comprehendebant consanguineas in primo et secundo gradu et excludebant affines, nisi forte in primo gradu, ut noverca et privignus, vel etiam in secundo gradu, si alter alteri reverentiam debet, qualis esset uxor defuncti patrui aut avunculi (*Schmalzgr.*, h. t., n. 1, 2).

Pariter Codex non declarat qualis sit illa aetas provecta relate ad mulieres non coniunctas naturali foedere. Alii interpretes aetatem provectam, quae suspicionem excludat, ponebant in aetate 40 annorum, alii exigebant ordinarie 50.

c) Iudicium an retinere vel frequentare mulieres, etiam illas in quas communiter suspicio non cadit, in peculiari aliquo casu scandalo esse possit aut incontinentiae afferre periculum, ad Ordinarium loci pertinet, cuius est clericos ab hac retentione vel frequentatione prohibere (ibid. § 3). Ex hoc iure etiam illud per se et in rigore sequitur, quod ipsi omnes ancillae assumendae praevie indicentur, ut de illarum honestate et qualitatibus canonicis iudicium ferri possit. Num usus istius iuris in praxi expediat, prudenti arbitrio Episcoporum est relinquendum. Si iam tempore medii aevi praeviae illae licentiae scriptae et taxae ad retinendas mulieres extraneas non paucis querelis et exceptionibus ansam dederunt, praesertim nostra aetate saltem a taxis exigendis omnino est abstinendum [79]. At dubitari non potest quin iudicio Episcopi standum sit, si ipse per praeceptum,

[79] *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 82, 83; *Scherer*, l. c. t. I, p. 392, not. 9.

forte etiam pro casu contumaciae censura munitum, iubet clericum dimittere e domo sua feminam suspectam [80].

d) Clerici contumaces, seu perseverantes in cohabitatione vel frequentatione mulierum prohibita, non obstante monitione et praecepto Ordinarii, praesumuntur concubinarii (ibid. § 4) et tractandi sunt ad normam canonum 2176 et sq.

e) Ad hunc scopum melius custodiendi castitatem et universim honestatem et sanctitatem sacerdotalem fovendi maxime confert vita communis inter clericos, qui tali ratione facilius praeservantur a periculis; quam vitam communem Codex vult conservari quantum fieri potest, ubi iam viget, et alibi promoveri laudibus et suasionibus (can. 134). Sane in virtute castitatis servanda imprimis curanda est efficax applicatio *mediorum* et sedula *fuga* periculorum; quibus mediis, saltem antiquitus, etiam illud adnumeratum est, ut clerici vitam quandam *communem* in eadem domo agerent tantum cum clericis aut cum solis viris [81].

In *Ecclesia orientali Episcopi* cohabitatio cum omnibus omnino mulieribus sub gravibus poenis interdicta est [82]. Qui rigor disciplinae in Ecclesia occidentali non est receptus, neque Episcopi severiori legi quam presbyteri hac in re sunt subiecti, licet procul dubio legem communem speciali cura pro gradu dignitatis suae in aliorum clericorum exemplum observent necesse est [83].

[80] S. C. Ep. et Reg. in caus. Herbipol., 17 Aug. 1883 in Act. S. Sed., XVI, 341 sq.

[81] Cfr. c. 19, Conc. Turon. (a. 567); c. 22, 23, 24, Conc. Tolet. IV, a. 633; Novell. Inst. 123, cap. 29; c. 2, 9, 16 (Pseudo-Isid.), C. XII, q. 1; Act. S. S., II, 384 sq.; *Martin*, Schema Conc. Vatic., p. 149, 175, 199 sq. De variis associationibus clericorum saecularium ad fovendam vitam communem cfr. *Anal. iur. Pontif.*, ser. 24, col. 667 sq.; Innocentius XI, Const. *Creditae nobis*, a. 1680, et eiusdem Const. *Sacrosancti apostolatus*, 17 Aug. 1684. Concilium Plenarium Siculum a. 1920, can. 47, tanquam initium aliquod vitae communis commendat Ordinariis, ut curent pro viribus, ut parochi cum vicariis cooperatoribus in domibus canonicis vivant.

[82] Cfr. c. 18, Conc. Nicaen. II (a. 797); Conc. patriarch. Graeco-Melchit. (a. 1835), can. 12, in Collect. Lac. t. II, col. 585, iunct. Authent. Episcopo post L. 19, Cod. de Episc. I, 3. Cfr. de praxi Ecclesiae orientalis quoad presbyteros et diaconos: Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 195; Synod. prov. Ruth. (a. 1891), p. 148 sq.

[83] Cfr. de praxi antiqua: C. 2, Conc. Pap. (a. 1018), iunct. *Schmalzgr.*, h. t. 2, n. 3.

Caput III

De recitatione officii divini seu breviarii per clericos (c. 135)

114. Officii divini recitandi obligatio clericis imposita, licet sit obligatio positiva, non tamen directe ordinatur ad hoc ut clericus exerceat virtutem orationis per speciale pietatis exercitium; sed potius respicit speciale *ministerium* clericis commissum orandi nomine Ecclesiae, in qua publica oratione continetur optimus actus cultus divini. Quare haec obligatio positiva optimo iure sub speciali capite et propria rubrica tractari potest.

115. Principia fundamentalia. Si ex una parte Ecclesia universis clericis privatum studium orationis vehementer commendat et non raro specialia pietatis exercitia praescribit, sapienti consilio clericis maioribus et beneficiariis committit *publicam orationem* [1] in persona Ecclesiae exercendam. Ecclesia enim est *Corpus Christi mysticum*, in quo omnes unum sumus in Christo et ideo etiam per modum unius societatis Deum colere debet. Quare quemadmodum nomine totius Ecclesiae semper et ubique unum offertur *sacrificium* eucharisticum, ita etiam tota Ecclesia nomine communi Deum *deprecetur* necesse est. Quae oratio Deo singulari ratione est accepta, quod Christo Domino offeratur ab Ecclesia, sponsa ipsius sancta semperque grata. Denique communis illa et publica oratio ex eo maiorem habet vim et efficaciam, quod preces publicae multum augeant devotionem et caritatem.

Qui praeclarus scopus orationis publicae ab Ecclesia aliter obtineri non potest, nisi per deputationem personarum, quae ex officio et nomine Ecclesiae publicam orationem exerceant. Quae deputatio Ecclesiae ad publicam orationem non est necessario ordo quidam clericalis. Hinc psalmistae in Ecclesia saltem occidentali non habuerunt proprium quendam *ordinem* minorem, sed simplex *officium* [2]. Ecclesiae quoque est preces earumque

[1] *S. Thomas*, Summa theol. II^a, II^{ae} q. 83, art. 12, P. III, q. 82, art. 6; *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. IV, lib. 4; *Thalhofer*, Handb. d. k. Liturgik. t. II, p. 345 sq.; *Baeumer*, Gesch. d. Brev., p. 6 sq.

[2] *Suarez*, l. c. cap. 9, n. 4 sq.; *Thalhofer*. l. c. p. 346 sq.

formam, tempus, locum determinare, ut vera et perfecta habeatur oratio *publica*.

Dubitari autem non potest, quin clerici in sacris ordinibus constituti et beneficiarii ecclesiastici aptissimae sint personae, quibus oratio publica committatur. Clerici enim maiorum ordinum vi ordinationis suae sunt *personae sacrae* et ad altaris ministerium sacrasque functiones deputatae: beneficiarii autem sunt *magistratus publici*, per quos insigni modo Ecclesia repraesentatur. Praeterea iidem huiusmodi oratione publica obligationi orandi, omnibus hominibus impositae, insigni modo satisfaciunt simulque sibi et aliis praeclara comparant praesidia, quibus ad gravia sui status onera corroborantur atque in dies excitantur.

116. Notae historicae [3]. Quemadmodum cultus novi testamenti quoad sacrificium eucharisticum in vetere testamento suos habuit typos, ita etiam officium divinum legis gratiae ante Christi adventum praeformationem quandam consecutum est. Nam in vetere quoque testamento certae horae diei ex ritu publico orationi fuerunt destinatae [4]. Quare inde a temporibus Apostolorum hora tertia, sexta, nona diei precibus fundendis fuerunt deputatae [5]. Quibus orationibus accesserunt preces matutinae et vespertinae etiam communes, et praelucente exemplo Christi Domini, qui in oratione pernoctabat (cfr. Lucas VI, 12), saltem ex saeculo IV in coenobiis oratio quoque *nocturna* fuit introducta. Cui orationi nocturnae successit oratio *matutina* (*laudes*), et cum in Monasterio Bethlemitico tempus inter orationem matutinam et preces horae tertiae videretur esse nimis longum, inserta est illa hora, quam nunc vocamus *primam*, ad instar secun-

[3] *Roskovány*, De coelibatu et breviario; *Bona*, De divina psalmodia; *Grancolas*, Commentarius historicus in Rom. Breviar.; *Van der Stappen*, Sacra liturgia; *Duchesne*, « Origines du culte chrétien », ch. 16; *Thalhofer*, l. c. p. 350 sq.; *Kirchenlex.*, v. Brevier; *Kraus*, Real-Encykl. v. Gebet; *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, c. 71 sq.; *Batiffol*, « Histoire du Bréviaire » (a. 1893); *Baeumer*, Geschichte des Breviers (a. 1895), cuius operis prodiit versio gallica aucta et emendata per P. D. Reg. *Biron*, O. S. B.: « Histoire du Bréviaire ».

[4] *Thalfhofer*, l. c. p. 354 sq.; *Baeumer*, l. c. p. 14 sq.; *Schegg*, Bibl. Archaeol. p. 469 sq.

[5] Act. Ap. S., II, 15, III, 1, X, 9, 30; *Tertull.*, De orat., cap. 25, De ieiun., cap. 10; *Baeumer*, l. c. p. 31 sq.

dae cuiusdam orationis matutinae [6]. Circa idem fere tempus, i. e. versus finem saeculi IV, completorium, ut locum teneret precum vespertinarum, a vesperis fuit separatum. Quod completorium prima vice commemoratur in regula S. Benedicti [7]. Qua ratione septem nostrae horae officii divini sive breviarii ortae sunt, sc. nocturnum cum laudibus, prima, tertia, sexta, nona, vesperae, completorium [8].

Quodsi *monachi* iam ex antiquis temporibus officium divinum publice recitarunt, etiam clerici saeculares saltem ex saeculo V ad *publicam* et *communem* psalmodiam fuerunt *obligati* [9]. Saeculo autem VI Imperator Iustinianus, L. 42, § 10, Cod. de Episcopis I, 3, clericis hisce verbis officium psallendi inculcat: *Praeterea sancimus, ut omnes clerici per singulas ecclesias constituti per se ipsos nocturnas et matutinas et vespertinas preces canant, ne ex sola ecclesiasticarum rerum consumptione clerici appareant, nomen quidem habentes clericorum, rem autem non implentes clerici circa ministerium domini Dei. Turpe enim est, pro ipsis scriptos, necessitate ipsis inducta canere. Si enim multi laicorum, ut suae animae consulant, ad sanctissimas ecclesias confluentes studiosos circa psalmodiam se ostendunt, quomodo indecens non fuerit, clericos ad id ordinatos non implere suum munus?*

Quae obligatio psallendi *in choro* ex saeculo VIII maxime canonicis in *communitate* viventibus fuit propria [10]. At minime ad illos solos publica officii divini recitatio fuit restricta [11], neque passim clerici, qui forte publicae recitationi officii divini interesse non poterant, a privata recitatione videntur fuisse penitus exempti [12]. Dissoluta vita communi canonicorum et subla-

[6] *Cassianus* († c. a. 435), De institutis coenobitar.; *Baeumer*, l. c. p. 69 sq.

[7] *Thalhofer*, l. c. p. 368; *Baeumer*, l. c. p. 162 sq.

[8] Cap. 1, X. de celebr. miss. III, 41. Cfr. de variis nominibus et partibus breviarii: *Thalhofer*, l. c. p. 350 sq., p. 393 sq.; *Baeumer*, l. c. p. 1 sq.

[9] Cfr. c. 14, Conc. Venetic. (Vannes), a. 465; c. 9, D. 92 = cap. 63, Martini Brac. († a. 580); c. 13, D. 5, de cons. = c. 30, Conc. Agath. (a. 506); *Baeumer*, l. c. p. 162 sq., 220 sq.

[10] *Thalhofer*, l. c. p. 381; *Baeumer*, l. c. p. 279 sq.

[11] Cap. 1, X. de celebr. II, 41, iunct. c. 2, D. 91; c. 18, Conc. Turon. (a. 567); c. 15, Conc. Clov. (a. 747); c. 6, Conc. Coyac. (a. 1050).

[12] *Thalhofer*, l. c. p. 371; *Baeumer*, l. c. p. 158, not. 1.

ta magis magisque publica psalmodia extra ecclesias cathedrales, collegiatas et conventuales, mansit saltem obligatio clericorum *privatim* recitandi officium divinum [13]. Cui immutationi etiam illa accessit, quod saltem ex saeculo XIII debitum privatae recitationis ad solos clericos *maiorum ordinum et ad beneficiarios* esset limitatum. At concedendum est vim et ambitum huius obligationis *in ipso iure Decretalium* [14] et in non paucis Conciliis particularibus medii aevi nondum claris apertisque verbis definiri [15]. Quare huiusmodi obligatio praesertim quoad clericos *in sacris constitutos*, qui iam *solo titulo sacri ordinis* absque ullo beneficio ad recitationem breviarii tenentur, magis ex *consuetudine* [16] quam *scripta lege* paulatim fuit introducta.

Prima lex *scripta*, qua expresse et *universaliter* saltem *beneficiariis* obligatio recitandi horas canonicas non iam imponebatur, sed potius novis poenis denuo inculcabatur, sine dubio est Leon. X Const. *Supernae*, 5 Maii 1514, § 38, in Conc. Later. V, Sess. IX, publicata. Quod officium beneficiariorum Pius V, magnus ille reformator et restaurator sacrae psalmodiae, Const. *Ex proximo*, 20 Sept. 1571, iterum confirmavit atque declaravit, postquam Const. *Quod* a nobis, 9 Iulii 1568, usum breviarii Romani ex mente Concilii Tridentini Sess. XXV, i. f., universaliter praescripsit, salvis exceptionibus, quae privilegio apostolico aut praxi ducentorum annorum niterentur [17]. Inde a *Pio V* novae

[13] Synod. Londin. (a. 1213); Synod. Trevir. (a. 1227), c. 9.

[14] Cap. 9, X. de celebr. III, 41; cap. 1, de celebr. III, 14 in Clem.

[15] Cfr. v. g. *Hefele*, l. c. t. V sq., in indic. v. Brevier. Qua in re praesertim Concilium apud Pennam-fidelem (Peñafiel in Hispan.), a. 1302, cap. 1, manifeste declarat clericos in *sacris ordinibus* constitutos aut *beneficium ecclesiasticum* habentes ad quotidianam recitationem horarum canonicarum obligari. Cfr. quoque *Reuter*, Das Subdiakonat, p. 112.

[16] Cui argumento ex *consuetudine* petito tandem optimo iure insistunt: *Suarez*, l. c. t. IV, cap. 16; *Benedict. XIV*, Const. *Eo quamvis*, 4 Maii 1745, § 43, Inst. eccl. 24; *Scherer*, l. c. p. 386, not. 56.

[17] Cfr. de diversis reformationibus breviarii Romani factis et de novis desideriis et postulatis ad reformandum breviarium Romanum usque ad nostram aetatem expressis: *Baeumer*, l. c. p. 383 sq., 410 sq.; *Thalhofer*, l. c. p. 369 sq., 371 sq., 374 sq.; *Martin*, l. c. p. 165 sq., 178, 190; Act. theol. Oenipont. t. VIII, p. 289 sq.; Act. theolog. Tubing. t. 66, p. 451 sq.; *Scherer*, l. c. p. 387. Quibus desideriis et postulatis per aptam reformationem fecit satis Pius X, Const. *Divino afflatu*, 1 Nov. 1911. Cfr. *Ferreres*, « El Breviario y las nuevas rúbricas ».

leges universales de breviario a clericis et beneficiariis recitando non amplius fuerunt promulgatae [18]. Inter *schemata* autem Concilio Vaticano proposita sub tit. *de vita et honestate clericorum*, cap. 2, haec leguntur [19]: « *Clerici cuiusvis* **ritus** et nationis **beneficiarii vel sacris initiati ordinibus, quamvis nullum ecclesiasticum beneficium fuerint assecuti,** *meminerint se ad divinum officium* **integrum** *cotidie, sive in ecclesia sive privatim, recitandum sub gravis culpae reatu teneri.* Quod schema si in legem universalem transiisset, profecto maiore quam antea claritate iure scripto obligationem vel ex *solo titulo ordinis sacri* sanxisset; sed simul rigorem disciplinae in Ecclesia orientali, attenta praxi ibidem de facto vigente, multum auxisset.

117. Disciplina vigens. I. In *Ecclesia occidentali,* tum clerici maiorum ordinum iam ex solo titulo *sacri ordinis* sponte suscepti [21], tum beneficiarii etiam minorum ordinum ex titulo *beneficii ecclesiastici* [22], ad officium divinum iuxta formam ab Ecclesia approbatam [23] *per se, integre, cotidie,* sive in ecclesia sive privatim, *reverenter, distincte, continuate, devote, vocaliter recitandum obligantur* [24]. (Can. 135, 1475).

Religiosi quoque utriusque sexus, si ad chorum pro suo instituto sunt deputati, debent ad normam constitutionum cotidie divinum officium communiter persolvere; quodsi a choro abfuerint sollemniter professi, exceptis conversis, debent privatim recitare. Cfr. can. 610 et tit. respect. *de Religiosis.*

Clerici autem *orientalis Ecclesiae,* qui iuxta ritum suum in sacris ordinibus sunt constituti [25], in recitando breviario leges particulares inter ipsos vigentes observent necesse est [26], et donec aliter a Sede Apostolica statutum fuerit, *sequantur praxim aliorum piorum sacerdotum illius regionis* [27].

II. *Excusatur* clericus vel beneficiarius ab obligatione recitandi horas canonicas, si sit constitutus in impossibilitate physica vel morali, aut occupatione urgenti, pietatis vel caritatis causa necessario suscepta, utpote maioris momenti et cum recitatione breviarii incompatibili, omnino impediatur [28].

Obligatio in clericis maioribus non cessat, tametsi sint innodati censura aut depositi. Cessat vero in degradatis aliisque redactis ad statum laicalem (can. 213, 135), itemque in iis qui metu coacti ordinem sacrum receperunt, nec deinde, purgato metu, expresse vel tacite ratum habuerunt (can. 214).

Dispensatione [29] quoque obligatio recitandi horas canonicas tolli potest, ad quam concedendam causa adeo gravis, quae ad excusationem per se sufficiat, minime requiritur. At Episcopi aliique Praelati inferiores dispensationem proprie dictam hac in re dare nequeunt, nisi specialibus facultatibus a Sede Apostolica muniti sint. Quibus facultatibus valide et licite sine iusta causa uti non possunt [30]. Solus Romanus Pontifex iure proprio dispensandi potestate pollet, et quamvis *valide* absque ulla causa dispensationem indulgere *possit,* tamen *de facto* illam aliter

[18] Cfr. tamen Bened. XIV, cit. Const. *Eo quamvis,* et Collect. Lac. t. II, col. 538.

[19] *Martin,* l. c., p. 137; Collect. Lac., t. VII, col. 844, 875, 881, 882.

[20] *Nilles,* in Act. theol. Oenipont. t. VII, p. 188 sq., iunct. praxi collegii graeci in Urbe; Collect. Lac. l. c. col. 270, 514; Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872), p. 138; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 198 sq.; Synod. Alexandr. Copt. (a. 1898), p. 61: *Ad officium divinum cotidie persolvendum tenentur omnes, qui in maioribus ordinibus sunt constituti.*

[21] Cap. 9, X. de celebr. III, 41, iunct. consuetudini et allegationibus supra in notis historicis ex *Benedict. XIV, Suaresio, Scherer* allatis; *Schmalzgr.,* lib. III, t. 41, n. 54, 56.

[22] Conc. Later. V, l. c.; Pii V Const. *Ex prosimo.*

[23] Pii V Const. *Quod a Nobis* de usu breviarii Romani, *Bouix, De* iure liturg. p. 190 sq., 271 sq.; Pii X Const. *Divino afflatu,* de novo Psalterii ordine adhibendo ut satisfiat obligationi divini officii.

[24] Cap. 1, 9, X. de celebr. III, 41; cap. 1 eod., tit. III, 14 in Clem.; cit. schema Conc. Vatic.; scriptores de theologia morali, v. g. *Lehmkuhl,* l. c. vol. II n. 620 sq.; item *Schmalzgr.,* l. c. n. 86 sq.; *Putzer,* Comm. in fac. apost. n. 173.

[25] Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II, col. 270, iunct. 514 col.

[26] Cit. Synod. Mont. Liban. et Collect. Lac. l. c. et col. 538; *Papp-Szilágyi,* Enchiridion iur. Eccles. orient. cath. § 56.

[27] S. C. de Prop. F. apud *Nilles,* l. c.; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 198 sq.

[28] *Schmalzgr.,* l. c. n. 89.

[29] *Schmalzgr.,* l. c. n. 95; *Putzer,* l. c. n. 168.

[30] Cfr. facult., quae a S. C. de Prop. F. concedi solent Ordinariis in terris missionum: Form. II (maior), III (minor), n. 32, III (maior), n. 42, ubi datur potius facultas commutandi, quae etiam continetur in facultatibus Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis concessis, n. 12. De praxi Syrorum: Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 199.

concedere non solet, nisi ex iusta causa et facta substitutione aliarum precum [31].

III. *Poenae* speciales contra *clericos maiorum* ordinum, qui beneficio carent et horas canonicas culpabiliter recitare omittunt, in iure communi non sunt expressae.

At clerici, qui *verum beneficium* ecclesiasticum utiliter possident atque recitationem horarum canonicarum per negligentiam graviter culpabilem sive ex parte sive totaliter omittant, pro rata omissionis fructus non faciunt suos, eosque fabricae ecclesiae aut Seminario dioecesano aut pauperibus tradere debent (can. 1475) [32].

Caput IV

De obligationibus negativis clericorum

Praenotiones

118. Fontes: Decret. Grat., c. 24 sq., D. 86, D. 88. — Cpl. I, III, IV, V, l. III, t. 37, 38, 39, 27 ne cleric. — Decret. Greg. IX, l. III, tit. 1 de vita et honest. clericor., l. III, tit. 50 ne cler. saec. negot.; Decret. Bonifac. VIII, l. III, t. 24 ne cler. etc. — Conc. Later. V, Sess. VIII, Leon. X Const. *Apostolici regim.*, 19 Dec. 1513; Pii IV Const. *Decens*, 5 Nov. 1560. — Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 1 de ref.; Urban. VIII, Const. *Ex debito*, 22 Febr. 1633; Clem. IX, Const. *Sollicitudo*, 17 Iun. 1669; Benedict. XIV, Const. *Apostolicae*, 25 Febr. 1741; Clem. VIII, Const. *Cum primum*, 17 Sept.

[31] Benedict. XIV, Const. *Gravissimum*, 26 Nov. 1745, § 5; S. C. C. 30 Aug. 1788, 10 Iun. 1848, apud *Lingen* et *Reuss*, l. c. p. 155 sq.

[32] Verbum *pro rata* Pius V, Const. *Ex proximo*, § 1, ita interpretatus est, ut qui horas *omnes* canonicas uno vel *pluribus* diebus intermittat, *omnes* beneficii seu beneficiorum suorum fructus perdat, qui illi vel illis diebus respondeant, si dividantur; qui vero matutinum tantum, dimidiam; qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat. Quae verba *Pii V*, contra rigidiorem sententiam, v. gr. *Schmalzgr.*, l. c. n. 98, *Suaresii* aliorumque, ad fructus respondentes obligationi *recitationis* divini officii prudenti arbitrio boni viri taxandos, merito restringuntur, si beneficiarius *praeter* recitationem breviarii aliis quoque obligationibus suo *beneficio adnexis* satisfacere tenetur. Cfr. *D'Annibale*, l. c. n. 94, not. 17, 18; *Aichner*, Comp. iur. eccl. § 57, n. 2; *Ferreres*, Comp. Theol. mor., II, 63.

1759 — S. C. Inquis., 4 Dec. 1872, iunct. Act. S. Sed., VII, 317 sq. — Decis. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 150; Causae selectae S. C. C., ed. *Lingen et Reuss*, n. 119 sq.; Collect. S. C. de Prop. F., n. 216 sq., 331 sq.; Conc. plen. Baltimor. III (a. 1884), n. 74 sq.; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899), n. 642 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 196 sq.; Synod. prov. Ruth. (a. 1891), p. 147 sq.; Synod. Alex. (a. 1898), p. 149 sq.; Collect. Lac. v.v. Cler. Sacerd.

Scriptores: Commentator. iur. Decret. in cit. tit. — *Phillips*, l. c. t. I, § 62; *Scherer*, l. c. t. I, p. 374 sq.; *Sägmüller*, Lehrb. d. k. K. p. 197 sq.; *Zitelli*, Apparat. iur. eccl., p. 194 sq.; *Hinschius*, l. c. t. I, p. 130 sq. — *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 37, 76; *Thesaurus*, l. c. v. v. Histriones, Venatio, Art. ludicr., Negotiatio; *Ferraris*, l. c. v. Cleric., art. 4 sq.; *Hollweck*, D. k. Strafg. §§ 234 sq. — *Thomassin.*, l. c. P. III, l. 3, cap. 42 sq.; *Funk*, Handel. u. Gewerb. im christl. Altert. (Abh. u. Unters., t. II, p. 60 sq.); *Grisar*, Gesch. Roms. t. I, p. 60 sq.

119. Obligationes negativae nequaquam tantum referuntur ad operationes sive in se sive ratione excessus vel ipsis laicis interdictas, sed potius de iis negotiis agunt, quae laicis *de se sunt permissa*, clericis autem propter singularem status dignitatem simpliciter interdicuntur, quia ratione status sunt periculosa aut indecora aut saltem a tali statu iudicantur ob iustas causas aliena.

Art. 1 — De oblectamentis et artibus clericis prohibitis (cc. 140, 138, 139, § 2)

120. Principia fundamentalia. Ludorum et oblectamentorum maxima existit varietas, quae in dies augetur [1], nec in particulari enumerari possunt. Hinc merito generalis illa regula, cap. 15, X. de vit. et hon. III, 1, hisce verbis enuntiata: *Clerici officia vel commercia saecularia non exerceant*, **maxime inhonesta,** *universim* applicanda est. Ex qua regula a clericis non tantum illae oblectationes sunt vitandae, quae in se vel ipsis laicis inhonestae reputantur, sed ab iis quoque exercitiis et oblectamentis abs-

[1] Epist. Praefecti S. C. Ep. et Reg. 28 Sept. 1894, in qua prohibitio usus rotae dictae *velocipede* per Episcopum quendam sacerdotibus facta ab ead. S. C. confirmatur. *Pius X*, cum esset Episcopus Mantuanus, iam a. 1893 interdixit usum velocipedis omnibus clericis et multo magis sacerdotibus, etiam in visitatione infirmorum.

tinendum eis est, quae dignitati et indoli status clericalis adversantur et functionibus ecclesiasticis impedimento sunt [2].

121. Notae historicae. Oblectamenta non pauca cum primis saeculis propter fidei et morum integritatem vel ipsis laicis essent graviter interdicta, a fortiori clericis fuerunt prohibita [3]. Mox canones occurrunt, quibus clericis speciali ratione interdicuntur ludi et oblectamenta laicis permissa vel saltem expresse non prohibita [4]. Imperator autem Iustinianus, Novell. 122, cap. 10 (a. 546) interdicit omnibus clericis, *ne tabula ludant vel eorum, qui talia ludunt, socii vel spectatores fiant vel ad quodlibet spectaculum spectandi causa veniant.*

Cum clericis magis magisque assumerentur ex populis illis conversis, qui inde ex saeculo IV imperium Romanum invaserant, singularis fuit necessitas iisdem [5], imo vel ipsis monachis [6], interdicendi venationem saltem clamorosam.

Ex istis antiquis prohibitionibus quamplurimae in Decretum Gratiani [7] sunt translatae atque etiam in compilationibus authenticis iuris Decretalium approbantur. Cfr. cap. 15, X. de vita et hon. cler. III, 1. Contra novos abusus medii aevi, velut contra clericos bufones et goliardos vel contra ludos theatrales et inhonestos in ecclesiis [8], novae quoque leges promulgatae sunt.

Concilium Tridentinum [9] ius antiquum non mutavit, sed denuo omnibus clericis et praesertim canonicis praecepit, ut a luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus atque ab illicitis venationibus, aucupiis, tabernis abstinerent. Quod ius Tridenti-

[2] Cfr. c. 3, D. 23; c. 6, D. 46; *Schmalzgr.*, l. III, t. 1, n. 45; *Scherer*, l. c. p. 374.

[3] Cfr. c. 4, 52, Conc. Illiber. (a. 300-306); c. 4 sq., Conc. Arelat. (a. 314).

[4] Cfr. c. 24 (de non visit. tabern.), c. 54 (de non spectandis scenic. repraes.) Conc. Laodic. (a. 343-383); c. 19 (de vitand. epul. nuptial.) Conc. Agath. (a. 506); c. 42 Apost. (de ludo alear.) iunct. c. 79, cit. Conc. Illiber.

[5] Cfr. c. 55, Conc. Agath. (a. 506) = c. 2, D. 34 = cap. 1, X. de cler. venat. V, 24; cap. 2, X. de cler. venat. = c. 2, Conc. plen. Germ. (a. 742) cap. 14, X. de vit. III, 1.

[6] Cap. 1, §§ 3, 4 de stat. monach. III, 10, in Clem.

[7] Cfr. v. g., c. 1, D. 31; c. 19, D. 31; c. 37. D. V, de consecr.

[8] Cap. unic. de vit. III, 1, in Sext.; cap. 12, X. de vit. III, 1; cap. 1 de celebr. III, 14, in Clem.

[9] Sess. XXII, cap. 1 de ref., Sess. XXIV, cap. 12 de ref.

num, attentis declarationibus S. C. C. et particularibus decretis recentiorum Synodorum et Conciliorum, definiebat disciplinam ante Codicem vigentem in Ecclesia, praesertim quoad *poenas.*

122. Disciplina Codicis. Ex iure communi haec oblectamenta et exercitia clericis interdicuntur: I. Prohibentur interesse spectaculis, choreis et pompis, quae eos dedecent, vel quibus clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris (can. 140). Ordinariorum est generalem prohibitionem magis in particulari determinare, v. gr. prohibendo absolute adire publica theatra aut publica cinematographa aut ludos circenses, velut agitationes taurorum aut cursus equorum [10].

Multo magis prohibentur, quominus choreis et adnexis conviviis intersint aut eas promoveant foveantque, tametsi in bonum finem et in piorum operum levamen et subsidium [11] ab aliis fuerint indicta.

II. *Tabernas* non ingrediantur, nisi ob necessitatem, v. g. in itinere, non ob meram oblectationem, praesertim absque ulla iusta causa et frequenter singulis hebdomadis per modum habitus [12], quae causa, si de frequentia agitur, ab Ordinario loci est approbanda. Hinc etiam in caffè ne diutius quam necesse est immorentur neve ibidem *ludant* [13]; quae causa ludendi non est evidenter casus necessitatis neque causa iusta. Abstineant quoque a comessationibus et ebrietatibus.

III. Quoad ludos, praesertim in publicis locis, evitare debent omnes qui aliis scandalo sint; privatim vero etiam quoslibet ludos aleatorios, saltem pecunia exposita (can. 138); a fortiori vitare debent illos aleatorios ludos qui ex codice criminali potes-

[10] S. C. C. 10 Apr. 1645; Decret. Vicariatus Urbis de adeundis cinematographis in A. A. S., I, 600, ibid. X, 300; cfr. praeterea Bollettino del Clero romano, 1938, p. 20; Collect. Lac. v. g., t. V, col. 198, t. VI, col. 199; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899), n. 650; Conc. plen. Baltimor. III (a. 1884), n. 79: *Mandamus, ut sacerdotes a publicis equorum prorsus abstineant cursibus, a theatris et spectaculis*, ubi prohibitio recte non limitatur ad theatra *erotica*; paulo mitius *Hollweck*, l. c. not. 2 et *Ph. Hergenr.-Hollweck*, l. c. p. 259. Cfr. quoque *Stâra*, in Act. theol. Tubing., t. 69, p. 632 sq.

[11] Cfr. S. C. Consist., 31 Mart. 1916, 10 Decembr. 1917 in A. A. S., VIII, 147, X, 17 iunct. Conc. Plen. Baltim. III, can. 290.

[12] Cfr. can. 138 iunct. cap. 15, X. de vita et honest. cler. III, 1; *Hollweck*, l. c. § 236.

[13] Collect. Lac., t. VI, col. 754, 777; *Hollweck*, l. c. § 236.

tatis civilis omnibus civibus interdicuntur [14]. At ludi, qui nituntur ingenio aut virtute et dexteritate corporis clericis non prohibentur, nisi aliunde obstet decorum clericale aut per excessum peccetur.

IV. Non obstante auctoritate *Benedicti XIV* (De Synod. dioec. l. XI, cap. 10, n. 8) in severiorem sententiam inclinantis, cum S. Raymundo tuto teneri poterat vi canonum iuris communis antiqui, imo etiam decretorum Concilii Trid. Sess. XXIV, cap. 12, de ref. *solam saltuosam* vel *clamorosam, non quietam venationem* clericis stricte esse interdictam. Cui iuri consonat ius Codicis, *clamorosam* absolute vetans, *quietae* prohibens *indulgere* (can. 138), i. e. cum excessu et nimia frequentia et cum negligentia officii. Unde indubitatum est *ius Episcoporum* statutis dioecesanis vel provincialibus suis clericis etiam *quietam* venationem absolute prohibendi, si id duxerint necessarium. Quo iure prohibendi *quamlibet* venationem etiam de facto interdum Episcopi usi sunt [15]. Insuper clericis est prohibita gestatio armorum, nisi adsit necessitas defensionis (can. 138).

V. Quoad alia oblectamenta debet valere principium: « Clerici ab iis omnibus, quae statum suum dedecent, prorsus abstineant » (can. 138).

VI. Cum hoc principio est connexa prohibitio exercendi artes indecoras. Quaenam sint, quae secundum praesentes populorum mores clericum dedeceant, Episcoporum est pro sua quisque regione determinare.

123. Inter *artes* clericis prohibitas in particulari recenset Codex (can. 139) artem medicinae et chirurgiae; quam directe vetat, non ut artem indecoram, sed ut *minus convenientem, propter eius indolem*, cum statu clericali, praesertim si ex professo et ad quaestum exerceatur. Quae prohibitio ex principio

[14] Cfr. Collect. Lac., t. III, col. 24, 443, 784, 873, t. V, col. 198, 427; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec., l. X, cap. 2, n. 2; l. XI, cap. 10 ac de ludis theatralibus olim fieri solitis etiam per clericos in ecclesiis: cap. 12, X. de vita et hon. cler.; cap. 1 de celebr. III, 14, in Clem.; *Lugo*, Respons. moral., l. IV, dub. 33, n. 5; *Schmalzgr.*, l. c. n. 46; *Phillips*, l. c. t. 1, § 62, p. 694.

[15] Cfr. Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899), n. 651; Collect. Lac. t. V, col. 199, t. VI, col. 51, 546; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XI, cap. 10, n. 9, 10; Stat. dioec. Leod. (a. 1851), c. 21; S. C. C. in caus. Casert., 16 Dec. 1854.

generali saepius enuntiato promiscue tenet clericos etiam minores et religiosos. Est autem exercitium artis medicinae et chirurgiae ex natura rei diversum a cura infirmorum etiam scientifice praestita, quam ex instituto exercent plures Congregationes religiosae, praesertim mulierum; quibus consequenter non est prohibitum ut etiam discant modum curandi et ea quae pertinent ad hygienem tum habitationis tum aliorum, quae ad infirmos curandos sunt necessaria, modo honestatis et pudoris leges sancte serventur; qua in re iam in ipsa approbatione Instituti prudentes cautelae exigi solent.

Quae prohibitio artis medicae et chirurgicae adeo urgetur, ut si inde mors sequatur, incurratur a clerico irregularitas ex delicto (can. 985, 6°), nisi propter indultum apostolicum, sive generale sive speciale, huiusmodi prohibitio pro determinato clerico cessaverit [16].

124. Scholion. In Extravg. com. cap. 1, de vit. et hon. III, 1, Ioannes XXII statuit, ut nullus clericus lascivam illam *musicam* a se descriptam in officiis divinae laudis adhibere, praesertim in horis canonicis, vel cum Missarum sollemnia celebrantur, audeat; si quis vero contra fecerit, per Ordinarios locorum vel per Praelatos, alias competentes, suspensione ab officio per octo dies puniatur [17].

Art. 2 — De negotiatione clericis prohibita (c. 142).

125. Definitio. *Negotiatio* proprie dicta est actus emendi res ea *intentione*, ut postea non immutatae carius vendantur. Qui actus vocatur etiam *mercatura* (sive *en gros* sive *en détail*). Porro negotiatio minus proprie dicta est actus emendi res ea intentione, ut per *industriam* vel artem, praesertim ope *con-*

[16] Cfr. *Benedictum XIV*, De Synodo dioec. l. XIII, cap. 10; Collect. S. C. de Prop. F., n. 339; Act. S. S., XVI, 539; sq.; Instruct. S. C. de Prop. F., 11 Febr. 1936; A. A. S., XXVIII, p. 208.

[17] Hoc caput sane genuina statuit *principia* de musica sacra, licet sanctio poenalis de octiduo suspensionis non iam sit practici momenti. Cfr. de musica sacra: *Leonis XIII* nova decreta tum generalia pro orbe catholico (7 Iul. 1894), tum particularia pro sola Italia (6, 21 Iul. 1894) in *Anal. eccl.*, t. II, p. 313 et nunc *Pii X* Mot. prop. 22 Nov. 1903.

ductorum famulorum, immutatae atque meliores redditae denuo vendantur lucri faciendi causa. Huc spectant artificium et industria [18] = *negotiatio industrialis;* utraque est clericis prohibita, cum utrumque vocabulum negotiatio et mercatura adhibeatur in can. 142.

126. Divisio. Negotiatio dividitur:

I. In negotiationem, qua *dominium* proprietatis et in negotiationem, qua tantum rerum usus et *usus fructus* acquiritur et transfertur;

II. In negotiationem *oeconomicam, lucrativam, politicam.*

Prima consistit in actu emendi res ea intentione, ut inserviant propriae vel familiae necessitati vel utilitati, licet postea utpote superfluae vel ob alium honestum finem etiam pretio maiore quam tempore emptionis denuo vendantur.

Altera negotiatio lucrativa comprehendit duplicem illam speciem negotiationis, quae n. 125 fuit definita. Quare lucrativa negotiatio differt ab oeconomica ex fine, qui primario est lucrum, non cura rei domesticae.

Tertia denique dicitur ille actus emendi, quo quis pro communitate vel exercitu necessaria emit. Quae negotiatio etiam nostra aetate locum habere potest, cum v. g. missionarius tempore famis pro suis neophytis frumentum emit [19].

127. Notae historicae. Cum iam ipse Apostolus Paulus [20] monuerit S. Timotheum: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus,* Ecclesia memor apostolici verbi clericos et praesertim Episcopos a negotiis saecularibus constanter avocavit suoque servitio perfecte mancipatos esse voluit. Inter prohibita clericis negotia saecularia inde a primis saeculis principem quendam locum occupat *negotiatio* [21] etiam laicis permissa [22]. Cum autem illis temporibus clerici non raro essent coniugati, quibus familia fuit alenda, et Ecclesia proprios reditus haberet exiguos, non omnis negotiatio ad *propriam sustentationem* clericis fuit interdicta, sed solummodo illa, quae turpis lucri causa facta

[18] *Schmalzgr.*, l. III, t. 50, n. 7, 9.

[19] *Schmalzgr.*, l. c. 8, 9.

[20] II Timoth. II, 4.

[21] Cfr. c. 3, 4, D. 91; c. 2, 9, 10, D. 88.

[22] Cfr. de motivis: *Schmalzgr.*, l. c. n. 6; cap. 15, X. de vita et hon. cler.; cap. 1, X. ne clerici.

est [23]. Quae exceptio de casu necessitatis vel ipso iure Decretalium et Concilii Tridentini non fuit sublata [24], licet paulatim subsequentibus saeculis interdicta clericis negotiatio magis extenderetur. Cui extensioni nihil obstabat, cum clerici ab Ecclesia beneficiis essent provisi et sufficienter sustentarentur. Multo minus primis saeculis legitimum quoddam artificium vel exercitium agriculturae ad proprium victum et vestitum quaerendum clericis fuit interdictum; dummodo officium ecclesiasticum nullum caperet detrimentum et abesset turpis lucri studium [25].

Post Concilium Tridentinum, cum missiones in diversis mundi regionibus magno animarum fructu fundatae essent, periculum ortum est, ne missionarii in acquirendis subsidiis temporalibus ad illicitam confugerent negotiationem. Quare Urbanus VIII in Const. *Ex debito,* 22 Febr. 1633, missionariis mercaturam severe interdixit. Quam prohibitionem Clemens XI, in Const. *Sollicitudo,* 17 Iun. 1669, cum poenis adiectis denuo approbavit, atque *Pius IX,* post publicatam Const. *Apost. Sed.,* a. 1869, per decretum S. C. Inq., 4 Dec. 1872, etiam censuram denuo *restauravit.* Novae controversiae et dubitationes, potissimum a Benedict. XIV in Const. *Apostolicae,* 25 Feb. 1741, de prohibita per alium negotiatione et a Clemente XIII in Const. *Cum primum,* 17 Sept. 1759, de interdicto clericis *cambio,* fuerunt resolutae.

Nostro saeculo quaestio sane maximi momenti est illa, num sit negotiatio clericis prohibita, si *actiones* vel *obligationes* ab ipsis comparentur. Qua de re inter viros doctos fervet disputatio, neque de omnibus dubiis hucusque generalis atque definitiva lata est sententia a Sede Apostolica. In ipso schemate Concilii Vaticani [26] de hisce quaestionibus nihil habebatur.

128. Disciplina Codicis. I. Clericis licita est negotiatio *oeconomica.* Illa enim clericos neque a divinis officiis vel obligationibus proprii status avocat neque implicat negotiis saecularibus.

[23] Cfr. Act. Apost. XVIII, 3, de arte a S. Paulo exercitata; c. 19 Conc. Illiber. (a. 300-306); c. 2, D. 88; c. 3, 4, D. 91; L. 2, Cod. de Ep. l. 3.

[24] Cap. 1, X. ne clerici; Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 1 de ref.; *Pirhing,* h. t. 50, n. 3.

[25] Cfr. c. 3, 5, D. 91; c. 12 Conc. Roman. (a. 826); cap. 1, X. ne clerici.

[26] *Martin,* l. c. p. 137; Collect. Lac. t. VII.

Porro, si prohibita esset ea, haud raro personae ecclesiasticae cum gravi damno suas res perderent, atque re penitius inspecta illa negotiatio tandem reducitur ad rationabilem rei domesticae administrationem, quae clericis non tantum permissa, sed praecepta est. Id potissimum locum habet, si clerici *bona Ecclesiae* administrant, quae ut providi patresfamilias administrare tenentur [27]. Qua permissione non obstante, negotia et pacta, quae ad administrationem oeconomicam requiruntur, semper transigenda sunt cum *decoro status clericalis*, non more mercatorum et agricolarum [28].

II. Negotiatio *politica* clericis ordinarie et per se est prohibita [29]. Quamvis enim ad lucrum *privatum* quaerendum non ordinetur, neque res emptae *lucri causa carius* vendantur, tamen clericos nimis implicat curis et negotiis saecularibus atque periculis administrationis pecuniariae (can. 139, § 1). Quare huiusmodi negotiatio politica clericis tantum permissa est in casibus exceptis [30], sc. si urgens causa pietatis et caritatis aliud suadeat, v. g. si tempore famis clericus annonam procuret pauperibus. Ut authentice constet de casibus exceptis, ex natura rei requiritur *licentia* Ordinarii, quae habet vim *declarationis*, non proprie dictae *dispensationis* a lege; etenim iam *ipsa lex* illos casus extraordinarios non comprehendit [31].

III. Negotiatio *lucrativa* proprie dicta, qua res ea intentione emuntur, ut postea non *immutatae carius* vendantur, ab Ecclesia sapienti consilio [32] clericis omnibus, etiam *minorum* ordinum [33] atque beneficio destitutis, item beneficiariis omnibusque

[27] Can. 1522; cap. 1, 6, X. h. t. 50; Clem. XIII, l. c.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 10, 17.

[28] Can. 1524; S. C. C. in caus. Faventin., 20 Nov. 1820 apud *Lingen* et *Reuss*, l. c. n. 120; Conc. prov. Urbinat. (a. 1859) in Collect. Lac. t. VI, col. 51.

[29] Cfr. can. 3, D. 88; c. 1 sq., C. XXI, q. 3; *Schmalzgr.*, l. c. n. 13, 14.

[30] Cfr. can. 26, D. 86; cap. unic. X. de oblig. I, 19.

[31] *Hirschel*, in Arch. f. k. K., t. 49, p. 218 sq. t. 50, p. 369 sq.

[32] *Thomassin*. l. c. P. III, l. 5, cap. 17.

[33] Cap. 15, 16, X. de vita; cap. 6, X. ne clerici; Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 1 de ref.; S. C. C. in caus. Apuan., 20 Febr. 1796; Urban. VIII, Const. *Ex debito*; Clem. XIII, Const. *Cum primum; Schmalzgr.*, l. c. n. 28 iunct. l. III, t. 2, n. 45, ubi de clericis *coniugatis* disserit. At in Ecclesia orientali Synod. Sciarf. Syrorum (a. 1888), p. 197, istud vetitum negotiationis ad clericos *maiores* restringit et usque ad nostram aetatem non deerant

religiosis sive clericis sive laicis [34] prohibetur, ita ut neque *per se* neque *per alterum* [35], neque *pro se* neque *pro altero* seu in alterius utilitatem, etiam ad *causam piam* [36], ab eisdem exerceri possit, nisi necessitas urgeat. Censebatur excusare necessitas pro sua vel suorum sustentatione, vel per aliquod tempus permitti negotiatio per haereditatem devoluta; ut autem haec negotiatio, quae fit necessitatis causa, posset *inchoari*, aut quae ad clericum legitime devolvitur, v. g. per haereditatem, *continuari* valeret, etsi per alterum tantum et ad tempus et ex urgenti necessitate, requirebatur *extra Italiam* iudicium sive licentia *Episcopi, intra Italiam* et insulas adiacentes *S. C. C.* erat adeunda, pro licentia secundum normas cit. Const. Benedict. XIV et Clem. XIII obtinenda. Cfr. exemplum licentiae a S. C. C., 6 Iul. 1885, concessae ad retinendas *actiones* commerciales, industriales, cambiarias apud *Ballerini-Palmieri,* Opus theol., vol. IV, p. 356 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 197 sq.; Collectan. S. C. de Prop. F., n. 2121 ad 8. Quae prae oculis habenda sunt pro iure Codicis, cum hic mere referat disciplinam praecedentem.

Altera quoque species negotiationis *lucrativae* minus proprie dictae pariter clericis est interdicta [37], si res emptae per *operarios conductos* immutentur, ut postea carius vendantur. Quare clerici non exercent prohibitam negotiationem lucrativam, si res *proprias*, v. g. uvas, etiam *per famulos conductos* commutant atque postea, v. g. vinum ex uvis factum carius vendunt, aut

scriptores latini, velut *Lehmkuhl,* Theol. moral., t. II, n. 611, aliique, qui prohibitionem negotiationis lucrativae ad clericos *minorum ordinum* non extendi existimabant; quae mitior sententia cum generali prohibitione Codicis non videtur cohaerere.

[34] Cap. 6, X. ne celrici; *Schmalzgr.*, h. t. 50, n. 30.

[35] R. I. 72, in Sext.; Benedict. XIV, Const. *Apostolicae servitutis;* Clement. XIII, Const. *Cum primum*. Quae Constitutiones etiam in schemate Concilii Vaticani denuo approbatae fuerunt. Inde deducitur quod mitiores sententiae non paucorum antiquorum, sive quoad culpam sive quoad poenas (cfr. *Schmalzgr.*, l. c. n. 16, 23 sq.) in clericos per *aliam* personam negotiantes statutas, non iam poterant sustineri. Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec., l. X. cap. 6, n. 4, 5. Multo magis eas excludit formula Codicis can. 142 iunct. can. 2380.

[36] Urban. VIII, Const. *Ex debito;* Clem. IX, Const. *Sollicitudo;* Decret. S. C. Inq. 4 Dec. 1872; Act. S. Sed., VII, p. 317 sq.; *Bargilliat*, l. c.

[37] *Schmalzgr.*, l. c. n. 18; S. C. C. in caus. alleg. a *Lingen* et *Reuss*, Causae select. S. C. C., n. 119 sq.

vicissim si res *alienas* emunt industriaque mere *personali*, non per ullum famulum *conductum* commutant et cum lucro vendunt, v. g. si quis clericus lignum pretiosum emit et arte sua et industria *personali* in pulcherrimam statuam transformat atque haud exiguo pretio cum lucro vendit. Quae dicta sunt de causa excusante, huic quoque negotiationi applicanda sunt.

Clericis quoque speciatim illa negotiatio lucrativa interdicitur, quae fit per *cambium* [38], sive *manuale* sive *locale* sive *temporaneum*, ut iam patet ex cit. Const. Benedict. XIV et Clem. XIII [39]. Quare nostra aetate clerici, qui *ea intentione emunt obligationes* sive *actiones*, ut postea pro more aliorum *mercatorum* in foro argentario illas *carius vendant*, aut qui pecuniam *mutuant* fixo foenore annuo soluto, ut ex pecunia ita sibi comparata per speculationes pecuniarias apud campsores in foro argentario *actiones* sive *obligationes emant ad maius lucrum* percipiendum, certe ab illicita clericis negotiatione excusari non possunt [40].

Scholion. Clerici nostra aetate non prohibentur, quominus etiam honestis societatibus commercialibus vel industrialibus iam constitutis, in quarum administratione ipsi partes non habent, pecuniam mutuent vel *obligationes* illarum sibi comparent atque *retineant*, ut singulis annis determinatum foenus percipiant. Nam si clerici nunc sine scrupulo pecuniam suam reipublicae, v. g. per emptionem obligationum, vel personis privatis *mutuo* dare cum lucro possunt, idem etiam istis societatibus emendo illarum *obligationes* praestare valent, neque hac praxi ullam *ipsi per se* sive *per alios* **sua** *pecunia*, i. e. de qua in proprios usus licite et valide possunt disponere, exercent ne-

[38] Quousque sese extendat capacitas activa et passiva clericorum quoad argentarias syngraphas, *nostra aetate etiam ex iure civili* est eruendum; attendendae quoque sunt leges particulares *dioecesis* vel *provinciae* (cfr. Conc.prov. Tolosan., a. 1850), quibus clericis usus huiusmodi syngrapharum vel chirographorum (*lettre de change vel billet d'ordre*), saltem absque praevio consensu Episcopi, interdicitur. Cfr. Collect. Lac., t. IV. col. 1043 sq.; *Scherer*, l. c. p. 377, 401.

[39] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. X. cap. 5, n. 7 sq.

[40] Cfr. resp. S. C. Inq. 15 Apr. 1885; Decret. S. C. Cons. *Docente Apostolo*, 18 Nov. 1910, in A. A. S., II. 910.

gotiationem [41]. Similiter donec aliter a Sede Apostolica definitum fuerit, clerici non sunt inquietandi, si emunt *actiones* societatum *sensu stricto industrialium*, v. g. *fodinarum* vel ferroviarum, quatenus a societatibus stricte commercialibus, v. g. fabricarum horologiorum distingui solent, dummodo illas acquirant *sua* pecunia a societatibus vere honestis et solidis neque ullam in sese suscipiant *administrationis* et *periculi* partem multoque minus per modum negotiatorum cum istis actionibus *ludant* in foro argentario sive mercaturam exerceant. Etenim in non paucis societatibus industrialibus neque per se neque per alios exercetur negotiatio sensu stricto iuris canonici, neque sensu minus proprio, quatenus per famulos conductos res *emptae immutantur*, ut postea carius vendantur; sed clericus id facit cum sociis, qui *condominium* habent, quod posset facere *solus*, si unicus esset dominus v. g. fodinae carbonum [42].

At pluribus doctoribus solidae non videntur rationes, quibus v. g. *Bouix* aliique defenderunt [43] clericis *indiscriminatim* permissam esse emptionem et retentionem *actionum* societatum iam constitutarum, quae *verum commercium* exercent. Nam omnes prohibitiones Romanorum Pontificum, v. g. Benedicti XIV, Const. *Apostolicae servitutis*, clericis datae non negotiandi *per alios* quomodolibet etiam *totam* curam in se suscipientes tanquam *procuratores*, non ut meros famulos, plene et perfecte videntur verificari [44]. Imo hisce prohibitionibus etiam illae so-

[41] *Ballerini-Palmieri*, Opus theol., vol. IV, p. 354; Act. theolog. Oenipont. t. 18, p. 149 sq.; *Lehmkuhl*, Theol. mor. t. II, n. 612.

[42] Cfr. resp. S. C. Inq. 15 Apr. 1885: *Iuxta exposita et attentis peculiaribus temporum circumstantiis personas ecclesiasticas non esse inquietandas, si emerint aut emant actiones seu titulos mensae nummulariae, dummodo paratae sint stare mandatis S. Sedis et se abstineant a qualibet negotiatione dictarum actionum seu titulorum et praesertim ab omni contractu, qui speciem habeat, ut vulgo dicitur, « dei giuochi di borsa »*; resp. S. C. Inq. 17 Nov. 1875, allegatum a *D'Annibale*, Summula P. III, n. 157; *Ballerini-Palmieri*, l. c. p. 356 sq. Cfr. indulta S. C. Inq. 1 Apr. 1857; S. C. C. 6 Iul. 1885.

[43] Act. theol. Oenip. t. I, p. 287.

[44] S. C. Ep. et Reg. 30 Ian. 1846; Act. theol. Oenip. t. 18, p. 149 sq.; *Lehmkuhl*, l. c.; *D'Annibale*, l. c. Cfr. quoque Conc. prov. Smyrnens. (a. 1869) in Collect. Lac. t. VI, col. 575.

cietates *industriales* videntur comprehendi, in quibus clericus vere per alios exercet *illam speciem* negotiationis minus propriam clericis pariter interdictam, vi cuius *res emptae per famulos* conductos *immutantur* et carius venduntur, v. g. in fabrica chartae [45].

Codex existentem controversiam non dirimit, imo variis locis (v. gr. can. 594 § 2, 1539, § 2) commemorantur *tituli*, nulla facta distinctione inter diversa titulorum genera; cuius silentii optima habetur ratio in hoc quod res dependet a particularibus circumstantiis, quae difficulter unica generali formula comprehendi possunt. Cum ergo plures doctores tam ante quam post Codicis promulgationem censeant clericum non negotiari *per se* nec *per alium*, si gerendis societatis negotiis nullo modo intersit adeoque nec per se nec per alium, eius nomine agentem, coetui generali sociorum, in quo negotia definiuntur, assistat, et a S. Sede nullum prodierit responsum rem universaliter definiens, concludendum videtur agi de prohibitione dubia, dubio iuris, quae ex can. 15 non obligat, modo agatur de societatibus honestum finem prosequentibus. Cfr. *Ferreres*, Inst. can. I, 305; *Verm.-Cr.*, Epitome, I, n. 260; *Maroto*, Inst. I. can. I, n. 572.

IV. Quoad poenas ob prohibitam negotiationem inflictas, nunc standum est can. 2380, ubi dicuntur decernendae prudenti arbitrio Ordinarii.

Art. 3. — De civibus et militaribus officiis clericis prohibitis (cc. 139, §§ 3-4, 137, 141)

129. Principia fundamentalia. Clerici et beneficiarii, cum sacra ordinatione et officio ecclesiastico sese servitio Ecclesiae mancipārint, per susceptionem officiorum civilium vel militarium sese ingerunt negotiis a statu suo manifeste *alienis*. Porro rari sunt homines, qui *unum* officium sive ecclesiasticum sive civile perfecte expleant; multo minus igitur quis idoneus est, qui utroque officio bene fungatur. Imo facile fit, ut cum gravissimo damno Ecclesiae et ordinis perturbatione temporalia officia magis

[45] S. C. C. in caus. Amalphit. 6 Iun. 1840, apud *Lingen et Reuss*, l. c. n. 122.

curentur quam spiritualia. Denique praesertim illud habetur incommodum, quod libertas et disciplina Ecclesiae periclitentur. Clerici enim officiis civilibus locupletati iam dependent a potestate civili et dominis temporalibus, suis autem Praelatis ecclesiasticis leviter subiecti non iam facilem et promptam praestant obedientiam.

130. Notae historicae. Dominante superstitione in universa republica Romana, christiani publicis officiis fungentes gravibus sese exposuerunt periculis. Publica enim officia cum sacris paganorum haud raro intime fuerunt connexa. Quare primis saeculis nonnisi laici fuerunt, qui frequentius quam par erat officia publica ambirent [46]. Inter Episcopos *Paulus Samosatenus* (a. 269) primus fuit, cui obiiceretur, quod simul cum Praelatura ecclesiastica obiret publicum officium *ducenarii* [47]. Quae res multum mutata est, postquam Ecclesiae pax est restituta, et Imperatores facti sunt christiani [48]. Hinc iam in Concilio Sardicensi c. 8 = c. 28, C. XXIII, q. 8 (a. 343) praesertim Episcopi Africani reprehenduntur, quod nimis frequenter accedant ad aulam Imperatoris, ut dignitates saeculares et administrationes postulent.

Clerici quoque inferiores inde a saeculo quarto saepius avocandi fuerunt ab officiis saecularibus, saltem iuris privati, velut procuratorum et tutorum [49].

Tempore medii aevi clerus a negotiis publicis et saecularibus incaute suscipiendis multo magis fuit arcendus [50]. At Ecclesia illa aetate omnia officia publica declinare non potuit [51]; saepe enim Episcopi fuerunt principales vasalli regum. Quare potius studuit abusus avertere, qui ex ista subiectione fuerunt timendi, atque imprimis curavit ut Episcopi aliique clerici, cum

[46] *Hefele*, l. c. t. I, p. 156, 179 sq., 181, 208, 825.
[47] *Eusebius*, Hist. eccl. l. VII, cap. 30.
[48] Cfr. c. 81, 83 Apost. iunct. *Hefele*, l. c. p. 802, 825. Cfr. quoque de officio iudicum ab Episcopis in causis *civilibus* christianorum inde a primis temporibus suscepto et postea ab Imperatoribus christianis ampliato: *Devoti*, Inst. can. l. III, tit. 1.
[49] Cfr. c. 7, 20 Apost.; c. 3, Conc. Chalced. (a. 451); *Novell.* 123, cap. 6 (a. 546).
[50] *Hefele*, l. c. t. III, p. 590, 666, 719, 752.
[51] Cfr. c. 31, Conc. Tolet. IV (a. 633).

suis obligationibus pro exercitu satisfacerent, abstinerent a personali servitio militari et pugna [52], et iurisdictionem criminalem sibi forte collatam iuxta limites iure canonico statutos exercerent [53]. Nostra aetate officiorum civilium, quae olim Praelatis ecclesiasticis fuerunt concessa, pauca remanserunt vestigia [54]. Ex systemate autem constitutionali novae ortae sunt quaestiones de iure clericis dato acceptandi officia deputatorum et senatorum atque generatim interveniendi in negotiis et electionibus politicis [55].

131. Disciplina Codicis. I. Publicum *tabellionis* sive *notarii* officium in foro *civili clericis* omnibus est omnino interdictum (can. 139, § 2). Quae prohibitio non amplius se extendit ad exercitium *tabellionatus* in foro seu Curia *ecclesiastica,* praesertim si agatur de causis spiritualibus stricteque *ecclesiasticis* [56]. Quodsi iam in antiquo iure Decretalium cautum erat, quod clerici *omnes* etiam in sacris ordinibus constituti officium tabellionis in causis *fidei* exercere possent, si illud iam *ante* in saeculo exercuissent (cap. 11, § 1 de haeret. V, 2, in Sext.), multo magis iure Codicis, non solum in Curiis ecclesiasticis praeferuntur laicis, sed saepe expresse in ipsis requiritur sacerdotium, praesertim in causis criminalibus clericorum (cfr. can. 372 sq.).

II. Pariter prohibentur clerici exercere munus procuratoris aut advocati, nisi agatur de tribunali ecclesiastico aut in tribunali civili agatur de causa propria aut suae ecclesiae [57]. Quae permissio de tribunali civili nostra aetate non erit practici mo-

[52] Cfr. c. 2, Conc. plenar. Germ. (a. 742); *Nicolaus I* (a. 865) in c. 19, C. XXIII, q. 8.

[53] Cfr. c. 31, cit. Conc. Tolet. IV; c. 6, Conc. Tolet. XI (a. 675); cap. 5, 9, X. ne clerici; cap. 3 ne clerici III, 24, in Sext.

[54] *Vering,* Lehrb. d. k. Kirchenr. § 37; n. 12.

[55] *Card. Hergenroether* in Arch. f. k. K. t. 15, p. 82 sq.

[56] Cfr. *Bouix,* t. I, p. 488 sq.; *Scherer,* l. c. t. I, p. 379, not. 29 i. f.

[57] Cfr. de iure praecedenti cap. 1, 3, X. de postulando I, 37; cap. 1, 2, X. III, 50; *Bouix,* De iudic. t. I. p. 199 sq.; *Benedict. XIV,* De Syn. dioec. l. XIII, cap. 10. Unde constat iure Codicis mansisse abrogatum discrimen inter sacerdotes et alios clericos et beneficiarios. Causa *propria* videtur intelligenda, prout in iure praecedenti, non solum causa ad personam clerici directe pertinens, sed etiam causa directe pertinens ad personas sibi coniunctas seu de clerici familia: *ecclesia* autem *clerici* illa est, ubi clericus officium seu beneficium obtinet.

menti, si leges civiles, v. g. propter qualitates in advocatis requisitas, obstent.

Huc quoque spectat prohibitio ne in laicali iudicio criminali, gravem personalem poenam prosequente, ullam partem habeant, ne testimonium quidem ferendo, nisi cogantur necessitate. Quae necessitas potest provenire aut ex coactione auctoritatis civilis aut ex periculo gravi proximi, cuius innocentiam sibi notam possint testificari et impedire ne innocens ad talem gravem poenam damnetur.

III. Relate ad *negotia pecuniaria,* ad evitandum periculum ne sese implicent gestione pecuniae alienae, aut in detrimentum honoris status clericalis avaritiae suspicionem incurrant, vetantur clerici:

a) Ne fideiubeant etiam de propriis bonis, sese per stipulationem obligando, ut proprio ipsorum periculo obligatio aliqua ab alio suscipiatur, aut in se suscipiendo effectum alienae obligationis. Quae fideiussio, quam forte in casu particulari suadere potest pietas seu caritas, non absolute vetatur, sed si fiat inconsulto Ordinario loci (can. 137). Multo magis censetur prohibita fideiussio de bonis ecclesiae, quae impingat in leges de alienatione bonorum ecclesiasticorum [58].

b) Prohibentur sine licentia Ordinarii inire gestiones bonorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia, quae secum ferant onus reddendarum rationum (can. 139, § 3); unde qui saecularia officia vel administrationes gerunt, cuius rationes reddere debeant, ad ordines recipiendos ex can. 987, 3° admitti non possunt, nisi deposito officio et administratione et rationibus redditis liberi iam facti sint. Inter haec officia recensendum est munus tutoris et curatoris, saltem extranearum personarum; munus vero tutoris et curatoris *legitimi* relate ad *cognatos* non videtur ordinariis clericis, attento praecedenti iure [59], rigorose prohibitum, licet etiam in hoc casu arcerentur Episcopi et religiosi [60]. Confer responsum Commiss. Codic. 2-3 Iunii 1918 (A. A. S.,

[58] De prohibitione fideiussionis in recentioribus Conciliis cfr. Conc. prov. Colon. (a. 1860); Conc. prov. Ultraiect. (a. 1865) in Gollect. Lac. t. V, col. 670, 907. Cfr. Collect. Lac. t. III, col. 444, 861, t. VI, col. 52, 199, 545, 815. De iure vero Decretalium cfr. cap. 1, X. de fid. III, 22 = c. 20 Apost.

[59] *Ferraris,* v. Tutela n. 53, 54 et v. Clericus, art. 3, n. 83.

[60] *Ferraris,* v. Tutela n. 52, 55.

X, 344) quo Decret. *Docente Apostolo*, S. C. Cons. 18 Nov. 1910 (A. A. S., II, 910) declaratur per Codicem mitigatum quoad necessitatem indulti apostolici ad huius generis munia suscipienda, quae administrationis curas, obligationes, in se recepta pericula secumferunt in arcis nummariis, mensis argentariis, ruralibus et parsimonialibus. Sed in formula servanda in relationibus dioecesanis n. 48 facultas Ordinarii dandi licentiam satis arctis limitibus continetur. Cfr. A. A. S., X, 495.

IV. *Episcopi aliique Praelati ecclesiastici*, qui ipsis sunt maiores aut aequales, *gubernationem civitatis* vel *provinciae* sine licentia Romani Pontificis suscipere non poterant [61], nisi ageretur de casibus a iure exceptis [62]. Imo vera *dispensatio* pontificia requirebatur, si lex ecclesiastica *residentiae* cum officio civili implendo conciliari nequiret [63]. Quae remotio a quolibet publico officio, exercitium laicalis iurisdictionis vel administrationis secumferente, generali modo est imposita per Codicem omnibus clericis, nisi habeant indultum apostolicum (can. 139, § 2). At Praelati minime prohibentur quominus, etiam sine venia Romani Pontificis, officium consiliarii vel senatoris regni rite exerceant, saltem si huiusmodi officium cum ipsa sede episcopali sit coniunctum [64].

Praeterea *clerici* infra Episcopum constituti *officia politica* velut senatoris, deputati in parlamentis, tametsi iure civili ab illis officiis non excluduntur [65], non possunt nec sollicitare nec utcumque acceptare sine licentia S. Sedis in locis ubi prohibitio pontificia intercessit; ubi talis prohibitio non est facta, non possunt se praesentare ut candidatos ad electionem aut munus acceptare sine licentia tum sui Ordinarii, tum Ordinarii loci in quo electio facienda est (can. 139, § 4). Munera vero civilia etsi non iurisdictionalia, velut consiliarii in municipiis aut provincia, cum plerumque sint plus vel minus coniuncta cum onere redden-

[61] Cap. 4, 5, X. h. t. 50; *Schmalzgr.*, l. c. n. 63; Card. *Hergenroether*, in Arch. f. k. K. XV, p. 82.

[62] Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 1 de ref.

[63] *Santi*, l. III, t. 4; n. 16 sq.

[64] Conc. Trid., l. c.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 65; *Scherer*, l. c. p. 564 sq. Cfr. tamen resp. Commiss. Cod. in A. A. S., XIV, 313.

[65] Cfr. v. g., art. 54 constit. reipubl. Columb. (a. 1886).

darum rationum, vix fieri potest ut ea licite acceptent sine Ordinarii licentia [66].

Scholion. Huc quoque pertinet commendatio a *Leone XIII* facta in Encycl. *Cum multa*, 8 Dec. 1882 in Hispaniam missa: *Sacerdotes tradere se penitus partium studiis, ut plus humana quam coelestia curare videantur, non est secundum officium; cavendum igitur sibi esse intelligant, ne prodeant extra gravitatem et modum.* Quare absque ullo dubio *principalis* atque adeo exclusiva et ordinaria occupatio in rebus politicis, praesertim clericis ad *curam animarum* obligatis, aliena sit oportet. Cui principio non obstat quominus clericis, servatis gravitatis et moderationis legibus, maiore minoreve gradu pro diversitate locorum et temporum secundum praxim a Superioribus ecclesiasticis probatam rebus politicis *operam* dare *possint*, imo non *raro debeant* [67].

V. Vetantur clerici ne sponte militiam saecularem assumant, a qua per specialem immunitatem in favorem status clericalis sancitam decernuntur exempti. In iis vero locis, in quibus civiles leges hanc ecclesiasticam immunitatem non admittunt, possunt de licentia sui Ordinarii sponte militiam assumere, si, ut non raro accidit, hoc est medium admissum ut citius liberi evadant (can. 141, § 1). Laudabiliter vero intersunt bellis ut pro conditione sua aut *spiritualia ministeria* exhibeant militibus, aut vulneratis et infirmis praestent opera caritatis. Prohi-

[66] Cfr. Decret. S. C. Cons. 9 Maii 1913; Clem. XIII, Const. *Cum primum*; Conc. prov. Colon. (a. 1860), in Collect. Lac. t. V, col. 378; Card. *Hergenroether*, l. c. p. 83; *Heiner*, in Arch. f. k. K. t. 84, p. 107 sq., ubi optimo iure defendit officium deputati in parlamentis non a nimis multis et mediocris capacitatis clericis, sed potius a paucis vereque insignibus viris ecclesiasticis esse suscipiendum. * Comm. Cod. respondit d. 25 Aprilis 1922 Ordinarios locorum in concedenda licentia sacerdotibus, qui se candidatos ad deputatorum comitia sistere cupiunt, potius difficiles quam faciles se praebere debere (A. A. S., XIV, 313).

[67] Cfr. quoque decret. Episcopor. Hibern., 19 Maii 1854 a Sede Apost. approb. in Collect. Lac. t. III, col. 854; S. C. de Prop. F., 26 Sept. 1840. 1659, in Collectan. S. C. de Prop. F., n. 198, 300; Arch. f. k. K. t. XV, p. 67 sq. * In actione vero politica explicanda debent viri ecclesiastici se conformare instructionibus S. Sedis; secus Ordinarii erit ius et officium interdicendi eisdem, etiam per praeceptum congrua poena munitum, quamlibet actionem politicam. S. C. C., 15 Mart. 1927; A. A. S., XIX, 138.

bitio militiae in clericis minoribus illam habet sanctionem, quod clericus minor, qui sponte militiam capessat, ipsa iuris dispositione clericalem statum amittat (can. 141, § 2). In clericos maiores facile potest applicari sanctio poenalis can. 2379 de clericis transeuntibus ad vitae genus a statu clericali alienum [68].

Caput V

De studiis sacris colendis

§ I. De studiis sacris clerico convenientibus (cc. 129, 130)

132. Principia fundamentalia. Ecclesia catholica studia litterarum tum in clericis ordinandis tum in clericis iam ordinatis omni cura promovit [1]. Ignorantia (enim), ut verbis utamur Concilii Toletani IV (a. 633), mater cunctorum errorum, maxime sacerdotibus vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. At optimo iure imprimis exigitur, ut studia illa litterarum sint de scientiis statui clericali propriis, i. e. de universa sacra theologia et doctrinis, quibus studium theologicum sive remote sive proxime praeparatur. Quare studium scientiarum profanarum [2] a clero non excluditur, dummodo iisdem opera detur ad meliorem cognitionem rerum theologicarum et philosophicarum, aut ad aptiorem et efficaciorem defensionem religionis christianae, atque ut medium quoddam habeatur promovendi magis salutem animarum, v. g. ut sacerdotes etiam in

[68] Cfr. apud *Lingen* et *Reuss*, Causae selectae n. 93, S. C. C., in caus. regn. Hispan. 6 Iun. 1840; S. C. C. 12 Iul. 1900 in *Anal. Eccl.*, t. VIII, ubi severae statuebantur poenae in clericos, qui ad *bella civilia* excitant vel in iisdem habeant partem.

[1] *Wernz*, Ius Decretalium t. III, tit. 3 §§ 4, 5, de univers., de Seminar.; postulat. Episcop. Belgii apud *Martin*, l. c. p. 180 sq.; Collect. Lac. v. g., t. VI, v. v. Clerici, Sacerdotes n. 18 sq. (studia et scientia), t. V, v. Sacerdotes n. 40 sq. (scientia), t. IV, v. Sacerdotes n. 38 sq. (scientia), t. III, v. Sacerdotes n. 42 sq. (scientia, studium). Cfr. Litt. Encycl. Pii XI. Ad catholici sacerdotii, 20 Dec. 1935, A. A. S., XXVIII, 33.

[2] Conc. prov. Colon. (a. 1860); Conc. prov. Prag. (a. 1860); Conc. prov. Ultraiect. (a. 1865) in Collect. Lac. t. V, col. 379, 418, 911; Conc. plenar. Baltimor. II, (a. 1866) in Collect. Lac. t. III, col. 448.

scholis mediis iuventutis instructionem et educationem suscipere possint. Manifesta autem est inversio legitimi ordinis, si clerici neglectis proprii status studiis sese *totos* doctrinis profanis discendis addicant et mancipent. Inde enim fit, ut cum gravissimo damno animarum et dignitatis status clericalis magistratus ecclesiastici et beneficiarii in scientiis profanis forte sint doctores, in scientiis autem proprii status minus habentes reperiantur. Quare Ecclesiae competit ius et officium indubitatum non solum *positive* studia litterarum in universo clero ordinandi sive quoad obiecta sive quoad methodum [3], sed etiam *negativis* statutis clericos arcendi a certis studiis vel scholis vel lectionibus [4].

133. Notae historicae. Primis saeculis praeter generales leges, quibus clericis negotia saecularia interdicta fuerunt, leges speciales de prohibitis studiis litterarum velut iuris civilis, medicinae, litterarum humanarum omnino non reperiuntur. At ex saeculo quarto occurrunt canones et dicta SS. Patrum, quibus excessus clericorum in studiis *saecularibus* reprehenduntur [5].

Prava autem consuetudo *monachorum et canonicorum regularium*, derelictis monasteriis, excurrendi ad scholas publicas et ibidem addiscendi leges temporales [6] et medicinam [7] *prima vice* c. 5 Conc. Claromont. (a. 1130) ab Innocentio II fuit damnata et prohibita.

Quae prohibitio c. 6 Conc. Remens. (a. 1131) et c. 9 ipsius Concilii Later. II (a. 1139) repetita denuo ab Alexandro III, c. 8 Conc. Turonensis (a. 1163) inculcata est. Qui canon Turonensis, iam a Concilio Lateranensi III (a. 1179) approbatus, ab Honorio III (a. 1219) uberius explicatus et ad clericos quoque saeculares cum certis limitationibus extensus est. Tandem Greg. IX canonem Turonensem (cap. 3, X. h. t. 50) et Decretalem Honorii III (cap. 10, h. t. 50) suae compilationi authenticae (a. 1234) inse-

[3] Syllab. Pii IX (a. 1864), prop. 46.

[4] Dist. 37; Collect. Lac. l. c. contra nimium pruritum legendi ephemerides vel libros romanenses; *Scherer*, l. c. p. 380 sq.

[5] Cfr. D. 37 cum dict. Grat.; c. 5, D. 86 (S. Gregor. I, a. 601).

[6] *Denifle*, D. Univers. d. Mittelalt. t. I, p. 252 sq., 259, 696 sq.; *Scherer*, l. c. t. II, p. 55, not. 13, ubi etiam mentio fit Innoc. IV, Const. (a. 1254), quae studium iuris Romani per totam Galliam, Hispaniam, Angliam, Hungariam prohibet, sed merito non habetur genuina.

[7] *Kober*, in Act. theol. Tubing. t. 55, p. 604 sq.

ruit atque denuo tanquam leges universales promulgavit. Quibus canonibus accessit declaratio istius prohibitionis de studio iuris civilis et medicinae, quam Bonifacius VIII, cap. 1, 2 ne clerici III, 24, in Sext. publicavit.

Leo X in Conc. Lateran. V Sess. VIII, Const. *Apostolici regiminis*, 19 Dec. 1513, ut occasionem errandi tolleret, clericis in sacris ordinibus constitutis tum saecularibus tum regularibus modum imposuit in studiis philosophicis et humanioribus, atque Episcopis et rectoribus Universitatum annuam publicationem istius decreti Lateranensis commisit. Quod decretum iamdiu non videbatur esse in pleno vigore, cum nostro tempore potius expediret ut clerus philosophiae et litteris humanioribus, praesertim studio linguae latinae, maiore cum diligentia et methodo meliore incumberet, modo in frequentandis Universitatibus publicis, auctoritati et vigilantiae Ecclesiae subductis, omnino stet sapientibus Instructionibus S. Sedis et proprii Ordinarii [8].

Pariter *studium publicum iuris civilis* tum Romani tum patrii, propter circumstantias plane mutatas [9] et exceptiones multas iam in ipso iure Decretalium statutas [10] et privilegia non paucis Universitatibus concessa, clericis et regularibus cum licentia suorum Praelatorum non amplius prohibitum esse merito censebatur, dummodo illi clerici et regulares aliis obligationibus status clericalis et religiosi et officii proprii satisfacerent, praesertim si clerici studium iuris civilis tantum susciperent ex laudabili intentione melius cognoscendi ius canonicum et efficacius defendendi iura Ecclesiae [11].

Studium medicinae et chirurgiae in publica Universitate, maxime ea ratione qua nostra aetate ibidem ex professo colitur et ipsius anatomiae exercitationem includit, etiam tunc clericis

[8] Cfr. Decret. S. C. Cons. 30 Apr. 1919; Pii XI litt. 1 Aug. 1922 de speciali cura litteris perdiscendis tribuenda (A. A. S., XIV, 449).

[9] *Schmalzgr.*, h. t. 50, n. 72; *Santi*, h. t. 50, n. 1.

[10] Cap. 2, de privil. V, 7, in Sext. iunct. *Thesaur.*, l. c. v. Studia cap. 1 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 70; *Benedict.* XIV, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 10, n. 12, l. IX, cap. 10.

[11] Pii IX Const. *Ad piam*, 3 Oct. 1853 (de ratione studiorum in Seminario Romano); Consess. Episcop. Umbr. (a. 1849) in Collect. Lac. t. VI, col. 760 sq.; Arch. f. k. K. t. I, p. 659 sq.

et regularibus non erat permissum [12], nisi indultum generale vel speciale Sedis Apostolicae intercederet. Quae prohibitio eo etiam spectabat, ut et interdictum exercitii artis medicae et chirurgicae facilius servaretur et disciplinis sacris addiscendis maior opera navaretur. Censebatur tamen nihil obstare quominus clerici vel religiosi eas frequentarent praelectiones, quae secundum praxim recentiorem de *medicina pastorali* interdum haberi solent, aut sublata indecentia ad meliorem defensionem religionis catholicae utiles esse possunt, dummodo ratio haberetur praxis vigentis, et ubi res dubia esset, ad vitandas praeposteras interpretationes, Ordinariorum licentia expeteretur [13].

134. Ius Codicis. Codex hoc loco nihil decernit de studiis, quae clericorum sunt propria, sed sese refert ad studia quibus clericus gradatim praeparatur ad sacerdotium quae magis determinantur in tit. de Seminariis can. 1364, 1365: circa haec studia, quae certe sunt propria clericorum, iniungit: 1° ne clerici ea intermittant, quo melius scientiam acquisitam conservent et perficiant (can. 129); 2° ut efficacius hoc obtineat, sacerdotibus omnibus praescribit examen annuum, saltem per integrum triennium (can. 130, § 1); 3° in eum ipsum finem et in iuvamen pro cura animarum aliisque sacris ministeriis praecipit frequentent *collationes* seu *conferentias* (can. 131).

Studium non intermittendum. Ergo imprimis imponitur clericis obligatio ne studia peracta, quibus se praepararunt ad sacerdotium, recepto sacerdotio, dimittant; quae praeceptio limitationem temporis non habet ideoque sese extendit ad totam vitam, cum integra sacerdotis vita impendi debeat in bonum animarum, quae iuvari a sacerdote apte non possunt sine competenti scientia. Idcirco inter studia peracta, maxime commendat ea quae in se *sacra* sunt, velut theologia dogmatica, moralis et pastoralis, ius canonicum etc. Quo in studio, evitatis periculosis novitatibus, sectanda est doctrina solida et ab Ecclesia recepta.

Examen. Examen subiri debet ab omnibus sacerdotibus saecularibus expleto iam studiorum curriculo, tametsi beneficiarii, parochi atque etiam canonici sint, nisi quempiam Ordina-

[12] Cap. 3, 10, X. ne cler.; cap. 2, ne cler., in Sext.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 78, 86.

[13] Cit. Consess. Episc. Umbr. (a. 1849), l. c.

rius ob iustam causam exemerit, v. gr. docentem in Seminario vel Universitate theologiam, philosophiam, ius canonicum aut eum qui iam intra annum ex alio titulo examen subierit circa easdem disciplinas, v. gr. occasione laureae capessendae aut concursus ad beneficium (*Maroto*, Inst. i. c. I, n. 561, 6). — Subeundum est singulis annis saltem per triennium, ita ut, expletis per examen finale studiis Seminarii, saltem ter annis successivis supponantur examini, nisi Episcopus pro suo iure annorum numerum augeat. Religiosi severius illud examen annuum subire debent saltem per quinquennium, nisi aut sacram theologiam, ius canonicum vel philosophiam scholasticam doceant, aut a Superiore maiore gravem ob causam fuerint exempti (can. 590). — *Obiectum* examinis debent esse diversae sacrarum scientiarum disciplinae antea opportune designatae, ex illis videlicet quibus completur studiorum curriculum ad sacerdotium capessendum necessarium. — *Forma* seu modus examinis peragendi relinquitur determinanda prudenti iudicio Ordinarii, modo sit talis ut veri examinis nomen mereatur.

Valor examini ille non levis momenti datur, quod in collatione officiorum et beneficiorum ratio habenda sit eorum, qui, ceteris paribus, in memoratis periculis magis praestiterunt (can. 130, § 2); quod iterum urgetur in provisione canonicatuum (can. 404, § 2) et paroeciarum (can. 459, § 3, 2°). Qui valor examini tributus iam ex se est apta quaedam legis sanctio; sed praeterea Ordinarius renuentem examen congruis poenis ad illud subeundum adigere potest (can. 2376).

135. Scholion. Licet locus maxime proprius, ubi clerici sua studia perficiant, sint Seminaria et Universitates catholicae sub regimine Ecclesiae constitutae, nonnunquam tamen ob varias causas, sive ad complenda studia sacra sive etiam ad certa studia profana ipsis ratione officii aut muneris necessaria, coguntur frequentare Universitates civiles; ex qua frequentatione haud raro sive pro fide sive pro moribus periculum suboriri potest. Idcirco clerici tum saeculares tum religiosi praedictas Universitates frequentare non possunt sine licentia sui Ordinarii: Ordinarius autem licentiam dare non potest nisi urgente necessitate aut utilitate dioecesis vel Instituti religiosi; qua necessitate vel utilitate existente, iis tantum licentia dari potest, qui iam sint sacerdotio aucti quique spem bonam praebeant fore, ut sua

agendi ratione ecclesiastico ordini honorem adiiciant, tam ingenii vi ac perspicacia quam morum sanctitate. Propter studia in Universitate civili peracta non ideo sunt liberi ab examinibus, de quibus can. 130, 590; quin potius eadem subire strictius sunt cogendi, ne profanarum scientiarum studio abrepti ecclesiastica studia praetereant (S. C. Cons. 30 Apr. 1918 in A. A. S., X, 237) [14].

§ II. Collationes seu conferentiae dioecesanae frequentandae (can. 131)

136. Notae historicae. Quemadmodum clerus *universae dioecesis* ad Synodum dioecesanam evocatur, ita olim etiam *Archidiaconi* et *Archipresbyteri* sive Decani rurales cum clericis suorum districtuum celebrarunt archidiaconales et archipresbyterales synodos vel congregationes, quae pro potestate sive autonomia sibi concessa conderent statuta [15]. Neque antiquis temporibus, v. g. saeculo nono, in Gallia penitus ignotae fuerunt *conferentiae pastorales* singulis mensibus (calendis) celebrandae [16].

Quae synodi archidiaconales iam pridem in desuetudinem abierunt; congregationum vero archipresbyteralium solummodo in *capitulis ruralibus* aliqua reperiuntur vestigia pristinae disciplinae [17].

Nostra aetate maioris momenti sunt conferentiae pastorales vel collationes morales, quae principaliter ad fines *asceticos* et *pastorales* saeculo decimo sexto ab a. 1565 per S. Carolum inter clericos saeculares introductae ex Italia etiam in alias regiones propagatae sunt [18].

Quae conferentiae pastorales ab ipsis Romanis Pontificibus

[14] Cfr. de eadem re praecedentem Instruct. S. C. Ep. et Reg. 21 Iul. 1896, iunct. *Pii X* Enc. *Pascendi*, 17 Sept. 1907 et Motu proprio *Sacrorum Antistitum* 1 sept. 1910.

[15] Cfr. c. 11, Conc. Rothomag. (a. 1131); c. 2, Conc. Londin. (a. 1237); *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 3, cap. 76; *Schneemann*, in Kirchenlex., v. Conferenzen; *Scherer*, l. c. p. 685 sq.

[16] Cfr. c. 9, D. 44 (Hincmar. Rem.).

[17] Cfr. Statut. Leod. (a. 1851), n. 48.

[18] *Schneemann*, l. c.; Statuta dioeces. Trevir. (a. 1720); Conc. Rom. (a. 1725) in Collect. Lac. t. I, col. 371, 435 sq.; *Vacant*, Dict. Theol., v. Conférences col. 817.

amplissimam commendationem reportarunt [19]. Quare non pauci Episcopi pro suo iure illas rite ordinatas etiam obligatorio modo clericis praescripserunt [20]. Qua in re vel ipsae Congregationes Romanae et Summi Pontifices suam interposuerunt auctoritatem, unde constaret quinam clerici etiam regulares et exempti ad illas conferentias frequentandas solummodo *invitari*, v. g. simplices confessarii *regulares* [21], vel etiam ex stricto praecepto *obligari* possent, v. g. parochi et curati etiam regulares, alias exempti, confessarii aliique ex clero saeculari [22].

137. Disciplina vigens. *Notio.* Ex iure Codicis conferentiae seu collationes sunt conventus cleri, qui praecipue ordinantur ad perficiendam vitam pastoralem sacerdotum, eis iuvamen scientiae praestando in recta administratione sacramenti poenitentiae et observatione sacrorum rituum per resolutionem casuum de re morali et liturgica. Cui principali et magis necessario fini accedit secundario generalis finis promovendi scientiam et pietatem, et ideo exercitationibus circa rem moralem et liturgicam, iudicio Ordinarii, adiungi possunt variae exercitationes circa alias disciplinas ecclesiasticas et etiam aliqua exercitatio pietatis, v. gr. aliqua pia exhortatio sive a determinato sacerdote sive per turnum habenda (can. 131, § 1).

Habendae sunt saepius in anno diebus ab Ordinario praestituendis, cui praescriptioni videtur fieri satis, si semel in mense aut duodecim conferentiae singulis annis, licet non distributae in singulos menses, fiant. Porro haberi debent in civitate episcopali et in singulis vicariatibus foraneis (ibid.).

[19] *Pii IX* Encycl. *Singulari* 17 Maii 1856 ad Episcopos Austriae. Cfr. quoque Innoc. XIII, Const. *Apostolici ministerii*, 23 Maii 1723, pro Hispania a *Benedicto XIII* confirmata; Instr. S. C. C. super modo conficiendi relationes status suarum ecclesiar., § 3, n. 14; S. C. de Prop. F., 8 Dec. 1869 in Collect. S. C. de Prop. F., n. 108.

[20] *S. Carol.*, a. 1565 et 1580; Conc. Rom. (a. 1725), in Collect. Lac. t. I, col. 435 sq.; *Benedict. XIV*, Instit. eccles. 32, 102, 103; Regulae S. C. C. Episcopis Italiae commendatae in Collect. Lac. t. VI, col. 100 sq.; Conc. prov. recent. in Collect. Lac. v. Collationes; *Martin*, l. c. p. 148.

[21] S. C. C. 16 Mart. 1692; *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 103, n. 9, 10.

[22] S. C. C. 3 Sept. 1650; Benedict. XIV Const. *Firmandis*, 6 Nov. 1744, § 9; Leon. XIII, Const. *Romanos Pontifices*, 8 Maii 1881; *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 103, n. 9, 10. De nominibus, quibus illae conferentiae seu collationes diversis locis donatae sunt cfr. *Nilles*, Comm. in Conc. Plen. Baltimor. III, p. 249 sq.

Quodsi ob distantiam locorum aut alia simili gravi difficultate ipsa adunatio seu conventus clericorum fieri iudicio Ordinarii non possit, ius praecipit ut a clericis obligatis resolutae quaestiones scriptae mittantur, secundum normas ab Ordinario constituendas (ibid. § 2).

Personae obligatae, nisi expressam Ordinarii loci exemptionem obtinuerint, sunt omnes sacerdotes saeculares, religiosi etiam exempti curam animarum habentes et etiam alii religiosi approbati ad confessiones, si collatio in eorum domibus non habeatur [23*].

Obligationem Ordinarius potest urgere per poenas, religiosum vero, qui cura animarum carens legem transgreditur, ab audiendis saecularium confessionibus hac sola de causa suspendere potest (can. 131, § 3, can. 2377).

Quod vero magni interest ut finis legis obtineatur est ut apta quadam ratione illae conferentiae ordinentur; qua in re Ordinariis locorum, ut statuta hac de re edere possint circumstantiis dioecesis accommodata, prostant exempla apta in pluribus Conciliis provincialibus recentioribus (cfr. Collectionem Lacensem) et in statutis dioecesanis plurium dioecesium [24].

PROOEMIUM

Ad canones de officiis et beneficiis

138. I. De *officiis* et *beneficiis* Codex distinctis locis agit. De officiis tractat Lib. II, tit. IV, ubi solum fit quaestio de *provisione* (cap. 1) et de amissione (cap. 2) officii ecclesiastici. De benefi-

[23*] Religiosi sacerdotes, qui fungantur munere vel vicarii cooperatoris vel cappellani, a parocho dependentis, in nosocomiis aliisque piis domibus, habent curam animarum, si ad normam canonis 476, § 6 vicem parochi suppleant eumque adiuvent in universo paroeciali ministerio. Comm. Cod. 12 Febr. 1935; A. A. S., XXVII, 92; Period., XXIV, 96; Apollin., VIII, 556.

[24] V. gr. in Concilio Plen. Siculo a. 1920, can. 60, 20, praescribitur ut: «omnes, nisi ab Ordinario loci dispensentur, scriptam afferant solutionem, ac sorte in ipso coetu eligatur qui casus propositos resolvat». Est unus ex modis, quibus canon de conferentiis executioni mandari potest.

ciis vero agit Lib. III, P. V, tit. XXV in sex capita diviso, ubi hae materiae tractantur: erectio, innovatio, quae variis modis fit, collatio libera, collatio necessaria, iura et obligationes beneficiarii, dimissio et permutatio beneficiorum.

Porro de *officiis modo generali* agitur antequam exponantur *singula officia* iure communi ad ordinarium et extraordinarium regimen ecclesiasticum permanenter constituta, quae plerumque *beneficii rationem* habent: et certe illa tractatio de officiis *in genere* convenienter praemittitur tanquam pars *generalis* parti *speciali* de singulis officiis in particulari consideratis.

De *beneficiis* autem agitur in libro *de rebus* sub generali rubrica: *De beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus.* Illa alia instituta ecclesiastica, quae cum beneficiis connumerantur sub communi rubrica, sunt hospitalia, orphanotrophia aliaque similia, quae ad opera religionis et caritatis spiritualis vel temporalis sunt destinata: cum quibus institutis beneficia ecclesiastica profecto conveniunt, in quantum, sicut beneficia, ita illa instituta fiunt aut fieri possunt entia iuridica per formale erectionis decretum; quamvis idem ille character personae iuridicae non sit negandus *officiis* permanenter erectis quae clericis conferuntur in titulum. Aliunde negari non potest quin in beneficio praecipuum elementum quod sustinet denominationem personae moralis (*institutum* non collegiale) sit ipsum officium sacrum; dos seu bona fundationis ceteraque iura ad *officium* pertinent tanquam ad subiectum iuris, titularis officii ius habet ad reditus et bona administrat; sub hoc respectu solum in hoc differunt, quod *officium* praescindit a conceptu dotationis, qui est respectus valde extrinsecus et secundarius, nec notioni officii ullo modo opponitur quod ipsi accedat ille extrinsecus respectus dotationis. — Porro licet *beneficia* erigi certe possint in finem *similem* fini illorum institutorum non collegialium, cum quibus sub unica rubrica connumerantur, plerumque tamen, et certe maxima pars beneficiorum, sunt constituta ad exercitium officii, quod pertineat ad ordinarium vel extraordinarium Ecclesiae regimen vel ad aliquam ipsius participationem, aut ad publicas functiones sacras quae reducuntur ad potestatem ordinis, ad quos fines ordinantur *officia* ecclesiastica.

Quae ultima ratio efficit, ut de *officiis* et *beneficiis* ecclesiasticis scientifica tractatio simul convenienter fieri possit, considerando in beneficiis id quod est *praecipuum* et *commune* cum ceteris *officiis* non beneficialibus, seu quae a charactere beneficiali praescindunt, praesertim cum ex principali elemento officii petantur leges canonicae de beneficiis latae, non ex elemento materiali et secundario dotationis adnexae, de quo potius dantur leges plus minusve communes cum agitur de administratione bonorum ecclesiasticorum.

II. Ipse Codex simultaneam illam scientificam tractationem permittit atque adeo practice suadet. Nam: 1°) Distinguit *officia* in *beneficialia* et *non beneficialia* (can. 146, 1413, § 2): quare beneficium est *species* quaedam officii; et consequenter logice statuit leges quae dantur de officiis esse applicandas beneficiis (can. 1413, § 2), cum quae praecipiuntur de *genere,* hoc ipso intelligenda sint praecepta de *specie* sub illo genere comprehensa.

2°) At vicissim leges in ipso Codice latae de beneficiis pertinent etiam ad officia, si excipiantur paucae praescriptiones de elemento materiali dotationis, quae ex natura rei intelliguntur non debere applicari officiis quibus illud elementum dotationis deest.

Imo pars specialis de singulis officiis ecclesiasticis, quae subsequitur partem generalem de officiis, de iis officiis praecipua quadam ratione agit, quae plerumque habent rationem beneficii (Cardinalatus, Episcopatus, canonicatus, etc): quae particularia officia, vere beneficialia, non possunt apte et complete explicari, nisi aut remittendo ad dispositiones contentas in titulo de beneficiis aut illas dispositiones anticipando.

III. Praeterea plurima, quae dicuntur in specie de beneficiis, ipsis quoque officiis sunt applicanda, tametsi in titulis de officiis nihil ea de re dicatur; v. gr. erectio (diocesis, paroeciae, canonicatus), item divisio (dioecesis, paroeciae), unio, translatio, suppressio, conversio. Vel ipsa principia de iure patronatus, quae, deficiente fundatore bona ad dotationem largiente, non habent directam applicationem in officiis, haud raro quoad ipsa officia sunt attendenda, cum ius patronatus haberi possit ex privilegio sine fundatione, et nominatio concessa quoad certa officia similibus principiis regitur, quibus praesentatio a patrono facta. Ceterum ipse Codex non raro, cum de officiis agit, remittit ad canones de beneficiis, v. gr. in can. 148, § 2, et multo magis cum

agit de particularibus officiis. Quare in praxi, etiam iure Codicis, sicut generales leges de officiis applicantur beneficiis, expresse id monente can. 146, ita vicissim regulae de beneficiis propositae pertinent etiam ad officia, saltem ad ea officia permanenter constituta, quae in parte speciali libri *de personis* proponuntur, paucis exceptis quae in proprio loco erunt notanda[1].

IV. Ergo, tum ut brevitati consulatur per omissionem repetitionum, tum ut habeatur ratio scientificae tractationis, quae postulat ut pars generalis parti speciali praemittatur (de qua re ipse Codex praebet exemplum), visum est partem generalem de officiis coniungere in expositione cum titulo *de beneficiis*. Suis autem locis notabitur num aliqua Codicis praescriptio non promiscue pertineat ad officia et beneficia, sed solis officiis aut solis beneficiis sit applicanda, nisi id iam manifeste pateat ex ipsa rei natura.

TITULUS IV

De officiis et beneficiis ecclesiasticis (can. 145-195; can. 1409-1488)

139. Fontes: Decret. Grat. D. 21, 22, 60 sq.; C. I-XV; C. XXI-XXVI. — Cpl. I, II, IV, V, l. III, t. 5, t. 4, t. 2, t. 4, de praeb.; cpl. III, l. III, t. 5, de praeb. et dign. clericor. — Decret. Gregor. IX, l. I, tit. 31, l. III. tit. 5; Decret. Bonifac. VIII, l. I, t. 16, de officio Ordinarii, l. III, t. 4, de praeb. et dign.; Const. Clement. V, l. III, t. 2, de praeb. et dign.; Extravg. Ioan. XXII, t. 3; Extravg. com. l. III, t. 2. — Lib. Sept., lib. I, tit. 10, de beneficior. collatione et impetratione tit. 11-15 incl. — Conc. Trid. Sess. VII, cap. 2, 3, 4, 5, 6. de ref., Sess. XIV, cap. 9, 10, 11, de ref., Sess. XXI, cap. 4, 5, 6, Sess. XXIV, cap. 13, 14, 15, 17, de ref.; Sess. XXV, cap. 5, 7, 14, 16, de ref. — Const. Sed. Apost. post. Conc. Trid., apud *Sentis*, Decret. Clem. VIII, p. 62 sq., et v. g. Pii V, Gregor. XIII, Innoc. XI, Benedict. XIV. — Cfr. de iure particulari: *Nussi*, Conventiones p. 19 sq., 26 sq., 63 sq., 95; Collect. Lac. v. v. Clerici, Sacerdotes, Beneficia, Bona Ecclesiae — Cfr. de causis practicis: Act. S. Sed. v. Beneficia; Causae selectae S. C. C. ed. *Lingen et Reuss;* Conc. Trid. cit. Sess. ed. Lips. vel Neap., quam cur. *Richter* et *Schulte*.

Scriptores: Comment. iur. Decret. in h. t. — *Sanguineti*, Inst. iur. eccl. n. 285 sq., 453 sq.; *Phillips*, Kirchenrecht t. VII, §§ 378 sq.; *Scherer*, Handbuch d. Kirchenr. t. I, p. 403 sq., 21; *Sägmüller*, Lehrb. d. k. K. §§ 57 sq.; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, Lehrb. d. k. K. n. 512 sq.; *Hinschius*, System d. k. K. t. II, p. 364 sq.; *Friedberg-Ruffini*, « Trattato del diritto ecclesiastico », §§ 112 sq.; *Garcia*, Tract. de benef.; *Leurenius*, Forum beneficiale (opus insigne) praesertim P. I, q. 1 et sq.; 11 et sq.; *Squanin*, Tractatus beneficiarius; *Ferraris*, Bibl. v. v. Beneficium, Cappellania; *D'Annibale*, Summula theol. mor. P. III, n. 18 sq.; *Thomassin.*, Vetus et nova Ecclesiae disciplina circa beneficia et beneficiarios. P. II, l. 1, c. 15 et sqs., 33 et sqs.; l. 3, c. 1 et sqs.; *Stutz*, Gesch. d. kichl. Benefizialwes. v. s. Anfäng. b. auf d. Zeit Alex. III, Die Eigenkirche, Lehen u. Pfründe; *Imbart de la Tour*, « Les origines religieuses de la France. Les paroisses du IVe au XIe siècle »; *Pyrrhus Corradus*, Praxis beneficiaria; *Pichler*, Ius canonicum practice explicatum, h. t.; *Giobbio*, « Lezioni di diplomazia eccl. » vol. I, n. 51 sq., vol. II, n. 569 sq.; *Blat*, Comm. Cod., II, nn. 84 et sqs.; III, Pars 2a, nn. 302 et sqs.; *Chelodi*, De Personis, nn. 131 et sqs.; *De Meester*, Compendium i. c., I, nn. 393 et sqs.; III, nn. 1393 et sqs.; *Maroto*, Institutiones i. c., I, nn. 573 et sqs.; *Matth. C. a Coronata*, Institutiones i. c., I, nn. 204 et sqs., II, nn. 971 et sqs.; *Ojetti*, Comm. in Cod. i. c., IV; *Vermeersch-Creusen.*, Epitome i. c., I, nn. 263 et sqs.; II, nn. 741 et sqs.

[1] Etiam illud omittendum non est, quod iure Codicis (can. 1410) valde ampliata sit notio beneficii, per hoc quod *dotatio* fuerit sumpta in sensu valde lato et independenti a constitutione dotis per aliquem pium fundatorem facta; unde effectum est ut character beneficialis accesserit pluribus officiis, quae, iure Codicem praecedente, illo carebant.

Caput I

Praenotiones de officiis et beneficiis (can. 145-146; can. 1409-1413)

140. Notio officii et beneficii. I. *Brevis conspectus. Officium*, si *obiective* sumatur, est « certa et determinata mensura functionum ecclesiasticarum, ad quam clerici a Superiore ecclesiastico stabiliter deputantur ». Subiective est ius et obligatio huiusmodi functiones, vi stabilis et legitimae deputationis, in certo loco aut quoad certas personas exercendi. Cum vero his, qui altari deserviunt, etiam concessum sit de altari participare, officiis ecclesiasticis regulariter etiam certi reditus adnexi sunt, ex quo deinceps notio *beneficii* resultat: sc. officium ecclesiasticum, cui certi reditus ex bonis ecclesiae adnexi sunt, dicitur *beneficium ecclesiasticum*, et formalis ratio beneficii consistit in *iure ad illos reditus propter officium*.

II. *Explicatior officii notio.* Potest officium sumi in sensu *lato* et in sensu *stricto*. *Lato* sensu est « quodlibet munus quod in spiritualem finem legitime exercetur », quo sensu verificatur de quolibet munere spirituali fini Ecclesiae subserviente, tametsi versetur in re omnino in se temporali, puta officium organistae, cantoris etc. vel versetur in re quidem spirituali, sed omnino ad nutum Superioris, quo sensu officium habet qui exercet munus confessarii in Seminario vel conventu, secretarius Episcopi aut eius familiaris etc.

Stricto sensu acceptum debet esse 1°) *munus stabiliter constitutum;* quae *stabilitas* provenit ex erectione per competentem auctoritatem facta, cui praeficitur titularis, eoque deficiente officium dicitur *vacare* et alius titularis ipsi est praeficiendus. Alio nomine illa stabilis constitutio dicitur *perpetuitas obiectiva.* Quo sensu differt a munere ad tempus constituto et dependente a voluntate Superioris, quod proinde potestatem non secumferat aliam nisi ab homine delegatam, velut officium confessarii. Ortum autem ducere potest sive ex iure divino, velut Primatus R. P., officium episcopale, sive ex iure ecclesiastico, velut officium canonici, parochi.

2°) Officium stabiliter constitutum debet *conferri ad normam sacrorum canonum,* i. e. per legitimum Superiorem, cum iuribus et obligationibus iam antecedenter determinatis, non in singulis casibus (prout fit in delegationibus vel in muneribus in quibus iura et obligationes determinantur per contractum inter committentem et suscipientem munus), et servatis legibus de modo collationis datis.

3°) Officium debet esse constitutum non ad quaslibet sacras functiones, v. gr. ad privatam recitationem officii divini vel privatam missae celebrationem, quae sunt functiones omnibus ordinatis communes, sed ad exercitium cuiusdam specialis potestatis ecclesiasticae, sive ordinis sive praesertim iurisdictionis. Nimirum debet esse aliqua potestas specialis distincta ab ea, quae habetur per simplex factum ordinationis; nam officia non confert ipsa ordinatio, sed potius *ordinatis* dantur.

Ex praescripto can. 145, § 2, in iure Codicis, in hac re iuri praecedenti omnino conformi, accipitur officium in stricto sensu, nisi aliud ex contextu sermonis appareat; quare quae praescribuntur *de officiis et beneficiis* non sunt applicanda officiis in

sensu lato acceptis, exceptis casibus, in quibus illa aut expresse respiciantur aut in generali praescriptione ex sermonis contextu comprehendantur.

III. Quodsi descriptioni officii sensu stricto accepti, quae in can. 145 ponitur, subiungenda sit uberior explicatio atque stricta definitio, officium potest considerari *obiective* et *subiective.*

Officium ecclesiasticum *stricte* et *obiective acceptum,* prout opponitur *ordini* ecclesiastico (cfr. cap. 1, X. de schism. V, 8; Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 6 de ref.), est *gradus* quidam *potestatis ecclesiasticae,* praesertim *iurisdictionis,* quoad personas, causas, locum, legibus Christi vel Ecclesiae in perpetuum ita institutus, ut iura et onera *spiritualia* [1] ipsi adnexa *nomine proprio et ratione* quadam stabili sint exercenda. Hinc officium ecclesiasticum *subiective* spectatum est *ius* nomine proprio et ratione quadam stabili exercendi iura et onera spiritualia, ex legibus Christi vel Ecclesiae alicui gradui iurisdictionis ecclesiasticae in perpetuum adnexa. Quare gradus quidam iurisdictionis ecclesiasticae cum adnexis iuribus et obligationibus spiritualibus non solum ex mandato hominis, sed etiam ex *iuris* dispositione in perpetuum et ad ipsam universalitatem causarum concessus, nequaquam autem *nomine iureque proprio,* sed ex *commissione alterius* exercendus, non constituit verum atque proprie dictum officium ecclesiasticum.

De ratione igitur stricti officii ecclesiastici est *ordinaria* quaedam *potestas* ecclesiastica iure divino vel ecclesiastico definita [2*], non arbitrio Superioris ecclesiastici praesertim in col-

[1] Quare *Hinschius,* l. c. t. II, p. 364 sq. nimis latam proponit notionem officii ecclesiastici, i. e. servitii vel negotii ecclesiastici (cfr. *Scherer,* l. c. p. 403 not. 2), quam alii velut *Schulte,* System p. 239, nimis restringunt ad merum ius exercendi *potestatem* in sacra *ordinatione* acceptam. Similiter legum latores et principes civiles non raro in suis codicibus, legibus, edictis, ubi officia ecclesiastica subsumunt inter officia *Status* vel *publicorum* magistratuum, suppeditant omnino falsam aut nimis vagam et ancipitem notionem officii ecclesiastici. Cfr. *Scherer.* l. c. p. 408 sq.; *Friedberg-Ruffini,* l. c. § 57; *Hinschius,* l. c. t. II, p. 369 sq.

[2*] Ita etiam *Matth. C. a Coronata,* o. c., II, n. 972, 1. Aliter *Ojetti,* o. c., p. 4. « Non videtur nobis necessarium, ait, ut potestas haec sit ordinaria; sufficit delegata, quia etiam in delegata est participatio potestatis. Hinc officium stricte sumptum habere diceremus judicem delegatum, qui de potestate judiciali Ecclesiae participat ». Idem tenent *Vermeersch,* Ep., II, n. 742, et *Sipos,* Ius Pont., XVI, p. 67.

latione officii diminuenda vel augenda, nisi specialis quaedam exceptio possit probari, ut accidit in officio (mandato generali) Vicarii generalis, mandatis specialibus restricto vel aucto. Quae potestas, quamvis *primo loco* et *sensu proprio* in officio ecclesiastico comprehendat *iurisdictionem*, tamen iura quoque *ordinis* et administrationis adnexa includit, si verbum officii ecclesiastici *absolute* et *simpliciter* adhibeatur [3].

Non minus essentialis est officio ecclesiastico illa *obiectiva perpetuitas* institutionis; *subiectiva* autem *perpetuitas* in vero *officio* ecclesiastico et ius perpetuum ad reditus, v. g. in Vicario generali, Vicario foraneo multisque Superioribus regularibus, semper et essentialiter non requiruntur, nisi agatur de officio beneficiali. Quamvis autem officium necessario sit perpetuae institutionis, non tamen exigit ut sine ulla interruptione *continuo* alteri concedatur, sed sufficit ut saltem in certis circumstantiis, velut Officium Legati vel Vicarii capitularis, conferatur.

141. *Beneficium ecclesiasticum* est « ens iuridicum a competente auctoritate ecclesiastica in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos ». Ens iuridicum idem est ac persona moralis non collegialis vel institutum iuridicum; quod in duplici illo elemento sustinet denominationem personae est ipsum officium sacrum, cuius est veluti proprium patrimonium dos tali officio adnexa.

Inde patet quod si descriptioni a Codice traditae subiungenda sit essentialis et magis explicita definitio beneficii, imprimis prae oculis habendum erit illa duo vocabula officium et beneficium denotare in una eademque re partes distinctas, immo quandoque separabiles, v. g. in canonicatu (officio), cui praebenda (beneficium sive dotatio propria) non est adnexa atque similiter in aliis officiis non beneficialibus. Quare, si in beneficio ecclesiastico attendatur imprimis pars *spiritualis* et *causa* sive fundamentum iuris, recte definitur: *Officium sacrum* sive *spirituale,* cui ab auctoritate ecclesiastica adnexum est *ius,* saltem obiective *perpetuum,* percipiendi reditus *ex bonis Ecclesiae;* beneficium enim ecclesiasticum dicitur dari *propter* officium sacrum. Cfr. cap. 15 de rescr. I, 3 in Sext. Quodsi beneficium ecclesiasticum magis consideretur secundum partem *materialem* atque *directam* et *historicam* et *formalem* suam notionem, melius definitur: *Ius,* saltem obiective perpetuum, percipiendi *reditus* ex bonis Ecclesiae *officio sacro* sive spirituali ab auctoritate ecclesiastica adnexos [4].

[3] Cfr. Cap. 1, de sent. II, 14, in Sext.; *Suarez,* De cens. disp. 25, sect. 2, n. 11, disp. 26, sect. 1, n. 3, sq.; *Kober,* D. Suspens. p. 88 sq., 111 sq.; *Hinschius,* l. c. t. V, p. 67, 589 sq., 595 sq.

[4] *Suarez,* De censur. disp. 25, sect. 2, n. 11; *Schmalzgr.,* cit. t. 5, n. 2 sq.; *Leuren.,* l. c. P. I, q. 1 sq.; Act. S. Sed., IV, p. 170; Arch. f. k. K. t. 61, p. 285 sq.; *Putzer,* Comment. in facult. apost. n. 12 sq. Beneficium ecclesiasticum directe non designat *bona beneficialia* eorumque fructus, sed *ius* a re, in quam datur, distinctum, quod proinde non inter *res corporales,* sed inter *res incorporales* continetur. Quod ius in beneficio est *duplex,* sc. unum est *spirituale* ratione officii ad exercendas functiones sacras, alterum *temporale* in reditus. *Utrumque* ius in beneficio ecclesiastico *essentialiter debet esse unitum,* ita ut, licet per se separari possit, v. g. in simplici canonia vel stipendio studiorum, tamen uno deficiente verum beneficium ecclesiasticum non amplius habeatur.

Nihilominus beneficium *formaliter* constituitur per *ius ad percipiendos reditus,* non per ius ad functiones sacras exercendas. Quod ius imprimis debet esse *obiective perpetuum* in ipso *beneficio,* quatenus illud, si semel auctoritate ecclesiastica constitutum fuerit, semper maneat, ita ut sublatum ab uno sive voluntate Superioris sive morte possessoris, non *pereat* sed *vacet* et alteri denuo constanter sit conferendum, dum v. g. pensio cum pensionario *exstinguatur;* praeterea idem ius etiam *subiective* perpetuum sit oportet in *beneficiario,* cui non datur ad tempus, sed in titulum perpetuum, ita ut ipsi auferri non possit absque legitima causa et forma canonica non servata, si beneficium sit *strictum* sive titulatum, non mere *manuale.* Quare in beneficio *manuali* minus stricte verificatur notio beneficii ecclesiastici. Qua distinctione facta inter beneficium stricte et minus stricte acceptum, inutilis evadit antiqua controversia de necessitate perpetuitatis *subiectivae.*

Deinde reditus illi, quos beneficiarius facit suos, necessario sunt percipiendi *ex bonis de iure* ad *Ecclesiam pertinentibus,* sive ex communibus fundis ecclesiasticis sive ex rebus temporalibus in *dominio particularis* officii vel ecclesiae, non ipsius beneficiarii, constitutis, sive ex aliis bonis certis et stabilibus, v. g. Status, forte Ecclesiae tantum *hypothecatis* vel aliunde *debitis.* Cfr. S. Poenitent. 19 Ian. 1819; *Leuren.,* l. c. q. 5, 6, 7, 8. Quare si quis *patrimonio privato* sibi constituit titulum sacrae ordinationis, inde nequaquam efficitur beneficiarius.

Porro ut genuina notio beneficii habeatur, ius illud ad reditus est dandum ratione officii vere spiritualis, non muneris cuiusdam vel servitii temporalis, v. g. sacristani, organistae, custodis, quod nonnisi remote spirituale dici potest.

Quod ius, licet ratione *fundamenti* sive radicis et conexionis cum officio sacro atque *personae* concedentis et recipientis, in qua supponit *clericatum*, pariter spirituale dici possit, tamen natura sua est secundarium, et utpote in se *temporale*, sed spirituali adnexum, potius pertinet ad disputationem de *bonis* temporalibus Ecclesiae [5]; elementum autem spirituale [6] et principale beneficii ecclesiastici est ipsum *officium* ecclesiasticum.

Licet dos assignata officio secundum historicum conceptum beneficii debeat esse constituta in bonis stabilibus et frugiferis, quorum proprietas seu dominium sit penes ipsum officium, consideratum ut persona moralis, defectus fundationum pluribus in locis existens induxit necessitatem ampliandi dotis conceptum: quare Codex admisit (can. 1410) plures alios modos habendi officium ut dotatum et consequenter veri beneficii rationem induens. Itaque:

Tandem omnino requiritur, ut non solum institutio sive erectio officii spiritualis, sed etiam adnexio illius iuris perpetui in reditus ab ecclesiastica auctoritate, i. e. a R. Pontifice vel Ordinario facta sit. Nam laicus quemadmodum nequit erigere officium spirituale, ita etiam eidem non potest adnectere ius percipiendi reditus ex bonis ecclesiasticis. Quare si quis laicus vel etiam clericus privatus assignet in perpetuum bona, ex quorum reditibus persolvantur stipendia ad celebrandas Missas, non habetur beneficium ecclesiasticum, sed *pia quaedam fundatio*, nisi ab auctoritate ecclesiastica erigatur officium spirituale in titulum, cui ius illud in stabiles reditus ex bonis ecclesiasticis adnectatur. Hinc piae fundationes vel cappellaniae ecclesiasticae solis clericis concedendae, licet ab Episcopo *acceptentur*, sed non *erigantur* in beneficia, multoque magis cappellaniae *laicales*, in quibus erectio et collatio Episcopi positive excluditur, immo forte laici, vel mulieres et infantes, ad possessionem admittuntur, nullo modo inter beneficia ecclesiastica recenseri possunt. Cfr. *Lingen* et *Reuss*, Causae select. S. C. C. p. 424 sq., 434, 436, 451, 464; *Leuren.*, l. c. q. 10, 85 sq.

[5] Cfr. c. 25, C. XXIII, q. 8. Elementum materiale beneficii ecclesiastici *obiective* spectatum sunt ipsa *bona Ecclesiae frugifera*, quae ex primaria intentione Ecclesiae constituunt *dotem* propriam et distinctam, officio ecclesiastico tanquam *subiecto dominii* adnexam, et in cuius *reditus* sive fructus, non in *substantiam* existit illud ius *subiectivum* et *perpetuum* beneficiarii. Sed in defectu illius modi fundationis per se intenti, Codex ampliavit rationem beneficii, qua ampliatione facta, nunc ea in pluribus officiis reperitur.

[6] *Ballerini-Palmieri*, Opus Theol. v. IX, n. 241; *D'Annibale*, Summ. III, n. 18.

1°) Ad dotationem serviunt praestationes factae ab aliqua familia vel persona morali, si sunt *certae* et *debitae*. Tales sunt pensiones a gubernio solutae aut a privata familia, si bona ecclesiastica, aut usurpata aut legitime acquisita, fuerunt a S. Sede condonata cum onere solvendi memoratas praestationes seu pensiones. Qui modus dotationis quam maxime accedit ad dotationem, quae percipitur ex bonis vere ecclesiasticis, cum bona condonata sint affecta, ad modum cuiusdam hypothecae, illo onere reali [7]. Nihil praeterea vetat in iure Codicis ut, loco offerendi ad fundationem beneficii bona frugifera, quae in dominium Ecclesiae transeant, aut summam pecuniae per modum capitalis, pius fundator se obliget ad solvendas annuas pensiones, modo obligatio illa solvendi sit *realis* et transeat ad haeredes. — 2°) Sufficiunt oblationes spontaneae fidelium, modo sint certae et quae cedant in beneficium rectoris seu titularis officii: ita passim obtinet in nonnullis regionibus, ut illae oblationes fidelium induant veluti naturam alicuius tributi, licet voluntarii, non minus tamen certi quam si stricto iure exigeretur. — 3°) Iura sic dicta stolae intra fines taxationis dioecesanae vel legitimae consuetudinis [8*]. — 4°) Chorales distributiones, exclusa tertia earumdem parte, si omnes reditus beneficii choralibus distributionibus constent; qui modus dotationis officii choralis iam iure praecedenti agnoscebatur et cohaeret cum historica origine praebendae canonicalis [9].

Ex quo ampliore Codicis conceptu circa dotem requisitam ad beneficium, vix fiet ut extra terras missionum paroeciale officium non sit vere et proprie beneficiale, idemque dicatur de officio episcopali.

Scholion. Exposita notione *beneficii* et *officii* ecclesiastici, indicari facile potest illius differentia a *canonia, cappellania, vicaria, coadiutoria, commenda, praeceptoria, pensione, cleri-*

[7] Quare decisio S. Poenitentiariae (19 Ianuar. 1819) de pensionibus a gubernio solutis non erat nisi vera declaratio Iuris. Cfr. caus. Carcasson. 22 Aug. 1874 in S. C. C., iunct. *De Herdt*, Praxis capit. p. 346 sq.

[8*] Observes, ait *Vermeersch*, Per., XVIII, p. 54, iura stolae et praestationes rationem dotis non habere, nisi quatenus ex *positiva Praelati definitione* in dotem assumantur.

[9] S. C. C. in caus. Avenionen., 13 Ian. 1635; Acta S. S., XV, pag. 81; *De Herdt*, l. c. pag. 348.

catu, praestimonio, hospitali, militia atque aliis institutis ecclesiasticis, quae aliquam similitudinem cum beneficiis ecclesiasticis videntur habere [10].

142. Divisio. I. Officia et beneficia ecclesiastica dividuntur iure Codicis:

1. In *maiora* et *minora*. Illis sensu stricto adnumerantur omnes et solae *Praelaturae maiores* cum speciali praeeminentia honoris, quae *plenam* sive *perfectam* (i. e. legiferam, iudiciariam et coercitivam, sive *vere episcopalem*) iurisdictionem *ordinariam in foro externo* obtinent, veluti Episcopi, Praelati nullius aliique superiores Praelati, v. g. Archiepiscopi et Patriarchae.

At non raro sensu latiore dicuntur Praelati, qui solummodo gaudent speciali illa praeeminentia *honoris* sive Praelatura honoraria, v. g. in Curia Romana. Similiter Abbates aliique praepositi ecclesiastici, quibus *aliqua* potestas ordinaria in foro *externo* competit, inter Praelatos recensentur [11]. Qui Praelati rectius vocantur *Praelati minores*.

Beneficia *maiora* in sensu stricto sunt illa, quae dicuntur *consistorialia*, quia in consistorio providentur; de quibus beneficiis consistorialibus non intelliguntur canones generales Codicis circa beneficia, nisi aliud aut ex natura rei aut ex contextu canonis appareat (can. 1413, § 1); sed attendendi sunt canones *speciales*, qui in propriis titulis de illis officiis agunt.

Minora sive inferiora officia dicuntur, quae speciali illa praeeminentia honoris et *perfecta* iurisdictione *ordinaria* in foro *externo* carent, v. g. officium canonici vel parochi: quae *non consistorialia* dicuntur, quia eorum provisio non fit in consistorio [12].

2. In *simplicia* seu *non residentialia* et *duplicia* seu *residentialia*. Quae divisio, omissis aliis criteriis iuris praecedentis

[10] Quam materiam, nostra aetate saltem ex parte non iam admodum practicam, fuse explicant: *Garcia*, De benef. eccl. P. I, cap. 2, n. 65 sq., P. IV, cap. 5; *Leuren.*, l. c. P. I, q. 85 sq.; *Schmalzgr.*, l. III, t. 5, n. 6 sq.; *Scherer*, l. c. t. I, p. 404 sq.; *Hinschius*, l. c. t. III, p. 100.

[11] Cfr. Cap. 2, X. de iud. II, 1; cap. 1, X. de eo, qui furtive V, 30; cap. 3, X. de off. iud. ordin. I, 31; cap. 1, 37, X. de elect. I, 6, in summario; *Bouix*, De parocho, p. 161 sq.

[12] Cfr. l. I, t. 5, de postul. *praelatorum*; cap. 41, 44, X. de elect. I, 6, et ibid. summar. cap. 23, 30, 45, 51; cap. 8, X. h. t.; cap. 32, X. de V. S. V, 40; *Scherer*, l. c. p. 406 sq.; *Devoti*, l. c. l. II, tit. 14 § 9.

nunc unice petitur ex adnexa, vel minus, obligatione residendi [13].

3. In *curata*, quae curam actualem animarum habent adnexam, et in *non curata*, quae sunt sine illa cura [14].

4. In *saecularia* et *regularia* [15], quae aut ex natura sua aut ex lege fundationis aut ex statuto canonico vel legitima consuetudine solis clericis *saecularibus* aut solis clericis *religiosis*, ordinarie et seclusa exceptione legitima, conferri possunt.

5. In *manualia, temporaria* seu *amovibilia*, et *perpetua* seu *inamovibilia*, prout conferantur revocabiliter vel in titulum perpetuum; idcirco posteriora dici etiam solebant beneficia *titulata* [16].

II. *Aliae divisiones, apud canonistas usitate, sunt*:

1. In *patrimonialia* et *non patrimonialia*. Illa tantum membris certae familiae vel incolis determinatae regionis, haec omnibus clericis, alias idoneis, concedi possunt [17].

2. In *eminenter sacra* et in *sacra communia*, quatenus in beneficiario ordinem quendam *sacrum* requirunt vel supponunt, aut solummodo primam *tonsuram* vel ordinem *minorem* exigunt. Quacum divisione conexa est illa in officia *sacra* et in officia *praelatitia* (praeposituras), e quibus priora potissimum referuntur ad exercitium potestatis *ordinis*, v. g. Vicarius in pontificalibus, posteriora principaliter ordinantur ad exercendam *iurisdictionem*, v. g. Vicarius generalis.

3. In *collativa*, quae a competente *Superiore* ecclesiastico, sine praevia electione vel praesentatione a tertia persona facta, *libere* conceduntur.

4. In *electiva*, quibus providetur praevia *electione* canonica et accedente *confirmatione* competentis Superioris ecclesiastici.

[13] Cfr. cap. 38, X. h. t. 5; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 13, 17, de ref.; *Leuren.*, l. c. q. 32; *Reiffenstuel*, h. t. 5, n. 31; *Santi*, h. t. 5, n. 14 sq.; *Bouix*, De Capit p. 68, 474 sq.

[14] Cap. 28, X. h. t. 5, et Conc. Trid. Sess. VII, cap. 5. de ref.; cap. 4, h. t. III, 2, in Extravg. com.

[15] Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 10, 11 de ref.; cap. unic. de postul. l. 2, in Extravg. com.; cap. 1, de elect. I, 3, in Clem.; *Leuren.*, l. c. q. 32, q. 35 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. 5, n. 13 sq.

[16] In inamovibilibus adest perpetuitas tum *obiectiva* tum *subiectiva*; in aliis deficit perpetuitas *subiectiva*.

[17] *Riganti*, l. c. Reg. Canc. Apost., 17, n. 123 sq.

5. In *patronata,* quae quis post praemissam *praesentationem* patroni *institutione* canonica consequitur.

6. In *reservata,* quorum collatio spectat ad Romanum Pontificem.

III. *Beneficii nomine in iure non veniunt*:

1. *Vicariae* paroeciales non in perpetuum erectae. Si vero sint in perpetuum erectae cum assignatione fructuum seu reditum ecclesiasticorum, tunc habent rationem beneficii, sive stricte talis si dantur in titulum perpetuum, sive minus stricte si sunt revocabiles ad nutum. Cfr. v. gr. can. 471.

2. *Cappellaniae* laicales ab auctoritate ecclesiastica non erectae. At cappellania ecclesiastica rationem habet beneficii, praesertim cum datur in titulum perpetuum. *Leuren.*, For. benef. P. I, q. 85 sq. Generatim dari non potest decretum erectionis cappellaniae in verum titulum beneficii ecclesiastici, nisi bona dotationem cappellaniae constituentia in dominium Ecclesiae transferantur, et ita, ut dicitur, spiritualizentur; quamvis census perpetuus, in bonis profanis constitutus, esset bonum ecclesiasticum ad erectionem cappellaniae ecclesiasticae sufficiens. Generatim cappellano imponi solet officium certarum Missarum ad intentionem fundatoris celebrandarum (officium) et inde habet ius ad reditus (beneficium).

3. *Coadiutoriae* cum vel sine futura successione. Collatio coadiutoriae cum futura successione est quidem collatio beneficii, non praesentis sed *futuri,* illius videlicet quod tandem, morte beneficiarii intercedente, obtinetur.

4. *Pensiones* personales, ut per se patet.

5. *Commenda* temporaria, qua reditus beneficii quod in commendam datur, non percipiuntur ratione illius officii cui adnexi sunt, sed ratione alterius officii aut ex alia iusta causa.

Caput II

De institutione seu erectione officiorum et beneficiorum (can. 215-217; can. 1414-1418)

Fontes et Scriptores ut in n. 139.

Art. 1. — Notio, divisio, historia institutionis officiorum ecclesiasticorum

143. *Institutio* duplici ratione fieri potest, scilicet *erectione,* quae est institutio officii ecclesiastici plane nova atque integre facta, et *restauratione,* quae est officii ecclesiastici olim erecti et postea extincti iterata institutio.

144. Inter officia ecclesiastica profecto *officium Romani Pontificis* in his, quae ad substantiam eius pertinent, habet *immutabilem* potestatem ex immediata *institutione divina,* tum ex parte subditorum et territorii, tum ex parte causarum in ultima specie determinatarum [1].

In *genere* etiam *officium Episcoporum* ab ipso Christo Domino quoad substantiam institutum esse dici potest, licet singuli Episcopatus iure tantum ecclesiastico sint erecti. Nam Christus Dominus *generale* dedit *praeceptum,* ut praeter S. Pontificem in Ecclesia sua crearentur Episcopi, qui essent *ordinarii pastores principales* animarum, non meri delegati vel vicarii *Papae;* at *specialem determinationem* quoad subditos, causas, territorium et modum collationis potestatis episcopalis prudenti iudicio R. Pontificis reliquit [2].

Reliqua officia ecclesiastica, tum Praelaturae illae mediae inter Romanum Pontificem et Episcopos, tum gradus ecclesias-

[1] Cap. 1, X. de maled. V, 26; Conc. Vatic. Sess. IV. cap. 1, 2; *Granderath,* Constitut. dogmatic. Conc. Vatic. p. 125 sq.; 215 sq.; *Suarez,* De leg. l. VI, cap. 4, n. 17, 11; *Wilmers,* De Christi Ecclesia p. 148 sq.

[2] *Granderath,* l. c. p. 132 sq.; *Suarez,* l. c. n. 2, 13, 14 sq., 18, 19, 23, 26; *Wilmers,* De Ecclesia Christi p. 285 sq.

tici infra dignitatem episcopalem sola auctoritate ecclesiastica quoad ambitum iurium et obligationum sunt instituta [3].

Qua in re unice varietas quaedam disciplinae existit circa interventionem potestatis ecclesiasticae in erigendis dioecesibus et officiis quibusdam maioribus intra dioeceses sitis.

Nam licet R. Pontifex pro suo supremo plenoque iure sibi vindicet erectionem dioecesium, tamen inde a primis saeculis nequaquam illam potestatem in singulis casibus immediate exercuit, sed Metropolitis, Vicariis Apostolicis sive Primatibus et Legatis reliquit [4]. Primis illis temporibus legislatores ecclesiastici potius in eo fuerunt, ut normas quasdam generales stabilirent in erigendis novis dioecesibus [5]. Ex saeculo autem quinto prima occurrunt vestigia interpositae auctoritatis Romanorum Pontificum, cum novae dioeceses erigerentur [6]. Quae interventio etiam in eo manifestatur, quod Romani Pontifices, v. g. iam *Innocentius I* a. 415, omnino damnarent perversam illam praxim in Ecclesia orientali receptam [7], vi cuius cum divisione provinciae *civilis* etiam provincia *ecclesiastica* pariter censeretur divisa.

Quodsi in Hispania et in Gallia reges quoque suas habuerunt partes in erigendis dioecesibus, id nequaquam probat ipsorum ius proprium et nativum in huiusmodi negotio ecclesiastico.

[3] *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 1, cap. 1 sq., 7 sq., 54 sq.; *Phillips*, l. c. t. V, p. 311 sq., t. VII, § 378; *Hinschius*, l. c. p. 378 sq.

[4] S. Clem. epist. I, ad Corinth., cap. 44; c. 36 Apost.; c. 13. Conc. Antioch. (a. 341); c. 4, Conc. Carthag. (a. 407); *Euseb.*, Hist. eccl. l. III, cap. 37; *Suarez*, l. c. n. 24 sq.; *Thomassin.*, l. c. cap. 54 sq.; *Phillips*, l. c. t. V, § 219, p. 314 sq.

[5] Cfr. c. 5 (Conc. Laodic. a. 343-383 c. 57), D. 80; c. 6, Conc. Sardic. (c. a. 343) cum explicatione quam dat *Hefele*, l. c. t. I, p. 578 sq.; cit. c. 4, Conc. Carthag. (a. 407)

[6] Cfr c. 4, D. 80 (S. Leo ad Episc. Afr. a. 446), iunct. c. 6 (S. Gregor. M. ad S. Aug. Angl. Ep. a. 601), D. 80.

[7] Cfr. c. 9 Conc. Antioch. (a. 341), c. 12, 17, 28, Conc. Chalced. (a. 451), c. 38 Conc, Trull. (a. 692); *Hefele*, l. c. t. I, p. 382 sq.. t. II, p. 517, 462 sq., ubi arbitrariae interventiones Imperatoris a Concilio Chalcedonensi reprobantur. Quas interventiones *Hinschius*, l. c. p. 380, confundens *facta* et *usurpationes* cum *iure*, legitimas fuisse existimat. Cfr. de praerogativis *honoris et iurisdictionis* Patriarchis Constantinopolitanis paulatim vindicatis ob translatam residentiam Imperatorum in novam Romam: c. 3. Conc. Constant. (a. 381); c. 28. Conc. Chalced. (a. 451); *Hefele*, l. c. t. II, p. 17 sq., 529 sq.; *Hergenroether*, Photius t. I, p. 32 sq.

Etenim illorum interventio exinde sufficienter explicatur et intra certos limites legitima habetur, quod cum Episcopatibus ibidem feuda regni fuerunt coniuncta [8].

Inde ex saeculo octavo et nono Romani Pontifices iam crebrius saltem principales partes habuerunt in erectione dioecesium [9], atque ex saeculo undecimo nullum dubium existere potest quin erectio novarum dioecesium, exclusis Archiepiscopis et Episcopis vel Conciliis provincialibus, soli Romano Pontifici fuerit reservata. Quae praxis, hisce verbis ab *Urbano II* (a. 1092) in epistola ad Rainaldum, Archiepiscopum Remensem, enuntiata: *Solius etenim Apostolici est Episcopatus coniungere, coniunctos disiungere aut etiam novos construere*, postea etiam in iure Decretalium confirmata est [10] atque usque ad praesens tempus viguit [11] et in Codice denuo fuit firmata can. 215, § 1.

Quoad officia ecclesiastica minora in dioecesibus sita nunquam in dubium vocatum est ius Episcopi erigendi *paroecias*, in quibus simul antiquissima reperitur forma strictorum beneficiorum [12].

At fundatio ecclesiarum collegiatarum, quae tempore medii aevi Episcopis non fuit negata [13], ex saeculo decimo sexto Romano Pontifici reservari coepta est [14]. Id multo magis valet de erectione Capitulorum ecclesiarum cathedralium [15] atque etiam de singularibus dignitatibus Capitulorum noviter erigendis. Cfr. *Benedict. XVI*, De Synod. dioec. l. XII, cap. 1, n. 8.

[8] *Thomassin.*, l. c. cap. 5, 55; c. 4, Conc. Tolet. XII (a. 681); c. 11, Conc. Paris, (a. 614); *Hefele*, l. c. t. III, p. 66, 317.

[9] *Riganti*, l. c. Reg. Canc. Apost., 22, n. 88. 92; *Hinschius*, l. c. p. 382.

[10] Cfr. *Mansi*. XX, 676; Cap. 1, X, de transl., 1, 7; cap. 4, X. de off. leg. I, 30; cap. 16, X. de maior. I, 33; cap. 5, 6, de praeb. III, 2, in Extravg. com.

[11] *Nussi*, Conventiones p. 19 sq.

[12] Cfr. c. 3, D. 24 (Gelas. a. 492-496), apud *Thiel*, Epist. Rom. Pont. p. 485 sq.; c. 73 (Conc. Tolet. a. 589), C. XII, q. 2; *Stutz*, D. Beneficialwesen p. 52, 68.

[13] *Hefele*, l. c. t. III, p. 584, t. IV. p. 510; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 51, 385.

[14] Cfr. decis. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 350, n. 1, 2; *Leuren.*, l. c. P. III, q. 964; *Bouix*, De Capit. p. 189 sq.

[15] Cfr. c. 7, Conc. Roman. (a. 826); *Hefele*, l. c. t. IV, p. 48, 55, 117; *Nussi*, l. c. 49 sq.; Collect Lac. t. III, col. 684.

145. *Beneficia ecclesiastica*, quatenus sunt ius quoddam ad sustentationem sive *reditus propter officium* ecclesiasticum, generatim ex ipso *iure naturali* suam repetunt originem. Cfr. cap. 16, X. h. t. 5. Nam, ut scribit S. Paulus (I Cor. IX, 13), *Qui altari deserviunt, cum altari participant.* Quodsi sustentatio illa clerico debita spectetur quoad *modum* et *formam*, est *iuris* mere positivi et *humani* ab Ecclesia constituti. Nam nequaquam inde a primis saeculis clericis eodem modo ea concessa est, etiamsi ex bonis Ecclesiae dari potuit. Reditus enim ecclesiastici antiquitus ut plurimum constabant oblationibus fidelium, quae in tres vel quatuor partes pro Episcopo et clero, pro ecclesia et pauperibus distribuebantur [16]. Quae ratio administrandi et dispensandi bona ecclesiastica per Episcopos diu in Ecclesia conservata est [17]; crescente vero numero clericorum et multiplicatis immobilibus quoque bonis Ecclesiae, diu in praxi non iam retineri potuit.

Hinc iam *ex saeculo sexto* exempla occurrunt, quod clericis, saltem *personaliter* et per modum *precarii*, agri quidam in usum dati fuerint, non obstante prohibitione ecclesiastica. Cfr. c. 23, C. XII, q. 2. Quae praxis praesertim in Gallia [18] magis magisque fuit recepta neque ab Ecclesia Hispaniae [19] aliena exstitit. Denique Symmachus Papa pariter permisit (a. 513), ut clericis vero iure usufructuario bona ecclesiae concederentur [20]. Quae iura clericis ad vitam concessa in usumfructum bonorum stabilium, quae in perpetuum cum *officiis* ecclesiasticis fuerant coniuncta, ex saeculo nono ad instar feudorum dicebantur *beneficia*, quibus etiam perpetuitas *subiectiva* fuit propria. Multo magis iste usus ex saeculo undecimo invaluit [21]. Quod in ecclesiis ruralibus et paroecialibus [22] iam fuerat institutum, id, post

[16] Cfr. c. 23, 26, 27, C. XII, q. 2; *Hefele*, l. c. t. IV, p. 127; *Stutz*, Gesch. d. k. Beneficialwesens p. 48.

[17] Cfr. c. 5, 7, 8, C. X, q. 1; c. 23, C. XII, q. 1; *Thomassin.*, l. c. P. III, 1. 2, cap. 12 sq.; *Sentis*, De iure testament. p. 14 sq.

[18] Cfr. c. 11, C. XVI, q. 3 = c. 16, 17, Conc. Aurel. a. 511.

[19] Cfr. c. 4, Conc. Tolet. II, (a. 527-531).

[20] Cfr. c. 61, C. XVI, q. 1; c. 24, 25, C. XXIII, q. 8; *Stutz*, l. c. p. 78 sq.; *Gross*, Das Recht an der Pfründe p. 30 sq.

[21] Cfr. c. 9 (*Alex. II*, a. 1068), C. I, q. 3; *Thomassin.*, l. c. P. III, l. 2, cap. 16 sq.; *Sentis*, l. c. p. 15 sq.; *Phillips*, l. c. t. VII, § 378, p. 251 sq.; *Sarti*, l. c. l. III, t. 14, de precariis n. 2 sq., t. 20, de feudis n. 3, 4.

[22] Cfr. c. 25 (cap. 10, Conc. Aquisgran. a. 817), C. XXIII, q. 8.

abrogatam ubique fere vitam communem, in ipsis Capitulis est introductum, et separatione facta inter mensam episcopalem et mensam capitularem, mox *praebendae* distinctae et officiis ecclesiasticis adnexae etiam singulis canonicis concedebantur [23].

Cum iure antiquo nemo ordinaretur, qui servitio determinatae ecclesiae non esset adscriptus, illius sustentationi ipsa adscriptione satis fuit provisum. Introductis autem (contra sacros canones) ordinationibus *absolutis* [24], maior fuit necessitas atque difficultas clericis ordinatis procurandi titulum sive honestam sustentationem. Qui scopus praesertim obtentus est per collationem *beneficiorum* simplicium, quibus in subsidium accesserunt *pensiones* vel etiam bona *patrimonialia*. Cfr. cap. 2, 4, 23, X. h. t. 5.

Art. 2. — De potestate instituendi officia et beneficia ecclesiastica.

146. Officium ecclesiasticum, sive beneficiale sive non beneficiale, per expressum vel tacitum vel praesumptum consensum auctoritatis ecclesiasticae constitutum sit oportet. Nam bona etiam a fundatore oblata non sunt in *dominio* Ecclesiae sine ipsius *consensu*, neque quisquam in bona ecclesiastica *ius* quoddam perpetuum acquirere valet absque interventu auctoritatis ecclesiasticae, multoque minus Ecclesia ad certa *officia sacra* a suis clericis obeunda per fundationem factam *obligari* potest, nisi consentiat et negotium ratum habeat. Maxime vero officium sacrum, cum sit ius ad exercendam potestatem iurisdictionis vel ordinis, vel saltem functionis sacrae nomine Ecclesiae, v. g. recitandi horas canonicas, sola auctoritate ecclesiastica constitui potest.

Speciatim *Romanus Pontifex solus* [25] est iure proprio [26] com-

[23] Cap. 8, X. de conc. praeb. III, 8; *Thomassin.*, l. c. cap. 23, 35; *Schneider*, D. bisch. Domkap. p. 41 sq., 61.

[24] Cfr. c. 1, (c. 6, Conc. Chalced. a. 451), c. 2, (*Urban. II*, in Conc. Placent. a. 1089) D. 70.

[25] Can. 1414, § 1. — Cfr. c. 1, D. 22; cap. 1, X. de transl. 1, 7; cap. 4, X. de off. leg. I, 30; cap. 5, 6, de praeb. III, 2, in Extravg. com.: *Nussi*, Conventiones p. 19, 21, 23, 27; *Riganti*, l. c. Reg. Canc. Apost. 22, n. 80 sq.; *Leuren.*, P. I, q. 13; *Lingen et Reuss*, Caus. select. S. C. C. p. 425 sq.; *Cavagnis*, Inst iur. eccl. publ. P. II, p. 24 sq. 396 sq.

[26] Cfr. concord. austr. (a. 1855), art. 18.

petens ad erigenda *officia maiora* seu beneficia *consistorialia* Episcoporum, Metropolitanorum, Abbatiae vel Praelaturae *nullius*, Vicariatus Apostolici et Praefecturae Apostolicae (can. 215). Quae erectiones in provinciis Sedis Apostolicae praeparantur a S. C. Consist.[27]; si agatur de terris missionum, a S. C. de Prop. F. Si universum negotium conexum sit cum concordatis, vel alia causa extraordinaria subsit, praeparatio committitur etiam S. C. de negot. eccles. extraordinariis.

Praeterea nunc Sedi Apostolicae reservata est erectio *Capitulorum cathedralium* et *collegiatorum*[28]. Quodsi Capitula cathedralia in provinciis Sedis Apostolicae sint erigenda, praeparatio spectat ad S. C. Consist.[29], in terris vero missionum ad S. C. de Prop. F.[30]; sed ex terris missionum S. C. de Prop. F. precibus ad instituenda Capitula collegiata vix molestabitur. Si singularis *dignitas* in *Capitulis* de *novo* sit instituenda, non tantum *redintegranda*, pariter intercedat necesse est auctoritas Romani Pontificis[31], praesertim si dignitas quaedam inusitata et in iure non expressa forte esset erigenda. Denique simplices quoque canonicatus supranumerarii, seu sine adnexis emolumentis, sive cum *iure* expectativae, seu succedendi in praebendam vacaturam, sive sine illo iure[32], aut canonicatus *honorarii cum specialibus privilegiis* a iure communi alienis[33], cum sola approbatione Romani Pontificis erigi possunt.

147. *Episcopus* sive Ordinarius loci, excluso Vicario Generali speciali mandato non munito, ad erigenda omnia alia beneficia vel officia ecclesiastica inferiora seu non consistorialia, quae secundum disciplinam Ecclesiae nunc vigentem institui solent, solus competens est[34], non alii inferiores Praelati etiam exempti absque suffragio Episcopi dioecesani aut sine speciali privilegio Sedis Apostolicae[35]. Quae interventio auctoritatis Ordinarii non solum requiritur, si ipse libere et motu proprio officium erigit, sed etiam si laicus vel clericus fundationem ecclesiae offerat. Quo in casu facile tacita approbatio Episcopi in officiis iam diu existentibus merito praesumitur[36] et sufficiens habetur.

Hinc Episcopi est erigere *paroecias* aliaque *officia minora* in dioecesi sita, item novos canonicatus simplices etiam honorarios in Capitulo per Sedem Apostolicam iam legitime erecto, dummodo servet conditiones a iure praescriptas, v. g. de consensu Capituli in erigendis novis canonicatibus (can. 294, § 2), atque ius concordatarium non exigat interventionem Sedis Apostolicae et consensum gubernii. Episcopus quoque non prohibetur a redintegranda dignitate Capituli antiquitus ibidem existente, si accedat consensus Capituli[37].

Etiam Cardinales in proprio titulo vel diaconia erigere possunt beneficia non curata, nisi agatur de ecclesia religionis clericalis exemptae (can. 1414, § 4).

148. *Fundatores beneficiorum* vel officiorum ecclesiasticorum etiamsi potestate ecclesiastica omnino carent, tamen ex benigna *concessione Ecclesiae* in limine fundationis et de consensu Ordinarii non prohibentur suae donationi apponere *conditiones* (can. 1417, § 1) praeter ius vel contra ius commune[38*] dummodo illae non sint impossibiles vel turpes vel naturae benefi-

[27] Can. 248, § 2. — Sixt. V, Const. *Immensa*, 22 Ian. 1588, § 1; *Leuren.*, l. c. P. III, q. 961 sq.; *Hinschius*, l. c. t. II. p. 385 sq.

[28] Can. 392 — S. C. C. l. c. supra in ed. *Richt*, Conc. Trid.; *Bouix*, De Capit, p. 190 sq.; *Ferraris*, l. c. v. Collegium n. 18 sq.; *Nussi*, l. c. p. 49 sq.; Act. S Sed., IX, p. 281, XXI, p. 537; *Ph. Hergenroether- Hollweck*, l. c. n. 521, not. 2

[29] Can. 248, § 2. — Sixt. V, cit. Const. *Immensa*.

[30] Collect. Lac. t. III, col. 684 sq., 955 sq.

[31] Can. 394, § 2. — S. C. C. a. 1732, apud *Benedict. XIV*. l. c.

[32] Can. 393, § 3, can. 1433. — Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 19 de ref.; *Riganti*, l. c. Reg. Canc. Apost. 62, n. 27; *Schneider*, l. c. p. 62, 66, 213 sq.; *Bouix*, l. c. p. 195 sq.

[33] Can. 407. — *Bouix*, l. c. p. 127 sq.; *Hinschius*, l. c. t. II. p. 87, 83 sq.; 388. Quae necessitas erectionis pontificiae ad *omnes* canonicatus honorarios non est extendenda. Aliter opinatur *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 521, not. 2.

[34] Can. 1414. — Cap. 3, X. de eccles. aed. III, 18; cap. 8, X. de excess. Prael. V, 31; Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 4; de ref., Sess. XXIV, cap. 13, de ref.; *Schmalzgr.*, l. c. l. III, t. 48, n. 1 sq.; *Phillips*, l. c. p. 286; *Ferraris*, l. c. v. Beneficium art. 2, n. 5.

[35] Cap. 4, de privileg. V. 7, in Sext.; *Leuren.*, l. c. P. I, q. 13.

[36] *Leuren.*, l. c. q. 14, 15, 16, P. III, q. 929, 930; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 456, ubi parum accurate disputat.

[37] Can. 394, § 2. — Cap. 8, X. de const. I, 2; *Bouix*, l. c. p. 127 sq.; Act. S. Sed., III, p 138, IV, p. 177, 584; *Leuren.*, l. c. P. 1, q. 13; *Schneider*, l. c. p. 361 sq

[38*] Utiliter legi possunt quae de hac re in causa Gerunden. referuntur; A. A. S., 1919-XI, 78.

ciorum repugnantes vel alias, tanquam violantes nervum ecclesiasticae disciplinae, in iure *nominatim* reprobentur [39]. Quae conditiones legitime appositae ita sancte et religiose servandae sunt [40], ut fundatio ab Ecclesia acceptata et approbata postea ex sola voluntate ipsius fundatoris aut patroni aut successorum vel haeredum mutari non possit. Immo nec ipse Ordinarius conditiones semel admissas valide supprimere aut immutare potest, nisi agatur de mutationibus Ecclesiae favorabilibus et praeterea accedat consensus ipsius fundatoris aut, si agatur de iure patronatus, patroni (cit. can. § 2). Ergo pro illa immutatione facienda recurrendum est ad Sedem Apostolicam [41].

149. *Potestas civilis* ex natura rei nullum habet ius interveniendi in erectione officiorum vel beneficiorum ecclesiasticorum, utpote causa mere ecclesiastica, immo nec personalitatem iuridicam officiis vel beneficiis ecclesiasticis *concedit*, sed *ab Ecclesia datam* etiam in suo foro admittit atque admittere *tenetur* [42]. Quodsi gubernii civilis consensus sit requirendus, id aut ex speciali concessione Ecclesiae, v. g. in concordatis [43] facta, est repetendum, aut ex tolerantia quadam Superiorum ecclesiasticorum [44], qua ad maiora mala vitanda leges iniustae [45] *de facto* servantur. Qua in re fatendum est vel ipsos canonistas catholicos interdum parum accurate loqui [46].

[39] Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 12, de ref.; *Reiffenstuel*, h. t. 5, n. 105 sq.; *Leuren.*, l. c. P. I, q. 29, 30; *D'Annibale*, l. c. n. 20; *Santi*, h. t. 5, n. 38 sq.; Act. S. Sed., II, p. 226, X, p. 232; *Hinschius*, l. c. p. 392.

[40] Conc. Trid. Sess. XXX, cap. 5, 9, de ref.; cap. 2, de relig. dom. III, 11, in Clem.

[41] Act. S. Sed., VII, p. 614; *Leuren.*, l. c. P. I, q. 28; *Reiffenstuel*, l. III, tit. 5, n. 112, 113.

[42] *Schmalzgr.*, l. III, t. 29, n. 20, 21; Act. S. Sed., VIII, p. 161; cod. civ. Ital. art. 433, iunct. *Giobbio*, « Lezioni di diplomazia eccl. », vol. II, n. 582, (de personalitate iuridica dioeces. in Italia); *Hinschius*, l. c. t. II, p. 464 sq. iunct. p. 369 sq. huiusmodi iura potestatis civilis asserit et inefficacibus argumentis probare tentat.

[43] Cfr. *Nussi*, l. c. in font.; *Giobbio*, l. c. vol. II, n. 64, sq., 594 sq.

[44] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 13, de ref., Episcopis, non guberniis civilibus, tribuit definitionem limitum paroeciarum.

[45] Cfr. catalogum illarum legum ab *Hinschius*, l. c. et *Giobbio*, l. c. n. 570 sq. concinnatum; cfr. de legibus italicis hac de re latis: Arch. f. k. K. t. 55, p. 3 sq. et *Friedberg-Ruffini*, l. c. p. 472.

[46] Officia quae ita in Codice constituta sunt, ut non necessario et continuo debeant conferri alicui clerico, et quae consequenter dici non possunt *vacare*, cum quavis ratione in eo cessat clericus ipsi praepositus, vera et propria erectione non indigent, sed sufficit eorum *institutio* in iure facta ad hoc ut, cum occurrat occasio aut necessitas, alicui clerico concedantur; cui clerico ex hac concessione seu nominatione statim obveniunt tanquam *potestas vere ordinaria* iura cum officio ex dispositione iuris conexa. Quibus officiis, cum plerumque desit perpetuitas *subiectiva*, *obiectiva* tamen non deest, quae per ipsam *institutionem* a iure factam habetur; nec perpetuitas obiectiva necessario exigit, ut officium ex praescripto iuris debeat *continuo* alicui clerico ita conferri ut, eo deficiente, intelligatur vere *vacare*. Talia sunt officia Legati, Administratoris Apostolici alicuius dioecesis, Coadiutoris vel Auxiliaris Episcopi, officium Vicarii Capitularis atque adeo Vicarii Generalis, cum ex praescripto Codicis non necessario semper et in *qualibet* dioecesi existere debeat. Pari ratione non indigent erectione, sed, ea non praecedente, conceduntur clericis per simplicem nominationem illa officia, quae sunt *mera organa executiva administrationis ecclesiasticae*, tametsi ex praescripto iuris existere debeant, velut officium Cancellarii, notarii et aliorum administratorum Curiae dioecesanae et ipsius Curiae Romanae; nec in illis occurrit vacatio, quae obliget ad novum titularem infra tempus determinatum substituendum, sed iuris praescripto fit satis, si occurrente necessitate deputetur aliquis transeunter, qui illorum officialium vices agat, etiam per tempus excedens terminos legales ad officiorum provisionem praescriptos.

Art. 3. — De conditionibus requisitis ad instituenda officia ecclesiastica

150. *Causa iusta* [47] imprimis requiritur; omne enim officium ecclesiasticum non arbitraria ratione, sed propter *necessitatem* vel *utilitatem* Ecclesiae vel cultus divini augmentum, est erigendum. Cui legi ex natura rei petitae vel ipse R. Pontifex, v. g. in erectione dioecesium vel Capitulorum [48], est subiectus; sed maiore libertate suo iure utitur quam alii Praelati, atque penes ipsum est supremum iudicium de sufficientia causae. Quae

[47] Cfr. c. 6, D. 70; cap. 5, de praeb. III, 2, in extravg. com.; cap. 16, X. de maior. I, 33; *Riganti*, l. c. Reg. Canc. Apost. 22, n. 96; *Benedict. XIV*, de Synod. dioec. l. XIII, cap. 7; *Martin*, Collect. docum. Conc. Vatic. p. 175.

[48] Cfr. de erectione Capitulorum cathedralium; Collect. Lac. t. III, col. 684, 686, 730, 955. In Capitulis autem collegiatis erigendis principia iuris canonici (cfr. *Ferraris*, l. c. v. Collegium n. 21; *Suarez*, De virt. et stat. rel. tract. IX, l. I, cap. 6), non iuris italici (cfr. Arch. f. k. K. t. 55, p. 237), consulenda sunt.

iusta causa multo magis ab Episcopo est attendenda, qui de sufficientia causae, iure communi requisitae, iuxta *disciplinam vigentem* [49] iudicet necesse est.

151. *Locus congruus* est alterum requisitum. Hinc *sedes Episcoporum*, ecclesiarum et Capitulorum cathedralium in frequentioribus civitatibus constitui solent [50]. Porro erectionem quoque ecclesiae *collegiatae* S. C. tum solum R. Pontifici commendat, cum locus est dignus, clerus populusque numerosus, ecclesia ampla cum necessariis paramentis instructa, tres saltem sunt canonicatus atque Ordinarius loci non est invitus [51]. Similiter aliis officiis inferioribus, et imprimis *paroeciis*, locus ipsorum naturae congruus iudicio Episcopi est assignandus.

Si in genere dicitur beneficia erigi in ecclesia atque adeo in determinato ecclesiae altari [52], id quidem ab antiquis canonistis satis communiter traditur, quia plerumque eriguntur ad aliquam functionem sacram cultus divini (unde dicitur beneficiarius altari deservire et de altari vivere); sed iuris textus id exigens non datur, ac solum requiritur ut designetur *locus*, non determinate aliquod altare (can. 1418). Confer tamen can. 1426. Designatio alicuius ecclesiae, in qua beneficium habeatur erectum, maxime inservit ad iuridicam adscriptionem beneficiarii ad clerum determinatae ecclesiae, apprime conformem antiquae disciplinae, quae tamen hodie non est rigorose praescripta, sed sufficit adscriptio determinatae dioecesi. Quaestio de loco erectionis certe non attenditur in omnibus *officiis*, v. gr. Vicarii Generalis, Officialis etc.

152. *Dos sufficiens* et *stabilis* tertio loco requiritur, unde reditus perpetuo percipiantur ad normam can. 1410, tum ad sustentationem beneficiarii, tum ad ferenda onera fabricae ecclesiae et cultus divini, si istis oneribus aliunde non iam sit provisum [53]. Maxima ac prae ceteris optanda stabilitas habetur in dotatione facta ex bonis stabilibus et immobilibus ipsi officio ecclesiastico tanquam subiecto dominii concessis [54]. Quare si dos in numerata pecunia constituatur, Ordinarius, audito dioecesano administrationis Consilio, curare debet ut quamprimum collocetur in tutis et frugiferis fundis vel nominibus (can. 1415, § 2).

Non prohibetur tamen Ordinarius, ubi congrua dos constitui nequeat, paroecias aut quasi-paroecias erigere, si prudenter praevideat ea quae necessaria sunt aliunde non defutura (ib., § 3).

153. *Sollemnitates* quoque sunt servandae. Et profecto Rom. Pontifex quamvis in erigendis officiis ecclesiasticis solummodo illis sollemnitatibus adstringatur, quae *ex natura rei* exiguntur, tamen de facto pro suaviore regimine et ex aequitate canonica ordinarie stabilem quandam determinatamque formam servat, atque quantum fieri potest, consensum eorum, quorum interest, obtinere studet [55]. Episcopi vero est in erigendis officiis inferioris diligenter inquirere, num conditiones requisitae sint servatae, vocare et audire omnes quorum interest, si qui sint (can. 1416), deinde per instrumentum publicum fundationem, quae forte sit oblata, acceptare eamque vel dotem aliunde habitam erigere in titulum [56], describendo accurate locum, dotem acceptam vel constitutam, iura et onera beneficiarii (can. 1418).

[49] Cfr. c. 10, D. I, de consecr.; cap. 3, X. de eccl. aed. III, 48; cap. 1. de V. S. V, 12 in Sext.; cap. 1, IV, in Extravg. Ioann. XXII; Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 4, de ref., Sess. XXIV, cap. 13, de ref.; *Riganti*, l. c. Reg. Canc. Apost. 22, n. 94 sq.

[50] Cfr. c. 4, 5, 6, D. 80; cap. 53, C. XVI, q.1; cap. 1, X. de privil. V, 33; *Leuren.*, l. c. q. 18, 19, 20. Cfr. *Granderath*, Constit. dogm. Conc. Vatic. p. 137 sq., 145 sq.; *Wilmers*, De Christi Eccl. p. 205 sq., 251 sq.; *Hollweck*, Der Apostol. Stuhl u. Rom (a. 1895), de quaestione num primatus iurisdictionis cum *Romana Sede* ex iure divino sit indissolubiliter conexus; *Suarez*, De leg. l. IV, cap. 4, n. 22, De fide theol. disp. 10, sect. 3, n. 8 sq.

[51] *Ferraris*, l. c.; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 386 sq.

[52] Cfr. *Leuren.*, P. I. q. 18-20.

[53] Cfr. c. 9, D. I, de consecr.; cap. 8, X. de cons. eccl. III, 40; Conc. Trid. Sess. XXI. cap. 4, de ref.; *Fagnan.*, in cap. 3, X. de eccles. aed. III, 48, n. 7; *Reiffenstuel*, l. c. l. III. t. 48 n. 9; *Leuren.*, l. c. q, 21 sq,; *Stutz*, l. c. p. 95 sq.

[54] Cfr. c. 1, C. I, q. 2; cap. 1, X. de censibus, III, 39; *Leuren.*, l. c. P. I, q. 8; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 386, 389.

[55] Cap. 1, X. ne sede vacante III, 9; *Riganti*, l. c. Reg. Canc. Apost. 22, n. 88 sq.

[56] *Leuren.*, l. c. q. 30, 31.

Caput III

De innovatione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum (can. 215-217; can. 1419-1430)

Fontes et Scriptores antea allegati.

Praenotiones

154. I. **Definitio.** Innovatio officii ecclesiastici [1] est omnis immutatio status primitivi alicuius officii ecclesiastici, sive quoad iura spiritualia vel temporalia, sive quoad obligationes, sive quoad situm vel ambitum vel speciem [2].

II. **Divisio.** Officii ecclesiastici innovatio distinguitur in innovationem factam:

a) *Per translationem* (can. 1421), qua officium ecclesiasticum alia ratione non mutatum in novam sedem vel ecclesiam transfertur [3].

b) *Per transformationem* seu *conversionem* (can. 1430), est mutatio speciei beneficii, vi primae erectionis receptae [4].

c) Per *divisionem* (can. 1421), quae habetur, si reditus, iura, obligationes, populus, territorium unius officii ita separantur, ut iam duo vel complura officia ecclesiastica, *saltem distincta,* ex illo unico officio formentur atque instituantur [5]. Quae divisio in *distincta* beneficia est *aeque principalis,* si novum beneficium, per divisionem recenter erectum, ab antiquo beneficio est plane independens; si aliquam retinet dependentiam, divisio est *minus principalis.*

Porro divisio dicitur *plena,* si totum officium, i. e. iura, obligationes, populus, territorium etc. dividitur; *partialis* audit, si

[1] Cap. 1, X. ne sede vac. aliq. *innov.* III, 9; l. III, t. 12, ut ecclesiastica benef. sine *diminut.* confer.

[2] Act. S. Sed., VII, p. 508, 560; *Lingen* et *Reuss,* l. c. p. 749 sq.; *Ph. Hergenroether-Hollweck,* l. c. p. 417 sq. n. 526 sq.

[3] Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 7, de ref.; Acta S. Sed., I, p. 217 sq.

[4] *Leuren.,* l. c. P. III, q. 966; Act. S. Sed., IX, p. 8 sq.; *Hinschius,* l. c. t. II, p. 395 sq.

[5] *Schmalzgr.,* h. t. 5, n. 204; *Leuren.,* l. c. P. III, q. 957.

tantum pars officii, v. g. pars iurium, obligationum, redituum vel populi vel territorii separatur ab officio. Partialis divisio est illa, quae dicitur *dismembratio* sensu stricto [6], qua pars bonorum *aut* redituum beneficialium, aut territorii vel populi, ab uno beneficio separatur et alteri beneficio iam existenti vel ecclesiae vel causae piae etc. in perpetuum applicatur (can. 1421). Item species quaedam divisionis est *pensio* in perpetuum *beneficio* imposita (can. 1429). Denique divisio quaedam fit, cum in *uno eodemque territorio* ratione diversorum rituum vel populorum complura beneficia vel officia eriguntur per divisionem beneficii existentis, unde solent resultare paroeciae personales.

d) Per *unionem* (can. 1419), quae est realis duorum vel plurium officiorum ecclesiasticorum in perpetuum facta coniunctio.

Quae unio dividitur: 1) in unionem *aeque principalem,* per quam duo vel plura beneficia *realiter* et in *perpetuum* coniuncta *uni* rectori ita subiciuntur, ut beneficia inter se sint plene coordinata, neque unum alteri sit subiectum, sed salva maneant et distincta officiorum unitorum nomina et iura nihilque commune habeant praeter rectorem;

2) in unionem *extinctivam* seu per *confusionem* sive exstinctionem, quae habetur, si plura officia in unum novumque officium ita conflant, ut singula quidem existere desinant, tamen omnia iura et privilegia in novum officium ex prioribus ortum transferantur; vel etiam cum unum aut plura officia alteri iam existenti ita uniuntur ut esse desinant;

3) in unionem *minus principalem* seu *accessoriam* sive per *subiectionem,* qua duo vel plura officia ecclesiastica non solum *uni rectori* subiciuntur, sed etiam *inter se* realiter et in perpetuum ita coniunguntur, ut nequaquam coalescant in unum officium, sed unum sit principale, cui alterum tanquam accessorium vere et proprie, velut ecclesia filialis matrici subordinetur [7].

Singularis quaedam *species unionis* officiorum illa est, quae a canonistis dicebatur *incorporatio* (can. 1425), quae in eo consistit, quod officium quoddam ecclesiasticum collegio vel institu-

[6] Arch. f. k. K. t. VII, p. 400 sq.

[7] Cfr. c. 48, 49, C. XVI, q. 1; *Santi,* h. t. 5, n. 91 sq.

to[8], v. gr. monasterio, Seminario, Capitulo (vel praebendae et dignitati) realiter et in perpetuum cum certis effectibus uniatur.

Quae incorporatio dicebatur: α) *non pleno* iure facta, si sola temporalia bona officio ecclesiastico adscripta, v. g. monasterio assignantur; obligationes vero et iura spiritualia officii, v. g. cura animarum, exercentur a vicario perpetuo, quem ordinarie praesentat et sustentat subiectum, cui incorporatio facta est, v. g. monasterium, et Episcopus concedit institutionem canonicam;

β) *pleno* iure facta, si iura, tum spiritualia tum temporalia officii ecclesiastici cum adnexis obligationibus novo subiecto iuris, v. g. monasterio, uniuntur, penes quod est cura habitualis officii incorporati, cum cura actualis exerceatur per vicarium quendam temporalem;

γ) *plenissimo* iure facta, si Praelatus monasterii vel Capituli, quibus beneficium ecclesiasticum pleno iure est incorporatum, insuper accipit iurisdictionem quasi episcopalem in clerum et populum ecclesiae incorporatae et a potestate Ordinarii eximitur[9]. Atque inde ortae sunt plures Praelaturae vel Abbatiae *nullius*.

III. **Conditiones generales.** Cum omnis officii ecclesiastici innovatio variis de causis sit res odiosa, nonnisi per *legitimum Superiorem* ecclesiasticum,[10] vel ad ipsam erectionem competentem, fieri potest. Quare primatus iurisdictionis *spiritualis* Romani Pontificis, cum ab ipso Christo Domino in perpetuum institutus et definitus sit, a nulla potestate humana innovari, i. e. augeri vel minui in se potest. Officium quoque Episcoporum in genere certe ex Christi institutione est repetendum ideoque nunquam *universim* ita imminui potest, ut Christi institutio sit illusoria. Quae res non impedit, quominus iura Episcoporum per R. Pontificem in universa Ecclesia augeantur vel minuantur,

[8] *Schmalzgr.*, h. t. 5, n. 165, 191; *Leuren.*, l. c. P. I, q. 166 sq.; *Santi*, l. III, t. 37, de cappellis monach. n. 2 sq.

[9] *Leuren.*, l. c. P. I, q. 166, P. III, q. 878 sq.; *Foesser.*, in Arch. f. k. k., t. 21, p. 353 sq., 363 sq., 414; *Hinschius*, l. c. p. 395 sq., 417 sq., 436 sq.

[10] Cap. 8, X. h. t. 5; Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 5, de ref.; *Schmalzgr.* h. t. 5, n. 14 sq.

multoque magis officium *particularis* Episcopi innovationi est obnoxium[11].

Porro Superior ecclesiasticus non procedat ad innovationem absque *iusta causa*. Qua in re rationem habeat oportet *necessitatis* vel *utilitatis* Ecclesiae[12] atque iurium tertium personarum, praesertim fundatorum, simulque *vocet audiatque* personas, quarum interest, aliasque *sollemnitates* pro diversis innovationis modis a iure praescriptas observet, salvo iure recursus ad superiorem instantiam, si quis sese laesum esse existimat[13]. Quae sollemnitates profecto minore rigore servandae sunt, si in terris S. C. de Prop. F. subiectis[14*] stationes vel missiones aliaque officia ecclesiastica, quae *stricta beneficia ecclesiastica* non sunt, innovationi subiciantur[15].

[11] Conc. Vatic. Sess. IV; *Suarez*, De leg. l. IV, cap. 4, n. 2 sq., 7 sq., 18 sq., 26; *Wilmers*, De Christi Eccl. p. 188 sq., 260 sq., 304 sq., 328 sq., 355 sq.

[12] Cap. 33, X. h. t. 5; Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 5, de ref.; Sess. XXIV, cap. 13, de ref.; S. C. C., 23 Aug. 1755; S. C. C., 27 Ian. 1877, in Act. S. Sed., X, p. 260 sq.; *Lingen* et *Reuss*, Causae select. S. C. C. p. 317 sq., 436 sq.

[13] Cap. 1. 2, X. de nov. oper. V, 32; Act. S. Sed., III, p. 396 sq. (de parochi populique consensu in paroeciarum dismembratione) X, p. 265 sq., ubi magno rigore ab actore urgebatur necessitas *sollemnitatum* ad ipsum *valorem* dismembrationis; at ex resp. ipso S. C. C. in cit. causa 27 Ian. 1877 nihil colligi potest in favorem rigidae istius theoriae. Communiter tradebatur beneficio constituendum esse defensorem, si innovatio fieri debeat durante beneficii vacatione, argumento deducto ex capitibus tituli de novi operis nuntiatione et ex eo quod officia et beneficia, utpote personae morales, iure minorum censeantur gaudere. Quae principia etiam iure Codicis videntur valere, nisi quod in Curiis dioecesanis, satis intelligitur fieri exigentiae defensoris, si postulatae fuerunt sententia et allegationes promotoris iustitiae.

[14*] De erectione quasi paroeciarum in Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis confer Instruct. S. C. de P. F. d. 25 Iul. 1920; A. A. S., XII, 331. Cfr. quoque Decret. d. 9 Decemb. 1920 circa limites definiendos paroeciarum in dioecesibus S. C. de P. F. subiectis, A.A.S., XIII, 17.

[15] Leon. XIII Const. *Romanos Pontifices*, 8 Maii 1881, pro Anglia data et deinde ad nonnullas alias quoque regiones successive extensa; *Leuren.*, l. c. P. III, q. 900.

Art. 1. — De translatione officiorum ecclesiasticorum

155. *Legitima potestas transferendi* officia ecclesiastica est penes illos Praelatos ecclesiasticos, quibus competit ius *erigendi* officium ecclesiasticum, de cuius translatione agitur. Quare v. g. Episcopus, etsi titulum ecclesiae cathedralis in aliam ecclesiam etiam intra eandem dioecesim vel civitatem sine R. Pontificis consensu transferre non potest, tamen a translatione beneficiorum simplicium vel paroecialium, servatis servandis, non prohibetur [16], excepta translatione beneficii religiosi, quae Sedi Apost. reservatur (can. 1422).

156. *Causa iusta,* quae ad translationem officii seu beneficii paroecialis saecularis omnino requiritur, generatim est *necessitas* vel *evidens utilitas* ecclesiae. Hinc v. g. causa sufficiens, at certe non unica, est habenda, si ecclesia ob vetustatem vel alias rationes collapsa sit et propter inopiam restaurari nequeat (can. 1187), vel situs antiquae ecclesiae paroecialis sit plane inconveniens [17] in ordine ad exercitium curae animarum (can. 1426, iunct. can. 1423, § 1). Quoad alia beneficia tunc solum ab Ordinario translatio fieri potest cum ecclesia, in qua fundata erant, collapsa sit et restaurari nequeat; quo in casu translatio fieri debet in matrices vel alias ecclesias eorundem locorum vel vicinorum (cit. can. 1426).

157. *Sollemnitas* servanda ea est, ut translatio fiat per authenticam scripturam, ut Capituli cathedralis consilium exquiratur [18*] et audiantur ii, si qui sint, quorum ea res intersit, praesertim rectores ecclesiarum (can. 1428, § 1). Quae sollemnitas non probatur pertinere ad valorem actus, qui tamen, ea non observata, fit obnoxius legitimis impugnationibus; at deficiente causa canonica translatio ipso iure irrita est (can. 1428, § 2).

[16] Cfr. cap. 1, X. de transl. Episc. I, 7; Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 7, de ref.; decis. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 120 sq., et apud *Lingen* et *Reuss,* l. c. 436 sq.; Act. S. Sed., IX, p. 476 sq.; cfr. de translatione primatus Summi Pontificis a Sede episcopali Romana et Urbe in aliam civitatem sedemque episcopalem: Syllab. *Pii IX,* prop. 35; *Hollweck,* l. c. p. 1 sq., 5 sq.; *Card. Hergenroether,* Photius t. I, p. 35 sq., 176 sq., 602 sq., 656 sq., 670, t. III, p. 806, 813.

[17] Cfr. Trid. l. c.; Act. S. Sed., l. c.; S. C. C. 22 Iun. 1861 et 4 Sept. 1869, in Act. S. Sed., V, p. 184 sq.; cfr. quoque Act. S. S., III, p. 396, X, p. 360. Quibus causis addenda est ex iure Codicis illa translatio quae decerni potest *in poenam* ad normam can. 2292.

[18*] In Belgio et in Gallia legitimam consuetudinem eximere Episcopum ab obligatione audiendi Capitulum cathedrale asserit *De Meester,* o. c., III, n. 1410, c; cfr. etiam II, n. 769 et *Verm.-Creusen,* o. c., II, n. 758.

158. *Dos* nova in mera translatione officii ecclesiastici non est procuranda, quoniam iura spiritualia et temporalia officii ecclesiastici per translationem non alterantur, sed in novam sedem sequuntur officium translatum (can. 1426).

159. Scholion. Ne ex effectu illo translationis omnium iurium in novo loco oriantur difficultates, haud raro translatio cum unione vel transformatione coniungitur, reservatis forte antiquis iuribus, si quando denuo officium ecclesiasticum transferatur [19]. Quosnam autem effectus translatio producat in ecclesia derelicta, non unica responsione definiri potest. Interdum enim ecclesia derelicta et diruta, in usus profanos, non tamen sordidos, iuxta ordinationem Conc. Trid. l. c. poterit converti; non raro etiam speciali competentis Superioris ecclesiastici decreto in simplicem ecclesiam collegiatam vel paroecialem convertetur, quod praesertim fit cum transfertur in novam sedem ecclesia cathedralis.

Art. 2 - De transformatione seu conversione officiorum ecclesiasticorum

160. Cum *transformatio* officii ecclesiastici plerumque *duplicem* contineat actum, sc. *suppressionem* et *erectionem,* solus ille Superior ecclesiasticus ad transformationem competenti potestate instructus est, qui et *suppressionem antiqui* officii et *erectionem novi* perficere potest [20]. Quare transformatio quaedam officii sive primatus R. Pontificis, qui ex ipsa institutione Christi immutabilis et perpetuus est, a nulla auctoritate humana fieri potest, v. g. in monarchiam constitutionalem vel in aristocratiam quinque Patriarchatuum coordinatorum. At R. Pon-

[19] *Nussi,* l. c. p. 57, art. 6, 12, concord. Helvet. (a. 1828).

[20] *Leuren.,* l. c. P. III, q. 964, n. 2, 3, 4, 5, q. 966, n. 2; *Garcia,* l. c. P. III, cap. 5; Act. S. Sed., IX, p. 9; *Schneider,* l. c. p. 50.

tifex, licet in *universa* Ecclesia officium Episcoporum supprimere et in officium Vicariorum Apostolicorum transformare non valeat, tamen in *casibus particularibus*, necessitate suadente, ab ista transformatione non prohibetur.

Cum iam Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 16 de ref. statuisset ut ecclesiastica beneficia *saecularia* quocunque nomine appellentur, quae *curam animarum* ex *primaeva* institutione aut aliter quomodocumque retinent, in *simplicia* seu non curata beneficia deinceps non converterentur, eandem praescriptionem innovavit Codex can. 1430, § 1; hinc certe *Episcopis* ad huiusmodi transformationem omnis potestas est adempta. Pari modo Episcopus nequit convertere ecclesiam *regularem*, etiam inferiorem, in *saecularem* et *vicissim* (cit. can.) vel regularem ecclesiam *unius* Ordinis in regularem *alterius* Ordinis, cum obstet necessitas beneplaciti apostolici in alienationibus faciendis [21] atque non raro ultima voluntas fundatorum, quam mutare Episcopus nequit [22]. In transformandis officiis inferioribus simplicibus in curata, modo adsit iusta et necessaria causa nec sint mutandae ultimae fundatorum voluntates, Ordinarii plena potestate potiuntur (can. 1430, § 2); pariter ipsis licet, audito Capitulo cathedrali, amovibiles paroecias in inamovibiles convertere, sed non vicissim (can. 454, § 4).

161. Cum transformatio beneficii ecclesiastici soleat continere veram *erectionem officii novi*, ordinarie *perfectioris*, v. g. transformatio simplicis in curatum, paroecialis in episcopale atque tantum secundario suppressionem parum odiosam, *principaliter statuta* canonica de *erectione* officiorum ecclesiasticorum quoad locum congruum et dotem diligenter sunt servanda.

[21] *Leuren.*, l. c. q. 964; *Schmalzgr.*, l. III, t. 5, n. 15 sq. Quare quae veteres et novi scriptores (cfr. *Schmalzgr.*, l. III, t. 5 n. 20; *Hinschius*, l. c. p. 456) ex cap. 5, X. de relig. dom. III, 36, deducunt de potestate Episcopi reducendi v. g. monasterium ad statum clericorum saecularium, nostra aetate sunt plane antiquata, ut recte animadvertit *De Angelis*, l. c. t. III, t. 36, n. 5; huiusmodi enim negotium ex disciplina vigente Romano Pontifici est reservatum. Cfr. S. C. Ep. et Reg. 9 Iul. 1880, in Act. S. Sed., XIII, p. 356; S. Poenit. 12 Febr. 1872, in Act. S. Sed., VII, p. 147; *Scherer*, l. c. t. II, p. 853 sq., not. 67 sq., 70; *Phillips*, l. c. t. VI, p. 328 sq. (de antiquis transformationibus in Urbe).

[22] Cfr. de transformatione officii saecularis in regulare et vicissim per legitimam praescriptionem: Cap. 5, h. t. III, 4, in Sext.; *Schmalzgr.*, l. III, t. 5, n. 14 sq.

162. Transformationis is est *effectus*, ut obligationes et iura officii suppressi, v. g. ius patronatus [23], quatenus ipsa suppressione non cessarunt aut cum novo officio incompatibilia non sunt, in officium transformatum transeant, nisi competens Superior ecclesiasticus rem alio modo ordinaverit [24].

Art. 3. — De divisione officiorum ecclesiasticorum

163. *Potestas* ad dividenda officia ecclesiastica eadem requiritur atque in erectione. Quare solus *Romanus Pontifex* est competens, qui *maiora officia* et imprimis dioeceses dividat [25]. At ipsum officium *primatus* R. Pontificis neque unquam *de facto* ex Christi ordinatione inter complures fuit divisum, i. e. inter S. Petrum, S. Paulum, S. Iacobum, neque *de iure* a Romano Pontifice vel a Concilio oecumenico *dividi potest*. Cfr. *Wilmers*, De Christi Eccles. p. 188 sq., 202 sq.

Ordinariis vero divisio *aliorum* officiorum ecclesiasticorum, velut *paroecialium* vel *simplicium*, ex iuris communis sanctionibus est permissa, dummodo servatis conditionibus canonicis perficiatur [26]. Excipitur divisio et dismembratio quaelibet beneficii religiosi, quae uni Sedi Apostolicae reservatur (can. 1422).

[23] Cfr. can. 1470, § 1, n. 5; Act. S. Sed., IX, p. 8.

[24] *Analect. ecclesiast.*, a. 1895, p. 161; *Bauduin*, De consuetudine p. 207 sq., ubi recte exponit atque probat vim et ambitum exstinctionis antiquae hierarchiae in Gallia, ineunte hoc saeculo, a *Pio VII* factae; Convent. *Leon XIII*, p. 44 sq., ubi gubernium gallicum a. 1886. consentit in suppressionem *Praefecturae Apostolicae de Pondichery eiusque unionem cum Vicariatu Apostolico* de Pondichery simulque agnoscit ius S. Sedis laudatum Vicariatum Apostolicum *convertendi* in dioecesim vel archidioecesim.

[25] Cfr. cit. epist. *Urbani II* (a. 1092), ad Rainoldum Arch. Remens.; cap. 5, 6, h. t. III, 2, in Extravg., com.; Reg. Canc. Apost. 13, 22; *Riganti*, l. c. Reg. Canc. Apostol. 22, n. 88 sq.; *Leuren.*, l. c. P. III, q. 961; Act. S. Sed., II, p. 293; VI, p. 588; *Phillips*, l. c. t. V, § 220; *Hinschius*, l. c. p. 400 sq.

[26] Cfr. de iure praec. cap. 8, 20, 26, 36, X. h. t.; cap. 3. X. de eccles. aedif. III, 48; Conc. Trid. Sess. XXI. cap. 4, de ref.; Leon. XIII Const. *Romanos Pontifices*; *Leuren.*, l. c. P. I, q. 155, P. III, q. 957 sq.; *Bouix*, De parocho p. 246 sq.; *Analect. iur. pont.* (a. 1853), col. 487 sq.; Act.

164. *Ordinariis causis canonicis* in divisione officiorum, etiam maiorum, *Romanus Pontifex* rigorose non est adstrictus, sed attenta Ecclesiae necessitate et utilitate pro suprema plenaque sua potestate ad dividenda officia maiora et praesertim ad dioecesium divisionem procedit.

Ordinarii vero officia inferiora sibi subiecta tantum ob causas canonicas dividere possunt. Nam per divisionem mutatur status ecclesiae vel officii, quod sine iusta causa fieri non debet [27]. Quae iusta causa generatim ad hanc unicam reducitur, quod sine divisione obligationibus, officio ecclesiastico adnexis, convenienter satisfieri non possit [28]. Speciatim in paroeciis dividendis huiusmodi iusta causa habenda est, *aut difficultas* magna paroecianorum accedendi ad ecclesiam paroecialem ad recipienda sacramenta et divina officia audienda, *aut* nimia multitudo paroecianorum [29], qui requirunt *specialem* curam animarum, quorum spirituali bono subveniri nequeat ad normam can. 476, § 1 per vicarios cooperatores parocho assignatos. Qua causa non

S. Sed., X, p. 262, 264, 273, XII, p. 292; *Garcia*, l. c. P. XII, cap. 14; *Schmalzgr.*, h. t. n. 204 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 401 sq.

[27] Cfr. cap. 8, X. III, 5; *Schmalzgr.*, h. t. 5, n. 204, 205; *Bouix*, l. c. p. 250 sq.

[28] *Schmalzgr.*, h. t. 5, n. 205. Cfr. quoque cap. 26, X. h. t. 5, iunct. *Ph. Hergenroether-Hollweck*, de divisione unius beneficii, nimis abundantibus reditibus praediti, in duo, ex quibus duo clerici commode sustentari possint, et simul habeatur cultus divini augmentum per frequentiorem celebrationem officiorum divinorum omnino necessariam.

[29] Cfr. Decis. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 117 sq.; S. C. C. 28 Mart. 1903; Act. S. Sed., X, p. 260 sq.; *Bouix*, l. c. p. 253 sq., ubi nonnullis nimis rigidis opinionibus non paucorum canonistarum, v. g. nimiam multitudinem paroecianorum non sufficere, recte iam contradixit (cfr. S. C. in caus. Verul. 22 Maii 1784); *Schmalzgr.*, l. III, t. 48, n. 7 sq.; Act. S. Sed., XIII, p. 307. Ex Pii VI Const. *Quod aliquantum*, 10 Mart. 1791 (in Galliam missa) paroecia non deberet habere ultra 6000 fidelium. Nec in hac re oblivioni dandum est praeceptum evangelicum, quo pastor tenetur proprias oves cognoscere (Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 3); nec remedium parocho assignandi plures vicarios cooperatores aequivalet divisioni, cum obligatio respondendi de proprio grege, parocho incumbens, non aeque urget vicarios qui non ex proprio officio pascunt, sed pastoris meri sunt adiutores. Meretur legi opus *Swoboda*, De cura animarum in magnis urbibus, ad plures linguas vulgares translatum.

existente, paroeciae divisio irrita est (can. 1428, § 2): ea existente, divisio fieri potest sive erigendo novam paroeciam vel saltem vicariam perpetuam, sive paroeciale territorium dismembrando (can. 1427 § 1), nec requiritur consensus populi aut rectoris paroeciae dividendae, sed ipsis quoque invitis fieri potest, ob bonum animarum ante omnia procurandum.

165. *Dotatio*, quae ad novum officium ecclesiasticum ex divisione ortum requiritur, si a benefactore vel fundatore non concedatur, in *officiorum maiorum* divisione secundum prudens arbitrium *Romani Pontificis* desumenda est ex reditibus sufficientibus antiqui officii, aut alio modo per ordinationem pontificiam sustentationi novi beneficiarii, v. g. Episcopi atque oneribus officii est providendum, v. g. per oblationes fidelium, secundum analogiam decreti Tridentini Sess. XXI, cap. 4 de ref., ut fit v. g. in Anglia [30].

Similiter ab *Episcopo* in divisione paroeciarum novo officio paroeciali sufficiens dotatio est assignanda, quae desumi debet aut ex liberali donatione benefactoris [31], aut ex bonis et reditibus ecclesiae matricis [32], si illa ad novam dotationem sufficiant, aut ex oblationibus et contributionibus fidelium [33]. Quodsi ex bonis ecclesiae matricis nova paroecia dotetur, *ius patronatus* in ecclesiam paroecialem dismembratam *rectori ecclesiae* matricis non amplius, quemadmodum in iure praecedenti, est reservatum [34]; sed honor quidam pro facultate loci matrici ecclesiae servandus est, modo et finibus ab Ordinario prudenti arbitrio praestituendis, v. gr. moderata quaedam annua praestatio, puta candelae vel exigui census, aut assistentia novi rectoris alicui sollemni functioni ecclesiae matricis; sed omnino est exclusa reservatio fontis baptismalis in favorem ecclesiae matricis (can.

[30] *Nussi*, l. c. p. 245 sq.; *Leuren.*, l. c. P. III, q. 946 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 400.

[31] Cfr. Act. S. Sed., III, p. 354; IV, p. 264.

[32] Cfr. Cap. 3, X. de eccl. III, 48; Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 4, de ref.; *Leuren.*, l. c. P. I, q. 159; *Bouix*, l. c. p. 273 sq.

[33] Cfr. Conc. Trid. l. c.; *Bouix*, l. c. p. 275.

[34] Cap. 3, X. de eccl.; cap. 25, X. de iure p. III, 38; Conc. Trid. l. c.; *Bouix*, l. c. p. 277; Arch. f. k. K. t. 36, p. 307 sq. t. 38, p. 472 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 408.

1427, § 4), quippe iure Codicis (can. 774, § 1) rigorose exigitur ut fons baptismalis habeatur in qualibet ecclesia paroeciali[35].

In aliis quoque inferioribus officiis divisio fieri non potest, nisi cuilibet officio portio assignetur, quae ad honestam sustentationem sufficiat, aut aliunde suppleatur quod desit[36]. Secus iuxta c. 26, X. III, 5, Episcopo incumbebat onus praebendas redintegrandi ex reditibus mensae episcopalis; ipsi enim culpae vertebatur illegitima praebendae divisio.

166. *Romani Pontificis* est in divisione officiorum *maiorum* novo officio *congruum locum* aptumque territorium accurate circumscriptum assignare. *Ab Episcopo* praesertim *paroecia* dismembrata in congruo loco est erigenda ipsique concedendum est territorium bene circumscriptum et ab omni alia paroecia distinctum cum sufficienti numero incolarum[37], nisi forte ob diversitatem sermonis et nationum personarum in eodem territorio degentium, complures paroeciae vel quasi paroeciae sint constituendae[38]; quae tamen divisio in paroecias personales nunc est reservata Sedi Apostolicae (can. 216, § 4)[39*].

167. Quoad *sollemnitates* servandas, *Rom. Pontifex* sicut in usu valido plenitudinis suae potestatis etiam hac in re a nullius

[35] Cfr. cap. 3. X. de eccl.; S. C. C. 24 Apr. 1880, in Act. S. Sed., XIII, p. 514 sq.; *Lingen* et *Reuss*, l. c. p. 438 sq.; *Leuren.*, l. c. P. I, q. 157, n. 7; *Scherer*, l. c. § 92, p. 640, not. 46.

[36] Cfr. *Schmalzgr.*, c. t. 5, n. 206.

[37] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 13, de ref. iunct. Sess. XIV, cap. 9, de ref.; *Leuren.* l. c. P. I, q. 160; *Bouix*, l. c. p. 269 sq.; Act. S. Sed., V, p. 637; *Hinschius*, l. c. p. 407.

[38] S. C. de Prop. F., 8 Nov. 1882, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 212; Collect. Lac. t. II, col. 278 sq., t. III, col. 1230; *De Angelis*, l. c. l. III, t. 29, n. 2; *Scherer*, l. c. § 92, p. 636 sq.

[39*] Requiritur etiam indultum apostolicum ad erigendam paroeciam exclusive destinatam fidelibus determinati sermonis seu linguae, etiamsi haec determinata lingua sit una ex linguis officialibus eiusdem nationis et paroecia erigenda suam distinctam habeat partem territorialem in dioecesi. Comm. Cod., 20 Maii 1923; A. A. S.. 1924-XVI, 113. Agitur ut patet, de regionibus mixtae linguae, quae politice unicum Statum efformant et diversis linguis officialibus utuntur. Cfr. Per., XIII, 78. Restrictio supra indicata non videtur afficere erectionem paroeciarum pro diversitate rituum. Nam, ut ait *Maroto*, o. c., II, n. 771, de ritu silet canon, dum expresse ac districte enumerat sermonem, nationem, familiam, qualitatem personalem. Cfr. quoque *Verm.-Cr.*, o. c. I, n. 330 et *Matth. C. a Coronata*, o. c. I, n. 307, not. 4.

personae pendet consensu, ita etiam sollemnitatibus iure positivo praescriptis in divisione officiorum maiorum vel dioecesium non adstringitur. Hinc pro suprema sua potestate sequitur sollemnitates receptas aut pro prudenti suo arbitrio immutatas[40]. Quodsi in concordatis promisit se in circumscriptione novarum dioecesium nonnisi collatis consiliis cum gubernio civili processurum, *fides publica* a Sede Apostolica interposita profecto exigit ut Romanus Pontifex, antequam sua potestate pro supremo gradu utatur[41], revera consilia cum gubernio conferat.

Episcopus vero ceterique Ordinarii imprimis per processum quendam canonicum, simplici ratione non secundum subtilitates iuris exactum, inquirere debent de iustis causis atque legitimis conditionibus ad divisionem requisitis[42]; nam divisio sine causa canonica facta irrita est. Porro consilium Capituli est exquirendum; citandi atque audiendi sunt ii, quorum interest, velut rector paroeciae dividendae, paroeciani, patroni[43]. Minime vero huiusmodi citationi et auditioni vis sollemnitatis *substantialis* est tribuenda, ut illis omissis, etiam veris existentibus causis, actus divisionis dicendus sit ipso iure nullus et irritus[44]. Multo minus illorum dissensus, si agitur de paroeciis dividendis, valorem divisionis impedire potest, sed ipsis invitis parochis et paroecianis et patronis, ad divisionem paroeciae, alias legitimam, procedi potest (can. 1427).

Universa inquisitione peracta omnibusque sollemnitatibus completis, *instrumentum* divisionis in forma legitima est conficiendum, quod ad *valorem* actus non requiritur, sed ad *probationem* divisionis factae inservit (can. 1428, § 1).

Contra decretum divisionis ab Episcopo peractae datur re-

[40] *Riganti*, l. c. Reg. Canc. Apost. 22, n. 77 sq.; *Leuren.*, l. c. P. III, q. 961.

[41] Cfr. clausulas finales Bullarum pontificiarum in divisione dioecesium; *Riganti*, l. c. n. 87.

[42] *Leuren.*, l. c. P. I, q. 157, n. 2, ubi allegatur decis. S. C. C. in caus. Tolet. 19 Nov. 1601; *Bouix*, l. c. p. 266.

[43] *Schmalzgr.*, l. III, t. 48, n. 18; *Fagnanus*, l. c. n. 29, 30, ubi pro citatione parochi etiam allegat declar. S. C. C.; *Bouix*, l. c. p. 267 sq.

[44] Ita iam antea verius Act. S. Sed., III, p. 396 (cfr. quoque vol. X, p. 271 sq.) et *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 528 contra antiquos et recentiores scriptores, v. g. *Fagnan.*, l. c. n. 29; Arch. f. k. K. t. II, p. 20 sq. secundum *Anal. iur. pontif.*, a. 1853.

cursus cum effectu tantum *devolutivo*, saltem si paroeciae divisio sit impugnanda (ib. § 3); qui recursus nunc apud S. Sedem directe videtur interponendus [45]. In aliorum officiorum divisione, si *Episcopus* processerit sive ex potestate sua ordinaria, sive ex potestate sua delegata in causis *etiam* ordinariae suae iurisdictioni subiectis, iste recursus tum apud Metropolitam tum etiam directe apud S. C. C. proponi potest; quodsi processerit tanquam Delegatus Sedis Apostolicae et in causis divisionis, alias sub potestate *sua ordinaria non* comprehensis, recursus ad solam Sedem Apostolicam, v. g. ad S. C. C., est permissus.

168. *Effectus* divisionis officii ecclesiastici, postquam decretum competentis Superioris ecclesiastici fuit rite promulgatum et executioni mandatum, alii ex ipsa natura rei aut ex iuris dispositione ipso facto sequuntur — v. gr. ex can. 1427, § 5, divisa paroecia religiosa, vicaria perpetua aut paroecia noviter erecta non est religiosa; pariter divisa paroecia iuris patronatus, nova paroecia est liberae collationis [46] — alii haud raro specialibus dispositionibus [47] in instrumento divisionis definiendi sunt. Id valet tum de iuribus spiritualibus tum de iuribus temporalibus novi beneficii ecclesiastici. In particulari Ordinariis incumbit obligatio in dividendis paroeciis ad normam can. 1500 dispertiendi ex bono et aequo inter paroecias ex divisione resultantes tum bona communia, quae in commodum totius territori erant destinata, tum aes alienum quod pro toto territorio contractum fuerat.

[45] Cfr. de iure praeced. cap. 3, X. de eccles. aedif. III, 48, iunct. cap. 53, X. de appell. II, 28; Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 4, de ref.. Sess. XXII, cap. 7, de ref. cum declar. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 166; Benedict. XIV, *Ad militantis*, 30 Mart. 1742, §§ 11, 38; Leon. XIII Const. *Romanos Pontifices;* Bouix, l. c. p. 280 sq.; Act. S. Sed., X, p. 260 sq.; S. C. C. in causis alleg. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 166, n. 2; *Bouix*, l. c. p. 281 sq.; *Fagnanus*, in cit. cap. 3, X. de eccles. aed. III, 48, n. 45 sq., ubi allegat decisionem S. C. C. Cfr. quoque Act. S. Sed., X, p. 262 sq.

[46] Iura singularia antiqui officii per se in novum, divisione separatum, non transeunt, sed penes antiquum remanent.

[47] Cfr. v. g. Conc. prov. Alba-Iul. (a. 1872) p. 34; *Fagnan.*, in cit. cap. 3, X, de eccles. aed. n. 32, et in cap. 29, X. de decim. 30, n. 31 sq., 47; *Leuren.*, l. c. P. I, q. 157, 353; *Hinschius*, l. c. p. 400 sq., 407 sq. *Fagnan.*, in cit. cap. 3, X. de eccles. n. 8, 10; *Ferraris*, l. c. v. dismembratio n. 21 sq.; *Scherer*, l. c. § 92, p. 634 sq., 640.

169. *Dismembratio* [48] beneficii ecclesiastici sensu stricto habetur: 1°)Si, manente unitate beneficii, pars *substantiae* bonorum beneficialium ab eo in perpetuum separatur et sine ulla novi beneficii erectione, alteri beneficio iam existenti, vel causae piae vel fabricae ecclesiae indigenti applicatur. Haec dismembratio, quae continet *alienationem bonorum ecclesiasticorum* ex causa necessitatis vel evidentis utilitatis Ecclesiae factam, nunc certo modo est reservata Sedi Apostolicae (can. 1422).

2°) Alia species dismembrationis est *separatio partis territorii* et *populi* ab uno officio ecclesiastico, quae sine novi officii ecclesiastici erectione cum alio officio ecclesiastico iam existente coniungitur. Haec separatio in paroeciis ab Ordinariis fieri potest ob easdem causas et servatis iisdem conditionibus et sollemnitatibus, quae servari debent in vera paroeciae divisione.

3°) Ad dismembrationem aliqua ratione reduci potest, si *iura spiritualia* ab officio ecclesiastico *seiunguntur* atque forte *alteri* officio *coniunguntur*. Qua in re suprema potestate utitur Romanus Pontifex, qui per concessionem privilegii *exemptionis* vel per *reservationes* iurisdictionem *ordinariam* officii inferiorum Praelatorum *limitare* sive restringere potest, quemadmodum eam non raro *auxit*. Episcopi autem cavere debent, ne immutent iura officiorum ecclesiasticorum iure communi constituta [49], salvo iure Episcopi familias vel domos religiosas subducendi a iurisdictione parochi ad normam can. 464, § 2). Denique praescriptioni sive *consuetudini* in immutandis iuribus, etiam spiritualibus, officiorum sua vis non est neganda [50], licet a praescriptione excipiantur provinciarum, dioecesium et paroeciarum *certi* fines (can. 1509, n. 4).

[48] Cfr. cap. 10, X. h. t.; *Schmalzgr.*, h. t. 5, n. 201 sq.; *Leuren.*, l. c. P. III, q. 946 sq.; *Garcia*, l. c. P. XII, cap. 3, n. 3; *Molitor*, in Arch. f. k. K., t. VII, p 400 sq., *Hinschius*, l. c. p. 410 sq. Cfr. S. C. C. 14 ian. 1922 in A. A. S., XIV, 229, de distinctione inter solam dismembrationem bonorum et dismembrationem etiam territorii; *Ferreres*, Institut. II, n. 419.

[49] *Bouix*, l. c. p. 231 sq.

[50] Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VII, cap. 7 sq.; cap. 15, 18, X. de praescript. II, 26; *Leuren.*, l. c. P. I. q. 33; Act. S. Sed., XI, p. 75, IX, p. 116, 281; *Scherer*, l. c. § 92, not. 38.

Art. 4 — De unione officiorum ecclesiasticorum

170. Unio officiorum seu beneficiorum, quorum erectio vel divisio *Romano Pontifici* est reservata, pariter ab ipso solo perfici potest. Eidem R. Pontifici est reservata unio extinctiva beneficiorum itemque unio aeque aut minus principalis beneficii religiosi cum saeculari et e contra (can. 1422). Insuper prohibentur Ordinarii unire paroeciam cum mensa capitulari vel episcopali, cum monasteriis aut ecclesiis religiosorum aut cum dignitatibus et beneficiis ecclesiae cathedralis vel collegiatae[51]. Possunt vero unire officium seu beneficium paroeciale cum ipsa ecclesia cathedrali aut collegiata, quae in territorio paroeciae sita sit, ita ut reditus paroeciae cedant in commodum ipsius ecclesiae, parocho seu vicario, ad normam can. 471, § 1, in tali casu ad actualem animarum curam constituendo, relicta congrua portione (can. 1423, § 2).

Eodem modo est prohibitum Ordinariis unire quaevis beneficia, sive curata sive non curata, cum detrimento eorum qui eadem actu obtinent, ipsis invitis; beneficium iuris patronatus cum beneficio liberae collationis sine patronorum consensu, cum eo in casu extinguatur ius patronatus; beneficia unius dioecesis cum beneficiis alterius dioecesis, tametsi ambae dioeceses aeque principaliter unitae ab uno Episcopo regantur; beneficia exempta vel Sedi Apostolicae reservata cum aliis quibuslibet (can. 1424).

171. Ergo Ordinarii locorum, excluso Vicario Capitulari et Vicario Generali nisi habeat speciale mandatum, possunt: *a*) aeque aut minus principaliter unire quaslibet paroeciales ecclesias inter se aut cum beneficio non curato, sed in hoc casu, si unio fiat minus principaliter, beneficium non curatum debet esse accessorium quod subiciatur beneficio paroeciali tanquam principali (can. 1423, § 1).

Causa iusta ad hanc unionem est necessitas aut magna et evidens utilitas, velut nimia beneficii paupertas, status desolatus ecclesiae quae reparari nequit, defectus populi sufficientis, com-

[51] Cfr. Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 13, 15, de ref., Sess. XXIII, c. 18 de ref.; decis. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 367; *Leuren.*, l. c. q. 89.

positio litium. Porro unio, deficiente causa canonica facta, irrita est (can. 1428, § 2).

b) Alia beneficiorum unio, Ordinariis permissa, est unio beneficiorum simplicium cum praebendis canonicalibus in ecclesiis cathedralibus et collegialibus ad normam can. 394, § 3: ubi pro *causa iusta* exigitur, ut praebendae una cum distributionibus quotidianis adeo tenues sint, ut sustinendo canonicorum decori sint plane impares. Competentia tamen Ordinarii in hoc casu non solum limitatur necessitate *audiendi* Capitulum, sed etiam obligatione impetrandi licentiam S. Sedis[52].

c) Tandem Ordinariorum est attribuere seu unire Seminario aliqua beneficia simplicia, si pro constitutione Seminarii et alumnorum sustentatione proprii reditus non suppetant et ad illum finem non sufficiant pecuniae collectae per stipem, statis temporibus in ecclesiis corrogatam, et per tributum seu *taxam* in dioecesi imperatam ad normam can. 1355 sq.[53].

Ad alios casus unionis *extinctivae* beneficiorum, quae redundat in diminutionem cultus divini, competentia Ordinarii non extenditur (can. 1422).

172. *Sollemnitates*, in unione officiorum ecclesiasticorum servandae, sunt:

I. *Causae cognitio* unionem praecedat necesse est, tum ad verificandam causam, quae saltem ad unionem duarum paroeciarum requiritur ad valorem, tum etiam ad verificandas alias

[52] Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 15, de ref. iunct. cap. 33, X. l. III, t. 5 et Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 5, de ref. et S. C. C. 12 Iul. 1735, in Act. S. Sed., VII, p. 137.

[53] Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 18. de ref. iunct. Benedict. XIII Const. *Creditae Nobis* 9 Maii 1725, ubi normae speciales praescribuntur de unione beneficiorum simplicium cum Seminariis; sc. illa unio fiat *a*) post solutam taxam ab omnibus et singulis beneficiariis ad tramites cit. Const. Benedict. XIII; *b*) Seminario iam *erecto* et cum consensu commissionis quatuor deputatorum ad administrationem temporalem Seminarii; *c*) *aliquot*, non omnium vel plurium beneficiorum simplicium dioecesis; *d*) solummodo in *subsidium*, quamdiu alia media non suppetunt, quibus obtentis *rescindi* debet; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 15, de ref.; cap. 2, de reb. eccl. non alien. III, 4, in Clem. Cfr. quoque *Lingen et Reuss*, l. c. p. 439 sq.; *Leuren.*, l. c. P. III, q. 909 sq.; *Foesser*, l. c. p. 367 sq.

conditiones, cum unio postulanda est a Sede Apostolica, ne in petitione habeatur vitium subreptionis [54].

II. *Vocandi* sunt ii, quorum interest, i. e. de quorum praeiudicio agitur (can. 1428, § 1), nisi forte Romanus Pontifex unionem concedat in forma gratiosa [55]: imprimis vocandi *possessores* beneficiorum, si ipsis *vivis* unio debeat effectum sortiri, immo eo in casu requiritur beneficiarii *consensus;* nullus enim beneficiarius propter unionem peragendam invitus ad dimissionem cogi potest (can. 1424). Quodsi unio nonnisi *post mortem* beneficiarii, qui actu officium ecclesiasticum obtinet, effectum sortiatur, consensus quidem non requiritur; attamen beneficii possessor audiendus est. Item audiendus est *patronus,* si ipsius intersit unio facienda. *Paroecianos* vocandos esse, praesertim ut *consensum* suum praestent, nec iure Codicis nec ullo iuris praecedentis textu constat. At de facto paroeciani causam habere possunt, ob quam sese unioni opponant; quare veteres canonistae tenebant paroecianos audiendos esse, si quid *contra* unionem *allegent;* unde ad vitandas inutiles controversias post unionem factam et ante ipsius executionem, aequum omnino videtur ut paroecianis detur *notitia* de futura unione atque opportunitas contrarias suas rationes allegandi [56].

III. *Consilium* exquirendum est *Capituli cathedralis* (can. 1428, § 1); ubi vero id exigitur vi concordati, etiam expetendus est consensus *gubernii* civilis [57].

IV. Unio beneficiorum a locorum Ordinariis nonnisi in perpetuum fieri potest (can. 1423, § 3).

V. Universo negotio unionis peracto, authenticum conficitur *documentum,* ut secura habeatur unionis *probatio,* non forma *substantialis* ad valorem actus requisita: quibus formalitatibus completis proceditur ad *executionem* unionis, ad quam minime denuo sunt vocandi, qui iam in forma legitima suum consensum vel consilium praestiterunt.

[54] Cfr. *Leuren.,* l. c. q. 918.; *Foesser,* in Archiv. f. k. K. t. 21, p. 388 sq.

[55] *Riganti,* in Reg. 22 Canc. Apost. n. 36; *Leuren.,* l. c. q. 918 sq.

[56] Cfr. S. C. C. in caus. Montis Alti 5 Dec. 1744, in cit. ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 119; S. C. C. in caus. Fulginat. 11 nov. 1722, et *Riganti,* l. c. Reg. 22 Canc. Apost. n. 39, 40, 60, 61.

[57] *Bouix,* l. c. p. 294; *Nussi,* l. c. p. 19 sq. p. 96 (art. 12 concord. Bavar. a. 1817) p. 105 sq.

173. *Effectus* unionis officiorum ecclesiasticorum multiplices sunt pro triplici specie unionis supra commemorata, ad normam can. 1420.

I. *Unio aeque principalis,* quae praesertim inter ecclesias cathedrales locum habet, imprimis efficit ut *rector unius* ecclesiae sit etiam *rector* alterius, atque ut quaelibet ecclesia maneat ab altera *plane distincta* quoad sua iura, privilegia, bona temporalia, reditus, administrationem et debita.

Praeterea *collatio,* resignatio, vacatio *unius* officii ecclesiastici necessario inducit *collationem,* resignationem, vacationem alterius *officii uniti,* ita ut unum sine altero conferri vel resignari nequeat; secus unio illa perpetua dissolveretur. Cum autem ecclesiae aeque principaliter unitae retineant distincta Capitula distinctosque patronos, illorum communis requiritur concursus in eligendo vel praesentando novo rectore utriusque ecclesiae [58].

II. *Unionis subiectivae* seu *minus principalis* [59] *praecipuus effectus* in eo habetur, quod officium ecclesiasticum ita unitum proprium titulum et nomen amittat, et naturam, qualitates, privilegia officii principalis acquirat. Hinc v. g. ecclesia non exempta fit exempta, si subiective uniatur ecclesiae exemptae; ecclesia regularis fit saecularis atque viceversa saecularis transit in regularem. Nunquam per se et *vere vacat* beneficium accessorie unitum mortuo possessore officii principalis. Nam beneficium, quod iam non est *sui iuris,* sed alteri adnexum, vere vacare non potest; beneficium autem, quod per se nunquam vere vacat, independenter ab altero conferri nequit.

Inde quoque efficitur in collatione beneficiorum ita unitorum, quoad *qualitates* in persona promovenda, *unice* attendendas esse conditiones requisitas pro officio *principali.*

Ex praemissis quoque colligitur, quod *ius conferendi* vel *praesentandi* ad officium accessorie unitum in collatore vel patrono extinguatur. Etenim officium, quod non vacat, nequit conferri vel institutione obtineri; deficiente igitur obiecto, in quod

[58] *Schmalzgr.,* l. III, t. 5, n. 152 sq.; *Leuren.,* l. c. P. III, q. 883 sq.; *Foesser,* l. c. p. 393 sq.

[59] *Leuren.,* l. c. P. III. q. 883; *Schmalzgr.,* l. c. n. 153, 154.

potestas exerceri possit, ipsa potestas conferendi vel praesentandi et instituendi cessat.

Iura et *officia* spiritualia, v. g. applicatio Missae, transeunt in rectorem officii principalis, bona autem temporalia manent distincta, sed in unione accessoria beneficium accessorium servire debet principali et principale accessorio.

III. Unio *extinctiva*, seu per *confusionem* facta, efficit ut *iura* et privilegia, uniendis officiis propria, transeant in novum officium ex confusione ortum, nisi sibi sint contraria; quo in casu manent iura meliora ac favorabilia. *Obligationes* autem, v. g. debita, certe in novum officium transferuntur [60].

174. Scholion I. Ut rescissio *divisionis* beneficii ecclesiastici, etiam legitime factae, in iure est permissa, dummodo canonice fiat, ita *unio* quoque beneficiorum ecclesiasticorum, canonice facta, denuo suspendi vel per dissolutionem unionis revocari potest, sive ipso iure sive decreto speciali competentis Superioris ecclesiastici et servatis conditionibus in iure praescriptis [61].

175. Scholion II. *De incorporatione. a)* **Historia.** Vestigia *incorporationis* [62] officiorum ecclesiasticorum, quam supra diximus esse *speciem* quandam *unionis*, saltem saeculo nono iam occurrunt. Etenim monasteriis, liberalitate fidelium fundatis, haud raro etiam *cura animarum* pro fidelibus eo in loco existentibus fuit commissa. Praeterea monasteriis atque deinceps etiam Capitulis vel eorum dignitatibus saepius *ecclesiae* paroeciales iam *fundatae* earumque *bona*, per modum *restitutionis* ad augendam dotem, sunt concessa, praesertim postquam laici maiore cum rigore a dominio ecclesiarum per Alexandrum III fuerunt exclusi.

[60] Cfr. *Schmalzgr.*, l. c. n. 152; Act. S. Sed., I, p. 602, 606; V, p. 131.

[61] Cfr. *Schmalzgr.*, l. c. n. 199, 200; *Leuren.*, l. c. P. III, q. 934 sq.; *Foesser*, l. c. p. 410 sq.; S. C. C. in caus. Montis alti. 5 Dec. 1744, in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 119.

[62] Cfr. c. 68, C. XVI, q. 1, (caput incertum); cap. 2, X. de suppl. negl. I, 10; cap. 2, de reb. eccl. non alien. III, 4, in Clem.; *Thomassin.*, Vet. et nov. eccl. discipl. P. I, l. 2, cap. 25, l. 3, cap. 22, P. III, l. 1, cap. 10; *Phillips*, l. c., t. VII, §§ 384 sq.; *Leuren.*, t. c. P. I, q. 162 sq.; *Bouix*, De iure regular. t. II, p. 15 sq.; *Foesser*, l. c. p. 363 sq., 373 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 436 sq.; *Stutz*, Eigenkirche, p. 24.

Quae distinctio inter elementum spirituale et temporale incorporationis, in praxi non summo rigore retenta, certe iure Decretalium fuit recepta et aptis quoque verbis expressa. Distinguebatur enim incorporatio *pleno iure* sive utroque iure, i. e. in spiritualibus et temporalibus, et *non pleno iure*, i. e. tantum in temporalibus facta [63].

Quamvis incorporationes ex antiquo iure nonnisi cum consensu Episcopi essent permissae [64], paulatim nimis frequentes factae sunt. Cum inde non levia damna quoad provisionem paroeciarum per idoneos clericos orirentur, iam in Concilio Constantiensi, Sess. 43, cap. 2, reformatio decreta est, et tandem Concilium Tridentinum Sess. XXIV, cap. 13 de ref., non sublatis antiquis incorporationibus legitime factis et ab Ordinario revisioni subiectis [65], novas *uniones* ecclesiarum *paroecialium* cum *monasteriis* quibuscumque, aut abbatiis aut dignitatibus vel praebendis ecclesiae cathedralis vel collegiatae, aut cum aliis beneficiis simplicibus aut hospitalibus vel militiis penitus interdixit. Quare post Concilium Tridentinum sola Sedes Apostolica incorporationes ecclesiarum paroecialium decernere poterat. Quod ius fuit firmatum in Codice can. 1425.

b) **Ius vigens.** *Incorporationes plenissimo* iure *a solo* Romano Pontifice fieri posse iam exinde constat quod Praelaturam nullius cum territorio separato erigere valeat (can. 215, § 1) ipse solus. Praeterea ista incorporatio, sive Praelato regulari sive monasterio fiat, haud raro coniuncta est cum mutatione status officii saecularis, item cum translatione paroecialis officii in regulares: quae causae iurisdictioni Episcoporum sunt subductae (can. 1422).

Incorporationes *pleno iure* vel minus pleno iure ecclesiarum paroecialium pariter *Romano Pontifici* sunt reservatae ex canone 1425, respondente Concilio Tridentino, Sess. XXIV, cap. 13 de ref., a quo indiscriminatim illae uniones prohibitae fuerant [66].

Codex unice respexit incorporationem paroeciae, domui reli-

[63] Cap. 31, X. h. t. 5, iunct. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 13 de ref., Sess. XXIII, cap. 18, de ref.

[64] Cap. 11, X. de iure patr. III, 38; cap. 12, X. h. t. 5.

[65] Sess. VII, cap. 6, de ref.

[66] Cfr. Decis. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 366 sq., n. 2, 3; *Bouix*, De iure regular. t. II, p. 53 sq.

giosae factam, eiusque effectum definivit eadem ratione ac in iure praecedenti.

Effectus autem incorporationis, *minus pleno iure factae*, imprimis est translatio bonorum temporalium beneficii in domum religiosam, cui fuit incorporatum, tanquam in verum et proprie dictum *subiectum* dominii, salvis oneribus pro sustentatione vicarii vel similibus expensis persolvendis, quae ad instar *servitutis* bonis incorporatis inhaerent. Quare omnino expedit ut bona illa serventur *distincta* cum *propria administratione*, ne in casu solutae incorporationis, praeter confusionem et iuris incertitudinem, inducatur violatio iustitiae. At officium spirituale retinet independentem existentiam et statum proprium neque ex saeculari fit regulare. Unde facile patet *vicarium* beneficii incorporati, cuius nominatio spectat ad subiectum, cui facta est incorporatio, accedente approbatione et institutione Episcopi, assumendum esse ex clericis *saecularibus* et in *perpetuum*, non ad tempus, esse constituendum [67].

Incorporatio *pleno iure* facta efficit [68] ut non solum iura temporalia, sed etiam spiritualia officii in subiectum, cui incorporatum est, *plene transeant*. Inde fit ut officium *saeculare*, monasterio incorporatum, mutet suum statum et in regulare transformetur. Praeterea, quia persona moralis v. g. monasterium vel dignitas non moritur, ideo officium incorporatum *nunquam vacat*. Patronus, si quis fuit officii incorporati, *amittit* ius praesentandi. Inde quoque efficitur *principalem* curam officii esse penes subiectum, cui incorporatum est, merumque vicarium existere, qui administrationem *actualem* officii obtinet. Illum nominat Superior sacerdotem e sua religione; Ordinarii est eundem probare et instituere, eiusque iurisdictioni, correctioni et visitationi ipse subesse debet in iis quae ad curam animarum pertinent, ad normam can. 631.

Eadem principia essent applicanda in casu quo, non domui religiosae, sed alicui collegio vel Capitulo paroecia a R. Pontifice incorporaretur.

Cum incorporatio *plenissimo iure* reducatur ad erectionem

[67] Cfr. *Leuren.*, l. c. P. I, q. 167, P. III, q. 878, 889.; *Bouix*, de iure regular. t. II, p. 15 sq.

[68] *Leuren*, l. c. P. III, q. 878, 879, 883; *Bouix*, l. c. p. 26 sq.

Praelaturae *nullius*, R. Pontifici reservatam, et iure Codicis fere aequiparatam dioecesi, nihil hic in particulari est dicendum.

Caput IV

De suppressione officiorum ecclesiasticorum (can. 215-217; can. 1419-1428; 1430)

Fontes et Scriptores habes in n. 139.

Praenotiones

176. I. **Definitio.** *Suppressio* est totalis extinctio offici ecclesiastici. Per illam officium ecclesiasticum simpliciter desinit esse in rerum natura suamque amittit personalitatem iuridicam; consequenter ipsius *bona* et *ius* in reditus beneficiales carent *subiecto* et *fundamento* et aliis officiis ecclesiasticis vel causis piis sunt applicanda [1]. Quare vera et proprie dicta suppressio locum habere non potest in ecclesiis *non numeratis*, in quibus nequaquam pro more ecclesiarum numeratarum *certae* et *distinctae* existunt *praebendae*, sed tot nominantur canonici quot pro maiore minoreve quantitate redituum communium sustentari possunt.

II. **Divisio.** *Suppressio* dividitur in *temporalem* et *perpetuam*. Prior haud raro non est vera suppressio, quia non est extinctio *ipsius* officii, sed potius *suspensio collationis* officii, *sive nominationis saltem beneficiarii titularis*, v. g. ob defectum redituum ad congruam beneficiarii sustentationem vel clerici expetentis concessionem officii [2]. Altera tum solum perfecta sup-

[1] Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 15, de ref.; *Leuren.*, l. c. P. III, q. 963 sq.; 966, 972, n. 15; Act. S. S., IV, p. 373; *Garcia*, l. c. P. XII, cap. 1; *Schmalzgr.*, l. c. l. III, t. 12, n. 53, 54; *Phillips*, l. c. t. VII, p. 296 sq.; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 459 sq.

[2] Cfr. cap. 3, de elect. I, 3, in Extravg. com.; S. C. C. in caus. Lauret. 28 Iul. 1838, et in caus. Fulginat. 22 Maii 1842, in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 121, n. 12; *De Angelis*, l. c. l. III, t. 5, n. 28, i. f. Qua suspensione collationis perdurante, *reditus* accrescunt beneficio, ut inde obtineatur augmentum dotationis, salvis expensis, quae fieri debent ad explenda onera spiritualia, v. g. curae animarum, beneficio adnexa.

pressio dici potest, cum officium mox non denuo erigatur sive restauretur, sed ipsius iura et reditus alteri loco pio vel officio in perpetuum applicentur. Quodsi suppressio perpetua subdividitur in *exstinctivam* tituli et *non exstinctivam* tituli, facile patet posteriorem non esse suppressionem veram, priorem autem pariter a perfecta suppressione deficere. V. g. officium, si *accessorie* sive *subiective* alteri unitum amittit proprium nomen et titulum officii, sed cum officio principali non coalescens aliquam *existentiam propriam* retinet, nequaquam *simpliciter* exstinguitur.

Art. 1. — De potestate et requisitis ad supprimenda officia ecclesiastica

177. *Potestas supprimendi* officia ecclesiastica iisdem Superioribus ecclesiasticis competit, quibus innovatio vel erectio officiorum ecclesiasticorum est concessa vel reservata. Hinc officium R. Pontificis, ab ipso Christo Domino immediate institutum, suppressioni per potestatem humanam non est subiectum atque propter promissionem divinam usque ad consummationem saeculorum perdurabit. Officium quoque Episcoporum, quod Christus ad cooperationem cum S. Pontifice instituit in *universa Ecclesia,* vel ab ipso Romano Pontifice supprimi non potest.

Ceteroquin in genere solius Romani Pontificis est supprimere *officia maiora,* velut particulares dioeceses [3], Capitula, dignitates [4] in Capitulis. Episcoporum competentia unice spectari potest quoad *officia minora* et in casibus a iure permissis [5]; nam postquam officia et beneficia canonice erecta sunt, canonica eorumdem existentia agnoscitur muniturque iure communi. Casus in iure expressus est unicus in can. 394, § 3 de suppressione praebendarum ad augendas distributiones in ecclesiis cathedralibus et collegiatis. Ceteri enim casus non continent veram suppressionem, cum coniungantur cum unione vel translatione. At potestati civili in supprimendis officiis ecclesiasticis nulla competit auctoritas [6], nisi concordatis vel legitima consuetudine ab Ecclesia aliqua interventio potestatis civilis sit permissa.

[3] *Nussi,* l. c. p. 20, 22, 23; Pii VII Const. *Qui Christi* 29 nov. 1801, (de suppressione dioecesium in Gallia).

[4] Cfr. *Garcia,* l. c. P. XII, cap. 2, n. 91, 92, 93; *Leuren.,* l. c. P. III, q. 972, n. 7, 16. Neque distinctio et assertio *Schmalzgr.,* l. III, t. 12, n. 54, satis videntur esse fundatae.

[5] Cfr. de iure praecedenti Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 7, de ref.; cap. 12, X. de Const. 1, 2, et *Gonzalez Tellez,* l. c. in h. cap.; *Leuren.,* l. c. P. III, q. 972, in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 369 sq. Cfr. de reservationibus pontificiis, quatenus illae impediunt suppressionem beneficiorum: *Garcia,* l. c.; *Fagnan.,* in cap. 8, X. de excess. Praelat. V, 31, n. 22 sq.

178. Ut suppressio officiorum ecclesiasticorum legitime fiat, requiritur *causa necessitatis* vel *evidentis* ecclesiae utilitatis, v. g. deficientia redituum, locorum obscuritas, nimia angustia territorii dioecesani vel paroecialis [7].

Sane *Romanus Pontifex* in valido usu suae supremae potestatis certis causis non adstringitur atque licite etiam *ob alias causas rationabiles,* supra non commemoratas, ad suppressionem officiorum ecclesiasticorum procedere potest.

Episcopis ipsum ius determinat causam et modum suppressionis in casibus ipsis a iure permissis. Quare ad suppressionem praebendarum in ecclesiis cathedralibus et collegialibus non possunt procedere nisi verificetur circumstantia quod praebendae sint nimium tenues, non suppetant beneficia simplicia per quorum unionem augeri reditus possint et insuper serventur formalitates can. 394, § 3 praescriptae, ut sc. audiatur Capitulum, S. Sedis licentia obtineatur, praebendae supprimendae in distributiones ordinarias applicentur, nec tot supprimantur ut non remaneat sufficiens numerus ad decus cultus divini et dignitatem ecclesiae necessarius. Quodsi praebenda sit iuris patronatus laicorum, patroni consensus requiritur, qui a sola S. Sede suppleri potest. Quae circumstantiae quoad substantiam cohaerent cum iis quae a Concilio Tridentino fuerunt requisitae,

[6] Cfr. *De Angelis,* l. III, Decr. t. 5, n. 28. i. f. Sedes Apostolica post promulgatam legem gubernii italici 15 aug. 1867, (Della liquidazione dell'asse ecclesiastico) procedere solebat, in casu impossibilis redintegrationis, ad perfectam *suppressionem* beneficiorum, soluta tamen Episcopo summa necessaria ad explenda onera beneficii, *aut,* si spes redintegrationis affulgeret, tantum concedebat *suspensionem* pensionis beneficii, etiam reductis ad tempus oneribus beneficio adnexis. Cfr. *Friedberg-Ruffini,* l. c. p. 694 sq., *Nussi,* l. c. p. 106.

[7] *Nussi,* l. c. p. 22; *Leuren.,* l. c. P. III, q. 967.

mutata secundum Codicis oeconomiam necessitate consensus Capituli in obligationem requirendi ipsius consilium [8].

Art. 2. — De effectibus suppressionis officiorum ecclesiasticorum

179. *Effectus principalis* suppressionis officii ecclesiastici in hoc consistit, quod omnia *iura* spiritualia et temporalia ipsius *officii suppressi* cessent [9]. At bona temporalia illius, ne sint quasi res nullius, a Superiore ecclesiastico, qui suppressionem pro sua competentia legitime decrevit et executus est, etiam ex iuris dispositione novo subiecto et scopo ecclesiastico applicari possunt et debent. Multo magis curandum est ut officia spiritualia, v. g. cura animarum cum officio suppresso coniuncta, a competente Superiore ecclesiastico in alia officia ecclesiastica iam existentia aut denuo erecta transferantur. Item debita ex bonis residuis officii suppressi solvenda sunt.

Suppresso officio, omnia *iura collatorum*, electorum et patronorum quoad collationem, electionem, praesentationem vel institutionem illius officii *cessant* et penitus exstinguuntur; deest enim *obiectum* in quod illa iura exerceri possint.

Iura officii in suppressione ita perfecte exstinguuntur, ut nequaquam *ipso facto* reviviscant, si forte postea idem specie officium restauretur sive denuo erigatur; sed iura officii restaurati nituntur aut concessionibus iuris communis, cum erectione novi officii coniunctis, aut plane nova et speciali concessione [10].

[8] *Leuren.*, P. III. q. 968, 969, 970; *Barbosa*, Collectanea doctor. in Conc. Trid. in cit. cap. 15, Sess. XXIV, de ref. n. 8.

[9] *Nussi*, l. c. p. 20; *Bouix*, De Episcopo t. 1, p. 364 sq., p. 443 sq.; *Van de Burgt*. De eccl., p. 443 sq., 448 sq.

[10] *Bouix*, l. c. p. 443 sq.; *Bauduin*, De consuet. p. 207 sq., (de iuribus exstinctis dioecesium, in Gallia a Pio VII suppressarum).

Caput V

De pensionibus beneficio imponendis (can. 1429)

180. Per pensiones beneficii impositas aliqua ratione innovatur seu immutatur status beneficii, saltem quoad reditus a beneficiario percipiendos. Quare impositio pensionum sub generali titulo de innovatione apte subsumi potest.

a) **Notio, divisio, notae historicae.** Pensio ecclesiastica dicitur ius percipiendi singulis annis partem fructuum ex alieno beneficio, auctoritate competentis Superioris ecclesiastici iusta de causa constitutum. Differt a pensione laica, quae datur *laicis* ex bonis *ecclesiasticis* propter officium sive servitium potius *temporale* quam spirituale, v. g. organistae; e contra pensio ecclesiastica datur tantum *clericis*, atque iusta illa causa saltem *potest* esse ministerium quoddam spirituale praestandum, cui beneficium non est adnexum, v. g. munus praedicandi; at aliae causae non excluduntur, veluti ministeria spiritualia *iamdiu praestita* vel studia facienda. Ex data notione satis apparet quae dicuntur de pensionibus, beneficiis imponendis, ex natura rei non applicari officiis [1].

Dividitur autem pensio ecclesiastica in pensionem datam solummodo ad *tempus vitae beneficiarii* aut ad vitam *pensionarii* aut absolute in *perpetuum*.

Prima pensio est onus mere *personale*, quod personae beneficiarii, non ipsi officio est impositum, ideoque personam beneficiarii non egreditur, et tanquam onus temporaneum cum morte beneficiarii extinguitur.

Altera pensio est onus *reale* ipsi officio impositum; etenim transit etiam ad successorem beneficiarii, cum sola morte pensionarii cesset; quamvis igitur habeat *relativam* quandam perpetuitatem, tamen *simpliciter* oneribus *temporaneis* est adnumeranda.

Tertia pensio est onus pariter *reale* ipsi officio, sed *absolute*

[1] Cfr. *Leuren.*, l. c. P. III, q. 428 sq.; *Garcia*, l. c. P. I, cap. 5; *Ferraris*, l. c. v. Pensio; *Schmalzgr.*, l. III. t. 12, n. 2 sq.; *Thomassinus*, l. c. P. III, l. 2, cap. 29 sq.

et in *perpetuum* impositum, ita ut ad omnes successores transeat et mortuo pensionario primo in novum pensionarium sit transferendum.

Quodsi spectetur *origo historica* pensionum, prima illarum vestigia certe iam occurrunt in Act. X et XII Concilii Chalcedonensis (a. 451)[2]. Ibidem enim Episcopis quibusdam, reditibus propriis exspoliatis, ex bonis Ecclesiae sustentatio fuit concessa. Quae pensiones, cum nondum existerent vera beneficia, ex bonis communibus Ecclesiae fuerunt solvendae. Praeter causam illam sustentationis clerici depositi, etiam iura dubia in officium ecclesiasticum, expulsio ex propria sede vel resignatio legitime facta tanquam iustae causae concedendi pensionem iam in antiqua Ecclesia fuerunt admissae.

Cum paulatim *distincta beneficia* fuissent introducta, frequentius *pensiones beneficiis* sunt impositae. Non leves exinde abusus orti sunt; etenim sub praetextu pensionum leges ecclesiasticae contra simoniacas provisiones et pluralitatem beneficiorum nefando ausu violabantur. Quare saeculo duodecimo et decimo tertio novae leges in ingravescentes abusus latae sunt[3], quos vel ipsum Concilium Tridentinum (Sess. XXIV, cap. 13 de ref.) non penitus auferre potuit. At nostra aetate consuetudo illa imponendi pensiones, si paucas excipias regiones, generatim laudabiliter extincta est.

b) **Disciplina vigens.**

I. *Potestas* ex iusta causa concedendi pensiones ecclesiasticas sive temporaneas sive perpetuas profecto plena est penes *Roman. Pontificem. Ordinarii* ne pensiones beneficiis imponere possint, obstat generale iuris principium ne beneficia *cum diminutione conferantur* (can. 1440): quare omnis ipsorum potestas reducitur ad casus in iure expressos. In iure (cit. can. 1429) expresse prohibentur quibuslibet beneficiis imponere pensiones perpetuas aut temporaneas quae ad vitam pensionarii durent[4].

[2] *Hefele*, l. c. t. II, p. 490 sq., 496 sq.

[3] Cap. 21, X. de praeb. III, 5; cap. 3, 4, X. de cleric. aegrot. III, 6; cap. 7. X. de cens. III, 39; *Hefele*, l. c. t. V, p. 754, 1010.

[4] Cfr. de iure praec. cap. 21, X. de praeb. III, 5; Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 4, 6; cap. 3, 4, X. de cleric. aegr. III, 6; *Ferraris*, l. c. v. Pensio n. 14 sq. 20; *Fagnan.*, in cit. cap. 21, X. de praeb. n. 14 sq.; *Leuren.*, P. III, q. 444; *Reiffenstuel*, l. III, t. 12, n. 89.

Permittitur ut in beneficiorum collatione, non post beneficium iam collatum, ex iusta causa in ipso collationis actu exprimenda, pensionem imponant temporariam, quae duret ad vitam beneficiarii, dummodo huic congrua portio relinquatur[5].

Beneficiis vero paroecialibus[6*] ab Ordinariis nonnisi in commodum parochi vel vicarii eiusdem paroeciae a munere abeuntis (cfr. can. 2154-2161) imponi possunt pensiones, quarum quantitas non possit excedere tertiam partem reditus paroeciae, quibusvis deductis expensis et incertis reditibus[7].

II. *Subiectum* capax *recipiendae* pensionis ecclesiasticae non est clericus infamis infamia iuris (can. 2294, § 1); nec clericus depositus aut degradatus (can. 2303, § 1, 2305, § 1); nec excommunicatus, suspensus aut personaliter interdictus, quae tres poenae, si lata fuerit sententia condemnatoria aut declaratoria, efficiunt concessionem pensionis nullam et irritam; secus

[5] Iam antea, quoad pensiones ab Episcopis ad vitam onerati beneficiarii imponendas, mitior praxis interdum fuit tolerata. Cfr. S. C. Ep. et Reg. 15 Mart. 1889, in Act. S. Sed. XXI, p. 550 sq.; *Bargilliat*, l. c. n. 955; *Putzer*, l. c. n. 249, p. 427 sq. de facultate apostolica Episcopis Canadensibus concessa: *Assignandi pensiones parochis vel missionariis ex infirmitate resignantibus paroecias seu missiones, in quas per decem annos incubuerunt, solvendas annuatim a successore, non excedentes tertiam partem fructuum quolibet modo provenientium ex paroeciis vel missionibus* iunct. Collect. Lac. t. III, col. 621, ubi refertur indultum a S. C. de Prop. F., 6 Iul. 1852, iisdem Episcopis concessum onerandi ad propriam sustentationem parochos vel missionarios, vices parochorum habentes, pro decima parte redituum.

[6*] In prima paragrapho can. 1423 videntur non comprehendi beneficia paroecialia, de quibus agitur expresse in paragrapho altera eiusdem canonis. Cfr. respons. S. C. C. d. 11 Nov. 1922. Poterunt ergo Ordinarii locorum imponere beneficio paroeciali in favorem parochi vel vicarii eiusdem paroeciae a munere abeuntis pensionem, quae ad vitam pensionarii duret, modo ea non excedat tertiam partem reditus paroeciae, quibusvis deductis expensis et incertis reditibus. Immo, potest admitti renuntiatio paroeciae cum reservatione pensionis ad vitam renuntiantis, servatis condicionibus in p. 2 canonis 1429 contentis. Comm. Cod., 20 Maii 1923. Exinde patet casum renuntiationis paroeciae esse excipiendum etiam a dispositione can. 1486. Cfr. Per., XIII, 87.

[7] De iure praec. cfr. cap. 30, X. de praeb. III, 5; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 13, de ref.; Decret. Innocentii XII, 11 Nov. 1692, firmatum a Benedicto XIII, Const. *Quanta pastoralis* 24 Sept. 1724; *Ferraris*, v. Pensio n. 26 sq.; *Leuren.*, P. III, q. 466, 467.

reddunt illicitam, sed non invalidam (can. 2265, n. 2°, 2275, n. 3°, 2283). Alias conditiones in subiecto ius Codicis non requirit [8].

III. *Cessatio pensionis*: 1°) Quaelibet pensio beneficio imposita, sive a R. Pontifice sive ab alio quovis collatore, cessat morte pensionarii, nec pensionarius potest eam alienare nisi id expresse concessum fuerit; tribuit enim ius *personale* quod personam pensionarii non egreditur [9].

2°) Per promotionem ad dignitatem cardinalitiam cessant pensiones, quas promotus habebat, nisi aliter fuerit provisum (can. 235).

3°) Amissio seu extinctio pensionis potest etiam decerni *in poenam*, excepto casu quo clericus titulo pensionis fuerit ordinatus. *Ipso iure* pensione privantur clerici depositi et a fortiori degradati (can. 2303, 2305). *Privandi* sunt qui commiserint delicta in sequentibus canonibus descripta; (cfr. can. 2334, 2335, 2336, § 1, 2343, § 2, n. 3, 2345, 2360, § 2).

IV. *Obligationes* pensionarii in Codice non recensentur. Iure praecedenti clericus pensionarius debebat recitare cotidie saltem *officium parvum B. V. Mariae*, nisi iam ex alio titulo obligatus esset ad recitandum officium divinum, item debebat gestare *habitum clericalem* et *tonsuram*, si pensiones simul sumptae excederent sexaginta ducata aurea [10].

Caput VI

De communi provisione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum

181. Fontes: Cfr. fontes citatos in n. 139.

Scriptores: Cfr. classicos commentatores iur. Decret. in cit. tit. 8, 9, 12, l. III. et t. 14, l. I. — *Zech*, De iur. rer. eccl. sect. III, t. 9, de acquirend. vel am. benef., t. 12, ut eccl. benef. s. dim.; *Devoti*, Inst. can. l. I, t. 5, 6, 7; *Phillips*, l. c. t. VII, p. 481 sq.; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 539 sq.; *Saegmueller*, l. c. p. 240 sq.; *Aichner*, Comp. iur. eccl. § 80 sq.; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 474 sq., 649 sq., t. III, q. 1 sq.; *Garcia*, l. c. P. IV, VII, VIII, IX, X. *Leuren.*, l. c. P. I, q. 212 sq., P. II, q. 1 sq.; *Passerinus*, De elect. canon. cap. 1 sq., 24, 39; *D'Annibale*, Summula P. I, n. 67 sq.; *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 2, cap. 1 sq., l. 1, cap. 33 sq.; 15 sq.; *Giobbio*, Lezioni di diplom. eccles. vol. II, n. 64 sq.; *Blat*, Comm. Cod., II, nn. 87 et sqs.; *Chelodi*, De personis, nn. 133 et sqs.; *De Meester*, Compendium i. c., I, nn. 395 et sqs.; *Maroto*, Institutiones i. c., I, nn. 583 et sqs.; *Matth. C. a Coronata*, Institutiones i. c., I, nn. 207 et sqs.; *Ojetti*, Comm. in Cod. i. c., IV; *Vermeersch-Creusen*, Epitome i. c., I, nn. 265 et sqs.

---

[8] De iure praeced. cfr. Pii V Const. *Sacrosanctum* 9 Sept. 1568; Sixti V Const. *Cum Sacrosanctam* 9 Ian. 1589, § 2; *Leuren.*, l. c. q. 510.

[9] Cfr. S. C. Ep. et Reg. 28 Ian. 1871; Act. S. Sed. VII, p. 325, X, p. 246 sq.; Decis S. C. C. in c. Rom. 31 Iul. 1897 et Benedicti XIV Const. *In sublimi* 29 Aug. 1741; *Leuren.*, l. c. q. 607 sq.; *Ferraris*, l. c. n. 74 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 416; *Santi*, l. c. l. III, t. 12, n. 21 sq. Cfr. quoque de impositione et *reductione* pensionis, S. C. C. 26 Apr. 1902, in Analect. eccl. t. X, p. 166 sq.

[10] Pii V Constit. *Ex proximo* 20 Sept. 1571; Sixti V Const. *Pastoralis* 31 Ian. 1589; *Leuren.*, l. c. q. 534.

Praenotiones

182. I. **Connexio materiae.** Absoluta disputatione de statu sive constitutione officiorum ecclesiasticorum, ex naturali rerum ordine inquirendum iam est qua ratione *officia ecclesiastica*, in sese plene constituta, a magistratibus ecclesiasticis rite et valide per provisionem *canonicam acquirantur*.

II. **Definitio.** *Provisio* [1] officii vel beneficii dicitur concessio (assignatio, collatio, donatio, institutio) officii vel beneficii ecclesiastici vacantis, per competentem Superiorem ecclesiasticum personae canonice idoneae facta (can. 147).

Quae provisio triplicem complectitur actum:

a) Designationem personae officio ecclesiastico praeficiendae, quae fit vel libera [2] Superioris ecclesiastici nominatione, vel electione aut postulatione collegii ecclesiastici, vel praesentatione sive nominatione patroni vel personae alias ab Ecclesia privilegiatae, vel quandoque mera *supplicatione* vel *commendatione*, v. g. in Cardinalibus coronae [3].

---

[1] Praeterea ad significandam provisionem canonicam in genere etiam alia verba occurrunt in fontibus, v. g. concessio, donatio, assignatio, collatio, institutio canonica. Cfr. v. g. cap. 1, de reg. iur. in Sext. et rubric. l. III, t. 8.

[2] *Leuren.*, l. c. P. II, q. 8; *Giobbio*, l. c. n. 189 sq.; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 568.

[3] Cfr. *Schmalzgr.*, l. III, t. 7, n. 4; *Gross*, D. Recht a. d. Pfründe p. 274 sq. Cfr. quoque *Card. Hergenroether*, in Arch. f. k. K. t. 39, p. 193 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 10.

b) *Concessionem tituli* sive *ipsius officii* ecclesiastici cum suis iuribus et obligationibus in spiritualibus et *temporalibus*[4]. Quae *concessio tituli* si fit personae, libere a Superiore ecclesiastico praesertim ab Episcopo nominatae, *collatio* (*libera*) appellatur; si clerico a collegio ecclesiastico *electo*, dicitur *confirmatio*, quae confirmatio datur ab ipso iure quando non requiritur determinati Superioris confirmatio; si postulatione collegii ecclesiastici designatio personae facta est, *admissio* audit; si vero praesentatione vel nominatione patroni vel personae privilegiatae, *institutio* canonica sive collativa tituli[5] vocatur (can. 148).

c) *Introductionem* in possessionem officii ecclesiastici, quae etiam institutio *corporalis* vel installatio vel investitura vel inthronizatio appellatur[6].

Personae designatio, electione, praesentatione, collatione nondum acceptata, iure optandi pinguiorem praebendam, coadiutoria cum iure successionis, ad summum tribuit *ius ad rem*, quod alteri valide concedi nequit, immo in superiore instantia urgeri potest; sed confirmatio electionis, admissio postulationis, institutio praesentati, collatio acceptata, optio actualiter secuta *ius in re* et actionem in rem conferunt[7]; supplicatio autem vel commendatio nec personae expetitae vel commendatae concedunt ius ad rem nec Superiori ecclesiastico imponunt obligationem conferendi officium.

III. **Divisio.** *Provisio dividitur*:

a) In *ordinariam et extraordinariam*. Illa est concessio officii ecclesiastici, quae fit per unum ex consuetis quatuor modis, sc. collationis, electionis, postulationis, praesentationis, ab eo cui

[4] Cfr. concord. austr. (a. 1855) art. 27; *Schmalzgr.*, l. c. n. 6; *Gross*, l. c. p. 302 sq.

[5] Cfr. l. III, tit. 7, de institutionibus, ubi triplex institutio, sc. collativa sive canonica, autorizabilis et corporalis ab auctoribus distingui solebat. Cfr. *Schmalzgr.*, l. III, tit. 7, pr. et n. 1; *Leuren.*, l. c. q. 7.

[6] *Leuren.*, l. c. P. II, q. 8, 798 sq., ubi fuse agit de acquirenda vel amittenda possessione beneficiorum eiusque vi et effectibus; *Schmalzgr.*, l. c. et n. 48; *Phillips*, l. c. t. VII, p. 498 sq., 524 sq.

[7] *Bouix*, De Capit. p. 147; *Sentis*, De praebend. p. 39; Act. S. Sed., XV, p. 57 sq. (de casibus optionis); *Garcia*, l. c. P. IV; *Leuren.*, l. c. q. 1 sq., 828 sq.

vi iuris communis atque ex communiter contingentibus competit. V. g., ordinaria provisio officiorum maiorum, sive per liberam collationem sive saltem per confirmationem vel admissionem vel institutionem, spectat ad Romanum Pontificem, officiorum minorum ad Episcopum sive Ordinarium. Altera habetur, si ex titulo iuris specialis concessio officii spectat ad *tertiam personam*, vel ex iure devolutionis ad *altiorem* Superiorem ecclesiasticum transit, vel praeter regulam per modum exceptionis Romano Pontifici reservatur, v. g. certorum beneficiorum minorum concessio vel fiat extraordinario *modo*, v. g. per adoptionem sive nominationem praedecessoris vel per praescriptionem vel exspectativam vel sortem[8].

b) In provisionem *plenam et minus plenam*. Prior habetur, si omnes tres actus, quibus provisio canonica absolvitur, ad unam eandemque personam spectant; posterior in eo consistit, quod quis tantum ad unum vel alterum ex tribus illis actibus provisionis perficiendum, non ad omnes sit competens.

c) In *necessariam*, quae est concessio officii ecclesiastici facta propter ius quaesitum, vel ex electione vel praesentatione canonice facta, vel ex mandato Superioris ecclesiastici, vel ex causa permutationis beneficiorum, et in *liberam*, quae ita fit solo iure praelati ecclesiastici, quin in clerico promovendo vel ex electione, vel praesentatione, vel ex ullo alio capite *ius quoddam* ad officium iam supponatur.

183. Scholion. A provisione canonica, qua ipse titulus sive proprietas et possessio beneficii ecclesiastici *definitive* et *perpetuo* et absolute iam actu confertur, bene distinguenda est concessio *temporanea* sive *provisoria* merae *administrationis* alicuius officii ecclesiastici *vacantis*, vel ob aegritudinem beneficiarii vel propter aliam causam *impediti*.

[8] Cfr. Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 12, 13, de ref. Sess. XXIV, cap. 18, de ref.; cap. 3, X. de sortileg. V, 21; Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 5, de ref.

Art. 1. — De potestate concedendi officia ecclesiastica.

§ I. Principia fundamentalia

184. Ex can. 147 officium ecclesiasticum in titulum licite et valide sine *provisione* canonica obtineri non potest, i. e. sine concessione a competente auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum facta [9]. Nam ut ex theologia fundamentali et publico iure ecclesiastico constat, Ecclesia catholica est societas *perfecta;* sed societati perfectae planeque independenti omnino repugnat quod ipsa invita extranei, veluti infideles, magistratus civiles, *ut* magistratus civiles, in societate ecclesiastica conferant officia [10].

Porro Ecclesia catholica ex ipsa voluntate Christi Domini est societas *inaequalis* sive *hierarchica,* in qua regimen est penes Apostolos eorumque legitimos successores, non penes populi multitudinem. Concessio autem officiorum publicorum est pars quaedam principalis regiminis ecclesiastici. Nemo igitur ad huiusmodi concessionem competens est, qui neque sacrae hierarchiae adscriptus est neque ab illa legitime deputatus [11].

Denique, iuxta institutionem Christi, Ecclesia est societas vere perfecteque *monarchica* [12], quam suprema plenaque potestate

[9] Si officium ecclesiasticum non in titulum concedendum est, sed provisoria quadam ratione, licet illa ipsa provisoria concessio administrationis officii ab auctoritate ecclesiastica fieri debeat, nec relate ad qualitates recipientis, nec relate ad modum seu formam concessionis aliasque circumstantias, leges canonicae urgent ideoque talis provisoria concessio non est provisio canonica. Ceterum provisio obtinet in officiis stricte dictis, non in officiis sensu lato acceptis. *Maroto,* o. c., I, 584; *Bouix,* De Episc. I, p. 505, De paroch. p. 629 sq.

[10] Syllab. prop. 19, 20; *Tarquini,* l. c. p. 30 sq.; *Pesch,* Praelect. dogm. t. I, n. 479 sq.; *Cavagnis,* t. 1, p. 11 4 sq. *Wilmers,* De Christi Ecclesia p. 133 sq.; *Giobbio,* l. c. n. 65 sq.

[11] *Pesch,* l. c. n. 333 sq., ubi n. 356 sq. recentiora figmenta virorum acatholicorum in Anglia et Germania de constitutione primitiva Ecclesiae Christi, quae etiam manifestis contradictionibus laborant, evidenter diluuntur. Cfr. quoque *Cavagnis,* II, p. 123 sq.; *Wilmers,* l. c. p. 38 sq., 285 sq.

[12] Syllab. prop. 34; *Pesch,* l. c. n. 364 sq.; *Wilmers,* l. c. p. 260 sq., 347 sq.; *Bouix,* De Papa t. I, p. 213 sq.

regit Romanus Pontifex. At in vera perfectaque monarchia, suprema et plena dispositio de publicis officiis, praesertim primariis, est penes supremum principem. Qui licet forte non pauca officia inferioribus magistratibus distribuenda relinquat, certe se invito et contradicente neminem ad ullum munus publicum pervenire patietur. Hinc evidenter sequitur supremam plenamque dispositionem de officiis ecclesiasticis spectare ad Romanum Pontificem eoque invito concessionem officii ecclesiastici valore esse destitutam.

Quod ex natura Ecclesiae catholicae deductum est, id luculenter comprobatur positivis Ecclesiae [13] declarationibus. Cohaerenter cum can. 147, in cap. 1 de reg. iur. in Sext. legitur: *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.* Cap. 2 de praeb. III, 4 in Sext. hisce verbis incipit: « *Licet ecclesiarum, personatuum, dignitatum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere* ». Concilium autem Trident. Sess. XXIII, can. 7 definivit: « *Si quis dixerit... aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, anathema sit* ». Cfr. quoque can. 8 eiusdem Sess.; Syllab. prop. 50, 51.

185. Quo principio generali stabilito, facile patet Imperatores Byzantinos in instituendis et deponendis Episcopis limites suae potestatis esse transgressos [14], erroneam fuisse theoriam et praxim regum occidentalium de investituris tempore medii aevi propugnatam et exercitatam, quam potissimum Gregorius VII sollemniter condemnavit atque omni vi eliminare studuit [15]. Neque minus erroneae fuerunt conclusiones, quas Marsilius Patavinus deduxit ex spurio suo principio de suprema po-

[13] Cfr. de canon. Ecclesiae antiquae, C. 4. Conc. Nicaen. I, (a. 325), (*Hefele,* l. c. t. I, p. 383 sq.); c. 12, 13, Conc. Laod. (a. 343-387), (*Hefele,* l. c. p. 759); c. 3, Conc. Nicaen. II, (a. 787), (*Hefele,* l. c. t. III, p. 476), iunct. c. 31, (29) Apost. (*Hefele,* l. c. t. I, p. 809); c. 22, Conc. Constantinop. IV, (a. 869).

[14] Cfr. cit. can. Conc. Nicaen. II, et Constant. IV; *Card. Hergenroether-Kirsch,* Handb. d. allg. Kircheng. t. II, p. 14 sq., 234 sq.

[15] Cfr. can. 5, 10, Conc. Lateran. I, (a. 1123) et *Denzinger,* n. 363.

testate ecclesiastica penes populum sive Imperatorem residente, de institutione pastorum Ecclesiae atque ipsius Romani Pontificis [16].

Quae doctrinae perversae Marsilii veriores factae non sunt, eo quod haeresiarchae saeculi decimi sexti illas adoptarent. Isti enim pariter divinam institutionem hierarchiae ecclesiasticae negantes, etiam populo vel principibus saecularibus ius inesse opinati sunt nominandi magistratus ecclesiasticos, utpote iure tantum humano constitutos [17].

Iisdem falsis doctrinis inhaeserunt Edmundus Richerius, Marcus Antonius de Dominis, Van Espen eiusque discipulus Febronius [18]. Quare ius regalium, sive regaliae et collationis laicae, privilegio pontificio destitutum, sed a Ludovico XIV praetensum et a canonistis gallicanis et aulicis defensum, fuit iniustissima iurium usurpatio et violatio constitutionis et legum Ecclesiae [19]. Iosephinismi placita in Italia, Austria et Germania etiam circa provisionem canonicam officiorum ecclesiasticorum erroribus abundabant et iniustis ordinationibus ansam dederunt [20]. Ultimo saeculo praesertim in America meridionali propugnatus est error quod laica auctoritas haberet per se ius praesentandi Episcopos et posset ab illis exigere ut inirent dioecesium procurationem, antequam ipsi a S. Sede institutionem et Apostolicas Litteras acciperent. Cfr. Syllab. prop. 50 [21]. Cui errori affinis est praxis Capitulorum, tum a Gregorio XVI in Capitulo Coloniensi, tum a Pio IX in nonnullis Capitulis dioecesium Neapolitanarum reprobata, vi cuius illa Capitula eo audaciae devenerant, « *ut viventibus licet Episcopis, quin eos e suis sedibus turpiter eiectos aliquo modo solarentur eisque firmiter adhaererent, spreta illorum eorumque delegatorum auctoritate ad electionem Vicarii capitularis temerario ausu procederent* » [22].

[16] Ioann. XXII Const. *Licet* 1327, et *Denzinger*, l. c. n. 425; *Wilmers*, l. c. p. 239; *Tarquini*, l. c. p. 86 sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch*, l. c.

[17] Conc. Trid. Sess. XXIII, can. 3, 6, 7, 8; *Wilmers*, l. c. p. 38 sq.

[18] Pii VI Const. *Auctorem fidei* 28 Aug. 1794, prop. 2, 3, et *Denzinger*, n. 1502, 1503.

[19] Cfr. c. 12, Conc. Lugd. (a. 1274 = cap. 13 de elect. I, 6, in Sext.

[20] Pii VI Const. *Auctorem fidei* l. c.

[21] Pii IX Alloc. 15 Dec. 1856; *Giobbio*, l. c. n. 100 sq.

[22] S. C. Episc. et Reg. 3 Maii 1862, apud *Sentis*, l. c. p. 64 sq.; Pii IX Const. *Romanus Pontifex* 28 Aug. 1873.

Denique ultimo tempore electiones attentatae *parochorum* per plebem vel saltem legibus civilibus probatae in Italia, Helvetia et Borussia, ex mira confusione idearum originem ducunt [23]. At certe in inveniendis absonis theoriis palma tribuenda est iis qui electionem *Romani Pontificis* vindicarunt populo Romano.

Tandem nullo modo quis *privata* auctoritate sine ulla legitima provisione sese in officium ecclesiasticum per usurpationem *intrudere* potest.

Quibus assertionibus *positivis* et *negativis* principia in hac materia tenenda sufficienter videntur esse exposita.

§ II. Notae historiae

186. Quamvis disquisitiones historicae de potestate conferendi officia ecclesiastica ex professo forte melius proponantur, ubi de provisione singulorum officiorum ecclesiasticorum, v. g. de electione Romani Pontificis vel Episcoporum est disserendum, tamen hoc loco saltem generales quaedam animadversiones non videntur esse omittendae.

187. Quemadmodum Christus Dominus, fundator et legislator Ecclesiae, *immediate* Apostolos elegit atque officio et potestate muneris apostolici instruxit [24], ita etiam Apostoli praepositos primorum christianorum instituerunt suisque discipulis mandarunt, ut ipsi pariter antistites sive Episcopos constituerent [25]. Qua in institutione Apostoli, pro plena sua potestate a Christo accepta, nequaquam de iure a populi consensu dependebant, neque de facto semper huiusmodi consensum vel testimonium populi requirere solebant. Quodsi successores Apostolorum, secundum ordinationem apostolicam, in eligendis Episcopis etiam suffragiorum populi rationem habuerunt [26], quaestio est *facti* non adeo magni momenti, utrum in singulis casibus atque pro

[23] Pii IX Encycl. *Etsi multa* 21 Nov. 1873; decret. S. C. C. 23 Maii 1874; Arch. f. k. K. t. 39, p. 265 sq. (de intrusis); *Hinschius*, l. c. t. III, p. 192 sq. absurdas et iniquas leges hac de re latas recenset.

[24] Matth. XXVIII, 18; *Suarez*, De leg. l. IV, cap. 3, n. 1 sq., 4 sq.; De fide theolog. disp. 10, sect. 1.

[25] Act. Apost. XIV, 22; Tit. I, 5; *Wilmers*, l. c. p. 287 sq.

[26] S. Clem. Epist. ad Corinth. cap. 44; *Hefele*, l. c. t. I, p. 7, 382 sq.; *Thomassin.*, Vet. et nov. Eccl. discipl. P. II, l. 2, cap. 1 sq.

diversitate regionum suffragium populi vim *simplicis testimonii*, an veri *consensus* habuerit. Nam cum participatio illa populi ex concessione pastorum sit repetenda, non ex iure quodam proprio et nativo fidelium, parum refert si populus interdum etiam verum ius suffragii et consensus in eligendis Episcopis habuit[27].

Cum in Ecclesia orientali electio Episcoporum ad Episcopos eiusdem provinciae ecclesiasticae certe iam ex Concilio Nicaeno de iure spectaret, in Ecclesia occidentali potius clero dioecesis sive presbyterorum collegio fuit reservata[28]. Post gravissimas vicissitudines et controversias tandem ex saeculo duodecimo in Ecclesia occidentali ad Capitula ecclesiarum cathedralium exclusivum ius eligendi Episcopos est delatum[29]. Quae electiones Capitulorum cum ab initio per Metropolitas fuissent confirmandae[30], postea ex saeculo decimo quarto *sine confirmatione* Romani Pontificis effectum sortitae non sunt[31]. Immo ex saeculo decimo quarto paulatim Romani Pontifices sibi *collationem* omnium Episcopatuum reservare coeperunt, atque ita *ius commune* in Decretalibus[32] de electione Episcoporum constitutum vim habere desiit, eiusque in locum successit *novum* ius commune[33] de libera collatione omnium Episcopatuum per Romanum Pontificem, nisi alicubi ex approbatione Sedis Apostolicae alia provisionis forma vigeat.

188. Cum primis temporibus ordinationes absolutae non existerent, concessio officii ecclesiastici *inferioris* coincidere solebat cum *ordinatione*. Quae cum in potestate Episcopi esset,

[27] Electiones Romanorum Pontificum antiquissimo tempore ab electionibus aliorum Episcoporum essentialiter non discrepabant. Cfr. *Thomassin.*, l. c. cap. 16, 25, 36; *Cavagnis*, l. c., II, p. 198 et sqs.; *Phillips*, l. c. t. V, p. 320 sq.

[28] Cfr. c. 4, Conc. Nicaen. I, (a. 325); *Hefele*, l. c.

[29] Decr. Greg. IX, l. I, t. 6, de elect.; *Cavagnis*, l. c. p. 196 et sqs.

[30] Cap. 11, 20, 32. X. de elect. I, 6; cap. 10, X. de off. iud. ord. I, 31.

[31] Cap. 18, 28, X. de elect. I, 6; cap. 16, de elect. I, 6. in Sext.; *Nussi*, l. c. p. 30.

[32] Cap. 3, de elect. I, 3, in Extravg. com.; cap. 3, de praeb. III, 2, in Extravg. com.

[33] Reg. Canc. Apost. 2, iunct. *Riganti*, l. c. in h. Reg. 2; Epist. Secret. Status, 20 Iul. 1900, in Anal. eccl. t. IX, p. 321 sq.; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. p. 439, not. 3, ubi pariter sententiam supra in textu propugnatam recte defendit.

sane etiam provisio canonica officii a vero et proprio suffragio populi vel principum civilium consensu non pendebat[34].

Quae praxis in Ecclesia *orientali* certe iam ex saeculo 5° et 6° immutari coepta est, cum post finitas persecutiones non pauci fideles sua bona liberaliter Ecclesiae donarent et templa vel basilicas vel alia pia instituta aedificarent fundosque ad cleri sustentationem suppeditarent[35]. Prima vestigia eiusdem disciplinae reperiuntur saeculo quinto etiam in Ecclesia *occidentali*, ubi c. 10 Conc. Arausicani (a. 441) Episcopus, qui in aliena dioecesi ecclesiam aedificat, illa donatur gratia, ut secundum ipsius desiderium pro ecclesia aedificata clerici ab Episcopo loci ordinentur vel instituantur.

Inde paulatim ortum est *ius patronatus*, fundatoribus ecclesiarum in beneficia paroecialia aliaque officia ecclesiastica concessum, et potissimum ab Alexandro III (a. 1159-1181) sapienter ordinatum. Quae sanctiones Alexandri III in libr. III, t. 38, X. de iure patronatus fuerunt translatae, ubi quoad substantiam ius de hac re ante Codicem vigens continebatur. Nihilominus concessiones illae, prudenti moderatione ab Alexandro III quoad officia iuris patronatus factae, non eo fuerunt extendendae, quasi officia inferiora, praesertim curata, sine consensu et approbatione Episcopi potuissent obtineri[36].

Postquam Capitula[37] ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum cum vita communi inde ex saeculo octavo fuerunt constituta, admissio clericorum ad gremium Capituli praepositis ecclesiarum erat permissa. Quodsi ista praxi iam ex natura rei in collegiis canonicorum potestas Episcoporum in concedendis canonicatibus esset imminuta, id multo magis post dissolutam vitam communem Capitulorum locum habuit.

[34] Cui assertioni non obstat, quod populi testimonium et placitum de dignitate ordinandi et promovendi clerici expetitum fuerit. Cfr. c. 20, Conc. Hippon. (a. 393), = c. 2, D. 34; *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 1, cap. 33, n. 16; de consensu autem vel consilio Capituli petendo cfr. cap. 4, X. de his quae... III, 10; *Garcia*, l. c. P. V, cap. 4, n. 234 sq.

[35] Nov. 123, cap. 18; Nov. 131, cap. 10; Novell. 57, cap. 2: *Zhishman*, Das Stifterrecht in der orient. Kirche.

[36] Cfr. c. 4, Conc. Later. I, (a. 1123 = c. 11, C. XVI, q. 7; c. 3, X. de iust. III, 7, (Alex. III); cap. 12, i. f. X. de haeret. V, 7.

[37] *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 1, cap. 36, *Phillips*, l. c. t. VII, p. 474 sq.; *Schneider*, D. bisch. Domkap. p. 108 sq.

Inde factum est ut paulatim in ecclesiis cathedralibus dignitates per *electionem* canonicam Capituli, canonicatus vero per *simultaneam* collationem Episcopi et Capituli concederentur, in ecclesiis autem collegiatis per electionem Capituli, confirmatam ab Episcopo, fierent provisiones dignitatum et canonicatuum [38].

Quibus formis provisionis canonicae haud raro in Capitulis iam inde ex saeculo decimo tertio accessit *optio* [39].

Denique ex saeculo decimo quarto iura inferiorum collatorum vel electorum per *reservationes* Romanorum Pontificum in Regulis Cancellariae Apostolicae, praesertim quoad primam dignitatem in Capitulis et menses papales [40], haud leviter fuerunt limitata [41]. Quibus limitationibus non obstantibus, iam ab antiquissimo tempore usque ad nostram aetatem salvum mansit principium: Episcopos in collatione et provisione officiorum suarum dioecesium habere *intentionem in iure communi fundatam*, contra quam tertiae personae probare debeant sibi competere ius interveniendi in provisione canonica officiorum [42].

§ III. Disciplina vigens

189. Disciplina Codicis circa potestatem conferendi officia et beneficia, ad vitandas repetitiones, exponetur in cap. sequenti, ubi sermo erit de libera collatione, in qua praesertim consideranda est competentia diversorum Superiorum.

[38] Cfr. cap. 1, X. de elect. 1, 6; *Garcia*, l. c. P. V, cap. 4, n. 4 sq., 58 sq.

[39] Cfr. cap. 4, de consuet. I, 4 in Sext.; *Bouix*, l. c. p. 147 sq.; *Schneider*, l. c. p. 112 sq.; *Sentis*, D. praeb. theol., p. 39.

[40] Reg. Canc. Apost. 1, 3, 4, sq.; cap. 4, de elect. I, 3, in Extravg. com.; cap. 2, 3, de praeb. I, 4, in Sext.; cap. 1, 13, 14, de praeb. III, 2, in Extravg. com.

[41] Ius primarum precum, quod pariter coarctavit collationem liberam inferiorum officiorum et ab antiquis scriptoribus fuse explicatum est, in se fuit ius mere particulare et nostra aetate est omnino antiquatum. Cfr. *Schmalzgr.*, l. III, t. 5, n. 324 sq.; *Schmidt*, Thesaur. iuris eccl. t. V, p. 112 sq., 225 sq. t. VII, p. 299 sq. *Hinschius*, l. c. t. II, p. 639 sq., ubi iuridicam originem huiusmodi iuris, pro suis falsis notionibus de iure consuetudinario ecclesiastico et constitutione Ecclesiae catholicae, perperam explicat.

[42] Cfr. cap. 6, X. de except., II, 25; *Garcia*, l. c. n. 4, 235 sq.

Art. 2. — *De qualitatibus praeficiendorum officiis ecclesiasticis* [43].

190. Soli *clerici* ad officia ecclesiastica sunt assumendi; omnes igitur, qui digni ac idonei censentur ad sacros *ordines* suscipiendos, *generatim* etiam digni et idonei reputantur ad *officia ecclesiastica*, nisi post ordinationem nova causa superveniat, quae legitime ordinatum reddat inhabilem vel indignum ad officium ecclesiasticum, aut ratio et qualitas officii ecclesiastici maiorem dignitatem vel aptitudinem requirat. Quare qualitates requisitae in promovendis ad *statum clericalem, a fortiori* in promovendis ad officia ecclesiastica sunt necessariae. Universim autem loquendo is tanquam dignus et idoneus officio ecclesiastico praefici potest, qui *omnes* habet *qualitates*, tum *absolute* ad officia ecclesiastica in genere, tum *relative* ad officium illud, de cuius provisione agitur, iure communi et iure speciali requisitas. Quae qualitates ad sequentia praecipua capita reduci possunt (cfr. rubric. l. I, t. 14 Decret.) brevi quadam expositione, quae parti generali magis congruit.

§ I. De aetate requisita in promovendis ad officia ecclesiastica

191. Quamvis in provisione officii ecclesiastici ex natura rei illa *aetas* solummodo requiratur, quae ad convenienter *exequendum officium* datum necessaria est, tamen iure positivo pro diversitate officiorum ecclesiasticorum ordinarie certa determinataque aetas, sive *directe* et per se sive tantum *consecutive* propter *ordinem* requisitum, est praescripta etiam sub poena nullitatis.

[43] Cfr. Decret. Grat. Dist. 23 sq., 49 seq., 78; Cpl. I, II, IV, V, l. I, t. 8 de aet. et qual. et ord. praef.; cpl. III, l. I, t. 9; Decret. Greg. IX, l. I, tit. 14; Decret. Bonif. VIII, l. I, t. 10; Const. Clem. l. I, 6; Conc. Trid. Sess. VII, cap. 1, 3, de ref., Sess. XXII, cap. 2, 4, de ref., Sess. XXIII, cap. 6, de ref., Sess. XXV, cap. 21, 22, de regul., Sess. XXV. cap. 7, de ref.; Decret. Clem. VIII, ed. *Sentis*, p. 21 sq.; Decis. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. post cit. Sess.; Collect. S. C. de Prop. F. n. 216 sq., 293 sq.; *Nussi*, Conventiones p. 50 sq.; 119 sq.; Comment. in l. I, tit. 14; *Devoti*, Inst. canon. l. I, t. 6, 7; *Garcia*, l. c. P. VII; *Leuren.*, P. I, v. g. q. 212 sq.; *Ferraris*, l. c. v. Beneficium art. 5.

I. In eo qui eligendus est *Romanus Pontifex*, iure positivo *certa* aetas non est definita. Quare ad *validam* electionem sufficit ea aetas, quae ex *natura rei* requiritur; etenim cum electus hoc officium valide obtinere non possit, nisi electionem de se factam *acceptet*, is saltem ad annos sufficientis discretionis pervenerit necesse est. Procul dubio autem ad *licitam* electionem perfectior aetas est necessaria, et decet ut electus saltem in aetate Episcopi iam sit constitutus [44].

II. Cum *Cardinales* creandi omnes, sive Episcopi sive Presbyteri sive Diaconi, saltem in ordine presbyteratus constituti esse debeant, ratione ordinis habiti oportet ut iam expleverint aetatis annum vicesimum quartum (can. 232, § 1) [45].

III. *Episcopi*, sive Patriarchae sint sive Primates sive Metropolitae, annum *tricesimum completum* habeant oportet, cum ad dignitatem pontificalem eliguntur vel nominantur (can. 331, § 1, n. 2°), nisi iure speciali, v. g. pro Patriarchis maior requiratur aetas [46]. Episcopis aequiparantur Abbates seu Praelati *nullius* (can. 320, § 2).

IV. Iure Codicis omnes qui habent curam animarum vel ex officio participationem ipsius per exercitium iurisdictionis fori interni, aut ex officio stabili exercent iurisdictionem fori externi debent esse sacerdotes; sed aetas superior in nonnullis requiritur. Ita requiruntur 30 anni in Vicario Generali et Capitulari, in Officiali et Vice-officiali Curiae dioecesanae.

V. In canonicis, non exceptis dignitatibus, sive agatur de ecclesia cathedrali sive de collegiata, aetas non requiritur nisi ratione presbyteratus iam habiti (can. 404, § 1). De solo canonico Poenitentiario ponitur *expedire*, non rigorose exigi, annum trigesimum expletum (can. 399, § 1).

VI. Etiam in aliis officiis et beneficiis aetas solum ratione ordinis requiritur. Ita presbyteratus iam habitus requiritur in parochis (can. 453, § 1), in Vicario foraneo (can. 446, § 1), in Can-

[44] Cfr. *Camarda*, Const. Apost. dissert. 31; *Wilmers*, l. c. p. 256.

[45] Cfr. de iure praeced. Trid. Sess. XXIV, cap. 1, de ref., iunct. Sixti V Const. *Postquam* 3 Dec. 1586, § 6; *Ferraris*, l. c. v. Cardinalis n. 36.

[46] Cfr. Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888) p. 219: *Non licet ad Patriarchatum eligere, nisi clericum habentem saltem ordinem presbyteratus. Non sit minor quadraginta annis aetate.*

cellario Curiae dioecesanae (can. 372, § 1), in iudicibus synodalibus (can. 1574, § 1), in Promotore iustitiae et Defensore vinculi (can. 1589, § 1), in Auditoribus S. R. Rotae (can. 1598, § 2).

VII. In officiis et beneficiis de quibus ius Codicis non cavet, aetas, sive directe sive saltem indirecte ratione ordinis requirenda in subiecto cui sunt conferenda, determinari debet aut decreto erectionis aut fundationis lege.

VIII. Ad obtinenda *officia regularia*, quae solis regularibus sunt concedenda, *indirecte* tum ratione professionis religiosae omnino requisitae, ut quis fiat regularis, tum ratione *curae animarum* vel quasi-episcopalis iurisdictionis forte officio adnexae, vel *sacerdotii* requisiti, vel *directe* sive ex constitutionibus approbatis aut statutis particularibus *aetas* necessaria satis accurate est definita. Iure communi Codicis ad munus *Superioris maioris* requiruntur 10 anni a prima professione, origo ex legitimo matrimonio et anni 40 aetatis, si agatur de Supremo Moderatore aut de Antistita in monasterio monialium, 30 aetatis anni in aliis (can. 504).

192. *Dispensatio* super aetate, ex iure *communi* in promovendis ad *officia ecclesiastica* requisita, ex natura rei ab *Episcopo* concedi nequit, sed R. Pontifici est reservata.

193. Concessio officii ecclesiastici facta personae non habenti aetatem a iure requisitam est *invalida*, si ius aetatem determinatam ad valorem concessionis requirat, quo in casu concessio non tenet [47], etiamsi de brevi defectu aetatis agatur, aut bona fides ob ignorantiam intercedat; neque *tractu temporis* convalescit, si invalide promotus postea aetatem legitimam attingat, cum non firmetur tractu temporis quod de iure ab initio non subsistit. (Reg. 18 de Reg. iuris in Sext.). Quodsi ius aetatem ad valorem collationis expresse non requirat, ea valida est, sed per sententiam irritari potest; qua irritatione non facta, collatio, adveniente legitima aetate, penitus convalescit (can. 153, § 3),

[47] Ita in Vicario Capitulari aetas 30 annorum ad valorem requiritur designationis (can. 434, § 1).

§ II. De morum honestate et scientia litterarum

194. Promovendus ad officium ecclesiasticum generatim saltem illa morum probitate et *vitae honestate* insignitus sit oportet:

I. Ut non sit *criminosus*, i. e. talis criminis reus, quod depositione dignum est aut secum ferat poenam inhabilitatis ad officia et beneficia ecclesiastica [48].

II. Ut non laboret *infamia* sive iuris sive facti; infamibus enim non debent patere portae dignitatum (can. 2294). Hinc qui de aliquo crimine *accusatur* vel denuntiatur, pendente causa, ad officia ecclesiastica promoveri non potest, quippe cum accusatione cohaeret infamia facti.

III. Ut non sit *censura* excommunicationis, suspensionis aut personalis interdicti ligatus, vel irregularis. Nam excommunicati, suspensi et personaliter interdicti ad officia et beneficia ecclesiastica obtinenda inhabiles sunt, eorumque provisio est nulla et irrita, si agitur de vitando aut de censurato per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam [49].

195. In promovendis ad officia ecclesiastica ea requiritur generatim *scientia*, quae ad officium rite obeundum est necessaria atque indirecte ad susceptionem legitimam ordinis officio adnexi aliunde iam est praescripta. In specie:

I. *Episcopi*, cum insigni quadam ratione habeant officium docendi et regendi fideles, sacrae theologiae et iurisprudentiae pro munere suo periti sint necesse est. Ideo ex iure Tridentino requiritur, ut antea in publica et approbata Universitate studiorum magistri sive doctores aut licentiati in sacra theologia vel iure canonico rite sint promoti, aut publico alicuius academiae testimonio idonei ad alios docendos ostendantur; si autem regulares fuerint, a *supremo* suae religionis Superiore similem fidem habeant [50]. Hoc idem ius firmavit Codex can. 331, § 1, 5°

[48] Cfr. de delictis inhabilitatem inducentibus canones 2294, § 1, 2390, § 2, 2394, n. 1°, 2395. Item can. 2345, 2346, et quoad religiosos can. 2413.

[49] Cfr. can. 2265, § 1, n. 3°; 2275, n. 3°; 2283.

[50] Sess. XXII, cap. 2, de ref. iunct. Pii V Const. *Quamvis a sede* 1 Iun. 1568, et decis. S. C. C. in caus. Fanen. 5 Iun. et 26 Nov. 1723, in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 150, et Greg. XIV Const. *Onus apostolicae* 15 Maii 1591, § 9.

cum clausula ut, tametsi gradu careant, sint saltem illarum disciplinarum vere periti. Episcopis quoad qualitates requisitas aequiparat Abbates et Praelatos *nullius* can. 320, § 2.

II. In *Vicario Generali* et *Capitulari* eaedem conditiones quoad scientiam requiruntur, quae dictae sunt de Episcopo (can. 367, 434) [51].

III. Ad obtinendum canonicatum sive in cathedrali sive in collegiata ecclesia gradus academici rigorose non exiguntur, sed tantum praestantia in doctrina, cuius quidem apta probatio habetur in gradu academico legitime obtento. Nihilominus, ceteris paribus, sunt praeferendi doctores in sacra theologia vel iure canonico in publico athenaeo renuntiati, vel qui laudabiliter aut ministerium ecclesiasticum aut magisterium exercuerint. Item ratio habenda est de specimine doctrinae dato in examinibus post absoluta studia a clericis subeundis per triennium ad normam can. 130 [52].

Speciali ratione gradus exiguntur in canonico theologo et poenitentiario; nam licet sint eligendi qui pro loci qualitate aptiores reperiantur, de ipsis *in particulari* dicitur quod, ceteris paribus, pro praebenda theologali praeferatur doctor in sacra theologia, pro praebenda vero poenitentiaria doctor in sacra theologia vel iure canonico (can. 399, § 1) [53]. Potiore adhuc ratione exigitur gradus ad primam dignitatem in Capitulo cathedrali; nam doctor in sacra theologia vel iure canonico nominandus di-

[51] Si conferatur can. 331, § 1, n. 5 cum can. 367, § 1, apparet gradum doctoris maiore rigore requiri in Episcopo quam in Vicario Generali; in hoc autem *ampliorem* scientiam quam in Episcopo postulari, cum *praeter* scientiam theologicam ius exigat peritiam in iure, quae merito exigitur in eo, qui exercitium potestatis administrativae in dioecesi vice Episcopi habet.

[52] Cfr. can. 404, § 2 et de iure praecedenti cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 12, Sess. XXIII, cap. 18.

[53] De iure praecedenti cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 8, Sess. V, cap. 1, de ref. Pro Ital. et insul. adiac. Benedict. XIII Const. *Pastoralis*, 19 Maii a. 1725, voluit praebendam theologalem semper conferendam esse doctori in sacr. *theologia* vel ei, qui infra annum doctoralem lauream in eadem facultate suscipiat; alioquin collatio nulla est. Quae lex particularis, speciatim praeservata relate ad necessitatem concursus per canonem 399, § 2, attentis can. 6 et 22, cum sit *praeter* ius comune Codicis, etiam quoad ceteras conditiones requisitas suam vim retinere dicenda est. Cfr. Commis. Cod. 16 Oct. 1919 in A. A. S. XI, 476.

citur *quantum fieri potest et ceteris paribus*, quod idem, licet minore rigore, extenditur ad ceteras dignitates ecclesiae cathedralis (can. 396, § 3).

IV. Officialis et Vice-officialis Curiae dioecesanae debent esse doctores in iure canonico vel illius iuris periti; iudices synodales in iure canonico periti, non necessario graduati. S. Rom. Rotae Auditores habeant oportet lauream doctoralem saltem in utroque iure (can. 1598, § 2).

V. De scientia in parochis requisita et de modo eam probandi, cfr. interim can. 459.

VI. De aliis officiis et beneficiis, de quibus ius commune nihil disponit, attendenda est lex fundationis vel decretum erectionis.

§ III. De ordine requisito in promovendis ad officia ecclesiastica

196. Cum universim loquendo *laici* a consecutione qualiscumque officii ecclesiastici proprie dicti excludantur, generatim nemo licite et valide officium ecclesiasticum etiam simplex obtinere potest, qui, saltem prima tonsura recepta, non iam *actu* factus est *clericus* (can. 118).

I. Ab ista regula generali excipitur *officium Romani Pontificis*, cuius electio, etiam de laico vel uxorato facta, per exceptionem nullitatis impugnari nequit [54].

II. *Cardinales S. R. E.*, cum ad dignitatem cardinalitiam assumuntur, iam debent esse constituti saltem in ordine presbyteratus (can. 232, § 1) [55].

III. Item presbyteratus iam habitus, et quidem a quinquennio, requiritur in Episcopis (can. 331, § 1, n. 3°), quibus Episcopis aequiparantur Praelati seu Abbates *nullius* (can. 320, § 2). Qua in re gravissimam immutationem iuris Decretalium et Concilii Tridentini praecesserat praxis, iam diu recepta, iuri novo quam praecedenti conformior [56].

IV. Canonici tam cathedralis quam collegiatae ecclesiae pariter debent esse presbyteri (can. 404, § 2), tametsi ad normam can. 408, § 1) sint distributi in tres ordines, prout desideravit Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 12 de ref.

[54] Cfr. cap. 6, X. de elect. I, 6; *Wilmers*, l. c. p. 256.
[55] De iure praecedenti cfr. Sixt. V Const. *Postquam* § 15 iunct. § 6, et Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 2.
[56] Cfr. cap. 9, X. de aet. I, 14, iunct. Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 2, de ref. Sess. XX, cap. 2, et Decret. S. C. Consist. 25 Iul. 1916, n. 1.

V. Promovendus ad *officium paroeciale* vel curatum presbyteratus ordinem actu iam habere debet, nec sufficit habilitas ut infra annum recipiat, prout constitutum erat iure praecedenti [57].

VI. Plura alia officia et beneficia iure Codicis requirunt sacerdotium; ubi vero ius nihil disponit standum est legi fundationis aut decreto erectionis.

197. Communis canonistarum doctrina tenebat, generatim loquendo, ubi ius pro determinato officio seu beneficio determinatum ordinem in clerico promovendo exigeret, non esse necessarium ad validam atque adeo ad licitam collationem, ut ordo officio seu beneficio adnexus iam *actu*, ipso promotionis tempore, fuisset receptus, sed sufficere, si clericus promovendus *de iure habilis* esset ut *infra annum* ordinem requisitum reciperet; quia illa adnexio ordinis cum determinato officio seu beneficio directe potius recipiendi ordinem obligationem importabat, qua afficiebatur qui sine tali ordine beneficium recepisset; ideo promotus ad officium seu beneficium in his condicionibus dicebatur arctatus de beneficio recepto. Cui obligationi, si infra tempus legitimum non satisfecisset, iure ex collatione quaesito excidebat (*Leuren.*, For. benefic. P. I, q. 311; *Lotter*, De benefic. l. 2, q. 47, n. 13). Quae doctrina fundamentum habebat in cap. 14, 45 de elect. I, 6 in Sext. et cap. 2 de aet. I, 6 in Clem., necnon in Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 4 de ref.; quamvis in memoratis textibus non continebatur principium ea generalitate qua passim proponebatur. Excipiebant tamen casum, ubi ius vel statutum aut lex fundationis aut expresse aut aequivalenti modo requirerent ordinem actu habitum tempore promotionis. Ius Codicis ubicumque memorat ordinem iam *actu habitum* tempore promotionis; et generali modo ordinem iam actu habitum exigit can. 153, § 1, cui consonat can. 1463.

[57] Cap. 14, 35, de elect. I, 6, in Sext.; cap. 2, de aet. I, 6, in Clem.; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 12, de ref.; *Leuren.*, l. c. P. I, q. 319, n. 2, q. 320.

198. Dispensatio. Super iure communi [58], quod in promovendis exigit aut certum ordinem iam revera obtentum, aut saltem intentionem et habilitatem intra annum ordinem requisitum actu suscipiendi, ex natura rei solus *Romanus Pontifex* per se et regulariter *dispensare* potest. At super statuto dioecesano vel consuetudine particulari, quibus rigor iuris communis in exigendo ordine sacro *auctus* est, Episcopus saltem cum consilio vel consensu Capituli dispensare non prohibetur [59].

199. Cum nemo ad *officium* ecclesiasticum promoveri possit, qui saltem per primam tonsuram statui *clericali* non sit adscriptus vel haud raro etiam ordinibus minoribus vel maioribus initiatus, manifeste sequitur omnes *irregulares,* etiam ex defectu, vel aliis prohibitionibus canonicis a statu clericali exclusos, indirecte ab officiis quoque ecclesiasticis saltem licite obtinendis arceri [60]. Quodsi nihilominus irregulari officium ecclesiasticum concedatur, *generaliter nullitas* concessionis sane ex natura rei non constat; at licet ea ex argumentis quibusdam haud improbabiliter impugnata fuerit [61], *probabilioribus* tamen argumentis positivis etiam a multis et gravibus auctoribus merito fuit propugnata [62]. Cui sententiae, valorem concessionis neganti, videtur manifeste favere can. 991, § 3, ubi dispensatus ab irregularitate, tametsi dispensatio sit generalis ad ordines etiam maiores, declaratur posse obtinere beneficia non consistorialia etiam curata, qui effectus dispensationis manifeste supponit sine dispensatione ab irregularitate ea beneficia etiam minora ab irregulari obtineri non posse. Idem autem confirmat quod additur de inhabilitate dispensati ab irregularitate ad Cardinalatum, Episcopatum, Abbatiam seu Praelaturam *nullius* et ad officium Superioris maioris in religione clericali exempta.

[58] Quodsi iure speciali ex privilegio, concordato, statuto, consuetudine et praesertim ex fundatione ordo quidam *superior,* v. g. in beneficiis simplicibus exigatur, diligenter inquirendum est, utrum ordo iam *actu* requiratur tempore praesentationis vel collationis, an *habilitas* sufficiat intra tempus legitimum suscipiendi ordinem requisitum ad *exercitium* officii concessi. Cfr. *Leuren.*, l. c. P. I, q. 311, 312; *Fagnan.*, l. c. in cap. 7, X. I, 6, n. 43, et in cap. 1, X. n. 43 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 19.

[59] Cfr. *Schmalzgr.*, l. I, t. 14, n. 20.

[60] *Schmalzgr.*, h. t. 14, n. 31, iunct. can. 991, § 3, novi iuris.

[61] *Gasparri,* De sacra ordinat. n. 173.

[62] *Schmalzgr.*, l. c.; *Garcia,* l. c. P. VII, cap. 11, n. 1 sq.; *Gasparri,* l. c. n. 173.

§ IV. De civitate et incardinatione aliisque qualitatibus relativis clericorum praeficiendorum

200. Ex natura rei atque iure divino et canonico minime requiritur, ut clericus, alias idoneus, in illa regione sit natus et civitate praeditus, in quo officio ecclesiastico est praeficiendus [63]. Multo minus legibus *civilibus* huiusmodi condicio in promovendis ad officia ecclesiastica exigi potest [64]. Nihilominus dubitari nequit quin summopere expediat et moraliter necessaria sit cleri *indigeni* institutio, ut ex indigenis clericis sacerdotes et ministri et missionarii ad firmitatem et incrementum religionis christianae assumantur [65]. Cui institutioni iam multum favebat lex ecclesiastica in Regula 20 Cancellariae Apostolicae de idiomate condita [66]. Immo Romani Pontifices haud difficulter iam inde ex saeculo decimo quinto *privilegia* concesserunt et concordatis quoque confirmarunt, quod nonnisi indigeni et cives regni ad officia ecclesiastica ibidem promoverentur [67], aut saltem nemo dignitati ecclesiasticae praeficeretur, qui populo non esset acceptus [68], aut forte etiam gubernio minus gratus existeret [69].

[63] Cfr. cap. 5, X. de inst. III, 7; *Garcia,* l. c. cap. 9, De naturalitate n. 4; *Riganti,* Reg. Canc. Apost. 20, n. 64 sq.; Analecta ecclesiastica t. II, p. 122 sq., De la liberté de l'Eglise et l'indigénat du Clergé.

[64] *Riganti,* Reg. Canc. Apost. 17, n. 123, 124; *Thomassin.,* l. c. P. I, l. 1, cap. 103, n. 7 sq.; *Sentis,* D. Monarchia Sicula p. 103; *Hinschius,* l. c. t. II, p. 503 sq.

[65] S. C. de Prop. F. 23 Nov. 1845, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 228.

[66] *Riganti,* l. c. Reg. 20 Canc. Apost.; *Symerski,* in Arch. f. k. K. t. 33, p. 241 sq. de necessitate ut gregis sui linguam calleat pastor.

[67] *Riganti,* l. c. Reg. 17 Canc. Apost. n. 125 sq. et n. 137 sq., ubi etiam fuse agit de privilegio a Leone X Romanis concesso, quod beneficia ecclesiastica in Urbe et in illius districtu existentia, exceptis titulis cardinalitiis, archipresbyteratibus trium maiorum Basilicarum Urbis etc., nonnisi *Romanis civibus* conferri possint, ita ut provisiones aliter etiam Motu proprio factae sint *invalidae,* nisi *expresse* huic privilegio Romanorum *derogetur; Garcia,* l. c. cap. 9, n. 1 sq.: *Nussi,* l. c. p. 39 sq., 125, 130, 132; *Giobbio,* l. c. II, n. 197.

[68] Conventiones initae sub Pontificatu Leonis XIII, p. 99 in nota Card. Rampolla 20 Mart. 1890, ad Generalem Simmons, Plenipot. Britannic., de elect. Episc. in insul. Melit.

[69] *Nussi,* l. c. p. 56, 129, 131; Conventiones Leonis XIII, l. c.

201. Quodsi quaestio movetur num clericus, officio ecclesiastico praeficiendus, debeat esse civis illius regionis, in qua est promovendus, potiore iure videtur inquiri de necessitate *adscriptionis* inter clericos *dioecesanos*, ut quis ad officium ecclesiasticum dioecesis promoveatur [70]. Profecto, attenta praxi antiquissima ordinationum, clerici in illa ecclesia etiam ad munera et officia ecclesiastica assumebantur, cui per ordinationem fuerunt adscripti. Quare transitus, praesertim Episcoporum, presbyterorum, diaconorum, de una civitate vel dioecesi in aliam severe fuit interdictus [71]. Alii quoque clerici, derelicta propria dioecesi, non frequenter in aliena dioecesi fuerunt incardinati, licet illa incardinatio, servata forma canonica, non esset penitus exclusa [72]. Post introductas ordinationes absolutas, iure antiquo severe prohibitas [73], multo minus quis vi solius ordinationis stabili illa ratione clero dioecesano fuit adscriptus, nisi expresse pro servitio dioecesano esset ordinatus [74]. Ipsa quoque norma antiqui iuris [75], saltem in Ecclesia occidentali recepta, nonnisi ex clericis dioecesanis eligendi Episcopum, si inter illos digni et idonei invenirentur, inde ex saeculo decimo tertio in desuetudinem abiit. Hinc electio vel provisio canonica eam ob causam per appellationem non amplius potuit impugnari, quod forte clericus de aliena ecclesia fuisset electus vel promotus [76]. Illa enim condicio tantum ex aliqua decentia attendenda erat [77], nisi speciali iure, v. g. lege fundationis, aliud cautum esset. Cfr. *Garcia*, l. c. P. VII, cap. 15, n. 1, 2. Immo, ultimo saeculo Greg. XVI

[70] *Schmalzgr.*, h. t. 14, n. 388; *Garcia*, l. c. n. 7, sq.

[71] Cfr. c. 15, 16, Conc. Nicaen. (a. 325) = c. 19, 23, C. XII, q. 1; *Hefele*, l. c. t. I, p. 419 sq.

[72] Cfr. c. 20, Conc. Chalced. (a. 451) = c. 4, D. 71; *Hefele*, l. c. t. II, p. 523; c. 19, Conc. Hippon. (a. 393); c. 12, Conc. Tolet. (a. 400); c. 11, Turon. (a. 461); c. 5, Conc. Epaon. (a. 517).

[73] Cfr. c. 6, Conc. Chalced. (a. 451 = c. 1. D. 70, iunct. Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 16, de ref.; *Hefele*, l. c. p. 510 sq.; *Hinschius*, l. c. t. III, p. 491.

[74] Conc. Trid. l. c.

[75] Cfr. c. 12, 13, 15, 16, § 1, c. 17. D. 61; cap. 41, X. de elec. I, 6.

[76] Cap. 21, X. de elect. I, 6; *Innoc. IV*, Comm. in cit. cap. 21, X. de elect. n. 4.

[77] *Garcia*, l. c.; *Riganti*, l. c. Reg. 17 Canc. Apost. n. 121, 122.

approbavit epistolam [78] S. C. Ep. et Reg. sub die 17 Dec. 1839 ad Metropolitanum missam, in qua praxis aliquarum dioecesium, secundum facultatem quandam Episcopis tributam, clericos extraneos hac *solummodo* ex ratione in illis dioecesibus non recipiendi, quod ad easdem *non pertinerent*, tanquam canonico argumento destituta ac iuri ecclesiastico contraria fuit reprobata, nisi aliae essent rationes exclusionis vel remotionis extraneorum clericorum [79]. Cfr. quoque decr. S. C. C. 22 Dec. 1894.

202. Ius Codicis (can. 114, 144) aperte supponit posse clericum cum licentia proprii Ordinarii in alienam dioecesim discedere in eaque, non obstante defectu incardinationis et pertinentiae ad clerum ipsius, posse recipere officium et beneficium; immo acceptio beneficii residentialis in aliena dioecesi, si fiat servatis conditionibus can. 114, inducit ipso facto incardinationem in dioecesi beneficii recepti et consequentem excardinationem a dioecesi propria. Ergo per se nec indigenatus nec incardinatio est condicio necessaria ad recipienda officia et beneficia, nisi obstet lex fundationis aut ius particulare legitime constitutum.

Porro Commissio Codicis 26 nov. 1922 (A. A. S., XV, 139), saltem quoad canonicatus, declaravit can. 404 mansisse abrogatas leges particulares, revocata privilegia et reprobatas consuetudines, vi quarum iidem canonicatus nonnisi indigenis seu civibus originariis civitatis, in qua sedem habet ecclesia, conferri possent, aut isti ceteris praeferri deberent.

203. Commemorandae hic sunt inhabilitas, quam habet religiosus ad dignitates, officia et beneficia quae cum statu religioso componi non possunt (can. 626, § 1), quae tenet etiam Praelatos, dimissa praelatura, ad religionem redeuntes (can. 629, § 1), et prohibitio quae tenet quemlibet professum ad saeculum regressum (can. 642), quae ultima utrum sit vera *inhabilitas* an mera prohibitio in controversia est [80].

204. Officium vacans per renuntiationem vel per sententiam privationis nequit ab Ordinario, qui renuntiationem acceptavit

[78] *Bizzarri*, Collectanea cit. p. 97.

[79] *De Angelis*, l. c. l. I, t. 22, n. 6.

[80] Meram *prohibitionem* fieri, non *inhabilitatem* induci, tenent *Vermeersch*, Epit. I, n. 799; *Chelodi*, De personis n. 287; *Cocchi*, De personis P. II, n. 137. Quae sententia verior videtur ex collatione cum severiore Decr. S. C. de R. 15 Iun. 1909.

aut sententiam tulit, valide conferri suis aut resignantis familiaribus, consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive [81].

205. Scholion. Quemadmodum haud raro, v. gr. lege fundationis requiritur ut clericus praeficiendus sit indigena regni, ita aliae quoque qualitates licitae et honestae et praxi Ecclesiae probatae, vel ipso *fundationis instrumento* (cfr. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 5, de ref.) vel particulari statuto vel legitima consuetudine in clericis promovendis ad certa officia ecclesiastica exigi possunt, velut *parentela* cum fundatore, *origo* ex certa familia vel civitate, antiquitus haud raro *nobilitas* natalium. Quodsi veteres scriptores fusius inquirunt num per *consuetudinem* vel statutum decerni possit, ut *soli* nobiles, ceteroquin idonei, *exclusis* ignobilibus admittantur ad *omnes* dignitates et canonicatus in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, quaestionem movent *nostris* temporibus democraticis non iam practicam atque ex mente Ecclesiae iam cap. 37, X. de praeb. III, 5, clare decisam [82].

§ V. De dignis vel dignioribus ad officia ecclesiastica promovendis

206. *Dignus* censetur is in quo nulla qualitas, vel ex natura officii ecclesiastici vel iure commune vel iure speciali sive vi fundationis sive privilegii sive consuetudinis sive statuti requisita, vere deest. *Dignior* autem sive *dignissimus* est, qui non solum omnes qualitates absolute et relative requisitas habet, sed *omnibus consideratis* tam *praecellenti* modo, ut cum ceteris comparatus ad officium ecclesiasticum, de cuius provisione agitur, rite administrandum *notabiliter magis* idoneus vel aptissimus certo reputetur [83].

[81] Pii IV Const. *Cupientes unicuique* 11 Oct. 1560, § 1; Pii V Const. *Quanta Ecclesia* 1 Apr. 1568, § 5.

[82] Cfr. *Garcia*, l. c. P. VII cap. 15; *Schmalzgr.*, h. t. 14, n. 32, n. 33 sq.; Cfr. concord. austr. (a. 1855) art. 22, et *Vering*, Lehrb. d. K. § 142, III, not. 19 sq.; Arch. f. k. K. t. 14, p. 95 sq. t. 46, p. 157 sq., ubi refertur decretum S. C. pro negot. eccl. extraord. 17 Iun. 1880 de Capitulo Olmucensi.

[83] *Schmalzgr.*, h. t. 14, n. 36, 44; *Bucceroni*, Inst. theol. moral. vol. II, p. 53 sq.; *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. I, n. 971 sq.; *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 1, cap. 37 sq.

207. Quibus definitionibus praestitutis, dubium non est quin peccetur vitio acceptionis personarum et contra gravem legem Ecclesiae (can. 153, § 2, can. 2391), si quis ad qualecunque officium ecclesiasticum, **praetermisso digno indignum scienter eligat,** nominet vel praesentet, vel etiam libera collatione, confirmatione, admissione, institutione, titulo officii ecclesiastici donet [84]. Lex illa Ecclesiae fortius urget, si agatur de officio cui adnexa est cura animarum (can. 459, § 1). Quodsi clericus praeficiendus officio ecclesiastico propter defectum *alicuius* qualitatis, sive iure communi sive iure speciali requisitae, non dignus vel non idoneus sit, generatim provisio facta videtur esse tantum irritanda, non ipso iure irrita, nisi nullitas provisionis ipso facto incurrenda specialibus iuris dispositionibus statuta sit, aut propter veram *incapacitatem* vel inhabilitatem, v. g. ob. defectum clericatus, ex natura rei sequatur (can. 153, § 3) [85].

208. Quodsi *complures* sunt *digni*, qui ad officium ecclesiasticum generatim promoveri possint, non solum in provisionibus vel electionibus vel nominationibus etc. superiorum praelatorum et dignitatum [86] cum iurisdictione quasi episcopali, sed etiam *inferiorum* officiorum curatorum [87] atque adeo officiorum non curatorum et simplicium *dignior* necessario dignis est praeferendus. (Cfr. cit. can. 153, § 2, 459, § 1). Nihilominus electio vel provisio *digni*, scienter praetermisso *digniore*, quamvis pro qualitate beneficii vel frequentia actus magis vel minus *illicita* sit, tamen irrita *ipso iure* non est nec per sententiam rescindenda, nisi *speciali iure* de contrario expresse caveatur. Id factum fuerat de officiis paroecialibus per concursum Tridentinum conferendis atque pro Italia et insulis adiacentibus de officiis canonici poenitentiarii et canonici theologi, ex lege Bened. XIII

[84] Cfr. Cap. 7, § 3, cap. 25, X. de elect. I, 6; cap. 29, X. de praeb. III, 5; Conc. Trid. Sess. VII, cap. 3, de ref. iunct. cap. 14, de elect. I, 6, in Sext.

[85] Cfr. Conc. Trid. l. c.; *Garcia*, l. c. P. VII, cap. 8, n. 52; cap. 14, de elect. in Sext.; l. c. cap. 15, n. 6, 7, 10.

[86] Cfr. c. 19, D. 63, (S. Leo I); c. 15, C. VIII, q. 1, (S. Hieron.); Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 1, de ref. iunct. prop. 47 damn. ab Innocent. XI, 2 Mart. 1679, apud *Denzinger*, l. c. n. 1197; *Schmalzgr.*, l. c. n. 39, 40.

[87] Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 18, de ref.; Pii V Const. *In conferendis* 18 Mart. 1567; Benedict. XIV Const. *Cum illud* 14 Dec. 1742 *Schmalzgr.*, l. c. n. 41.

pariter concursui obnoxiis, quae, praetermissis dignioribus, etiam simpliciter dignis *invalide* concedebantur [88]. Et generatim loquendo quando de iure aliquod officium vel beneficium per concursum est conferendum, ex natura rei dignior praetermissus ius habet petendi irritationem provisionis de minus digno factae: in praxi tamen ille recursus extra casum notoriae iniustitiae vix unquam habebit felicem exitum.

209. Scholion. Quoniam *potestas civilis* omnino non competens est ad *condendas leges de qualitatibus requisitis in clericis promovendis ad officia ecclesiastica,* omnes leges civiles hac de re latae ex sese *nullae* et *irritae* sunt neque ullam inducunt obligationem. Quare si tales leges civiles interdum *de facto* servantur, id ex tolerantia Ecclesiae, non ex iuris necessitate est repetendum [89].

Art. 3 — De condicionibus requisitis in concedendis officiis ecclesiasticis

§ I. De vacatione officiorum ecclesiasticorum [90]

210. Notio, divisio *vacationis.*

I. *Vacare* dicitur ecclesia vel praebenda cum *proprietario aut possessore* caret.

[88] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 18, de ref.; Pii V Const. *In conferendis;* Benedict. XIII Const. *Pastoralis.*

[89] *Riganti,* l. c. Reg. 17, Canc. Apost. n. 123, 124; *Giobbio,* l. c. t. II, n. 64 sq.; *Saegmueller,* l. c. p. 249 sq.; *Hinschius,* l. c. t. II, p. 503 sq., ubi recenset leges civiles, quibus etiam sub poena nullitatis (!) certae condiciones in praeficiendis clericis requiruntur; *Friedberg-Ruffini,* l. c. p. 481 sq.

[90] Cfr. Decret. Grat. C. XII, q. 1, v. g. c. 5, 10, 18; C. VIII, q. 1; Compilationes antiquae, ubi in singulis compilationibus hic titulus occurrit, sed rubrica aliquoties immutata; Decretal. Greg. IX, l. III, t. 8; tit. 6, de cleric. aegrot. libr. I, tit. 10, de suppl. negl. Praelat.; Decretal. Bonif. VIII, l. III, t. 7; Const. Clem. V, l. III, t. 3; Extravg. Ioann. XXII, t. 4; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 19, de ref.; Sess. XXV, cap. 7, de ref.; Decretales Clem. Pap. VIII, ed. *Sentis,* p. 6; Comment. iur. Decret. in h. t. 8, et libr. III, t. 6, de cleric. aegrot. ubi commentatores, v. g. *Santi,* l. c. l. III, t. 6, n. 4, sq. agere solent de *coadiutoribus* temporaneis et perpetuis.

Quodsi *nec titulus proprietatis* (i. e. ius in re, non merum ius ad rem) in officium ecclesiasticum neque *possessio* actualis penes quemquam existit, v. g. in vacatione per mortem beneficiarii, officium vacat *plene,* sive ut dici solet, *de iure* et de *facto.*

Si quis *titulum* quidem proprietatis (i. e. ius in re, non tantum ius ad rem) in officium *habet,* sed *possessionem* nondum obtinuit aut iam obtentam denuo, v. g. per violentiam usurpatoris, amisit, officium vacat *de facto tantum, non de iure.*

Denique si quis, v. g. intrusus, *caret titulo proprietatis* in officium, aut titulum legitime acquisitum, sive ipso facto ex iuris dispositione sive per sententiam iudicis ecclesiastici, iterum amisit, nihilominus tamen *possessionem* beneficii retinet, beneficium dicitur vacare *de iure tantum,* non *de facto* [91]. Quare ecclesia vel praebenda *tamdiu* vacat, *quamdiu* proprio rectore titulari vel saltem commendatario caret. Id locum habet in dignitate episcopali aliisque officiis ecclesiasticis aequiparatis usque ad legitimam praesentationem litterarum Apostolicarum de promotione facta in Curia Romana, in aliis autem officiis ecclesiasticis usque ad legitimam tituli et possessionis concessionem a competente Superiore ecclesiastico factam.

II. Vacatio officii ecclesiastici fieri potest:

a) Per mortem naturalem beneficiarii, dummodo non agatur de casibus potius apparenter quam vere exceptis.

b) Lapsu temporis praefiniti, aut ex ipsa *iuris dispositione* per officii incompatibilis pacificam et utilem assecutionem.

c) Per *depositionem* aut *privationem* ipso iure aut per sententiam iudicis factam ob crimen admissum, cui a iure poena depositionis aut privationis statuta est, velut haeresi vel homicidio. Privationi aequiparatur *amotio* ad normam iuris facta.

d) Per *liberam* expressam *resignationem* a legitimo Superiore ecclesiastico acceptatam, aut per renuntiationem *tacitam* in certis factis iure determinatis contentam et ipso iure admissam (can. 188); item per *translationem* Praelati vel beneficiarii ad aliam ecclesiam seu beneficium.

e) Per *mortem,* resignationem, depositionem vel similem immutationem *Superioris* deputantis ad *certa* officia ecclesiastica,

[91] *Schmalzgr.,* h. t. 8, n. 1, 2; *Garcia,* l. c. P. XI, cap. 1; *Hollweck,* D. k. Strafg. §§ 243 sq., 256, (de intrusis et usurpatoribus beneficiorum ecclesiasticorum).

v. g. in *Curia Romana* officiales quidam per mortem Romani Pontificis, vel *Vicarius generalis* per *mortem*, depositionem etc. *Episcopi* amittunt sua munera, et in genere ubi lex id cavet aut officium concessum fuit cum clausula *ad beneplacitum nostrum* vel alia aequipollenti (can. 183, § 2).

211. Notae historicae. Concessio officii ecclesiastici nondum vacantis turpem videtur adducere exspectationem mortis alterius periculumque includit machinationis contra vitam beneficiarii, in proprietate et possessione officii adhuc constituti, aut saltem turpem nutrit ambitionem et haereditariam [92] successionem, aut non raro graviter impedire potest administrationem Praelati, cuius successor, aliis forte imbutus principiis, cum iure ad rem iam est institutus. Idcirco a primis saeculis [93] promotio ad ecclesiam nondum vacantem constanter fuit reprobata.

Non minore severitate iam antiquis temporibus interdicta fuit *nominatio successoris per praedecessorem* [94].

At negari nequit illarum ecclesiasticarum *regularum* iam primis saeculis, partim de iure, partim de facto, non paucas occurrere *exceptiones*.

V. g. a. 212 Narcisso Episcopo Hierosolymitano seni annorum 116, Alexander tanquam Coepiscopus fuit ordinatus [95]. S. Augustinus quoque Valerii Episcopi et coadiutor et successor factus est [96].

Quod in regimine dioecesium accidit, id a Capitulis, Episcopis ipsisque Romanis Pontificibus usu receptum fuit per concessionem exspectativarum in canonicatus vel alia officia inferiora. Quae exspectativarum concessiones et officiorum promissiones ab Alexandro III, Concilio Lateranensi III (a. 1179) approbante [97], et a Bonifacio VIII [98] fuerunt prohibitae, salva tamen Sedis Apostolicae auctoritate super iure communi dispensandi. At inveterata praxis exspectativarum toto medio aevo nunquam penitus fuit extirpata. Ipsi quoque Romani Pontifices, tristi condicione Sedis Apostolicae diraque necessitate compulsi, exspectativas vel litteras cum mandato de providendo frequentius dederunt quam quod Praelatis inferioribus placuisset [99].

Tandem Concilium Tridentinum Sess. XXIV, cap. 19, de ref. mandata de providendo, exspectativas etc. penitus abrogavit et pro futuro tempore prohibuit, salvis tamen limitationibus eidem prohibitioni Sess. XXV, cap. 7, de ref. appositis, et imprimis salva auctoritate Sedis Apostolicae etiam ex cap. 21 eiusdem Sess. Nihilominus abusus exspectativarum usque ad revolutionem gallicam nequaquam ubique fuerunt sublati [100], atque etiam nostra aetate praeter casus a Concilio Tridentino exceptos quaedam coadiutoriae interdum ob speciales rationes conceduntur [101].

212. Disciplina vigens. I. Officium ecclesiasticum *de iure* nondum vacans alteri a quocumque collatore, Romano Pontifice inferiore, *valide* conferri nequit. Quae collatio officii ecclesiastici nondum vacantis, etiam si fiat clerico ignaro vacationis nondum secutae, prorsus irrita est neque subsequente vacatione convalescit (can. 150, § 1). Quodsi quis clericus *scienter* se institui passus est, non solum ab illo officio nondum vacante depellendus est, sed etiam poenis subicitur pro modo culpae imponendis, et officium illud postea revera vacans absque dispensatione Sedis Apostolicae obtinere nequit [102]; ad instar enim impedimenti criminis a coniugio spirituali arcetur et inhabilis ad beneficium efficitur (can. 2395).

Officium autem de *iure tantum*, non de facto vacans, in quo

[92] Cfr. c. 76, (75), Apost.

[93] S. Cyp. in c. 6, C. VII, q. 1; Gelas. in cap. 1. X. h. t. III, 8; Gregor. M. (a. 603), in c. 7, § 1, C. II, q. 1, et (a. 592), in c. 40, C. VII, q. 1; c. 17, (Zachar. Pap.) c. 10, (Leo IV, c. a. 850), c. 4, (Nicol. M. a. 858-867) ead. C. et q.

[94] Cfr. c. 23 Conc. Antioch. (a. 341), in c. 3. C. VIII, q. 1; c. 4, (Martin. Brac.) c. 5, (Synod. Roman. a. 465) c. 14, (Gregor. M. a. 602) cit. C. et q.; Arch. f. k. K. t. 72, p. 409 sq.; *Scherer*, l. c. t. I, p. 601, not. 19; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 521 sq.

[95] *Eusebius*, Hist. eccl. l. IV, cap. 11.

[96] Cfr. c. 12, C. VII, q. 1; praeterea cfr. c. 2, Conc. Paris. V, (c. a. 614); c. 14, 17, C. VII, q. 1; c. 5, Conc. Lugd. (a. 517) et *Hefele*, l. c. t. II, p. 688.

[97] Cap. 2, X. h. t. III, 8.

[98] Cap. 2, h. t. III, 7, in Sext.

[99] *Phillips*, l. c. t. VII, p. 501.

[100] *Riganti*, l. c. Reg. Canc. Apost. 26, n. 8; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 14, n. 3.

[101] Anal. iur. pont. (a. 1860) col. 1761.

[102] Cfr. cap. 7, X. h. t. 8; *Schmalzgr.*, tit. 8, n. 1 sq., 15 sq. Cfr. quoque Reg. Canc. Apost. 21, et *Riganti*, l. c. Reg. cit. Canc. Apost. n. 17 sq.

alius est in colorata possessione [103*], impetrari vel conferri tantum potest servata *forma* can. 151, i. e. iuridica cognitione instituta, prius debet declarari eam possessionem non esse legitimam. Deinde vero in litteris collationis de illa declaratione mentio fieri debet.

Quodsi possessio eius, qui beneficium detinet, fuerit pacifica, beneficium ita ab alio pacifice possessum nemo impetrare legitime potest nisi servato praescripto canonis 1447.

II. Multo minus *beneficiarius vivens ipse sibi successorem cum iure ad rem* designare potest [104]. Nam ista praxi facile introducerentur haereditariae successiones in officiis ecclesiasticis, tantopere reprobatae ab Ecclesia, ambitiosa cupiditas, neglectus pauperum, promotio indignorum clericorum.

Clericus spectatae virtutis et aptitudinis a praedecessore sane ad successionem *commendari* potest [105]. Ipsi vero *Romani Pontifices* non prohibentur quominus *aliis* Praelatis sibi subiectis Coadiutorem etiam cum *iure successionis* concedant [106] vel facultatem designandi successorem indulgeant, iustis concurrentibus causis, v. g. ad vitanda pericula imminentia ex vacatione secutura [107]. Confer facultatem datam et obligationem impositam can. 309 Vicariis et Praefectis Apostolicis nominandi Provicarium vel Pro-praefectum, qui in eorum defectu regimen assumant Vicariatus vel Praefecturae Apostolicae. Num lex prohibens et irritans, qua omnes Praelati et beneficiarii infra Papam constituti impediuntur a nominatione successoris cum *vero iure* ad successionem in nominato clerico et stricta *obligatione*, aliis imposita, illum acceptandi ut successorem, sese extendat, ex iure

[103*] Ita etiam *Ojetti*, o. c., IV, p. 20; videtur ei omnino necessarium ut possessor habeat *titulum coloratum*; « nam si possessio esset notorie invalida seu non colorata, ait ipse, nulla utique exstaret necessitas vocandi possessorem et declarandi possessionem illegitimam ». Quo in casu etiam altera conditio, ut patet, desineret urgere. Utramque conditionem ad valorem requiri asserit *Chelodi*, o. c., n. 135, a, dum *Blat*, o. c., n. 92, existimat probabilius esse, non vero certo constare, ad validitatem requiri mentionem declarationis factae.

[104] Cfr, can. 147, iunct. c. 3, 4, 5, 6, C. VIII, q. 1; cap. 1, X. de praeb. III, 5; Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 7, de ref.

[105] Cfr. c. 12, 13, 14, C. VII, q. 1.

[106] Conc. Trid. l. c. et Sess. XXIV, cap. 19, de ref.

[107] Cfr. c. 17, C. VII, q. 1; *Scherer*, l. c.

naturali vel saltem ex iure divino positivo per traditionem *divinam* nobis manifestato, etiam ad Romanum Pontificem, est controversia inter doctores catholicos agitata. Quae quaestio, in qua haud raro ex utraque parte argumentis quidem multis, sed saepe plane inefficacibus pugnatum est, in propria sede materiae de *electione* Romani Pontificis est resolvenda [108].

III. *Coadiutoria*, i. e. facultas clerico idoneo ex legitima causa a competente auctoritate ecclesiastica concessa adiuvandi Praelatum vel alium beneficiarium in administrando officio nondum *vacante*, sane a nullo inferiore Praelato concedi potest, sive sit *perpetua* seu cum iure successionis, sive temporanea seu sine successionis iure (can. 1433); haec facultas soli Rom. Pontifici est reservata. (Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 7, de ref., Sess. XXIV, cap. 19, de ref.). At Episcopis *in beneficiis paroecialibus*, propter morbum, senectutem aliasque causas canonicas can. 475, § 1 enumeratas, permittitur ut parocho inhabili dent *vicarium adiutorem*, si ea ratione bono animarum apte provideri possit. Item parocho habili, qui tamen solus paroeciae convenientem curam gerere nequeat, imponere potest vicarios cooperatores ad normam can. 476. Quibus coadiutoribus et cooperatoribus ex fructibus beneficii, ad cuius administrationem assumpti sunt, portio congrua est assignanda vel aliunde supplenda, si reditus beneficii ad solam sustentationem proprii beneficiarii sufficiant.

IV. Licet iure antiquo *promissio* officii nondum vacantis, sive *indeterminati* sive *determinati*, iam fuerit prohibita, tamen promissio officii pro *data opportunitate* concedendi nondum fuerat interdicta. At per Bonifacium VIII, cap. 2, h. t. III, 7, in Sext. non solum omnis promissio officii ecclesiastici nondum vacantis, sive determinati sive indeterminati, quod primo vacaverit, sed etiam illa, quae forte facta est de officiis nondum vacantibus, cum *facultas* sese obtulerit, penitus fuit reprobata [109]. Nam istis promissionibus fovetur improba ambitio clericorum et cupiditas optandae mortis alienae, et gravamina ecclesiis et per-

[108] *Camarda*, l. c. dissert. 1; *Saegmueller*, l. c. p. 317; *Hollweck*, in Arch. f. k. K. t. 74, p. 329 sq., ubi cum aliis defendit R. Pontifici competere ius sibi successorem, servatis servandis, valide et licite designandi. Aliter *Holder* in Arch. f. k. K. t. 72, p. 409 sq., t. 74, p. 329 sq. cum aliis.

[109] Cap. 3, X. h. t. 8; cap. 19, X. de praeb. III, 5.

sonis ecclesiasticis afferuntur [110]. Quam nullitatem cuiuscumque promissionis firmavit Codex can. 150, § 2.

Quae nullitas promissionis factae non impeditur, si possessor officii, de cuius successione agitur, consentiat [111], aut promissarius addat iuramentum vel scripturam promissioni [112].

Scholion. Quaestio de canonicis supernumerariis, quam hoc tit. 8 antiqui et recentiores commentatores iuris Decretalium examinare solebant [113], nostra aetate non amplius est practici momenti. Nam veri canonici supernumerarii, quibus conceditur canonia sine praebenda, nunc de facto ordinarie non amplius existere solent et de iure communi non amplius existere possunt (can. 393, § 3). Altera autem quaestio de institutione canonicorum *honorariorum* [114], qui aliqua ratione in locum illorum supernumerariorum canonicorum successerunt, potius ad disputationem de Capitulis est remittenda.

V. Denique iure Decretalium neque *Episcopus* neque alius Praelatus, Romano Pontifice inferior, alteri valebat concedere *delegationem* ad conferendum officium proxime vacaturum; censebatur enim pariter dari occasio captandae mortis alienae [115].

Quae prohibitio tamen non obstabat quominus Episcopus per mandatum *speciale* Vicario suo generali concederet *in genere* collationem officiorum, quae vacaverint (can. 1432, § 2) [116].

Propter eandem rationem supra insinuatam promissiones quoque *patronorum* (sc. se praesentaturos esse aliquem ad officium vacaturum) de non vacantibus officiis, in quae ius patronatus obtinent, et *donationes* eorum in manibus alienis sive *delegationes* aliquem praesentandi ad officium nondum vacans, omni valore destituebantur [117]. At patronus non prohibebatur deputare aliquem procuratorem cum mandato *generali* ad praesentationes in *omnibus* futuris vacationibus officiorum, quae ad suum ius patronatus spectarent, quemadmodum Episcopus suum Vicarium generalem ad collationem officiorum generaliter deputare potest [118].

[110] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 19, de ref.; Reg. Canc. Apost. 21,30, et *Riganti*, l. c. Reg. cit. Canc. Apost.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 19 sq.; *Santi*, l. c. h. t. 8, n. 7, 8; *Hollweck*, l. c. § 239; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 64 sq.

[111] Cap. 2, 13, X. h. t. 8; cap. 2, h. t. III, 7, in Sext.

[112] Cap. 28, X. de iureiur. II, 24; R. I, 84, in Sext.

[113] *Santi*, h. t. 8, n. 11, 12, 13; *De Angelis*, eod. tit. n. 3; *Schmalzgr.*, eod. tit. n. 33 sq.; *Bouix*, De Capitulis p. 124 sq.; *Scherer*, l. c. t. I, p. 571, not. 21.

[114] Cfr. de illis canonicis honorariis, Decretum S. C. C. 16 Sept. 1884, Decretum Leonis XIII per S. R. C. 29 Ianuar. 1894 datum, quibus fuit praeformata disciplina Codicis in can. 406 sq. expressa.

[115] Cap. 2, 11, X. h. t. 8.

[116] Cap. 3, de off. vicar. I, 13, in Sext.

213. Scholion. In iure Decretalium titulus 9, l. III, *ne sede vacante aliquid innovetur* [119] sese habebat ad instar appendicis ad tit. 8, *de conc. praeb. et eccles. non vac.* Quae rubrica tituli 9, cum sensum haberet perfectum, evidenter continebat legem universalem Ecclesiae.

Quamvis autem verbum *sedis* in rubrica tituli 9 principaliter denotet sedem episcopalem, tamen sensu latiore etiam alias dignitates et praeposituras minores, immo omnia officia minora comprehendit.

Innovatio autem prohibita intelligebatur omnis immutatio *status* temporalis vel spiritualis officii ecclesiastici, ex qua ecclesiae vel praebendae vel successori *praeiudicium* sequi potest.

Sed cum fere universa materia huius tituli 9 referretur ad prohibitas *innovationes* tempore vacantis sedis episcopalis, disputatio canonica reducebatur ad disquisitionem de limitatione iurium Vicarii capitularis. Simile principium retentum fuit in Codice can. 436, ubi pariter ponitur cum sermo est de potestate Vicarii Capitularis.

[117] Cap. 16, X. h. t. 8, l. III.

[118] *Schmalzgr.*, l. c. n. 25 sq.; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 99; *Friedle.*, in Arch. f. k. K. t. 23, p. 4, 5.

[119] Cfr. c. 38 sq. C. XII, q. 2; cpl. III, l. III, t. 9, ead. rubr.; cpl. V, l. III, t. 7, ut sede vac. nihil innovetur; Decret. Gregor. IX, l. III, t. 9; Decret. Bonif. VIII, l. 3, tit. 8; Const. Clem. V, l. III, t. 5; Extravg. Ioann. XXII, tit. 3; Conc. Trid. Sess. VII, cap. 10, de ref., Sess. XXIII, cap. 10, de ref., Sess. XXIV, cap. 16, de ref.; Decret. Clem. Pap. VIII, ed. *Sentis*, p. 64 sq.; Pii IX Const. *Romanus Pontifex* 28 Aug. 1873, Comment. in h. t. 9; *Zech*, Hierarchia ecclesiastic. tit. 29; *Devoti*, Inst. can. l, I, tit. 3, §§ 61 sq.; *Scherer*, l. c. t. I, p. 586 sq.

§ II. De compatibilitate vel incompatibilitate officiorum ecclesiasticorum

214. Notio et **divisio compatibilitatis.** I. *Compatibilia* dicuntur officia et beneficia ecclesiastica, quae quamvis realiter inter se unita non sint, tamen nec ex natura officiorum nec ex iure communi vel statuto aut consuetudine particulari neque lege fundationis prohibentur *simul ab uno* clerico haberi. Incompatibilia dicuntur illa officia *realiter* inter se non unita, quae sive ex natura officii ecclesiastici sive ex iure ecclesiastico sive ex lege fundationis ab uno clerico simul haberi non possunt [120].

II. A canonistis antiquioribus incompatibilitas officiorum ecclesiasticorum dividebatur in incompatibilitatem *simpliciter* dictam sive *primi generis*, secundum quam ipso iure vacat primum officium, obtenta pacifica possessione secundi, et in incompatibilitatem *secundum quid* sive *secundi generis*, quae licitam quidem possessionem simultaneam certorum officiorum incompatibilium excludit, attamen obtenta pacifica possessione novi officii, vacationem prioris *ipso iure non inducit*, sed requirit *privationis sententiam* per competentem Superiorem ecclesiasticum latam [121]. Quae divisio, cum saltem post Concilium Tridentinum tantum videretur existere incompatibilitas illa primi generis [122], in praxi non iam multum attendebatur a canonistis.

215. Origo et **historia.** I. *Incompatibilitas* officiorum ecclesiasticorum, cum principaliter oriatur ex lege residentiae, cui multa officia sunt subiecta, aut ex indecentia quod quis novum officium quaerat, retento priore ad honestam sustentationem sufficienti, aut ex ipso numero excessivo officiorum etiam non sufficientium aut ex aliis causis, manifeste partim ex iure *divino* partim ex iure *ecclesiastico* est repetenda [123].

[120] *Mendoza*, De beneficiorum incompatibilitate et compatib.; *Leuren.*, l. c. P. III, q. 61 sq.; *Schmalzgr.*, l. III, t. 5, n. 84 sq.

[121] Ita *Pirhing* l. III, t. 5, n. 124, 146, 170, aliique.

[122] Quae sententia contra cit. opinionem *Pirhing* aliorumque recte tenebatur a *Schmalzgr.*, l. c. n. 84, 115 sq. aliisque multis, velut a *Garcia*, l. c. P. XI, cap. 5, n. 79 sq., *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 579, not. 9; cfr. Conc. Trid. Sess. VII, cap. 4, de ref., Sess. XXIV, cap. 17, de ref.

[123] Conc. Trid. Sess. XXIV, l. c.; ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 377, n. 8 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 102; *Leuren.*, l. c. q. 62, 63, 66, 94.

II. Cum primis saeculis neque ordinationes absolutae existerent, neque distincta haberentur beneficia, sed unusquisque clericus suae ecclesiae esset incardinatus et ex communibus redditibus suam reciperet sustentationem, procul ab Ecclesia abfuit periculum cumulationis beneficiorum incompatibilium in uno clerico [124].

At reddita Ecclesiae pace, iam saeculo quinto prima occurrunt vestigia, quod clerici ambitione et avaritia ducti in duabus ecclesiis sibi quaesierint honores et commoda [125]. Qui abusus pluralitatis officiorum ecclesiasticorum altiores egit radices, postquam inde a saeculo sexto et septimo paulatim distinctae possessiones concederentur in usumfructum [126], neque iteratis prohibitionibus Ecclesiae plene tolli potuit [127]. Immo istud malum incrementa cepit, cum post dissolutam vitam communem in Capitulis saeculo undecimo, una cum vitio clerogamiae, simoniaca labes inficeret clerum [128].

Finita controversia de investituris et disciplina ecclesiastica reformata quoad coelibatum cleri per Gregorium VII eiusque immediatos praedecessores et successores, tandem saeculo duodecimo, praesertim ab Alexandro III in Concilio Lateranensi III, (a. 1179) severiores sanctiones contra pluralitatem officiorum ecclesiasticorum promulgatae sunt [129]. Innocentius III quoque in Concilio Lateranensi IV (a. 1215) [130] eundem abusum non permisit abire immunem. Bonifacius VIII vero in Sexto, si excipias extensionem iuris constituti ad certa officia regularia, disciplinam suo tempore legibus ecclesiasticis probatam magis appli-

[124] *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 3, cap. 1 sq.; *Phillips.* l. c. t. VII, § 390.

[125] Cfr. c. 10, Conc. Chalced. (a. 451) = c. 3, C. XXI, q. 2, et c. 2, C. XXI, q. 1; Gregor. M. in c. 1, D. 89; c. 15, Conc. Nicaen. II, (a. 787) = c. 1, C. XXI, q. 1, iunct. *Hefele*, l. c. t. III, p. 480, Cfr. quoque c. 57, Conc. Agath. (a. 506) = c. 4, C. XXI. q. 1; c. 9, Conc. Epaon. (a. 517).

[126] Cfr. c. 5 Conc. Tolet. XVI, (a. 693). = c. 3. C. X, q. 3.

[127] Conc. Paris. (a. 829) l. I, cap. 49; Conc Aquisgran. (a. 836); Conc. Metens. (a. 888).

[128] Cfr. c. 2, Conc. Pictav. (a. 1078); c. 15, Conc. Placent. (a. 1095) = c. 2, § 1, D. 70; c. 12, 14, Conc. Claromont. (a. 1095); *Hefele*, l. c. t. V, p. 223.

[129] Cfr. c. 13, = cap. 3, X. de cleric. non resid. III, 4, et c. 14 = cap. 5, X. de praeb. III, 5; *Schmalzgr.*, l. c. n. 105 sq.; *Leuren.*, l. c. III, q. 123.

[130] Cfr. c. 29, = cap. 28, X. de praeb. III, 5.

cavit quam immutavit vel ampliavit [131]. In Clementinis [132] potius interpretationes iuris antiqui quam novae reperiuntur leges contra abusus inveteratos cumulationis officiorum; denuo Ioannes XXII [133] disciplinam ecclesiasticam suis Constitutionibus promovere studuit, neque alii Romani Pontifices eodem saeculo decimo quarto suo defuerunt officio [134].

Orto autem magno *schismate occidentali* negari nequit malum istud pluralitatis officiorum potius auctum fuisse quam imminutum [135]. Tandem post tentamina reformationis in Conciliis Constantiensi et Lateranensi V [136] facta, Concilium Tridentinum [137] suis decretis falcem ad radicem misit; sed in non paucis regionibus ius Tridentinum in praxim non fuit deductum. Quam perversam praxim, decretis Tridentinis contrariam, Urbanus VIII et Clemens XII suis Constitutionibus denuo reprobarunt [138]; at de facto efficacius sustulerunt revolutio gallica et direptiones bonorum ecclesiasticorum, praesertim ineunte ultimo saeculo patratae. Et profecto nostra aetate propter multiplices rationes leges ecclesiasticae, contra pluralitatem officiorum incompatibilium latae, maiore quam unquam religione a clero observantur.

Iure Decretalium incompatibilitas proveniebat *a*) ex cura animarum; *b*) ex lege residentiae (beneficia duplicia); *c*) ex eo quod beneficia essent, tametsi simplicia, *uniformia* et *sub eodem tecto; d*) ex congruitate seu ex eo quod reditus unius beneficii essent sufficientes ad honestam sustentationem beneficiarii [139].

216. Disciplina vigens. I. Codex incompatibilitatis assignat duas causas:

1ª) Quae est communis universim officiis et beneficiis: si officia una simul ab eodem adimpleri nequeunt (can. 156, § 2),

[131] Cap. 19, 21, 23, 26, 28, 32, de praeb. III, 4, in Sext.
[132] Cap. 1, 3, 4, de praeb. III, 2, in Clem.
[133] Cap. unic. tit. de praeb. in Extravg. Ioann. XXII; cap. 4, eod. III, 2, in Extravg. com.
[134] *Hefele*, l. c. t. VI, p. 556, 605, 805.
[135] *Hefele*, l. c. p. 617, 688.
[136] Leon. X Const., *Supernae* in Sess. IX.
[137] Sess. VII, cap. 4, de ref., Sess. XXIV, cap. 17, de ref.
[138] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 8, n. 8, 9.
[139] Cfr. Conc. Trid. Sess. VII, cap. 2, 4, de ref., Sess. XXIV, cap. 17, de ref.; *Leuren.*, P. III, q. 116, 129, 130 sq., 142, 66, 64, 91; *Garcia*, P. S. S., IV, p. 401; *Benedictus XIV*, Inst. eccl. 91; Act.

si onera universa duplici beneficio adnexa idem beneficiarius per se implere simul nequeat (can. 1439, § 2). Quae prima causa, supposito quod Ecclesia officia et beneficia determinatis personis concedit ab ipsis *personaliter* obeunda, non per alium, inducit incompatibilitatem iuris vere naturalis, quippe in illa hypothesi acceptans beneficium seu officium implicite ex quasi - contractu se obligat ad officium personaliter obeundum, quae obligatio ad impossibilia dari non potest.

2ª) Causa pertinet ad sola beneficia seu officia adnexam habentia dotationem ad sustentationem beneficiarii, si videlicet ex reditibus unius beneficii beneficiarius iam percipit quod ad honestam sustentationem sufficiat (can. 1439, § 2); quae radix incompatibilitatis tota fundatur in iure positivo ecclesiastico statuta ob fines in notis historicis indicatos.

II. Principium generale ponitur (can. 156, § 1): « Nemini conferantur duo officia (et consequenter duo beneficia) incompatibilia » quae praeceptio Codicis sonat simplicem prohibitionem, dum relate ad beneficia prohibitioni videtur addita irritatio actus contrarii, cum can. 1439, § 1 dicatur: « Nullus clericus *habilis* est ad acceptanda et retinenda sive in titulum sive in commendam perpetuam plura beneficia incompatibilia [140*] ». Practicum tamen discrimen inter officia et beneficia non videtur dari, cum can. 2396 generali modo sanciatur: « Clericus, qui assecutus pacificam possessionem *officii* vel *beneficii* cum priore incompatibilis, prius quoque retinere praesumpserit contra praescriptum can. 156, 1439, *utroque* privatus ipso iure existat [141].

[140*] Collatio duorum officiorum incompatibilium, licet agatur de officiis beneficialibus, valet secundum *Creusen*, o. c., I, n. 274, 2, cum vi canonis 1439, § 1 solummodo collatio coniuncta cum *retentione* invaliditate afficiatur; cfr. quoque can. 2396. Concessio autem alicuius officii, cum alio prius obtento incompatibilis, a S. Sede facta, non valet, nisi in supplici libello mentio habeatur prioris incompatibilis aut clausula derogatoria adiciatur; cfr. can. 154, § 3. Censetur, secundum omnes, adesse clausula derogatoria, si adhibeantur sequentes locutiones: *ex certa scientia, de plenitudine potestatis, non obstantibus quibuscumque;* sufficere etiam clausulam *ex motu proprio* asserit *Creusen*, contradicentibus *Matth. C. a Coronata* aliisque. Clausula derogatoria canonis 156, § 3 sufficeret, ut ait *Creusen*, ad validam *concessionem*, sed non ad validam *retentionem*, pro qua requireretur specialis dispensatio a c. 188, n. 3.
[141] Cfr. cap. 28, X. de praeb.; cap. 3, 6, de praeb. III, 2, in Clem.; Conc. Trid. Sess. VII, cap. 4, de ref.; S. C. C. in caus. Aquilan, 14 Aug.

III. *Dispensandi* potestas ad acceptanda complura officia incompatibilia, propter necessitatem vel utilitatem Ecclesiae aut praerogativas meritorum, amplissima est penes *Romanum Pontificem* [142].

Eadem vero potestas dispensandi, si de incompatibilitate iure communi stabilita agatur, *Episcopis* simpliciter et *absolute* est neganda [143].

Quodsi quis a Romano Pontifice *petat* complura officia, in supplicatione mentionem facere debet de officio prius obtento, etsi modicum omnino sit [144].

Cum dispensationes omnes sint odiosae, rescripta, quibus plura officia conceduntur, sunt strictae interpretationis [145].

Quae leges de incompatibilitate in rigore iuris Decretalium valebant solummodo de iis officiis ecclesiasticis, quae simul essent vera et proprie dicta beneficia. Quare unum officium ecclesiasticum, quod verum beneficium *non* est, cum alio eiusmodi officio vel cum alio vero beneficio erat de se compatibile, nisi specialis prohibitio obstaret, v. g. si uniretur officium Vicarii generalis cum beneficio paroeciali. Cfr. *Leuren.*, l. c. P. III. q. 106. At iure Codicis etiam ad officia extensa est incompatibilitas, quamvis in officiis ea sola recensetur quae est, sensu explicato, iuris naturalis. Praeterea iam in se parum congruit, si in una eademque persona cumulantur plura officia ecclesiastica, quae licet stricta beneficia non sint, tamen habent reditus longe superantes congruam sustentationem unius clerici. Quare Leo XIII, ut melius provideret tot clericis egentibus, etiam in Urbe sapienter studuit abrogare quamlibet cumulationem officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum in una eademque persona.

1632; *Leuren.*, l. c. q. 101 sq. Cfr. Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888) p. 225; cap. unic. t. 3, de praeb. in Extravg. Ioannis XXI; decis S. C. C. apud *Garcia*, l. c. n. 91; *Leuren.*, l. c. q. 123 sq.

[142] Cfr. cap. 28, X. de praeb.; cap. unic. t. 3, in Extravg. Ioann. XXII; *Leuren.*, l. c. q. 73 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 138 sq.

[143] Cfr. exceptiones parum practicas, quae fieri solebant, apud *Leuren.*, l. c. q. 79; *Schmalzgr.*, l. c. n. 145 sq.

[144] Cap. 23, de praeb. in Sext.; cap. 2, de off. iud. ord. I, 9, in Clem.; *Leuren.*, l. c. q. 84 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 148, 149.

[145] Cap. 19, 21, 23, de praeb. in Sext.; cap. 3, 4, de praeb. in Clem.; *Schmalzgr.*, l. c.

§ III. De beneficiis ecclesiasticis sine diminutione conferendis [146]

217. Notio et divisio diminutionis. I. Diminutio beneficii ecclesiastici intelligitur omnis *innovatio* officii *occasione collationis*, sensu lato acceptae, facta propter quam officium illud fit *gravius* et minus appetibile et difficilius de beneficiario providetur.

II. Cum omne beneficium ecclesiasticum constet elemento spirituali et temporali, duplici quoque ratione diminutio illius fieri potest: *a*) *Impositione novi oneris spiritualis* iisdem manentibus reditibus *temporalibus; b*) si iisdem manentibus, immo forte auctis oneribus *spiritualibus*, reditus *temporales officii* per fructuum reservationem, pensionum vel solutionum impositionem aliosque modos *imminuuntur*, sive una tantum vice, occasione collationis beneficii, sive ad certum tempus, v. g. ad vitam beneficiarii, sive in perpetuum propter onus ipsi beneficio impositum [147].

III. Principium iuris Decretalium « ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur » (rubrica l. III, tit. 12) etiam in Codice iisdem verbis can. 1440 fuit sancitum.

218. Speciales modi diminutionis. I. *De novis oneribus spiritualibus in collatione beneficii non imponendis.*

a) *Collatores* beneficiorum Romano Pontifice *inferiores* ex iure communi, saltem ordinarie, *nova onera spiritualia* vel personalia, in instrumento fundationis non contenta, beneficio vacanti vel eius futuro possessori in collatione imponere non possunt; multo minus *derogare* valent obligationibus, quae in limine fundationis beneficiario fuerunt imposita [148].

[146] Novell. 123, cap. 3, 16, (a. 546); c. 15, (Conc. Later. II, a. 1139), C. I q. 3; Cpl. III, l. III, t. 10, ut e. b. s. d. c.; Decretal. Gregor. IX, l. III, tit. 12, ut eccl. benefic. sine diminut. conf.; cap. 7, (Conc. Later. III, a. 1179) X. de censib. III, 39; Leon. X, in Conc. Later V, Sess. IX, Const. *Supernae* 5 Maii 1514, Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 13, 14, de ref. iunct. decis. S. C. C. apud *Richt.* ed. Conc. Trid. p. 368 sq.; Act. S. Sed., II, p. 214; IX, p. 396, et aliis loc.; Commentator. iur. Decret. in h. t. 12; *Zech*, De iure rer. sect. III, t. 12; *Devoti*, Inst. can. l. I, t. 5, sect. 3, l. II, t. 14, sect. 4; *Phillips*, l. c. t. V, §§ 235 sq. t. VII, p. 303; *Card. De Luca*, De pensionib.; *Tonduti*, De pens. eccl.; *Thomassin.*, l. c. P. III, l. 2, cap. 29.

[147] *Reiffenstuel*, h. t. 12, n. 1 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. 12, n. 1.

[148] Cfr. cap. unic. X. h. t. 12; Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 6, de ref., Sess. XXV, cap. 4, 5, de ref. cum decis. S. C. C. apud *Richter*, l. c. p. 161

b) Speciatim ex illo principio Episcopis subducta censebatur potestas *augendi onus celebrationis Missarum*, sive quoad numerum Missarum sive quoad dies et horas celebrationis [149]. At Episcopi non prohibentur, *quominus* beneficiarios ad huiusmodi nova onera suscipienda *hortentur;* immo cogere quoque possunt, quoties et quamdiu urgens necessitas servitii ecclesiastici, propter quod officia tandem aliquando fundata sunt, novum illud onus, saltem transeunter, omnino requirat [150], cum sine distinctione inter clericos beneficiarios et non beneficiarios illa potestas fiat Episcopis per can. 128.

II. *De praestationibus in collatione beneficiorum non exigendis.*

a) Deductiones ex fructibus, solutiones ac compensationes, *occasione provisionis* canonicae cuiuscumque, tanquam simoniacae omnino reprobantur, sive illae cedant collatori sive patrono aut aliis (can. 1441) [151].

b) Qua in prohibitione nihil exigendi *occasione* provisionis canonicae non continentur *annatae* sive certa illa pars fructuum sive valoris illorum, quae in collatione officiorum quorundam *Romano Pontifici* solvenda est. (Cfr. can. 1482) [152].

Annatis adnumeranda sunt *quindennia*, quae sunt taxa quaedam, annatis aequivalens, singulis quindenniis solvenda ex fructibus officiorum incorporatorum monasteriis vel officiis ecclesiasticis. Illa enim officia incorporata nunquam vacant. Hinc ne Sedi Apostolicae subducantur reditus ex annatis, in ordine ad solvendam illam taxam, secundum plurimum minimumque

sq., 443; *Fagnanus*, in cap. 11, X. de praeb. III, 5, n. 3 sq.; *Reiffenstuel*, l. c. n. 6, 7; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. V. cap. 10, 11, 12; *Lingen et Reuss*, Caus. select. S. C. C. p. 426, 436 sq., 161 sq.

[149] S. C. C. in caus. Pisaur. 6 Apr. 1647; S. C. C. 18 Apr. 1863, 9 Dec. 1865, iunct. Act. S. Sed., II, p. 297 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. t. IV.

[150] Cap. 11, X. de praeb.; *Bouix*, De Episcop. t. II, p. 288 sq.; Act. S. Sed. II, p. 297 sq

[151] Cfr. cap. 9, X. de off. Ordinarii I, 16, in Sext.; cap. 40, X. de elect. I, 6, in Sext.; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 14, de ref.; Pii V, Const. *Durum nimis* 31 Maii 1570; Innoc. XII, Const. *Ecclesiae* 22 Sept. 1695: decis. S. C. C. apud *Richter*, l. c. p. 368 sq.; Act. S. Sed., II, p. 93 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. p. 248.

[152] Cap. 2, tit. 1, de elect. in Extravg. Ioann. XXII; cap. 11, de praeb. III, 2, in Extravg. com.; *Ferraris*, l. c. v. Annatae; *Phillips*, l. c. t. V, §§ 235 sq.; *Clergeac*. La Curie et les bénéficiers consistoriaux, p. 44, sq.

numerum annorum, post singulos elapsos quindecim annos *censentur vacare* et taxae aequivalenti ad instar aliorum officiorum *vere vacantium* subiciuntur. De huiusmodi annatis et quindenniis Codex silet. Cfr. Paul. II Const. « *Decet* » 6 Ian. 1469; *Leuren.*, P. III, q. 939, sq. *Clergeac*, l. c. p. 52 sq.

Huc quoque spectant solutiones, quae fieri solent occasione *pallii* recepti. Cfr. *Clergeac*, l. c. p. 208 sq.

De *pensionibus*, quibus pariter beneficium diminuitur iam in praecedenti titulo actum est.

Art. 4. — De conditionibus requisitis ad actum provisionis canonicae officiorum ecclesiasticorum

219. Praenotiones. Cum de qualitatibus sive conditionibus requisitis in *actu provisionis* canonicae agitur, principaliter ille intelligitur actus, quo a competente *Superiore* ecclesiastico *titulus* officii ecclesiastici sive per liberam collationem sive per aliam formam conceditur. Nihilominus iura constituta de actu collativo tituli, servata proportione, etiam ad *alios actus,* qui in provisione canonica haud raro intercedunt, velut ad electionem, postulationem, praesentationem, institutionem corporalem, sunt extendenda, nisi specialis quaedam exceptio sit statuta. Denique ut perfecta sit provisio canonica, non solum actus personarum *providentium,* sed etiam *provisarum,* velut *consensus* in electionem vel *acceptatio* collationis, rite positi sint necesse est.

220. Disciplina vigens. Actus provisionis canonicae fieri debuit ex iure Decretalium, cui etiam iure Codicis standum videtur:

I. *Deliberate* et *libere,* i. e. sine vi ac metu vel dolo; secus provisio facta saltem firmiter valida non est, sed rescindibilis. Cfr. can. 103, 104; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 775; *Garcia,* l. c. P. VIII. cap. 1, 3; *Passerin.*, De elect. canon. cap. 2, 3, 4, 5; *Schmalzgr.*, l. III, t. 5, n. 74; *Pirhing,* eod. tit. n. 60.

II. *Uni certae* determinataeque *personae.* Quare collatio officii duabus personis, sive copulative (cfr. cap. 20, 25 X. de praeb. III, 5) sive alternative (cfr. cap. 2 de elect. I, 6 in Sext.) facta, non tenet salvo iure patroni praesentandi plures sive successive sive una simul ad normam can. 1460, § 4 et can. 1465,

§ 1. Cfr. can. 169, § 1, 2°; *Leuren.*, l. c. q. 772; *Pirhing*, l. c.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 77; *Garcia*, l. c. cap. 2.

III. *Absolute* et *pure*, non conditionale, iuxta R. I. 50 in Sext.: omnis igitur conditio externa sive suspensiva sive resolutiva a provisione canonica est exclusa. Cfr. *Pirhing*, l. c. n. 63 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 769, 774; *Schmalzgr.*, l. c. n. 76. Item modus, pactum, onus spirituale vel temporale, quae non iam ex natura rei provisioni canonicae insunt, sed extrinsecus ad instar conditionis apponuntur, pariter censenda sunt et habenda pro non adiectis et prohibita. (can. 169, § 2). Cfr. *Schmalzgr.*, l. c. n. 78.

IV. *Aperte* et *palam*, non clandestine. Quamvis enim actus occultus provisionis canonicae generatim (cfr. cap. 42, X. de elect. I, 6) irritus non sit, tamen suspectus habebatur de fraude et simonia et difficulter *probari* potest. Cfr. cap. unic. X. ut eccl. benef. III, 12; *Leuren.*, l. c. q. 773; *Garcia*, l. c. cap. 4, n. 3 sq. Quare etiam curandum est ut provisio canonica, et imprimis electio canonica vel institutio corporalis, fiant *in loco* decenti et honesto iuxta probatam Ecclesiae disciplinam. Cfr. *Passerin.*, l. c. cap. 13.

Scriptura ad concessionem officii generatim [153] ex iure Decretalium non erat praescripta [154]; censebatur tamen necessaria ut collatio sive institutio collativa tituli authentico et securo modo *probari* posset, reservatis symbolis quibusdam ad institutionem *corporalem* apte perficiendam. Sed Codex can. 159 cuiuslibet officii provisionem scripto consignari omnino praecipit.

V. Servata *forma*, quae iure communi vel statutis et consuetudinibus particularibus vel lege fundationis requiritur [155]. Qua in re potissimum attendenda est *forma concursus* in conferendis paroeciis a Conc. Trid. praescripta. Cfr. Trid. Sess. XXIV, cap. 18 de ref.; Benedict. XIV Const. « *Cum illud* » 14 Dec.

[153] Cfr. cap. 1, de elect. I, 3, in Extravg. com. de exhibendis Litteris Apostolicis provisionis canonicae factae apud Sedem Apost. ab *Episcopis* aliisque Praelatis ecclesiasticis; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 786; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. lib. II, cap. 5, n. 7.

[154] *Pirhing*, l. III, t. 5, n. 62.

[155] Cfr. de forma servanda in provisione canonica: *Garcia*, l. c. P. IX, cap. 1 sq., ubi tamen nimis generaliter nimioque rigore omnes formas a iure praescriptas ad ipsum valorem provisionis canonicae videtur requirere; *Passerin.*, De elect. can. cap. 9 sq.

1724 [156]. Quae forma concursus, sive *specialis* quem praescripsit Tridentinum, sive *generalis*, qualis passim pluribus locis introductus fuerat, can. 459, § 4 iubetur retineri ubi viget, donec Sedes Apost. aliud decreverit. Qui concursus ex iure particulari etiam in collatione *aliorum* officiorum ecclesiasticorum observandus est. Cfr. *Nussi*, l. c. pag. 134, 136; Benedict. XIII Const. « *Pastoralis* » 19 Maii 1725. Porro praesentati seu electi, postulati vel nominati a quibusvis personis ad quaevis ecclesiastica officia seu beneficia non instituantur nec confirmentur neque admittantur, nisi fuerint prius a locorum *Ordinariis* idonei reperti etiam per examen, si id ius vel officii ratio postulet aut Ordinarius opportunum iudicaverit (can. 149) [157]. Quod examen, si agatur de paroeciis, quae per concursum non providentur, specialem habet formam cit. can. 459, § 3, n. 3° praescriptam.

Scholion. Cfr. de *consensu* vel *consilio* tertiae personae forte in provisione exigendo: Cap. 52, X. de elect. I, 6 et *Leuren.*, l. c. P. II, q. 779 sq.; de acceptatione clerici provisi: Cap. 17 de praebend. III, 4 in Sext.; *Leuren.*, l. c. q. 794; *Passerin.*, l. c. cap. 20. Interdum clericus provisus, antequam officio suo fungatur, gubernio *civili iuramentum* praestare debet. Cfr. v. g. art. 6, 7 concord. Galliae (a. 1801).

VI. *Gratis* et absque *simonia* [158]; secus qui confert, et qui accipit *officium* vel *beneficium* ecclesiasticum incurrunt censuras et poenas vindicativas, sive ferendae sive latae sententiae, in iure statutas can. 2392, v. g. excommunicationem simpliciter R. Pontifici reservatam propter simoniam realem saltem in provisione officii, beneficii aut dignitatis. Item provisio omni vi caret, licet simonia a tertia persona commissa fuerit, etiam inscio proviso, dummodo hoc non fiat in fraudem eiusdem provisi aut eo contradicente.

[156] *Leuren.*, l. c. P. I, q. 479 sq.; *Garcia*, l. c. cap. 2; *Santi*, l. III, t. 5, n. 60 sq.; *Wernz*, Votum in caus. S. Pauli in Brasil. discuss. in S. C. C. 3 Aug. 1889.

[157] *Leuren.*, l. c. P. II, q. 778; *Aichner*, Compend. iur. eccl. § 83, de examine promovendorum ad officia ecclesiastica, p. 699. Exceptio facta a Tridentino (sess. VII, cap. 13 de ref.) de praesentatis seu electis ab aliqua Universitate, non iam videtur esse practici momenti.

[158] Cfr. cap. 8, 9, 16, 23, 34, X. de simon. V, 3; cap. 2, de simon. V, 1, in Extravg. com.; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 14, de ref.; decis. S. C. C. apud *Richter*, l. c. p. 368 sq.; Collect. Lac. t. I, col. 147 sq.; *Passerin.*, l. c. cap. 7; *Schmalzgr.*, l. c. n. 74.

Quare ante quamlibet iudicis sententiam beneficium, officium, dignitas dimitti debent, nec simoniace provisus interim facit fructus suos. Quodsi fructus bona fide percepit, v. gr. in casu simoniae a tertia persona ipso inscio commissae, prudentiae iudicis vel Ordinarii permittitur fructus ita bona fide perceptos ex toto vel ex parte eidem condonare (can. 729).

Nec simoniace provisus gaudet beneficio legitimae praescriptionis beneficii ex pacifica eiusdem possessione per integrum triennium bona fide habita (can. 1446).

Occasione collationis beneficiorum ecclesiasticorum non est exclusa exactio taxarum Cancellariae, modo eius determinatio et exactio fiat ad normam can. 1507.

VII. In *perpetuum*, sive ad vitam clerici, in *titulum* conferenda sunt *beneficia* saecularia, nisi aliud ferat vel lex fundationis, vel consuetudo immemorabilis vel peculiare indultum (can. 1438). Quae concessio in titulum perpetuum non est necessaria in omnibus *officiis* et vel ipsum officium paroeciale, quod plerumque habet adnexam rationem beneficii, potest quoad certas paroecias esse coniunctum cum amovibilitate (can. 454, § 2); multo magis id accidit in officiis regularium. At stricta beneficia, quae non sint manualia, auctoritate ordinaria Episcoporum non possunt conferri in meram commendam [159] vel indefinitam administrationem provisoriam.

VIII. *Intra tempus* a iure definitum. Qua in re generalis illa regula est tenenda, quod officia ecclesiastica ultra sex menses vacare non debeant ideoque infra sex menses utiles ab habita notitia vacationis nova provisio est facienda (can. 155) [160]. Speciatim vero electio ad ecclesias cathedrales intra tres menses fiat necesse est (can. 161) [161], praesentatio ad officia iuris patro-

[159] Cfr. de commendis, Cap. 2, de praeb. III, 2, in Extravg. com.; Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 21 de regular. iunct. Sess. XIV, cap. 10, de ref.; *Devoti*, Inst. canon. l. II, t. 14, sect. 3; *Riganti*, l. c. Reg. Canc. Apost. 43, n. 46, sq.; *Garcia*, l. c. P. I, cap. 4, P. V. cap. 4; *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 3, cap. 10 sq., et de commendis Cardinalium: Act. theol. Oenip. t. I, p. 284.

[160] Cfr. cap. 2, 5, 12, X. de conc. praeb. III, 8; cap. unic. de suppl. negl. l. 5, in Clem.; *Garcia*, l. c. P. X, cap. 1, 2; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 739 sq., 787 sq.; *Schmalzgr.*, lib. III, t. 8; n. 36 sq.

[161] Cfr. cap. 41. 42, X. de elect. I, 6; cap. 12, X. III, 8; c. 11, (Gregor. M.) D. 50; *Passerin.*, De elect. canon. cap. 13.

natus sive ecclesiastici sive laicalis intra quatuor menses post *acceptam notitiam* de vacatione officii ecclesiastici (can. 1457) [162]. Quodsi collatores vel electores vel patroni ob culpam et negligentiam ius suum intra tempus praescriptum omnino non exerceant, provisio canonica saltem pro illa vice ad proximum Superiorem ecclesiasticum competentem devolvitur (can. 158, 161, 178, 1458, § 1 [163]. Quare leges civiles de tempore provisionis officiorum non solum irritae et iniustae, sed etiam plane superfluae fuerunt.

221. Scholion. Notio, historia devolutionis. *a*) *Devolutio* est translatio iuris *conferendi* officium in immediatum Superiorem ecclesiasticum, ipso iure facta, ob culpam vel negligentiam in provisione admissam ab alias competente collatore vel collegio electorum vel patrono [164].

b) Canones de devolutione iuris conferendi officia ecclesiastica *primis saeculis* non occurrunt. Ex saeculo autem quinto iam prima vestigia huius disciplinae ecclesiasticae reperiuntur, ut patet ex c. 26. Conc. Chalced. (a. 451) = c. 4, D. 89 et c. 21, C. XVI, q. 7.

Gregor. M. a. 601 (cfr. c. 2, D. 89 iunct. dict. Grat.) Episcopo commisit institutionem Vicedomini, si clerus illius electionem omitteret, atque Conc. Nicaen. II (a. 787), c. 11 constituit, quod Metropolitanus deputaret oeconomum bonorum temporalium, si Episcopus id negligeret, et si Metropolitanus in sua Ecclesia esset negligens, idem negotium concessit Patriarchae Constantinopolitano.

Cum praesertim [165] ex saeculo duodecimo (cfr. c. 2, Conc.

[162] Iure praecedente patrono ecclesiastico sex menses erant concessi. Cfr. cap. 22, X. de iure patr. III, 38; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 135 sq.; *Nussi.* Convent. p. 29 sq., 48.

[163] Cap. 3, 4, 5, X. de suppl. negl. I, 10; Synod. Syron. (a. 1888) p. 214, de supplenda per Patriarcham negligentia Episcoporum, si illi presbyteros non constituant; *Garcia*, l. c. cap. 3.

[164] *Leuren.*, l. c. P. II, q. 737; cfr. quoque de devolutione iuris conferendi officia ecclesiastica: *Pirhing*, l. I, tit. 10, de supplenda neglig. Praelatorum n. 1, sq.; *Schmalzgr.*, eod. tit. n. 1 sq.; *De Angelis* eod. tit. n. 4; *Santi*, eod. tit. n. 1 sq.

[165] Greg. M. iam. a. 597, in c. 11, D. 50, docet: *Ultra tres menses ecclesiam vacare Pontifice statuta sacrorum canonum non permittunt; Thomassin.*, l. c. P. II, l. 1, cap. 51.

Later. III, a. 1179 = cap. 2, X. de conc. praeb. III, 8) [166] *tempora* provisionis canonicae officiorum ecclesiasticorum magis fixa et determinata essent introducta, ilico orta est quaestio, ad quem in casu negligentiae, elapso legitimo tempore, spectaret illa provisio canonica. Responsa doctorum huic quaestioni data iure Decretalium fuerunt approbata. Idcirco, praesertim inde ab Innocentio III et compilationibus authenticis, una cum accuratiore terminologia etiam accuratior et perfectior habebatur doctrina et legislatio canonica de devolutione.

Post ius Decretalium certe celeberrimum decretum de devolutione conditum est a Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 16 de ref. (cfr. decis. S. C. C. apud *Richter*, l. c. p. 370 sq.) quo devolutio iuris deputandi *Vicarium capitularem*, si Capitulum esset negligens, accurate definitur. Recentius vero, cum non pauci gradus intermedii inter Romanum Pontificem et Episcopos ad meros titulos honorificos essent reducti, atque generatim Praelati ecclesiastici inferiores suum officium in provisione minorum beneficiorum ecclesiasticorum negligere non solerent, ius devolutionis, etsi theoretice non esset abrogatum, raro erat practici momenti, salvis semper iuribus Rom. Pontificis et Episcoporum in casibus extraordinariis negligentiae collatorum vel electorum et praesertim *patronorum* [167].

222. Disciplina vigens devolutionis. I. Devolutio inducitur vel ex *negligentia* eorum, qui partem habent in provisione (sive per liberam collationem, sive per electionem aut postulationem, sive per praesentationem aut nominationem) vel ex eorum *culpa* vel tandem ex eorum *delicto in poenam*.

a) *Negligentia* consistit in hoc quod praeterlapsum fuerit tempus a iure statutum, infra quod provisio vel actus ad provisionem ordinatus fieri debuit. Sub hoc respectu: 1°) Si *libera collatio beneficii* facta non fuerit intra semestre ab habita notitia certa vacationis, collatio devolvitur *ad Sedem Apostolicam*

[166] Cfr. quoque cap. 5, 10, 12, 15, X. eod. tit. 8.

[167] *Nussi*, Conventiones p. 29, 33, 37, 43, 46; Convent. Leon. XIII, p. 7, art. 12, convent. cum republic. Aequat. (a. 1881): « *Quod nisi praestiterit* (praeses reipublicae intra annum a vacatione sedis episcopalis clericum a S. Sede instituendum praesentare debet) *electio S. Sedi devolvetur* » p. 48, art. 7, concord. pro Indiis orientalibus (a. 1886).

(can. 1432, § 3) [168]. Negligentia non habetur nec inducitur devolutio, si collator infra tempus statutum provisionem non fecerit ob absolutum defectum subiecti idonei; non enim inidoneis personis sunt beneficia conferenda in defectu idonearum, sed in tali casu potius suspendenda est provisio. Comm. Codic. 24 Nov. 1920.

In officiis, quae beneficii rationem adnexam habere non solent et pertinent ad liberam collationem, illa devolutio non videtur stricte praescripta (cfr. can. 155).

2°) In *electione*, si a collegio cui ius eligendi competit electio ultra trimestre utile ab habita notitia vacationis differatur, electio, illo termino inutiliter elapso, devolvitur ad eum ad quem spectat confirmatio electionis, si hac confirmatione egeat, vel ad eum cui successive competit ius providendi, si electio non indigeat confirmatione (can. 161). Quae lex valet, nisi iure speciali diversum tempus ad electionem faciendam fuerit concessum [169]. Ita si negligens fuerit Capitulum in deputando Vicario Capitulari intra octo dies ab accepta notitia vacationis Sedis episcopalis, deputatio devolvitur ad Metropolitam; si autem ipsa ecclesia metropolitana fuerit vacans vel metropolitana simul et suffraganea, devolutio fit ad antiquiorem ex Episcopis suffraganeis (can. 432).

3° In *praesentatione*, si praesentatio a patrono sive laico sive ecclesiastico intra quatuor menses a data patrono notitia de vacatione *beneficii* facta non fuerit, beneficium pro ea vice fit liberae collationis et provisio devolvitur ad illum Superiorem qui ad dandam institutionem erat competens. Quodsi brevius tempus ad praesentationem sive lege fundationis sive legitima consuetudine fuerit praescriptum, pariter eo tempore breviore inutiliter elapso, eodem modo fit devolutio (can. 1457, 1458, § 1).

4°) Si legitime praesentato et idoneo reperto intra legitimum tempus duorum mensium ab Ordinario canonica institu-

[168] Nihilominus in collatione officii et beneficii paroecialis can. 458 Ordinariis tribuitur facultas differendi ultra semestre collationem, si rerum adiuncta id postulent.

[169] In electionibus Superiorum religiosorum saepe longius tempus Constitutiones legitime approbatae concedunt; immo non desunt religiones, in quibus Vicarius, post obitum constitutus vel iam antecedenter pro illo casu designatus, regimen tenet usquedum revoluta fuerit periodus temporis pro quo Superior fuerat electus. *Maroto*, o. c., I, 614.

tio data non fuerit, ius canonicae institutionis devolvitur ad Metropolitam (can. 274, 1°), aut ad Rom. Pontificem, si negligens fuerit Metropolita aut Episcopus immediate subiectus. Hoc tamen in casu devolutio non videtur fieri ipso iure, sed interventus Superioris altioris a praesentato vel a patrono videtur implorandus, cum debeat constare abfuisse iustum impedimentum.

b) Devolutio *ex culpa* fit: 1°) Si *postulatio* intra legitimum tempus octo dierum ad Superiorem competentem missa non fuerit, provisio officii fit liberae collationis (can. 181, §§ 1, 2).

2) Si *postulatio* reiecta fuit, eo quod electores scienter postulaverint illum qui tali detinetur impedimento in quo nequeat aut non soleat dispensari, pariter provisio officii fit liberae collationis (can. 182, § 1).

3°) Si a patrono, postquam prior praesentatus idoneus non est repertus, alius item inidoneus praesentetur, provisio fit liberae collationis (can. 1465, § 1).

c) Ex *delicto in poenam*. In *electione*, si collegium iure eligendi privetur, libera officii provisio ad eum Superiorem devolvitur, a quo confirmanda esset electio vel cui ius providendi successive competit. Huiusmodi poena statuitur: 1°) in electores collegii clericorum vel religiosorum, qui sollicitaverint vel sponte admiserint illegitimam immixtionem laici vel saecularis potestatis contra libertatem canonicam electionis (can. 2390, § 2); 2°) in collegium quod indignum scienter elegerit (can. 2391, § 1).

Pariter relate ad *praesentationem* vel *nominationem*, clerici vel laici, qui indignum scienter praesentaverint vel nominaverint, iure praesentandi vel nominandi ipso facto pro ea vice privantur; ideoque provisio devolvitur ad liberam collationem Superioris, ad quem pertineret, si officium seu beneficium praesentationi aut nominationi obnoxium non esset (can. 2391, § 3).

Relate ad *praesentationem, nominationem* vel *electionem*, omnes qui iure eligendi, praesentandi aut nominandi legitime fruuntur, si neglecta autoritate illius, cui confirmatio vel institutio competit, officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam conferre praesumpserint, suo iure pro ea vice ipso facto privati manent; ideoque provisio devolvitur ad liberam collationem Superioris (can. 2393) [170].

[170] Cum provisio fuit invalida *ob vitium simoniae*, provisio devolvitur quidem ad Romanum Pontificem, sed iure Codicis (can. 1435, § 1, 3°)

Devolutio, cum sit privatio iuris exercendi in provisione officii et beneficii, non obtinet nisi in casibus in iure expressis: si extra casus in iure expressos collatio, electio vel praesentatio seu nominatio irritatur sine expressa vel aequivalente mentione devolutionis, nova collatio, electio vel praesentatio seu nominatio redit ad eos qui nulliter suum ius exercuerunt.

II. Modus devolutionis: 1°) Devolutio ex quacumque causa proveniat fit *ipso iure*, ideoque nulla requiritur sententia ne declaratoria quidem. — 2°) Provisio canonica ad Superiorem altiorem devolvitur cum iisdem conditionibus, quae in prima collatione erant servandae, nisi agatur de devolutione facta ad Rom. Pontificem qui illis conditionibus non tenetur [171]. — 3°) Cum devolutio importet privationem iuris pro illa vice in collatore inferiore, in patrono vel in electoribus, et translationem illius iuris ad Superiorem ad quem fit devolutio, collatio vel electio aut praesentatio post devolutionem facta est invalida [172]. — 4°) Ex expressa dispositione can. 158, Superior qui iure devoluto officium vel beneficium confert, nullam inde acquirit potestatem in nominatum; sed huius iuridicus status perinde constituitur ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset. Quod principium videtur ex tenore canonis applicari debere ad alios quoque modos extraordinarios beneficia conferendi, v. gr. iure reservationis. Provisio illa extraordinaria habet pro unico effectu concessionem officii seu beneficii, ideoque provisus non accipit specialem statum iuridicum diversum ab eo in quo constitutus esset per ordinarium modum provisionis.

potius quam *devolutio* dicitur intercedere *reservatio*. In praxi non est discrimen.

[171] *Passerin.*, De electione canon. cap. 31, n. 53; *Leuren.*, P. II, q. 743.

[172] *Leuren.*, P. II, q. 740 sq., 744.

CAPUT VII

De libera collatione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum (can. 152-159; can. 1431-1447)

223. Fontes: Cfr. font. cit. supra cap. I, iunct. Libr. Sept. l. 1, t. 10, de benef. coll. et impetr., t. 11, de reservat.

Scriptores: Comment. iur. Decretal. in l. III, t. 5, v. g. *Schmalzgr.*, n. 40 sq., 209 sq., 277 sq.; *Pirhing*, eod. tit. 5, sect. 2, 3, 4, 7 sq. — *Zech*, De iure rer. eccl. sect. 3, tit. 9, de acquirend. vel am. benef., tit. 18 sq.; *Devoti*, Inst. canon. l. I, t. 5, sect. 3, de collat.; *Sanguineti*, Inst. iur. eccl., n. 310 sq.; *Garcia*, l. c. P. IV, cap. 1, P. V, cap. 1 sq.; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 1 sq.; *Riganti*, l. c. Reg. Canc. Apost. 1 sq. — *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 2, cap. 33 sq. — *Phillips*, l. c. t. V, p. 311 sq., 470 sq.; *Eubel*, Zum päpstl. Reservations u. Provisionswesen (Röm. Quartalschr. t. VIII, p. 169 sq.; *Blat*, Comm. Cod. II, nn. 93 et sqs.; III, Pars 2ª, nn. 330 et sqs.; *Chelodi*, De Personis, nn. 136 et sqs.; *De Meester*, Compendium i. c., nn. 398 et sqs.; III, nn. 1414 et sqs.; *Maroto*, Institutiones i. c., nn. 604 et sqs.; *Matth. C. a Coronata*, Institutiones i. c., I, nn. 219 et sqs.; II, nn. 987 et sq.; *Ojetti*, Comm. in Cod. i. c., IV; *Vermeersch-Creusen*, Epitome i. c., I, nn. 270 et sqs.; II, nn. 762 et sqs.

Praenotiones

224. *Collatio* sive voluntaria institutio fit per solos *Superiores ecclesiasticos; electio* autem sensu latiore accepta perficitur a *subditis* atque comprehendit electionem stricte dictam, postulationem, nominationem vel praesentationem, quibus ex parte Superioris ecclesiastici accedunt confirmatio, admissio, institutio canonica. Cum Ecclesia sit societas perfecte *monarchica*, profecto libera *collatio* officiorum ecclesiasticorum ipsius constitutioni quam maxime est *conformis*, si excipias dignitatem Romani Pontificis, qui ab hominibus quidem eligitur et designatur, sed a solo Deo immediate accipit potestatem officii sive primatum iurisdictionis. Quare *electio* est forma provisionis canonicae universalior, nam vel ipsam provisionem Sedis Apostolicae complectitur, quae denuo differt ab ordinariis Praelatorum electionibus, quoniam *confirmationem* Superioris ecclesiastici non obtinet neque obtinere potest.

Definitio. Collatio libera est provisio (concessio sive donatio) officii ecclesiastici vacantis de clerico idoneo a competente Superiore ecclesiastico (liberaliter) pleno iure canonice facta.

Art. 1. — De libera collatione officiorum ecclesiasticorum per Romanum Pontificem

§ I. Principia fundamentalia

225. Romano Pontifici vi primatus iurisdictionis potestas libere conferendi omnia officia ecclesiastica totius Ecclesiae amplissimo modo competit. Nam qui suprema plenaque potestate constitutus est pastor ordinarius universalis Ecclesiae, is etiam pleno iure est supremus et universalis collator omnium officiorum ecclesiasticorum. Qua in re neque uni determinataeque formae collationis adstringitur, sed praeventione vel reservatione aliisque legitimis modis iure suo conferendi uti potest [1]. Quam potestatem Romani Pontifices in universalibus Ecclesiae legibus iampridem disertis verbis sibi vindicarunt [2], atque Concilium Lugdunense II (a. 1274) ratam habuit, (cfr. cap. 3 de praeb. in Sext.), et Codex can. 1431 denuo sancivit. Optimo igitur iure de illa praerogativa Romani Pontificis inter theologos et canonistas catholicos, non exceptis Gersone et Petro de Alliaco, perfectus viguit consensus.

226. Quare perperam Gallicani asseruerunt ius providendi Romani Pontificis esse accidentalem quandam praerogativam Sedis Apostolicae. Porro reservatio quoque officiorum ecclesiasticorum per Romanos Pontifices facta nequaquam nititur inani iuris titulo neque fraudulentis innovationibus fuit introducta, ut opinati sunt *Boehmerus* et *Febronius*, neque multum abest *Hinschius* l. c. t. III, p. 114, sed fuit legitima iuris certi exercitatio. Denique nulla ratione sustineri potest reservationes ponti-

[1] Conc. Trid. Sess. XXIII, can. 8; Conc. Vatic. Sess. IV, Const. *Pastor aeternus*; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 512; *Garcia*, l. c. P. V, cap. 1, 2; *Phillips*, l. c. t. V, p. 361 sq.

[2] Cap. 2, (Clem. IV, a. 1265) de praeb. III, 4, in Sext.; cap. I, (Bonif. VIII, a. 1295) de praeb. III, 2, in Extravg. com. Cfr. de collatione canonicatuum: Act. S. Sed., XXXVI, p. 35 sq.

ficias fuisse et esse Ecclesiae *exitiales*. Quamvis enim negandum non sit in casibus particularibus excessus fuisse commissos, tamen moderatus reservationum usus et saeculis elapsis et nostra aetate omnino *conveniens* et opportunus est dicendus, et ad efficacem et suavem Ecclesiae gubernationem multum accommodatus.

Summopere enim Ecclesiae interest, ut omnes clerici centro unitatis ecclesiasticae arcte devinciantur; propter sollicitudinem omnium Ecclesiarum Romanus Pontifex indiget ministris, quos honoribus et muneribus afficere oportet; clerici pauperes, forte sedibus suis pulsi, sublevandi, viri docti et periti praemiis sunt donandi. Haud raro, tempore medii aevi, socordia et negligentia inferiorum Praelatorum fuit supplenda, qui non vere pios et doctos clericos, sed consanguineos, forte mero nobilitatis titulo commendatos [3], ad dignitates et praebendas ecclesiasticas promovebant et a simoniacis artibus minime abhorrentes nimium indulgebant guberniorum praetensionibus. Mirum igitur non est, quod viri docti in Universitatibus sese ab Episcopis negligi publice conquererentur et, v. g. in Constantiensi Concilio, aperte faverent Romanorum Pontificum reservationibus [4].

§ II. Notae historicae

227. In primordiis Ecclesiae catholicae Apostoli constituerunt Episcopos [5]. Post aetatem apostolicam potissimum per Episcopos comprovinciales facta est electio Episcoporum [6]; Romani autem Pontifices iam primis saeculis illi negotio electionis invigilare non omiserunt, atque adeo, saltem in casibus particularibus, non solum in provisione dioecesium, sed etiam inferiorum

[3] Cfr. cap. 37, X. de praeb. III, 5; *Schneider*, D. bisch. Domkap. p. 120 sq.

[4] *Leuren.*, l. c. P. II, q. 525; *Hefele*, l. c. t. VII, (ed. I), p. 366; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 572, p. 451.

[5] Act. Apost., XIV, 22; Tit. I, 5; *Irenaeus*, Adver. haer. l. cap. 3; *Euseb.*, Hist. Eccl. l. II, cap. 37; Innoc. I in epist. ad Decent. Eugub. n. 2, iunct. S. Clem. Rom. in ep. I ad Corinth. cap. 44; S. Cypr. v. g. in epist. 18, cap. 1, epist. 67, cap. 4, 5; c. 4, 6. Conc. Nicaen. (a. 325); *Hefele*, l. c. t. I, p. 382 sq.; *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 2, cap. 1 sq.; *Saegmueller*, l. c. § 71.

[6] *Phillips*, l. c. t. V, § 222, p. 371 sq. § 230, p. 488 sq.

officiorum ecclesiasticorum quandoque suam interposuerunt auctoritatem. Tandem ad Capitula ecclesiarum cathedralium tempore medii aevi delata est electio Episcoporum, exclusa qualibet interventione populi. Quod ius in authenticis compilationibus iuris Decretalium lib. I, tit. de elect. continetur. Inde autem ex saeculo decimo quarto Clemens V et Benedictus XII provisionem ecclesiarum cathedralium ita sibi reservare coeperunt, ut ad solum Romanum Pontificem spectaret. Quae *libera collatio Romani Pontificis* ex Regulis Cancellariae Apostolicae transiit in ius *commune* et facta est forma ordinaria provisionis dioecesium [7], et nonnisi ex iure speciali nominatio Episcoporum fieri poterat per electionem Capitulorum ecclesiarum cathedralium aut per praesentationem patronorum vel guberniorum civilium [8].

228. Pontificiae reservationes officiorum inferiorum, etsi earum vestigia quaedam iam ante saeculum duodecimum occurrunt, tamen stabili quadam ratione atque ex iuris communis dispositione antiquis illis temporibus non reperiuntur. Quae res exinde manifeste probatur, quod in Decreto Gratiani, inter a. 1142-1151 compilato, canones vel dicta de veris reservationibus non existant. Id autem veteres canonistae iam passim concesserunt, velut *Leuren.*, l. c. P. II, q. 526; *Zech*, l. c. sect. III, tit. 10, p. 222, aliique, quippe qui opinati sunt, nonnisi saeculo post Gratianum reservationes fuisse introductas aut saltem ante Alexandrum III (a. 1159-1181) non reperiri. At certum est iam Innocentium II, a. 1137 et Eugenium III, a. 1152 concessisse rescripta de providendo [9]. Frequentius factae sunt reservationes non solum *per preces*, sed etiam per stricta *mandata*, (per litteras monitorias, praeceptorias, executorias) circa beneficia *vacantia*, vel nondum vacantia suoque tempore *vacatura*, inde ab Alexandro III, salvis tamen privilegiis a Sede Apostolica contra huiusmodi mandata de providendo concessis. Denique Innocentius III disertis verbis ius reservandi officia repetit ex plenitudine suae

[7] Reg. Canc. Apost. 2; Conc. plen. Baltimor. II, (a. 1866), in Collect. Lac. t. III, col. 483.

[8] *Nussi*, Conventiones p. 29 sq.; Epist. Secret. Stat. 20 Iul. 1900 in Anal. eccl. t. IX, p. 413.

[9] *Thomassin.*, l. c. P. II, t. 1, cap. 41 sq.; *Phillips*, l. c. t. V, p. 488 sq.

potestatis. Quod ius Romani Pontificis adeo in praxi fuerat receptum ut, cum a. 1234 Gregorius IX suam publicaret collectionem Decretalium, in novam compilationem authenticam non paucae Decretales de reservationibus pontificiis fuerint insertae [10]. Post Gregorium IX, maxime liberalis in reservandis beneficiis etiam per mandata de providendo et concessionem exspectativarum fuit Innocentius IV. Qua in re usus est iure suo et ad maiora illa onera imponenda tristi conditione Sedis Apostolicae necessario adactus est [11], eiusque exemplum multo magis secuti sunt RR. Pontifices Avenione residentes et in magno schismate inter se contendentes.

229. Quodsi Romani Pontifices hucusque recensiti solummodo reservationes *particulares* statuerunt, Clemens IV, a. 1265, ut eliminaret varias artes ab inferioribus collatoribus ad eludenda iura Sedis Apostolicae excogitatas, primus fuit ex Romanis Pontificibus, qui insistens *antiquae consuetudini* lege universali et perpetua generales promulgaret reservationes de beneficiis vacantibus in Curia Romana propter mortem beneficiariorum ibidem secutam. Cfr. cap. 2 de praeb. III, 4 in Sext. Idem negotium reservationum etiam in Libro Sexto et Extravg. com. [12] fuit novis legibus ordinatum. Tandem a Clemente V (a. 1305) prima vice generaliter *ecclesiae* quoque *cathedrales*, quae apud Sedem Apostolicam vacarent, toto sui Pontificatus tempore reservatae fuerunt. Auxerunt numerum reservationum ecclesiarum cathedralium Ioannes XXII (a. 1316-1334) [13], Benedictus XII (a.

[10] Cap. 6, 37, 38, X. de praeb. III, 5; cap. 4, X. de conc. praeb. III, 8; cap. 30, 37, 38, 40, X. de rescript.

[11] Cap. 3, 4, de conc. praeb. III, 8, in Sext.; *Phillips*, l. c. t. V, p. 470, sq. 476.

[12] Cap. 34, (Bonif. VIII), de praeb. III, 4, in Sext., quo reservatio extenditur etiam ad beneficia morientium in loco vicino Curiae Romanae per duas diaetas legales, salvis limitationibus cap. 3, 35, l. c. in Sext. et iure consuetudinario (de beneficii patronatus laicalis) admissis; cap. 3, (Clem. V), de praeb. III, 2, in Extravg. com.; *Phillips*, l. c. t. V, § 231, p. 508 sq.

[13] Cap. 4, de elect. I, 3, in Extravg. com., ubi Ioann. XXII Const. *Ex debito* a. 1316, omnia beneficia ibidem recensita reservantur, quae per mortem vel depositionem ac privationem, per electionum cassationem, postulationum repulsionem, renuntiationem, quorumlibet provisionem, translationem, sive per susceptionem muneris consecrationis aut benedictionis apud Sedem Apostolicam vacant; cap. unic. tit. 3, de praeb. in Extravg. XXII, = cap. 4, de praeb. III, 2, in Extravg. com. = Ioann. XXII Const. *Exsecrabilis* a. 1317, qua reservantur etiam omnia beneficia ipso iure vacantia propter adeptum secundum beneficium incompatibile, item beneficia, quae vacant propter mortem Cardinalis vel quorundam Curialium.

1334-1342) [14], Clemens VI (a. 1342-1352), et Urbanus V (a. 1362-1370). Inde ex saeculo decimo quarto paulatim etiam illae reservationes pontificiae ortae sunt, quae continentur in Regulis Cancellariae Apostolicae. Ex istis Regulis, praeter Regulam secundam de reservatione ecclesiarum cathedralium, praesertim Regula nona de mensibus papalibus (orta ex singulari interpretatione concessionis a Martino V in Concilio Constantiensi factae) et Regula quarta de reservatione primae dignitatis in Capitulis hactenus vigebant [15]. Quae Regulae Canc. Apost., per alios Romanos Pontifices non raro immutatae, in rigore iuris continebant disciplinam ante codicem vigentem, quatenus mitiore praxi et antiquis vel novis concordatis et indultis apostolicis non fuissent emollitae vel immutatae, v. g. in concordato Vindobonensi (a. 1447) vel Galliae (a. 1516). Denique praeter reservationes in corpore iuris et in Regulis Canc. Apost. contentas aliae generales reservationes pontificiae non existebant, nisi quae statuebantur in poenam certorum delictorum [16].

§ III. Disciplina vigens

230. *De obiecto* et *ambitu liberae collationis pontificiae.*

Officia ecclesiastica, in quibus Romanus Pontifex exercet suum supremum ius liberae collationis, sunt imprimis *Episcopatus* cuiuscumque gradus etiam partriarchalis, ut iam fuerat constitutum secunda Regula Cancellariae Apostolicae [17] et in Codice denuo fuit firmatum can. 329, § 2. Qua Regula Cancellariae antiquum ius Decretalium de electione Episcoporum iam manserat abrogatum [18]. Quare ubicumque nostra aetate *electio* ca-

[14] Cap. 13, de praeb. III, 2, in Extravg. com. = Benedict. XII Const. *Regimen* a. 1335.

[15] *Leuren.*, l. c. P. II, q. 539 sq.; *Riganti*, l. c. Reg. cit. Canc. Apost.; *Phillips*, l. c. t. V, p. 521 sq.

[16] *Nussi*, Conventiones; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 589; *Saegmueller*, l. c. p. 273.

[17] *Riganti*, l. c. Reg. 2, Canc. Apost.

[18] *Nussi*, l. c. p. 29 sq.; Collect. Lac. t. II, col. 546 sq., 568 sq..

nonica Episcoporum aut nominatio vel praesentatio gubernii civilis aut plena provisio alicuius Praelati ecclesiastici [19], v. g. Archiepiscopi Salisburgensis quoad aliquas dioeceses, etiam nunc vigent, id iure speciali et privilegiis pontificiis nititur. Episcopis quoad collationem accensentur alii Praelati quasi-episcopali dignitate praediti (can. 293, 312, 320) [20]. Porro ius liberae collationis Romani Pontificis sese etiam extendit ad officia inferiora dioecesium; quod ius exercetur variis modis, iure communi aut praxi recepta definitis.

231. *De modis exercendi liberam collationem pontificiam.* Quatuor modis Romanus Pontifex potest et solitus est uti plenitudine suae potestatis in libera collatione officiorum ecclesiasticorum.

I. *Iure praeventionis* per exspectativas, quibus determinati clerici sive *directis concessionibus* sive *mandatis* apostolicis de providendo ad officia *nondum vacantia,* sed vacatura, sive determinata sive indeterminata promoventur [21]. Quod ius concedendi exspectativas, non obstante abrogatione exspectativarum a Concilio Tridentino (Sess. XXIV, cap. 19, de ref, et Sess. XXV, cap. 7, de ref.) facta, salvum permansit in Romano Pontifice (Sess. XXV, cap. 21, de ref). Post Concilium Tridentinum vel ipsi Romani Pontifices nonnisi raro exspectativas concesserunt [22] praeter coadiutorias Episcoporum aut Praelatorum regularium iam ab ipso Concilio Trid. Sess. XXV, cap. 7 de ref. exceptas (cfr. can. 1433). Officia iuris patronatus laicalis vel mixti a gratiis exspectativis fuerunt exempta [23].

301 sq., 341 sq., de electionibus Episcoporum in Ecclesia orientali; Collect. Lac. tom. III, col. 429, 483, 686, 831, 924; *Zitelli,* Apparat. iur. eccl. p. 4 sq., de provisione canonica dioecesium in regionibus S. C. de Prop. F. subiectis. Cfr. quoque Collect. S. C. de Prop. F. n. 39 sq.

[19] *Benedict.* XIV, De Synod. dioec. 1, XIII, cap. 7, n. 4.

[20] Idem ius liberae collationis seu nominationis exercet Rom. Pontifex: 1°) in Cardinalibus creandis (can. 233); 2°) in designandis maioribus Administris Curiae Romanae (Pii X *Ordo servandus in sacr. Congr. etc.* Normae comm. cap. 2, n. 1); 3°) in nominandis S. R. Rotae Auditoribus (can. 1598).

[21] Cfr. cap. 2, 36, de praeb. III, 4, in Sext.; Leuren., l. c. P. II, q. 628 sq.; *Garcia,* l. c. P. V, cap. 1, n. 148.

[22] *Riganti,* l. c. Reg. 26, Canc. Apost. n. 8 sq.

[23] *Riganti,* l. c. Reg. 1, Canc. Apost. § 1. n. 328 sq.

II. *Iure concursus,* vi cuius Romanus Pontifex cum inferioribus collatoribus officiorum ita concurrit sive *cumulativam* iurisdictionem exercet, ut etiam officium ecclesiasticum *vere vacans* ante ordinarium collatorem, sive directa concessione sive per mandatum apostolicum de providendo alteri datum, conferre possit: de quo iure nihil dicit Codex, sed ex natura rei cohaeret cum potestate Pontificis et implicite continetur in canone 1431. In usu talis iuris, si Ordinarius loci praevenit Romanum Pontificem, sustinenda est collatio *Ordinarii* [24]; si a Sede Apostolica uni et ab Ordinario alteri eodem die idem officium conferatur neque appareat, quae collatio fuerit primo facta, erit potior conditio legitime *possidentis;* si vero neuter possideat, is cui *Sedes Apostolica* contulit, propter conferentis ampliorem praerogativam, erit ceteris praeferendus [25].

III. *Iure devolutionis* Romanus Pontifex certa officia confert, quorum provisio a legitimo collatore vel provisore intra tempus legitimum est omissa et in aliis casibus in iure expressis: hinc collatio aut *immediate* aut, negligentibus quoque *mediis* collatoribus, mediate tantum ad Romanum Pontificem defertur. Qua de devolutione iam supra n. 221 sq. satis est disputatum.

IV. *Iure reservationis.*

a) Reservatio in genere intelligitur [26] officii ecclesiastici *vacaturi* (quo verbo maxime differentia ab exspectativa insinuatur) per competentem Superiorem ecclesiasticum ad se facta avocatio. Quare reservatio pontificia, de qua hoc loco unice agitur, cum sola nunc sit practici momenti, definiri potest: Officii ecclesiastici vacaturi per Romanum Pontificem ad se facta avocatio. Quae reservatio pontificia sensu stricto tunc tantum a canonistis dicebatur haberi, si omnes in *perpetuum* collationes alicuius officii ecclesiastici, quotiescumque illud vacaverit, Romanus Pontifex ad se avocat, exclusis ordinario collatore inferiore aliisque personis ad provisionem canonicam illius officii forte concurrentibus. Si autem pro unico casu vacationis reservatio officii decernatur, id potius dicebatur fieri iure « *affectio-*

[24] Reg. iur. 54, in Sext.; cap. 14, de praeb. III, 4, in Sext.

[25] Cap. 31, de praeb. in Sext.; *Leuren.,* l. c. P. II, q. 514 sq.; *Riganti,* l. c. Reg. 17, Canc. Apost. *de concurrentibus in data.*

[26] *Schmalzgr.,* lib. III, t. 5, n. 209; *Leuren.,* l. c. P. II, q. 522, sq.; *Garcia,* l. c. P. V, cap. I.

nis» vel *specialis reservationis*. Quo nomine affectionis generatim ab antiquis canonistis intelligebatur omnis appositio manus per Romanum Pontificem ad aliquod officium, *non vi alicuius expressae Constitutionis* generalis vel *Regulae* Cancellariae Apostolicae, sed *vi alicuius facti ea intentione*, ut de illo officio ecclesiastico per collationem disponat pro *ea tantum vice*[27]. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 5, de ref., Sess. XXIV, cap. 15, de ref., ubi discrimen illud inter reservationem et affectionem ex saeculo decimo quinto (cfr. cap. 14, — Paul. II, a. 1467 — de praeb. III, 2, in Extravg. com.) magis magisque introductum pariter probatur. At iure Codicis can. 1435, § 1, 3°, sub reservatione comprehenditur etiam antiqua affectio et consequenter reservatio *specialis* seu pro unico casu, v. gr. invalidae collationis ob vitium simoniae. Reservationis autem is est effectus ut collatio beneficii reservati ab inferiore collatore facta sit prorsus invalida (can. 1434)[28].

b) Abrogata praecedenti distinctione inter reservationes clausas in Corpore iuris et reservationes contentas in Regulis Cancellariae Apostolicae aut posterioribus Constitutionibus RR. Pontificum, nunc eae dumtaxat vigent reservationes quae enumerantur can. 1435, i. e. praeter omnia beneficia consistorialia et omnes dignitates ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, sunt reservata Sedi Apostolicae:

1°) Omnia beneficia, etiam curata, quae vacaverint per obitum, promotionem, renuntiationem vel translationem S. R. E. Cardinalium, Legatorum Romani Pontificis, Officialium maiorum Sacrarum Congregationum, Tribunalium et Officiorum Romanae Curiae et Familiarium, etiam honoris tantum, Summi Pontificis tempore vacationis beneficii[29].

2°) Quae, fundata extra Romanam Curiam, vacaverint per beneficiarii obitum in ipsa Urbe[30].

[27] *Schmalzgr.*, l. c. n. 210, 211; *Garcia*, l. c. P. V, cap. 1, n. 62; *Leuren.*, l. c. q. 523.

[28] Inde patet per Codicem fuisse sublatum discrimen inter reservationem et affectionem relate ad efficaciam irritandi actus in contrarium gestos. Cfr. *Schmalzgr.*, l. c. n. 215 sq.; *Riganti*, l. c. Reg. 1, Canc. Apost. § 1, n. 71 sq.

[29] Haec reservatio quoad substantiam iam continebatur in variis Regulis Cancellariae Apostolicae.

[30] Haec est illa reservatio, quae dicebatur esse unica clausa in corpore iuris et continebatur cap. *licet* 2, et cap. *praesenti* 3 de praebendis III, 4, in Sext. In Codice ponitur antiqua regula et non ponuntur exceptiones expressis quoque legibus sancitae; quare attento toto tenore can. 6, illae exceptiones non videntur amplius subsistere, v. g. quod possit Ordinarius beneficium conferre, si intra mensem a die vacationis a R. P. collatio facta non esset (cap. 3, eod. tit.); quod intercedente morte R. Pontif. reservatio non teneret ecclesias paroeciales (cap. 35 eod.).

3°) Quae invalide ob simoniae vitium collata fuerint (cfr. can. 729).

4°) Beneficia quibus Romanus Pontifex per se vel per delegatum manus apposuit his qui sequuntur modis: si electionem ad beneficium irritam declaraverit, vel vetuerit electores ad electionem procedere; si renuntiationem admiserit; si beneficiarium promoverit, transtulerit, beneficio privaverit; si beneficium in commendam dederit. *Leuren.*, P. II. q. 523.

At, nisi id expresse dicatur, nunquam sunt reservata beneficia manualia aut iuris patronatus laicalis aut mixti.

Beneficia quae Romae fundata sunt, salvo iure Cardinalium in suis titulis, ex natura rei pertinent ad collationem R. Pontificis, Episcopi Romanae dioecesis[31].

232. Scholion. Quo ambitu in singulis regionibus etiam nostra aetate reservationes pontificiae vigeant, maxime ex concordatis[32] et probatis scriptoribus canonicis de iure particulari[33] est eruendum.

233. *De qualitatibus personarum et conditionibus requisitis in collatione pontificia.*

I. Romanus Pontifex ad exigendas *qualitates*, iure communi ad liberam collationem requisitas, rigorose non adstringitur, nisi quatenus adsit obligatio iuris divini, aut prout legislator humanus suis quoque legibus ligatur, aut ipse sapienti constantique traditioni ecclesiasticae sponte et prudenter insistit. Et revera de facto Sedes Apostolica a sanctionibus iuris commu-

[31] Cfr. *Devoti*, Ins. l. I, t. V, n. 44; *Riganti*, in Reg. 8, Canc. Apost.

[32] *Nussi*, l. c. p. 134 sq. de reservationibus vigentibus in Hispania, Austria aliisque regionibus.

[33] *Bouix*, De princ. iur. canon. p. 326 sq. de iure et praxi in Gallia, ubi reservationes non vigent, sicuti etiam in Lusitania sublatae sunt; *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 119, de Germania, v. g. in Bavaria et Borussia; Collect. Lac. t. III, col. 923, de Anglia.

nis et particularibus non facile in libera collatione officiorum ecclesiasticorum recedere solet.

II. Quoad *formas* et *sollemnitates* servandas in libera collatione pontificia notandum est, quod collatio officiorum maiorum per S. C. Consistorialem praeparetur atque expediatur, inferiorum autem officiorum inde ex saec. decimo quarto et decimo quinto Datariae Apostolicae [34], tanquam proprio et a Cancellaria Apostolica distincto dicasterio, sit reservata.

Quae *Dataria Apostolica,* praeter leges generales de rescriptis pontificiis atque de rescriptis beneficialibus latas, maxime in collationibus pontificiis attendebat Regulas Cancellariae Apostolicae ad materiam beneficialem spectantes et formas proprio suo stylo [35] probatas. In specie autem diplomata pontificia conceduntur aut *in forma gratiosa* aut *in forma dignum* aut *in forma commissoria.* Litterae Apostolicae *in forma gratiosa* datae continent directam concessionem officii factam clerico, qui exhibito sui Episcopi testimonio suam dignitatem antecedenter probavit; *in forma dignum* dicuntur fieri collationes pontificiae propter exordium rescripti apostolici. In hac enim collatione ex testimonio Episcopi de dignitate clerici provisi Romano Pontifici non constat. Idcirco Episcopo mandatur ut officium clerico in rescripto expresso non tribuat, nisi postquam ille dignus et idoneus repertus fuerit. Denique *in forma commissoria* fiunt collationes liberae, si Litterae Apostolicae per modum *mandati* vel commissionis dantur; at clericus providendus, non obstante testimonio Episcopi in supplicatione exhibito, coram executoribus designatis multa alia docere debet, antequam officium consequatur. Quare huiusmodi rescripta in forma commissoria non continent collationem directam clerico factam, sed potius mandatum de clerico providendo.

234. *De acceptatione collationis pontificiae.* Libera collatio rationem quandam habet *donationis,* donatio autem perfecta non est, nisi accedat consensus donatarii; ergo libera quoque collatio pontificia, ut plenum et perfectum consequatur effectum, consensu clerici provisi est complenda; secus est actus im-

[34] *Riganti,* l. c. prooem. n. 132 sq.; *Bangen,* D. Röm. Curie p. 410 sq.; *Bouix,* De Curia Rom. p. 274; *Scherer,* l. c. t. I, p. 497.

[35] *Amydenus,* De off. et iurisd. Datarii necnon de stylo Datariae (Quod opus ex Indice libror. prohib. est deletum).

perfectus. Quae collatio nondum acceptata profecto iam dat clerico proviso *ius ad rem, non ius in re,* quod tantum acceptatione acquiritur [36]. Quam ob rem saltem inferiores collatores arbitrarie collationem factam revocare non possunt, sed consensum collatarii infra terminum legitime statutum exspectare tenentur. Quamvis enim donatio liberalis ante acceptationem revocari possit, eo quod sit actus ex mero beneplacito donatoris positus, tamen collatio libera fit ex aliqua necessitate. Collator enim non sibi officium ad instar liberalis elargitionis retinere potest, sed ex iuris dispositione necessario *alteri* concedere debet. Hinc quoque sequitur per collationem nondum acceptatam priorem officii *vacationem* non cessare. Nam prima vacatio officii tantum cessat per secundam *provisionem perfectam;* quod maxime erat attendendum iure praecedenti, dum in reservationibus vigebat alternativa mensium.

Art. 2. — De libera collatione officiorum ecclesiasticorum per Episcopos

§ I. Principia fundamentalia

235. Episcopi in suis dioecesibus inter ordinarios collatores officiorum ecclesiasticorum proximum post Romanum Pontificem occupant locum. Ipsi enim, positi a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, in locum Apostolorum successerunt et tanquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt [37]. Quo in officio regendi maxime ius suos sibi ministros et cooperatores libere assumendi continetur. Neque ex se opus est ad exercendum ius liberae collationis, ut Episcopi, pleno iure provisi, etiam sint *consecrati* [38]; collatio enim libera non est actus ordinis, sed iurisdictionis voluntariae, qui etiam extra dioecesim et a nondum consecrato poni potest. Episcopi vero tantum *electi* vel *praesentati,* antequam a Romano Pontifice sint

[36] *Leuren.,* l. c. P. II, q. 3, 122 sq., 215 sq., 794 sq.: Arch. f. k. K. t. X, p. 266.

[37] Conc. Vatic. Sess. IV, Const. *Pastor aeternus* cap. 3; Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 12, 13, de ref.; can. 329, § 1.

[38] Cfr. cap. 1, X. de transl. I, 7, iunct. can. 177, § 4.

confirmati vel instituti, officia ecclesiastica libere conferre omnino non valent [39]. Omnes denique Episcopi qualicumque ratione fuerint provisi, Litteras Apostolicas suae provisionis Capitulo ecclesiae cathedralis exhibeant necesse est [40]; secus ad liberam collationem non sunt capaces, cum regimen dioecesis nondum habere possint. Qua exhibitione Litterarum Apostolicarum rite peracta, nequaquam per se exspectanda est sollemnis Episcopi inthronizatio ut valide ab ipso officia ecclesiastica in dioecesi conferri possint [41].

236. Episcopus, si cum Vicario suo generali ius libere conferendi officia dioecesana communicare vult, id per mandatum *speciale* faciat necesse est; etenim in mandato *generali huiusmodi* facultas non continetur (can. 152). Cuius rei ratio non solum est positiva iuris dispositio, sed etiam exinde est repetenda quod libera collatio habeat rationem donationis; donare autem quis non potest, etiamsi ex mandato generali liberam habeat administrationem. Praeterea in mandato generali ea non veniunt, quae magnam habent specialitatem, et quae quis in specie verisimiliter non esset concessurus.

237. Episcopali sede vacante, Vicarius capitularis beneficia *perpetua* liberae collationis conferre non potest [42]. Id enim ex positiva iuris sanctione deducitur (can. 1432, § 2) et rationibus quoque intrinsecis suadetur. Nam Capitulum et Vicarius capitularis tantum provisoria quadam ratione dioecesim administrant, et libera collatio est actus gratiae et liberalitatis, non iustitiae et necessitatis; sed actus liberalitatis reservantur soli Episcopo. Potest tamen conferre paroecias, si sedes saltem ab anno iam vacet, itemque confirmare electionem aut acceptare praesentationem ad paroeciam vacantem et institutionem electo aut praesentato concedere (can. 455, § 2, n. 2 et 3) [43].

[39] Cfr. cap. 9, 15, 17, 44, X. de elect. I, 6. iunct. can. 176, § 3.

[40] Can. 334, § 3; cap. 1, de elect. I, 3, in Extravg. com.; Pii IX Const. *Apost. Sed.* (a. 1869), Const. *Romanus Pontifex* 28 Aug. 1873. Cfr. *Leuren.*, l. c. P. II, q. 664 sq.

[41] *Leuren.*, l. c. q. 668, 692.

[42] Cfr. Pii V Const. *Sanctissimus in Christo*, qua officia liberae collationis, quae vacassent tempore Sedis episcopalis vacantis, Sedi Apostolicae reservabat; quae Const. saltem in Italia adhuc erat recepta.

[43] Alia, quae Vicario Capitulari prohibita sunt, ad haec reducuntur; nequit removere aut suspendere Cancellarium alicsve notarios nisi accedente Capituli consensu (can. 373, § 5); non potest nominare vicarios foraneos (can. 446) nec canonicos honorarios (can. 406, § 1) nec examinatores aut iudices synodales aut parochos consultores (can. 385) nec consultores dioecesanos, nisi ad supplendum alicuius defectum (can. 423, 424, 426, § 5).

§ II. Notae historicae

238. Cum iure antiquo [44] ius ordinandi clericos dioecesis Episcopo esset reservatum, neque quisquam ordinaretur absolute, sed ut certo fungeretur officio ecclesiastico, nominatio quoque et provisio clericorum ad officia ecclesiastica dioecesis unice ad Episcopum spectabat. Quodsi Episcopus in eligendis clericis suum consuluit presbyterium et populi testimonium audivit, in libero sui iuris usu minime fuit coarctatus. Illa enim interventio populi, cuius vestigia usque ad saeculum nonum occurrunt, ex concessione Ecclesiae fuit repetenda, sive inter limites meri testimonii constiterit sive propius accesserit ad verum consensum.

239. Imprimis Episcopi de duobus nobilissimis officiis presbyterii, i. e. de *Archipresbyteratu* et *Archidiaconatu* libere disposuerunt. Item ad Episcopos spectabat deputatio sacerdotum ad curam animarum in ecclesiis ruralibus. Quodsi in his provisionibus locum habuit aliqua interventio presbyterii, in ipsius locum quoad consilium vel consensum dandum successit Capitulum ecclesiae cathedralis [45]; at ex saeculo decimo tertio etiam interventio Capituli sublata est. Inde ortum est generale principium, quod Episcopus ad liberam et ordinariam collationem officiorum ecclesiasticorum suae dioecesis habeat intentionem in iure fundatam (46*).

[44] *Thomassin.*, l. c. P. II, lib. 1, cap. 33 sq., 15 sq.; *Phillips.*, l. c. t. VII, p. 460 sq.; *Schneider*, l. c. p. 106 sq.; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 616 sq.

[45] Cap. 4, X. (Alex. III), de his, quae fiunt III, 10.

[46*] Cap. 1, de praescript. II, 13, in Sext.; *Leuren.*, l. c. P. II, p. 670. Intentio, ait *Vermeersch*, Epit., II, n. 763, dicit propositum vel etiam actionem; litteralis explicatio vocabulorum haec esset secundum eum: scilicet, si Episcopus beneficium in suo territorio conferre praetendit, ius ei per se assistit, seu in sua qualitate Episcopi habet titulum ad illud conferendum. Si igitur, addit *Reiffenstuel*, o. c., III, V, 177, alius istud ius sibi vindicet, probare debebit iure speciali id sibi competere. Cfr. quoque *Mörsdorf*, Die Rechtssprache des C. I. C., p. 342, not. 99.

240. Cum in Capitulis inde ex saeculo octavo vigeret vita communis, provisio quaedam singulorum *canonicatuum* per liberam collationem Episcopi concludentibus argumentis nequit probari [47]. Dissoluta vita communi in Capitulis, maxima varietas in conferendis dignitatibus et canonicatibus Capitulorum orta est [48]. Profecto fuerunt Capitula, in quibus Episcopi ius quoddam liberae collationis canonicatuum exercerent aut propriis fundationibus vel donationibus fundatorum acquirerent; at in plerisque Capitulis non pauci canonicatus obnoxii fuerunt *iuripatronatus*, vel ad Capitulum *pleno iure* spectabat provisio, vel saltem simultanea tantum provisio Episcopi et Capituli locum habuit. Quare ex antiquo iure Decretalium de uniformi quadam provisione canonicatuum non constabat, multoque minus Episcopus quoad liberam collationem canonicatuum obtinuerat intentionem in iure fundatam; sed ubicumque canonicatus reservatione pontificia inde ex saeculo decimo quarto per Regulas Canc. Apost. provisioni Episcoporum non fuerunt subducti, per praxim, non iure scripto, sed potius *consuetudine* probatam, *simultanea provisio* introducta fuerat, nisi speciali iure aliud cautum esset.

§ III. Disciplina vigens

241. Episcopus [49] ex iure communi etiam nunc vigente habet potestatem libere conferendi *omnia officia ecclesiastica suae dioecesis*, exceptis iis quae Sedi Apostolicae sunt reservata aut ex titulo speciali, stricte probando, ad alios collatores inferiores spectant. Item habet intentionem in iure fundatam, contra quam omnes, qui sive electione sive praesentatione vel nominatione liberam collationem Episcopi sese limitare posse praetendunt, iura sua allegata concludentibus argumentis probare debent; secus in officiis dioecesanis pro pleno iure Episcopi ad provisionem est ferenda sententia [50]. Quodsi alii legitimum habent ius electionis

[47] *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 563; *Saegmueller*, l. c. § 73.
[48] Cap. 2, 8, 15, X. de conc. praeb. III, 8.
[49] Episcopo in hac re aequiparantur Abbas vel Praelatus *nullius*, Vicarius et Praefectus Apostolicus can. 152, 1432, iunct. can. 198, § 2.
[50] Cfr. *Leuren.*, P. II, q. 664 sq.

aut praesentationis, saltem ipsis competit electi confirmatio et institutio praesentati.

Si illud ius magis in particulare est explicandum, quamvis id pressius in propria sede materiae praestatur, hic breviter dicendum ad liberam collationem Episcoporum pertinere paroecias, salvo examine per concursum instituendo, ubi ille concursus adhuc viget; praeterea omnes canonicatus ecclesiarum tam cathedralium quam collegiatarum, audito tamen Capitulo, exceptis dignitatibus aliisque Sedi Apostolicae reservatis, aut ex lege fundationis ad alterius collationem seu praesentationem vel electionem pertinentibus [51].

Item generatim libere confert Episcopus officia pertinentia ad Curiam dioecesanam, velut Vicarii Generalis etc. prout suis respectivis locis explicatur.

Art. 3. — *De libera collatione officiorum ecclesiasticorum per alios Praelatos*

242. *Legati a latere* iure Codicem praecedente satis amplam habebant potestatem ad libere conferenda beneficia in sua provincia, cuius exercitium incipiebat a die, quo Legatus Urbem egressus esset et finiebatur cum Legatione per reditum in Urbem [52]. Quae potestas in iure communi Codicis manet suppressa, cum praedicti Legati tantum possint quantum a R. Pontifice ipsis demandatum sit et iubentur relinquere Ordinariis locorum liberum suae iurisdictionis exercitium (can. 266, 269, § 1).

243. *Cardinales*, si sint Episcopi suburbicarii, in suis dioecesibus suburbicariis perinde ac ceteri Episcopi utuntur iure conferendi beneficia (can. 240, § 1). Sed alii quoque Cardinales presbyteri et diaconi in suis titulis et diaconiis ius habent liberae collationis et in eam rem habent intentionem in iure fundatam, ut dictum est de Episcopis. Quod ius Cardinalibus in suis titulis competit, si vere et actu sint residentes in Curia Romana. Dicebatur hoc ius ipsis competere ex indulto R. Pontificis contento in Reg. 8 Canc. Apost. Nunc potius dicendum est provenire ex

[51] Salva tamen manet lex concursus, ubi ea in praecedenti iure existebat, velut in Italia ex cit. Const. *Pastoralis* Benedicti XIII.
[52] *Leuren.*, P. II, q. 649 sq.; *Garcia*, P. V. cap. 3.

iure communi, vel potius ex privilegio in iure communi relato. Nam in Urbe potius *ipse Romanus Pontifex* est ordinarius collator. Quodsi Romanus Pontifex dignitates et canonicatus trium maiorum Basilicarum in Urbe sibi reservat, id non fit ob strictam necessitatem, sed ad cautelam, ne Cardinales, qui illarum Basilicarum Archipresbyteri sunt, etiam in illa officia suum privilegium extendant.

At in tribus Basilicis maioribus S. Ioann. Later., S. Petri et S. Mariae maioris, quae titulis cardinalitiis non adnumerantur, Cardinales Archipresbyteri et Capitula libere conferre possunt officia minora illarum Basilicarum quae non sint reservata. Quae collatio officiorum minorum, pro maiore commoditate illorum Archipresbyterorum et Capitulorum, ordinarie fit per turnum iuxta consuetudinem cuiusque Basilicae maioris.

Quodsi Cardinales Archipresbyteri in laudatis Basilicis officia minora libere conferunt, non requiritur ut in Curia Romana sint praesentes [53].

244. Inter *collatores extraordinarios* recensendi sunt *Praelati* in dioecesi *inferiores* aliique clerici, v. gr. canonicus in dignitate constitutus, qui illud ius legitime acquisierint aut privilegio apostolico, aut consuetudine sive praescriptione immemorabili, suis qualitatibus vestita, aut ex *antiquis* tabulis fundationis [54].

Huc quoque pertinet potestas, quae competit *Administratori Apostolico* alicuius dioecesis, qui si permanenter fuerit constitutus, Episcopo aequiparatur, si ad tempus dumtaxat, Vicario Capitulari (can. 315); itemque ea qua gaudet *Episcopus Coadiutor*, qui si datur Episcopo prorsus inhabili gaudet omnibus iuribus et officiis episcopalibus (can. 351, § 2).

245. Scholion. Quid iuris sit, si *dubius* sit *collator* propter incertitudinem de existentia vel saltem de extensione iuris conferendi, definiendum est secundum principium in rubrica lib. II, tit. 16, X. statutum et in Codice (can. 1725, n. 5) firmatum: « *Ut*

[53] *Riganti*, l. c. Reg. 8. Canc. Apost. § 1, praesertim n. 13, sq., 33 sq., 36, 44 sq., 142, 144 sq.; *Riganti*, l. c. Reg. 1, Canc. Apost. § 4, n. 13 sq.; Reg. 4, Canc. Apost. § 1, n. 38, § 3, n. 24 sq.; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 639 sq., 718, 720, 735.

[54] Cfr. *Leuren.*, l. c. P. II, q. 718, 720, 735.

lite pendente nihil innovetur »; cfr. quoque can. 1458, § 2 [55]. Quodsi quis collator revera *proprietatem* iuris conferendi non habeat, sed bona fide est in *possessione* illius iuris, licite et valide utitur iure liberae collationis [56]. Immo collationes factae a Praelato *putativo*, saltem cum *titulo colorato* et *errore communi*, sunt tanquam validae sustinendae iuxta communem sententiam veterum canonistarum. Cfr. *Leuren.*, l. c. q. 9, 725.

CAPUT VIII

De electione et confirmatione promovendorum ad officia ecclesiastica (can. 160-178)

246. Fontes: Decret. Grat. Dist. 60, 61, 62, 63; C. I, q. 6; C. VIII, q. 1, 2, 3; C. XVIII, q. 2. — Cpl. 1, l. I, t. 4, « d. el. et el. p. et iuramento »; cpl. II, V. l. 1, d. el. et el. p.; cpl. IV, l. I, t. 3, de electione. — Decret. Gregor. IX, l. I, t. 6, et Bonif. VIII, eod.; Const. Clem. V, l. I, t. 3, ead. rubr.; Extravg. Ioann. XXII, tit. I, ead. r.; Extravg. com. l. I, t. 3, ead. r. — Conc. Trid. Sess. VII, cap. 1, 3, 13, de ref., Sess. XXII, cap. 2, de ref., Sess. XXIV, cap. 1, 12, de ref., Sess. XXV, cap. 6, 7, de ref. — Decret. Clem. Pap. VIII, ed. *Sentis*, p. 8 sq.; Act. S. Sed. in ind. gener. v. Electio.

Scriptores: Commentat. iur. Decret. in h. t.; *S. Raym.*, Summa l. III, t. 27, de *elect.*, *postul.*, *confirm.*, renunt., et usu pall.; *Bernard. Pap.*, Summa h. t. — *Zech*, Hierarch. eccl. tit. 18, 19, 22; *Devoti*, Inst. can. l. I, t. 5, sect. 1, de elect.; *Sanguineti*, l. c. n. 297 sq.; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 232 sq.; *Garcia*, l. c. P. IV, cap. 1 sq.; *Thesaurus*, De poenis eccl. v. Electio; *Passerin.*, De elect. canonic.; *Ferraris*, v. Electio; *Piatus Montensis* (Piat.), Praelect. iuris regul. t. I, (ed. 3), p. 532 sq.; *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 2, cap. 2 sq.; *Phillips*, l. c. t. VIII, p. 481 sq.; *Blat*, Comm. Cod., II, nn. 102 et sqs; *Chelodi*, De personis, nn. 137 et sqs.; *De Meester*, Compendium i. c., I, nn. 407 et sqs.; *Maroto*, Institutiones i. c., I, nn. 607 et sqs.; *Matth. C. a Coronata*, Institutiones i. c., I, nn. 222 et sqs.; *Ojetti*, Comm. in Cod. i. c., IV; *Vermeersch-Creusen*, Epitome i. c. I, nn. 278 et sqs.

Praenotiones

247. I. Definitio. *Electio* canonica, si sensu latiore accipiatur, denotat aut quamlibet formam provisionis canonicae aut primum ex tribus actibus, quibus provisio canonica officii eccle-

[55] *Leuren.*, l. c. P. II, q. 793.

[56] Cfr. cap. 3, X. de caus. poss. II, 12; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 729 sq.

siastici absolvitur, i. e. quamlibet *designationem personae* ad officium ecclesiasticum promovendae legitimo quodam modo factam; sensu autem proprio et stricto (ut opponitur collationi, postulationi, praesentationi) est (unius) personae *idoneae* ad ecclesiasticum officium vacans per eos, quibus ius suffragii competit, canonice facta vocatio [1]. Appellatur *vocatio*, quia non dat ius in re, sed ius ad rem, et fit a collegio clericorum sive *vocalium*, qui *vocem* (activam) sive ius suffragii habent.

Quare *libera collatio* et *electio* canonica differunt, quod *illa* sit actus Superioris ecclesiastici, qui concedit beneficium, altera sit actus subditorum, qui eget Superioris confirmatione. Collatio acceptata dat ius in re, electio vero acceptata solummodo concedit ius ad rem; unde electus ante confirmationem sine consensu Superioris suo iuri renuntiare potest, id quod a collatario post collationem acceptatam fieri nequit; item electus sua beneficia certe ante confirmationem non amittit, immo si ante confirmationem moriatur, non per ipsius, sed per prioris beneficiarii mortem vacat beneficium, seu prior vacatio continuatur; denique electus ante confirmationem nequit beneficium vel Praelaturam administrare, nisi in casibus in quibus electio confirmatione non eget Superioris.

Postulatio est modus provisionis *extraordinarius* personae de iure impeditae sive non idoneae et ob meram *gratiam admittendae*, neque postulatus *ullum ius* ad rem vel in re acquirit, ita ut postulationi de se factae nonnisi sub *conditione* dispensationis sive admissionis consentire possit. At electio est *ordinarius* quidam modus provisionis, innititur *iure* ideoque *confirmatur* a competente Superiore ecclesiastico, *ius* tribuit *ad rem* atque electo est permissum ut *absolute* electioni suae *consentire valeat*. Postulatio vero et electio in hoc conveniunt, quod fiant a collegio clericorum seu vocalium per suffragia.

Deinde electio distinguitur a *praesentatione*, quod *ius eligendi* concedatur clericis solis (saltem si agatur de Praelaturis ecclesiasticis), nunquam vero *laicis*, quibus tantum datur ius *nominandi* vel praesentandi; in praesentatione clericus prae-

[1] Cfr. *Hollweck*, in Arch. f. k. K. t. 74, p. 329 sq., 341; *Card. Hergenroether*, in Arch. f. k. K. t. 39, p. 193 sq., 212, de sensu *nominationis* R. I, 70, in Sext.; *Schmalzgr.*, I, 6, n. 1, 2, iunct. n. 65; *Passerin.*, De elect. can. cap. 1, n. 1, 25 sq.; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 232 sq.

sentatus non semper acquirit *ius ad rem*, quia patronus habet ius cumulativum variandi, sive post unius praesentationem alios praesentandi, e quibus Superior libere uni confert institutionem. Praesentatio non requirit necessario praevium *consensum praesentati;* deinde electionem sequi debet *confirmatio,* cum praesentato danda sit *institutio;* tandem electio necessario fit a collegio, praesentatio ab uno fieri potest.

Nominatio [2] frequenter cum *praesentatione* confunditur; interdum denotat actum scrutinii sive *electionem* proprie dictam, immo quandoque *collationem liberam*. Strictiore vero sensu nominatio significat **aut** *designationem personae* promovendae, quae *formalem praesentationem* personae Superiori factam praecedit, aut exercitationem iuris praesentandi quatenus illud nititur *privilegio apostolico,* non iure patronatus. *Praesentatio* sensu strictissimo dicitur illa designatio et exhibitio personae, quae fundatur in *vero iure patronatus.* Denique *supplicatio,* qua quis a Superiore competente *petit,* ut is certam personam ad officium ecclesiasticum promoveat, per se absque ullo privilegio apostolico antea concesso praesentari potest; at huiusmodi supplicatio maiorem habet vim et efficaciam, si nitatur *iure* supplicandi (vel commendandi) *expresse* dato.

Maximi momenti sunt *duae nominationes proprie dictae,* quae cum electione concurrere possunt.

Prior dicitur *nominatio consultoria* vel minus sollemnis, atque est scrutinium quoddam electionem proprie dictam *praecedens* (tractatus praevius, Aufstellung der Liste, terna), quo *complures* viri boni et idonei proponuntur, e quibus a Capitulo seu collegio *postea* fieri possit vera *electio.*

Altera vero *nominatio* est *sollemnis,* per quam a *collegio electorum duo* vel *plures* magis digni proponuntur et *Superiori praesentantur,* ut *is* ex illis unum promovere velit. Cfr. c. 28, X. de elect. 1. 6. ubi ista nominatio expresse commemoratur. Cfr.

[2] Cfr. de canonica nominatione: Cap. 28, X. I, 6; cap. 3, X. de postulat. 5; *Leuren.*, l. c. q. 200, 236; *Card. Hergenroether*, l. c.; *Schmalzgr.*, I, 6, n. 2, atque de *illegitima* quadam *nominatione*: Cap. 14, X. h. t. 6, et de commendatione in America septentrionali aliisque regionibus usitata; Collect. Lac. tom. III, col. 48, 622 sq., 831, 924, 950, 959, et de nominatione regia: *Molitor*, in Arch. f. k. K. t. 34, p. 367 sq.; *Oberkamp*. D. kgl. Nomination d. Bisch. in Bayern.; *Lehmann*, D. Nominationsrecht d. Landesh.

quoque synod. Alex. Copt. (a. 1898), p. 187 sq. de nominandis Sedi Apostolicae tribus candidatis pro Patriarchatu. Quare nominatio proprie dicta in eo maxime differt ab electione, quod *de pluribus* fiat, in electione vero et postulatione *unus* tantum designetur. Porro nominatio potest fieri *alternative*, electio et postulatio semper *determinative* fiant necesse est. Denique nominati etiam per nominationem sollemnem *ius ad rem* (sicut acceptantes electionem) omnino *non* acquirunt, nisi quatenus capitulares post praesentationem sollemnis nominationis variare non iam possunt, ne videantur illudere Superiori.

II. **Divisio.** Electio canonica dividi solebat: 1) In *sollemnem*, in qua servantur omnes formalitates (unde nomen accepit) quae praescribuntur in electione *Praelatorum* ecclesiasticorum sive saecularium sive regularium, et in *simplicem* in qua omnes et singulae sollemnitates pro electionibus Praelatorum statutae non sunt necessario servandae, sed solummodo substantiales formalitates electionis canonicae vel *actus capitularis* [3]. 2) Secundum *formam* qua electio fit, *dividitur* in electionem per *scrutinium*, per *compromissum*, per *quasi Dei inspirationem* [4].

III. **Notae historicae.** Quemadmodum Christus Dominus plena libertate vocavit Apostolos (Matth. XXVIII, 18) ad onus Apostolatus, ut ipsi essent primi Ecclesiae pastores, ita etiam Apostoli libere constituerunt praepositos ecclesiarum a se fundatarum. Cfr. Act. Apost. XIV, 22; Tit. I, 5. Cum autem Apostoli praeviderent pericula schismatum, ipsi modum quendam definiverunt in designandis suis successoribus servandum [5]. Qui mo-

[3] Haec antiqua divisio adhuc suum momentum retinere videtur iure Codicis in quo commemorantur certae quaedam electiones, v. gr. examinatorum et iudicum synodalium et parochorum consultorum (can. 385, 1574), in quibus sollemnitates electionis servandae non sunt, sed solae regulae actus collegialis (can. 101, 105). Idem dicatur de constitutione Superiorum religiosorum, si fiat per Superiorem maiorem cum suffragio sui consilii. *Maroto*, o. c., I, 611, i. f.).

[4] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 16, de ref. ubi Capitulum dicitur *constituere* Vicarium capitularem; *Hermes*, De Vic. capitulari, p. 85 sq. *Passerin.*, l. c. cap. 1. n. 54 sq., cap. 10, n. 1. Sed iure Codicis (can. 433, § 2) iubentur observari regulae de canonica electione datae, etiam in deputatione Vicarii Capitularis.

[5] *S. Clem.* epist. ad Cor. cap. 44; *Hefele*, l. c. t. I, p. 382 sq.; *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 2, cap. 1 sq.

dus quam maxime obvius fuit electio per clerum ecclesiae viduatae. In reliquis officiis concedendis penes Episcopos fuit ius liberae collationis [6]. Quare electiones canonicae ad designandos successores S. Petri et ad nominandos Episcopos fuerunt limitatae.

Modus naturalis et ordinarius designandi Superiores *regulares* fuit electio canonica. Quae praxis retenta est, cum viri regulares frequenter essent sacerdotes atque privilegio exemptionis muniti proprios sibi nominarent Praelatos.

Immo quod in monasteriis regularium fuerat receptum, id etiam in Capitulis clericorum saecularium est introductum. Etenim Capitula ecclesiarum cathedralium non solum obtinuerunt exclusivum ius eligendi Episcopos, sed etiam aliis dignitatibus et officiis capitularibus per electionem canonicam saepe provisum est. Similiter in Capitulis collegiatis non solum Praepositi, sed etiam canonici fuerunt electione designati.

Ex disciplina quoque vigente electiones canonicae a foro canonico non recesserunt. Nam non solum Romani Pontifices, sed etiam complures Episcopi per electionem canonicam assumuntur. Item electione canonica a Capitulo ecclesiae cathedralis, sede episcopali vacante, *deputandus* est Vicarius Capitularis. Praesertim vero in Ordinibus et Congregationibus religiosis electiones canonicae sunt in viridi observantia [7].

Art. 1. — De electoribus

248. Cum Ecclesia sit societas perfecta, certe omnes, qui *absolute* extra Ecclesiam sunt constituti, iure nominandi ad officia ecclesiastica carent. Praeterea penes solam *hierarchiam* iurisdictionis est potestas regendi Ecclesiam; ergo etiam intra Ecclesiam, tanquam societatem inaequalem, nemo potest designare personas, quibus officia ecclesiastica concedantur, nisi iure ordinario competentem gradum in hierarchia iurisdictionis obtineat aut extraordinaria delegatione sit instructus. Denique Ec-

[6] *Thomassin.*, l. c. l. 1, cap. 33 sq.; 15 sq. *Leuren.*, l. c. P. II, q. 238 sq.

[7] *Passerin.*, De elect. can. cap. 1, n. 1, 23; *Nussi*, l. c. p. 29 sq.; *Piat.*, l. c. in font.

clesia Christi est societas vere monarchica; etenim Romanus Pontifex pro suprema et plena sua potestate, fonte omnis iurisdictionis ecclesiasticae, illam gubernat ideoque ex iure divino habet facultatem libere instituendi quoscumque Praelatos vel ministros Ecclesiae.

Quicumque igitur in *collegio* quodam *ecclesiastico* obtinet *ius eligendi* ad officia ecclesiastica, is huiusmodi favorem tantum ex *concessione Ecclesiae,* sive iure communi sive iure speciali illi collegio facta, consequitur [8]. Quare vel in ipso Collegio Cardinalium ius exclusivum eligendi Romanum Pontificem ex iure divino non est repetendum [9]. Ubi provisio canonica Episcopatuum per electionem conservata est, ordinarium ius eligendi omnibus et *solis* canonicis ecclesiae cathedralis competit, nisi iidem specialiter prohibeantur.

Electio sive ius eligendi directe et primario spectat ad collegium clericorum, pro quo Praelatus vel officialis vel confrater est eligendus [10]. Collegium vero ecclesiasticum non constituunt complures et *singulares* clerici, qui in una ecclesia faciunt multitudinem et numerum, sed importat multitudinem ordinatam clericorum sub uno capite et per certas leges colligatam. Hinc generatim ad electionem canonicam habilis existit, qui est *membrum* collegii ecclesiastici, iure eligendi praediti, et insuper omnibus qualitatibus gaudet ex iure communi vel particulari consuetudine ad eligendum requisitis [11].

249. Ab electione canonica excluduntur: 1°) collegio *extranei* [12], nisi ex *privilegio* apostolico vel *consuetudine* legitime

[8] *Passerin.*, De elect. can. cap. 1, n. 2 sq., 12 sq., cap. 3, n. 4, 5.

[9] *Hollweck*, l. c. in Arch. f. k. K. p. 393 sq.

[10] Quod dicitur de collegio pari ratione intelligendum est de communitate vel de religione, quae ex se non sunt collegia, sed personae morales per modum instituti ecclesiastici, in quibus membra collecta ad electionem faciendam adunantur ad normam collegii, non adunatione permanenti, sed tantum ad ponendum actum electionis.

[11] *Passerin.*, l. c. cap. 3, n. 5, 17 sq., 34 sq., 48 sq. cap. 10; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 237 sq.

[12] *Passerin.*, l. c. cap. 3, n. 17 sq., cap. 10, n. 3 sq., 20 sq. Si sermo est de collegio *clericorum*, vox clerici hic sumenda in sensu lato prout comprehendit religiosos; nam etiam in communitatibus religiosis fiunt electiones vere canonicae; porro religiosi possunt non esse clerici in sensu stricto, v. gr. in religione laicali. At in religionibus clericalibus fratres laici seu conversi generatim de iure non habent vocem in elec-

praescripta ius eligendi obtinuerint [13]; si collegio extraneus admittatur ad suffragium, electio est ipso facto nulla [14] (can. 165).

2°) Excluduntur ex natura rei, tanquam inhabiles ad electionem canonicam, qui sunt incapaces actus humani, velut *furiosi* vel *amentes* [15].

3°) Ex lege ecclesiastica *impuberes* [16], qui non solum *directe*, sed haud raro iam aliis praescriptionibus *indirecte* arcentur.

4°) Censura vel infamia iuris affecti, post sententiam tamen declaratoriam vel condemnatoriam [17].

tionibus; immo in monasteriis seu religionibus monialium seu sororum, si duae sunt membrorum classes, ius suffragii reservatum esse solet sororibus choristis, nec competit iis quae sunt destinatae domesticis officiis.

[13] Cap. 8, X. de consuet; *Nussi,* l. c. p. 37 sq., 42 sq., de iure suffragii canonicorum honorariorum in electione Episcoporum (at non in deputatione Vicariorum Capitularium) pro Borussia a. 1821, et Helvetia a. 1845, concesso; *Schmalzgr.*, l. c. n. 7, 8.

[14] *Leuren.*, l. c. q. 243 sq.; *Passerin.*, l. c. Capitulares non amplius possunt, ut in iure praecedenti, clerico extraneo etiam unanimi consensu et pro una vice ius eligendi concedere. Cfr. cap. 40, X. h. t. 6, iunct. Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 4, de ref.; *Schmalzgr.*, l. c.

[15] Cfr. *Passerin.*, l. c. n. 11 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 9; *Leuren.*, l. c. q. 254, 256.

[16] Cfr. cap. 32, h. t. in Sext.; *Leuren.*, l. c. q. 255.

[17] Censura hunc habens effectum est excommunicatio, interdictum *personale* et suspensio *ab officio,* non ab ordine, cum in suffragio ferendo potestas ordinis non exerceatur (cfr. can. 2265, 2275, 2283). Si praedicta censura tanquam poena *latae sententiae* incursa fuerit, antequam sententia declaratoria de censura incursa data fuerit, censuratus valide, sed illicite, ferret suffragium, nisi per suffragii omissionem teneretur se cum gravi infamia prodere. At probe attendenda est praescriptio can. 2223, § 4, qua, licet edere sententiam declaratoriam poenae latae sententiae incursae committatur prudentiae Superioris, tamen sive ad instantiam partis cuius interest, sive bono communi exigente, sententia declaratoria dari *debet.* Porro generatim aliorum electorum interest, ut is qui a iure excluditur in electione partem non habeat, et nonnumquam interest aliorum, qui excluso censurato, in eius locum in munus electoris subintrarent. Nec oblivioni dandum est quod ex canone 2232, § 1, in casu delicti *notorii,* etiam citra sententiam declaratoriam, observantia poenae latae sententiae incursae ab aliis *in foro externo exigi potest,* quae iam delinquentem *pro utroque foro tenet.*

Quae dicta sunt de censura innodato a fortiori valent de eo qui infamiam iuris latae sententiae incurrerit, cuius effectus est non solum

5°) Qui sectae haereticae vel schismaticae nomen dederunt vel publice adhaeserunt [18].

6°) Carentes voce activa sive ob legitimam iudicis sententiam (est autem haec una ex poenis canonicis), sive ex iure communi aut particulari [19].

Si aliquis ex dictis n. 2-6 ad suffragium admittatur, eius suffragium est nullum ideoque non computandum, electio autem valet nisi constet, illo suffragio dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter admissus fuerit excommunicatus per sententiam vel declaratoriam vel condemnatoriam (can. 167, § 2). At irregulares, etiam *ex delicto*, vi solius irregularitatis ab electione canonica non impediuntur, nisi huiusmodi inhabilitas aliunde proveniat, aut delicto cuidam tanquam *poena* specialis sit adiuncta; obtinet de facto in variis casibus irregularitatis ex delicto.

prohiberi iure eligendi (can. 2265, § 1) sed etiam *inhabilem* fieri ad suffragium ferendum (can. 2294, § 1). Quin immo etiam *infamia* facti notatus, posita declaratione Ordinarii de tali facto, ab electione est repellendus (can. 2293, § 3, 2294, § 2).

[18] Declaratio data a Pont. Commissione Codicis de can. 542, (16 oct. 1919; A. A. S., XI, p. 477) de invalida admissione ad novitiatum, hic quoque videtur applicanda, videlicet praescriptio non est intelligenda *de iis, qui Dei gratia moti ex haeresi vel schismate, in quibus nati sunt, ad Ecclesiam pervenerint, sed de iis qui a fide defecerunt et sectae acatholicae adhaeserunt*. Ceterum qui a fide deficientes per actum externum sectae acatholicae aut nomen dederunt aut publice adhaeserunt iam ex can. 2314, § 1, n. 3, sunt ipso facto infames. Quare ut haec causa exclusionis ab electione sit diversa a praecedenti, dicendum est in casu haeretici vel schismatici sententiam declaratoriam non requiri, quam ceteroquin canon non memorat.

[19] Inter eos qui voce activa carent computandi sunt ii, qui afficiuntur poena privationis actuum legitimorum, quae pariter esse potest latae vel ferendae sententiae. Ut possit *repelli* a ferendo suffragio is, qui voce activa caret, cuius privationem incurrit ut poenam latae sententiae, requiritur ad normam can. 2232, § 1 sententia declaratoria, quam ad petitionem eorum, quorum interest, vel exigente bono publico debet dare Superior ad normam can. 2223, § 4. Porro cum suffragium illius, qui voce activa caret et ab electione repulsus non fuit, sit nullum, posset facile accidere ut inde electio ipsa vitiaretur, si v. gr. demptis votis nullis electus requisitum suffragiorum numerum non haberet; unde ad dandam sententiam declaratoriam de privatione vocis activae, boni publici ratione Superior in casu videtur obligari. *Maroto*, o. c., I, 654, B.

Art. 2. — De eligendis et electis

250. Ut quis *eligi* possit ad officium ecclesiasticum debet esse persona *idonea* et *digna* seu omnibus illis *qualitatibus* praedita, quae tum in genere ad officia ecclesiastica tum in specie ad illud officium ecclesiasticum, de cuius provisione per electionem agitur, ex iure communi et speciali *requiruntur*. Praeterea eligendus nullo ligatus sit *impedimento*, ob quod a *valida* vel saltem a *licita* consecutione officii ecclesiastici ex iuris communis vel specialis dispositione *arceatur*. Quae qualitates ex iure communi in genere pro omnibus officiis requirantur in titulo praecedenti declaratum est; quae vero requirantur ad determinatum officium suis locis explicatur.

Art. 3. — De praeparatione, loco, tempore electionis

251. Tempus electionis. Priusquam capitulares ad electionem procedant, officium ecclesiasticum, cui providendum est, de facto et de iure *vacet* necesse est; secus electio ante vacationem celebrata sicut quaevis alia provisio, est ipso iure nulla (can. 150, § 1). Quare *vivente* Praelato vel beneficiario, licet de ipsius vita iam conclamatum sit, circa futuram novi Praelati vel beneficiarii electionem nihil a capitularibus collegialiter *tractari* potest, saltem si agatur de electione ad officium quod electus retinet ad vitam (cfr. can. 162, § 5); nam ex natura rei in renovatione periodica officiorum, antequam tempus expiret, de nova electione agendum est. Quodsi secus factum fuerit, huiusmodi tractatus est ipso iure nullus, et electio vi istius tractatus facta cassari debet. Tempus vero *trimestris utilis*, a iure generatim statutum ad eligendum, incipit electoribus currere non a momento, quo Praelatura vel officium revera vacat, sed quo vacatio innotescit aut innotescere potest et debet; at sufficit notitia certa vacationis undecumque hausta; ideo intimatio electoribus facta per publicum quoddam testimonium de vacatione, licet ad vitandas lites summopere conducat, tamen in rigore iuris non requiritur [20].

[20] Cfr. *Passerin.*, l. c. cap. 13, n. 1 sq. 9 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 326.

Iure communi aut particulari longior aut brevior terminus nonnunquam statuitur, v. gr. octiduum pro electione Vicarii Capitularis ex iure communi, longior terminus pro electione certorum Superiorum religiosorum ex peculiari ipsorum iure.

Quamvis si agitur de electione Praelati non deceat tractatus et electionem celebrare *ante sepulturam* sive tertium diem depositionis Praelati defuncti, tamen id absolute non prohibetur, et licite fieri potest, si necessitas urgeat [21]. Multo minus capitulares prohibentur quominus post sepulturam praefigant *terminum*, quo intra tres menses a die notae vacationis fiat electio in loco assignato.

Post sepulturam Praelati defuncti, et in genere quoad alias electiones post vacationem beneficii, *quolibet die* sive feriato sive festivo intra tempus a iure concessum electio canonica fieri potest. De horis nihil ius determinat: iure praecedenti communis Doctorum doctrina electionem *de nocte* factam, licet ipso iure irritam non haberet, suspectam de fraude habebat et ex hoc titulo etiam rescindibilem pronuntiabat. Quae suspicio certe etiam nunc est vitanda, nisi urgens causa aliud postulet.

Si intra legitimum tempus electio facta non fuit, non amplius valide fieri potest, sed provisio, ut dictum est, devolvitur ad Superiorem ad quem pertinet confirmatio electionis, vel, si electio confirmatione non indiget, ad eum cui successive competit ius providendi (can. 161) [22].

252. Convocatio electorum. Electio praesertim *praeparanda* est per legitimam *vocationem* [23] a collegii praeside factam omnium capitularium seu collegialium, statuto modo, loco ac tempore electoribus conveniente. Quae convocatio, si personalis esse debet, fieri potest vel in loco domicilii aut quasi - domicilii

[21] *Passerin.*, l. c. cap. 13, n. 13 sq.

[22] Cfr. *Boekenoff*, in Arch. f. k. K. t. 80, p. 305 sq., de Capitulis impeditis per tarditatem Guberniorum in suo iure intra legitimum tempus eligendi.

[23] Doctores communiter, innixi formula adhibita ab Innocentio III, cap. 42, X. de elect. 1, 6, « praesentibus omnibus qui *debent*, et *volunt* et *possunt commode* interesse », inferebant non esse de necessitate convocandos nisi eos qui sub illa formula comprehenderunt (cfr. *Leuren.*, q. 300 sq.; *Reiffenstuel*, h. t. n. 115 sq.; *Pirhing*, h. t. n. 124 sq.). Quoad substantiam explicatio illius formulae, quam tradebant Doctores, etiam iure Codicis videtur admittenda. Videlicet: *Debent* interesse omnes, qui de iure communi vel ex consuetudine vel privilegio, vel alio speciali iuris titulo, *ius habent* eligendi; etenim vocabulum *debent* hoc loco non tam significat *obligationem* quam *facultatem*. Quare vocari non debent electores, qui ad eligendum inhabiles sunt vel iure eligendi sive voce activa carent vel privati sunt.

Illi etiam qui, retenta habilitate seu iure eligendi, ab eius exercitio prohibentur, sicut stante notorietate aut iuridica declaratione facti repelli possunt et debent, ita in iisdem circumstantiis in rigore iuris ab eorum convocatione abstineri potest.

Porro verbis *qui volunt* illud insinuatur, quod electores *non sint cogendi* per edictum poenale ut ad electionem faciendam conveniant, nisi specialiter intersit Ecclesiae, vel consuetudo aut statutum collegii exigant, ut omnes electores, qui venire possunt, etiam adsint. Certe supposita institutione electionis canonicae ex natura rei quilibet elector aliquo modo obligatur ad eligendum; nam ius *publicum* electionis canonicae a *Sede Apostolica* concessum, cum det facultatem ad aliquid, quod bono communitatis est necessarium, eo ipso etiam obligat ad illius iuris exercitium, quatenus bonum commune id postulat. Quare haec obligatio est maior vel minor, prout eligendi ad bonum commune magis vel minus necessarii sunt, immo per accidens quandoque cessare potest.

Ubi illa obligatio iuris naturalis non urget, adhuc potest obligatio oriri ex iure positivo, sive communi (cfr. v. gr. Const. « Vacante Sede Apostolica » ubi Cardinalibus imponitur obligatio interveniendi electioni Rom. Pontificis) sive iure speciali aut particulari, vel etiam statuto aut constitutione vel legitimo praecepto Superioris. Ubi nec ratio boni communis urget, nec obligatio imponitur a iure, statuto vel constitutione, subintrat principium quod quivis iuri suo potest renuntiare. Quae renuntiatio, ad vitandas fraudes et futuras lites, conveniens est ut sit facta expresse per authenticum documentum; quo existente, a renuntiatario convocando tuto abstineri potest. At qui legitime convocatus in tempore ad electionem designato non comparuit, tacite exercitio iuris suffragii censendus est renuntiasse, nec ius ipsi competit inde electionem impugnandi. Cfr. *Piat*, Ius regulae P. IV, cap. 2, q. 643 sq. circa obligationem electorum in electionibus regularium.

Denique si dicuntur vocandi qui *commode* interesse *possunt*, illud verbum *commode* imprimis refertur ad bonum *Ecclesiae*, ideoque intelliguntur illi, qui *absque incommodo Ecclesiae vocari possunt*, v. g. si ob periculum schismatis vel abusus saecularis potestatis electio sine mora esset celebranda. Quodsi grave damnum Ecclesiae non immineat, ex absentibus electoribus omnes et soli illi commode interesse possunt ideoque vocari debent qui versantur in loco, unde commode vocari et infra tempus statutum ad locum electionis pervenire possunt, salvis specialibus legibus et consuetudinibus, quibus quandoque distantia accuratius definitur, v. g. ex universis provinciis regni vel imperii. *Schmalzgr.*, n. 22 sq.; *Passerin.*, cap. 11.

vel in loco commorationis (can. 162, § 1). Quodsi convocatio non necessario personalis esse debeat, fieri potest per edictum publicum, praesentibus vero in loco etiam viva voce aut alia convenienti ratione. Qua in re praesertim standum est iuri speciali aut legitimae consuetudini.

Convocatio generatim fit ab eo qui praeest collegio vel personae morali quae electionem peragere debet, vel eo deficiente, ab eo qui in eius vicem succedit aut ab eo qui iure speciali, statuto, constitutione vel consuetudine iam est antecedenter determinatus; quae iura specialia, legitime constituta, sunt ante omnia respicienda; is enim, qui iure speciali designatus est ad convocationem faciendam solet etiam praeesse electioni. (Cfr. *De Herdt*, De Capitulis p. 409 de convocatione Capituli cathedralis). Quae convocatio nisi fiat a persona competente ex natura rei iuridicum effectum non habet, cum sit actus iurisdictionis seu praeeminentiae, quam nemo valide sibi usurpare potest.

Convocandi sunt *omnes de collegio* [24] qui ius suffragii habent, nec tempore convocationis illud amiserint.

Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio quidem valet, sed ad eius instantiam debet, probata praeteritione et absentia, a competente Superiore irritari, etiam secuta confirmatione, dummodo iuridice constet recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse transmissum (can. 162, § 2) [25].

Si recursum intra legitimum tempus omiserit, excidit iure impugnandi electionem eamque censendus est ratam habuisse.

Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electio est ipso iure nulla (ib., § 3).

Defectus convocationis non obstat, si praetermissi nihilominus electioni interfuerunt (ib., § 4).

253. Locus electionis. Electio celebranda est a capitularibus congregatis collegialiter in unum *locum*, statuto vel consuetudine determinatum [26*], aut ab eo qui convocationem facit, attenta

[24] *Leuren.*, q. 264 sq., q. 314.; *Passerin.*, l. c. cap. 11, n. 110 sq.; *Piat.* l. c. p. 500.

[25] Cfr. *Leuren.*, q. 314 sq.; *Passerin.*, l. c. cap. 11.

[26*] S. C. de R. declaravit d. 2 Iulii 1921 non spectare ad Ordinarium domus principis Congregationis religiosae iuris dioecesani, quae iam per plures dioeceses diffusa est, ius statuendi locum ubi Capitulum

commoditate electorum, convenienti quadam ratione designandum [27].

In loco designato ut suffragium collegialiter ferant electores, *praesentes* sint oportet: convocatione enim legitime secuta, ius eligendi pertinet ad eos qui praesentes sunt die in convocatione statuto, exclusa facultate ferendi suffragia non solum per epistolam, sed etiam per procuratorem, nisi lege peculiari [28*] aliud caveatur (can. 163). Electores vero in domo ubi fit electio praesentes, qui electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeunt, suffragio gaudent illudque scrutatoribus ad ipsos accedentibus scriptum tradere debent, ab iis ad locum scrutinii transmittendum, nisi aliter particularibus legibus aut legitima consuetudine fuerit constitutum (can. 168) [29].

254. Conditiones requisitae ad valorem suffragii. Ad valorem suffragii eorum, qui vere sunt electores et ius suffragii retinent, can. 169 requiritur; 1°) Ut suffragium sit *liberum*, cui libertati praeter causas quae ipso iure naturae excludunt penitus libertatem, velut error substantialis, ex iure positivo can. 169, § 1 opponitur metus gravis, vel dolus quo elector, sive directe sive indirecte, adigitur ad ferendum suffragium pro determinata persona aut ad dandum suffragium uni ex pluribus personis, quae ab inferente metum seu dolum adhibente disiunctive proponuntur [30*].

generale celebrandum sit. Si de hac re nihil vel constitutiones vel legitima consuetudo praescribant, ius determinandi locum spectat ad Moderatricem Generalem ad normam can. 162 et 507, § 1. Cfr. *A. A. S.*, XIII, 481; Per., X, 360.

[27] Cfr. *Leuren.*, q. 320 sq.; *Passerin.*, l. c. 12, n. 1 sq.

[28*] Lex peculiaris, de qua hic agitur, possunt esse secundum aliquos auctores privilegium S. Sedis, constitutiones a S. Sede approbatae vel etiam consuetudo legitime praescripta; cfr. v. gr. *Maroto,* o. c. I, n. 623, D, 3°; paulo aliter *Matth. C. a Coronata,* o. c., I, n. 230; secundum eum haec lex peculiaris poterit etiam nunc de novo condi a collegio, cui sit potestas legislativa, quin requiratur confirmatio S. Sedis ut vim legis plene obtineat.

[29] Cfr. de iure praecedenti, *Leuren.*, q. 264 sq.

[30*] Secundum *Maroto,* o. c. I, n. 624, reddit suffragium nullum coarctatio, quae vel ipso iure naturae adimit prorsus libertatem vel quae ex iure positivo inducit actus invaliditatem. Iam vero canon 169, § 1, n. 1 illud solummodo suffragium declarat nullum, quod ad eligendam certam personam vel etiam disiunctive unam e pluribus personis determinatis

2°) Debet esse suffragium *secretum*, i. e. debet ita ferri ut ab aliis electoribus cognosci non possit, cui quisque suffragium det. Quodsi ante tempus suffragationis elector manifestaret cui suffragium dare intendat [31], aut post electionem revelet in cuius favorem suffragium tulerit, haec valori suffragii non officiunt, modo ipse actus suffragationis fuerit secretus. At sicut manifestatio firmae intentionis de suffragio pro determinata persona ferendo est saltem actus minus prudens, et forte iure speciali est delictum poenis obnoxium, ita revelatio suffragii dati videtur prohibita, saltem in electionibus regularium [32]; in aliis ut plurimum erit actus imprudens, attenta praescriptione can. 171, § 4 de schedis suffragiorum post peracta scrutinia comburendis. Inde etiam apparet optimam rationem servandi secretum suffragium eam esse, si suffragia secreta scripto ferantur [33].

3)° Suffragium debet esse *certum* [34], seu ab eligente personae a se bene determinatae ideoque cognitae datum. Quare nullum esset suffragium datum habenti plura vota.

4)° Praeterea debet esse *absolutum*, cui qualitati opponitur suffragium quod fiat dependens ab aliqua conditione praesertim de futuro; immo et de praesenti vel praeterito, nisi agatur de conditione, quae actui insit ex natura sua vel de iure, cum

fuerit coarctatum praecise *alterutro* ex duobus modis, nempe: *aut ex metu gravi, iniusto et ab extrinseco* illato aut *ex dolo;* quapropter libertatis coarctatio ex alia causa proveniens non reddet suffragium *nullum*. Paulo aliter *Matth. C. a Coronata*, o. c., I, n. 238, 1°; cui vis *quoquo modo* illata videtur sufficiens ad reddendum nullum suffragium; proinde verba « directe et indirecte adactus » referrentur non solum ad actionem metus vel doli, prout plerique explicant, sed etiam ad quemlibet alium *modum* coarctandi libertatem suffragii.

[31] Quae directa manifestatio intentionis seu propositi de proprio suffragio omnino differt a tractatu consultorio, sive privato sive publico, passim praemitti solito. Cfr. *Passerin.*, l. c. cap. 5, n. 43 sq., cap. 15, n. 7 sq.; *Piat.*, Ius. regul. P. IV, cap. 2, q. 667 sq.; *Maroto*, o. c., I, 630. Directa illa manifestatio facile potest provenire ex studio aliorum electorum vota aucupandi et ideo induere rationem subornationis electorum.

[32] Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 6, De regul. districte praecipit omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina *nunquam publicentur*.

[33] De aliis modis secreto ferendi suffragia per calculos vel fabas, cfr. *Passerin.*, l. c. cap. 18, n. 13.

[34] Cfr. cap. 2, de elect. in 6°; *Passerin.*, l. c. n. 16 sq.; *Piat.*, l. c. q. 673; *Leuren.*, l. c q. 353 sq.

haec non vere reddant suffragium conditionatum, v. gr. suffragium collatum in Titium, si est persona idonea. Quodsi conditiones suffragio ante electionem appositae fuerint, eae habentur pro non adiectis, quo securius consulatur valori electionis.

5°) Oportet ut suffragium sit *determinatum*, ac proinde nullum est suffragium alternativum, v. gr. eligo Petrum vel Paulum. Nec debet exprimi talibus verbis, quibus non significetur actualis electio, v. gr. si adhibeatur formula, volo eligere, quae indicat voluntatem eligendi potius in futurum tempus collatam.

6°) Tandem ad valorem suffragii pertinet quod nemo sibimetipsi suffragium det (can. 170).

Art. 4. — De forma electionis

255. Omnibus rite praeparatis ipsum negotium electionis est inchoandum. Qua in re observentur imprimis oportet certae *formalitates*, quae sunt *accidentales*, eamque ob causam, si omissae fuerint, electionem factam non reddunt irritam, nec in omnibus electionibus uniformi modo servantur. Huc spectant celebratio Missae de Spiritu Sancto in die electionis, communio electorum, invocatio Spiritus Sancti, protestatio contra eos, qui ius eligendi non habent, absolutio a censuris, examen electorum, iuramentum de digniore eligendo, praevius tractatus in quo complures candidati apti nominantur [35].

Qui tractatus praevius quamvis utiliter adhiberi possit, tamen de iure non est praescriptus. Capitulationes vero praeviae etiam iuratae quibus, ad instar pacti promissorii per varios articulos de regimine ecclesiastico et iuribus capitularium, frequenter iurisdictio Episcoporum et suprema Romani Pontificis potestas a Cardinalibus in conclavi est ligata, ex disciplina vigente absolute sunt interdictae et omnino nullae et irritae [36].

256. Praeter istas formalitates accidentales *triplex* ante Codicem admissa erat *forma substantialis* a sacris canonibus sta-

[35] *Passerin.*, l. c. cap. 14, de Capitulo electionis, cap. 15, n. 1 sq.

[36] Innoc. XII, Const. *Ecclesiae catholicae* 22 Sept. 1695; Benedict. XIV, Const. *Pastoralis regiminis* 15 Iul. 1754, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 13, n. 11 sq.; Const. *Vacante Sede Apostolica* de elec. Rom. Pontif.; si *Schmalzgr.*, l. c. n. 41, illas capitulationes defendit, plane improbabilem sustinuit sententiam. Cfr. *Zech*, l. c. § 215.

tuta, scilicet forma scrutinii, compromissi et quasi inspirationis; atque una ex tribus illis formis, cum viduatis ecclesiis cathedralibus per electionem sic dictam sollemnem erat providendum, adeo necessario adhibenda erat, ut secus electio esset nulla et irrita [37]. Sed de electione per quasi inspirationem canones Codicis silent, et solum commemoratur ea cum sermo est de electione Rom. Pontificis. In aliis electionibus una ex reliquis duabus formis est adhibenda.

§ I. De forma scrutinii

257. Electio per *scrutinium* hisce quinque actibus est absolvenda. Requiritur enim:

I. *Deputatio scrutatorum.* Id est, assumendi sunt ab electoribus per actum capitularem, nisi iam propriis statutis deputati sunt, *tres viri* de collegio fide digni [38*], qui singulorum suffragia exquirere debent ideoque *scrutatores* vocantur [39]. Si is qui electioni praesidet de gremio collegii sit, duo tantum eliguntur, tertius est ipse praeses. Ab iis iuramentum est praestandum de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in comitiis, etiam expleta electione.

II. *Suffragiorum inquisitio* sive scrutinium. Quod scrutinium ut sit legitimum, debet fieri:

a) secreto, i. e. *singuli* electores *verbis* aptis, v. g. eligo N. vel nomino N. vel consentio in N., **aut** secrete suum suffragium scribunt clausumque scrutatoribus tradunt, **aut** non audientibus reliquis electoribus dant suffragium, saltem ab uno ex scrutatoribus scripto adnotandum [40*]; ex duobus illis modis prior in se est aptior iurique conformior et etiam in praxi saltem ordinarie usitatus [41];

b) singillatim et *ordinate* seorsim *singuli,* non turmatim bini vel terni, i. e. imprimis exquiritur suffragium ab eo, qui toti collegio praeest, deinde a seipsis mutuo scrutatores exquirunt suffragia, si iure eligendi gaudeant, denique ab aliis electoribus pro illorum praerogativa aut recepta consuetudine atque etiam ab infirmis in eadem domo;

c) diligenter, i. e. singula suffragia data a scrutatoribus sunt inquirenda et saltem ab uno ex ipsis scripto adnotanda, nisi id fiat forte a proprio notario.

III. *Suffragiorum numeratio.* Scrutatores debent suffragia coram praeside diligenter numerare ac videre utrum numerus suffragiorum respondeat electorum numero. Si suffragia numerum eligentium superent, nihil est actum; perinde est ac si illud scrutinium non fuisset habitum (can. 171, § 3).

IV. *Scrutinii* sive suffragiorum *publicatio.* Collectis suffragiis omnium electorum et in scripturam redactis, statim sine interpositione alterius actus extranei, facienda est *publicatio votorum* coram omnibus a scrutatoribus vel ab iis, qui consuetudine aut statuto Capituli canonice ad hoc substituti sunt. Quae publicatio votorum sive nominum eorum, qui suffragia *acceperunt,* eo fine fit ut accurate sciatur quis, vel qui nominati fuerint [42*]. Publicationis factae is est effectus quod electores, utpote iam functi suo officio, nullam amplius habeant mutandi sive *variandi* facultatem [43].

[37] Cfr. cap. 42, X. h. t. 6; *Schmalzgr.*, l. c. n. 43 sq.

[38*] Alii tenent non adesse *obligationem* deputandi tres scrutatores nec in casu in quo praeses non sit e gremio collegii; cfr. *Verm.-Cr.*, o. c., I, n. 286; *Maroto*, o. c., I, n. 633. Circa modum deputandi scrutatores, ait *Matth. C. a Coronata*, o. c., n. 234, 3°, nihil statuit Codex; itaque, ait ipse, si praxis aut consuetudo nihil de hac re statuant, deputatio scrutatorum fiat a Capitulo, *non necessario* secretis suffragiis; nam verba « *per secreta suffragia* » can. 171, § 1 sunt referenda ad praecedens vocabulum « electionem » et non ad subsequens « deputantur ». *Maroto* e contrario, o. c., I, n. 633, asserit suffragia electorum in deputandis scrutatoribus *debere* esse secreta; idem tenet etiam *Ojetti*, o. c., IV, p. 84.

[39] Cfr. cap. 42, X. h. t. 6; *Passerin.*, l. c. cap. 16; *Schmalzgr.*, l. c. n. 41 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 334 sq.; *Piat.*, I. c. q. 671.

[40*] Conditio ista faciendi scrutinium secreto non videtur, secundum *Matth. C. a Coronata*, o. c., n. 235, a, amplius requiri iure codicis ad validitatem electionis, dummodo maior suffragiorum numerus non publicetur. Vide etiam ibidem quae circumstantiae requirantur ut ex hoc capite electio possit reddi invalida.

[41] Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 6, de reg.; *Passerin.*, l. c. cap. 17, 18; *Leuren.*, l. c. q. 343 sq.; *Piat.*, l. c.

[42*] Secundum *Maroto*, o. c., I, n. 660, IV, A, e, ad validitatem electionis requiritur ut scrutatores palam faciant effectum scrutinii, seu numerum suffragiorum quem electus obtinuerit; exprimere autem quot quisque suffragia tulerit non pertinet ad substantiam rei; ibid., V, A, d.

[43] Cfr. *Passerin.*, l. c. cap. 18, n. 30 sq., cap. 19; *Leuren.*, l. c. P. II. q. 235, 362, 367 sq. De antiqua collatione numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum ex iure Decretalium facienda. Cfr. *Passerin.*, cap. 19, n. 20 sq.; *Leuren.*, q. 370 sq.

V. *Electio sollemnis* sive communis (can. 174). Facta collatione suffragiorum ex qua constat in quem maior pars requisita consenserit, statim antequam ad alia negotia divertatur, nomine omnium ab eo, qui Capitulo praeest vel ab alio iuxta consuetudinem vel statutum Capituli, publice in communi coram electoribus sive Capitulo expressis verbis decretum quis sit electus, v. g. *Ego Benedictus... nomine praesentium electorum eligo Carolum...*, est promulgandum [44].

Quo decreto electionis coram Capitulo publicato, si agitur de electione Praelati pro ecclesia viduata, altera *publicatio* coram *populo* vel toto conventu fieri solet [45], sed *non est sollemnitas substantialis* ad valorem electionis requisita. Ab illis decretis vel publicationibus electionis probe distinguendum est *instrumentum* electionis. Quo nomine intelligitur *scriptura* continens ab initio ad finem totam seriem electionis atque praesertim decretum, quo nomine omnium unus nominatum in scrutinio elegit. Tandem praecipitur ut is, qui actuarii munere fungitur, omnia electionis acta accurate describat, atque ut eadem acta, saltem ab actuario, praeside et scrutatoribus subscripta in collegii tabulario diligenter asserventur (can. 171, § 5).

Demum suffragia iubentur comburi (ib., § 4), quo satis indicatur modum ferendi suffragia per schedas saltem aliis modis praeferri.

Scholion. *Substantialia vitia electionis.* Tametsi in hoc art. Codicis « de electione » inter varia praescripta etiam continetur determinata *forma* in electione servanda, cum illa forma constet pluribus actibus, nequaquam omnes et singuli actus et multo minus *modus* actum ponendi habendi sunt ut essentiales, ita ut eorum omissio aut diversus modus actum ponendi reddant electionem substantialiter vitiatam, perinde ac actum sua forma destitutum. Sed singula praescripta canonum de electione expendenda sunt ad normam can. 11 de lege irritante et inhabilitante: nam in forma aliqua complexa sollemnioris cuiusdam negotii iuridici, alia possunt pertinere ad substantiam sollemnitatis, alia ad accidentalem formam, iure tamen praescriptam.

[44] Cfr. *Passerin.*, l. c. cap. 19, n. 20 sq., cap. 21; *Leuren.*, l. c. q. 372 sq.

[45] Cap. 42, § 2, X. h. t. 6; *Passerin.*, l. c. cap. 12, n. 19 sq., 23 sq., de clandestina electione; cap. 19, n. 34 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 379 sq.; 381; *Schmalzgr.*, l. c. n. 32.

Praecipua vitia *substantialia* electionis canonicae habentur sequentia: 1°) Si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint (can. 162, § 3). — 2°) Si extraneus collegio illegitime ad suffragium admittatur (can. 165). — 3°) Si laicus contra canonicam libertatem electionis sese quoquo modo immiscuerit (can. 166). — 4°) Si scienter ut elector admissus fuerit censura aut infamia iuris affectus, post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam (can. 167). — 5°) Si constet electionem decisam fuisse per suffragium eorum qui ab eo ferendo excluduntur cit. canone 167. — 6°) Si suffragia data sunt ex gravi metu iniusto vel dolo (can. 169). — 7°) Si numerus suffragiorum superet numerum electorum (can. 171). — 8°) Si electio facta est simoniace (can. 729).

Contra ceteros defectus in electione admissos ad competentem Superiorem recurri potest, qui, post perspectum et examinatum defectum, aut electionem propter illum rescindet, aut sanato defectu electionem nihilominus confirmabit.

§ II. De forma compromissi

258. Post complura scrutinia inutiliter tentata, si plura iure speciali fieri possunt, ad componenda dissidia vel alias ob causas forma compromissi ab electoribus in subsidium adoptari potest, nisi iure speciali sit prohibita. Electio autem per compromissum fieri censetur, cum illi quibus ius eligendi competit, facultatem eligendi Praelatum vel magistratum ecclesiasticum [46*], *scripto* et *unanimi consensu* (cf. R. I. 29 in Sext. iunct. can. 101, § 1, n. 2) in certos viros idoneos transferunt, qui, tanquam com-

[46*] Potestne iure particulari praescribi in electionibus pro officiis stricte dictis aut aequivalentibus forma compromissi? Affirmative respondet *Goyeneche*, Comment. pro religiosis, 1923-IV, 49; aliis magis placet negativa responsio; cfr. *Vermeersch-Creusen*, o. c., n. 289. Unanimitas electorum ad formam compromissi valide eligendam ab omnibus habetur tanquam conditio essentialis. Estne item ad validitatem necessarium ut hic unanimis consensus scripto detur? Affirmat *Cappello*, Summa i. c., I, n. 289, 2°; negant *Maroto* o. c., I, n. 660, V, B, a, et *Matth. C. a Coronata*, o. c., I, n. 241; rem ut incertam relinquit *Creusen*, o. c., I, n. 290; alii ambigue loquuntur. Ceterum, unanimis consensus electorum non requiritur nec ad determinandum numerum compromissariorum nec ad designandos eos; cfr. *Maroto*, o. c., I, n. 639, a.

promissarii, nomine ac iure omnium electorum officio vacanti de magistratu provideant (can. 172)[47].

259. *Compromissarii* debent esse viri idonei, i. e. in collegio clericali clerici atque adeo sacerdotes, non laici; nam laicis huiusmodi iura sine indulto apostolico concedi non possunt. De gremio Capituli necessario assumendi non sunt[48], neque *complures* numero sint oportet, cum *unus* sufficiat. Cfr. cap. 8, X. h. t. 6. Neque numero *impares* sint necesse est, quamvis ad multa incommoda vitanda dispar compromissariorum numerus sit praeferendus. Cfr. cap. 52, X. h. t. 6.

260. *Forma compromissi.* Duplex est modus compromissarios constituendi; vel enim constituuntur per compromissum *absolutum* seu ab omni conditione, restrictione aut limitatione liberum, vel constituuntur per compromissum limitatum, sive quoad tempus aliasque circumstantias sive praesertim quoad personam eligendam vel formam electionis[49].

Si primo modo constituti fuerint compromissarii, debent in electione peragenda observare ius commune de electione constitutum[50]; si altero modo seu limitate fuerint constituti, ut valide agant, debent observare conditiones compromisso appositas quae iuri communi contrariae non sint; quae conditiones contra ius appositae habendae sunt pro non adiectis (can. 171, § 3). Ex generali principio quo vetitum est in electionibus ne quis sibimetipsi suffragium det, ratum fixumque est unicum compromissarium deputatum non posse seipsum eligere, nec si sunt plures designati, posse quempiam suo consensu accedere reliquis ipsum eligentibus ut electionem sui compleat (ib., § 4).

261. *Effectus compromissi.* Si compromissarii vel maior ipsorum pars servata compromissi *forma* dignum et idoneum Praelatum nominarunt et per unum, nomine omnium, tanquam electum publicarunt (cfr. cap. 21 de elect. in Sext.), capitulares, qui compromissum inierant, illum ut a seipsis electum admittere debent. Cfr. cap. 8, X. h. t. 6.

[47] Cap. 30, 42, X. h. t. 6; *Passerin.*, l. c. cap. 1, n. 54 sq., cap. 22, n. 1 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 51 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 393 sq.

[48] Cap. 42, X. h. t. 6; cap. 37, h. t. 6, in Sext.

[49] Iure Decretalium commemoratur genus quoddam compromissi limitati, quod admixtam habet electionem, videlicet compromissarii singillatim et secreto singulorum electorum voluntatem scrutabantur, et deinde eligere tenebantur eum, in quem maior pars electorum consentiret (cfr. cap. 32, X. de elect. I, 6; cap. 23, 29, eod. in Sext.).

[50] Quod dicitur de iure communi servando pariter intelligitur de iure particulari aut speciali legitime constituto et vigente.

262. *Cessat* compromissariorum potestas atque compromissum ad instar mandati exspirat, si electio aut postulatio a compromissariis iam facta sit, licet ob quamcumque causam effectum non sortiatur, vel si tempus a compromittentibus aut a iure ad electionem praescriptum elapsum sit, vel non secuta aut non observata fuerit aliqua conditio compromisso apposita, vel compromissum re adhuc integra legitime, i. e. a maiore parte, revocetur. Cfr. cap. 30, X. h. t. 6; cap. 21, 23, 37 h. t. 6 in Sext.

263. Si compromissarii *negligentes* intra *tempus* a iure statutum eligere praetermittant, ad proximum Superiorem ecclesiasticum devolvitur potestas providendi; si vero *scienter* vel *ignoranter* eligant *indignum*, potestas eligendi libere revertitur ad compromittentes, nisi etiam ipsi talem electionem ratam habuerint. Cfr. cap. 37, h. t. 6 in Sext.

Scholion. Cum forma *quasi-inspirationis* solum obtineat in electione Rom. Pontificis, sub propria rubrica De Rom. Pontifice erit explicanda.

Art. 5 — De intimatione et confirmatione electionis

264. Electione celebrata *electores* debent ipsam electionem illico electo intimare et exquirere utrum consentiat necne[51*]. Electus vero infra *octo dies utiles* a recepta intimatione debet manifestare utrum electioni consentiat an eidem renuntiet; secus si absque iusto impedimento intra dictum tempus nihil manifestaverit, omne ius ex electione quaesitum ipso facto amittit (can. 175).

Si electus *renuntiaverit*, pariter omne ius ex electione quaesitum amittit, etsi renuntiationis factae eum postea poeniteat;

[51*] Ex iure communi non adest obligatio acceptandi electionem, etsi agatur de religioso electo ad officia ecclesiastica propriae religionis; ex iure autem particulari potest utique oriri huiusmodi obligatio; sic in quibusdam religionibus, vi propriarum constitutionum, nec electio intimatur electo nec eius exquiritur consensus. Cum vero electus subsit collegio electorum, ei acceptatio imponi poterit. Cfr. Per., XI (153); *Cappello, Summa i. c.*, I, p. 371; *Ojetti*, o. c., IV, p. 99, not. 3.

sed rursus eligi potest. Collegium autem intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debet (can. 176, § 1). Renuntiatio vero missa ad collegium adhuc valide revocaretur, si ad collegium prius perveniret revocatio renuntiationis quam ipsa renuntiatio. Quamdiu enim renuntiatio non est intimata, adhuc causa integra est et revocari potest.

Si electus electionem de se factam *acceptaverit*, distinguendum est utrum electio indigeat confirmatione vel ea non indigeat: in altero casu per acceptationem adquiritur plenum ius, i. e. ius in re seu titulus officii vel beneficii atque officium statim exerceri potest, si specialis actus capiendae vel recipiendae possessionis non sit requisitus; secus ex iure in re immediate sequitur ius recipiendae possessionis, qua tradita tum demum actus officii poni possunt. In primo casu electus dumtaxat obtinet ius ad rem, nec titulum officii obtinet nisi accedente confirmatione (can. 176, § 2).

265. In iure ad rem per acceptationem obtento minime includitur ius quoddam *electi* sese immiscendi *administrationi* officii ecclesiastici sive in spiritualibus sive in temporalibus *ante confirmationem* legitime obtentam [52]. Immo si electus, etiam sub oeconomi aut procuratoris titulo, ante confirmationem administrationi rerum ecclesiae ultro sese immisceat, in *poenam* criminis iure per electionem quaesito *eo ipso privatus* existit et ad officium seu beneficium obtinendum fit inhabilis, ideoque ipsius electio *cassari* debet et ad regimen seu administrationem officii dimittendam est cogendus per poenas ad normam can. 2394. Immo quamvis Capitulum ecclesiae cathedralis Vicario et oeconomo, sede vacante electis, administrationem dioecesis vacantis concedere debeat, tamen in *fraudem* legis illam *electo* a se Episcopo concedere nequit ex novo titulo *post* electionem *quaesito* (can. 432, § 1). At si quis a Capitulo *primum* electus est Vicarius capitularis et *postea* etiam eligitur Episcopus, is administratio-

[52] Cfr. *Maroto*, o. c., I, 650, ubi putat per Codicem non esse derogata privilegia nonnullis religionibus concessa, quorum vi possent electi, maxime in longinquis regionibus, suscipere regimen provisorium, dum confirmationem expectant. Cfr. quoque *Piat.*, l. c. q. 706; *Passerin.*, l. c. cap. 33, n. 38. Exceptio facta cap. 44, X. h. t. 6, de electis in concordia in locis longinquis certe generali modo non amplius viget et iam ante Codicem fuerat revocata per subsequentes Constitutiones Rom. Pontificum.

nem dioecesis dimittere *non* tenetur. Nam rigor in schemate Concilii Vaticani propositus (cfr. *Martin*, Collect. doc. Conc. Vatic. p. 139) a Pio IX, Const. « *Romanus Pontifex* » 28 Aug. 1873, non fuit approbatus, et ius illi maiori rigori contrarium expressa Codicis praescriptione fuit sancitum can. 334, § 2).

266. Omnes electi saltem intra octiduum a die acceptatae electionis per se vel per alium a competente Superiore ecclesiastico, v. g. a R. Pontifice, Episcopo, Generali *post* electionem factam petere debet *confirmationem* [53], nisi ex natura rei confirmatio haberi non possit, velut in electione R. Pontificis, vel ex speciali iure aut privilegio non exigatur, vel iam *antecedenter* a Superiore competente *per legem* scriptam vel legitimam *consuetudinem* electioni *rite* celebratae data sit (can. 177, § 1). Qua ratione v. g. Vicarius Capitularis canonice electus in Ecclesia *latina* non est confirmandus. Item non raro Abbates exempti vel Generales complurium Ordinum religiosorum eo ipso quod canonice sunt electi ex speciali privilegio S. Sedis censentur confirmati et illico plenam administrationem obtinent. Quo in casu potius habetur *collatio* electiva quam electio confirmativa [54]. Si intra legitimum tempus octo dierum petitio confirmationis non fuerit facta, i. e. saltem missum fuerit documentum continens petitionem, electus omni iure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione iusto impedimento fuisse detentum (ib.). Quae confirmatio necessario ex iustitia electo est concedenda legitimo tempore et loco, si neque in persona electa neque in actu electionis vitium quoddam deprehendatur, aut Romanus Pontifex ex plenitudine suae potestatis officio vacanti alio modo non duxerit providendum (ib., § 2). Quare si iniuste confirmatio denegetur vel differatur, patet recursus ad Superiorem confirmatoris, qui potest et debet confirmatorem compellere, vel ipse iure devoluto concedere confirmationem [55*]. At si indignus fuerit

[53] Cfr. Synod. prov. Ruthen. (a. 1891), p. 118: « *Horum Vicariorum* (i. e. Vicar. Capit. in spirit. et Oeconom. in temp.) *confirmatio a Metropolita petenda est* »; *Passerin.*, l. c. cap. 33 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 412 sq., 446 sq., 450 sq.; *Piat.*, l. c. q. 707.

[54] *Ferraris*, l. c. v. Abbas n. 14 sq.; *Pirhing*, h. t. 6, n. 398; *Leuren.*, l. c. q. 413 sq.

[55*] Si agatur de recursu instituendo contra Episcopum denegantem confirmationem, is erit exhibendus apud S. C. C.; agitur enim de actu administrativo atque in exercitio potestatis administrativae Episcopi non

electus, vel vitiata fuerit forma electionis, confirmatio potest et debet negari (can. 153, § 3) [56].

267. Ipsa confirmatio danda non est, nisi prius instituatur inquisitio de *meritis electi* et de *forma electionis* (can. 149). Quae inquisitio ex natura rei est necessaria ad hoc ut Superior, ad quem pertinet confirmatio iudicium sibi efformare possit utrum postulatam confirmationem concedere aut denegare debeat. Forma autem iudicialis olim praescripta cap. 47 de elect. I, 6 in Sext. non amplius videtur ex obligatione observanda, modo vera inquisitio fiat. Nostra aetate inquisitio de electione Episcopi fit per processum informativum extra Curiam Romanam ad normam Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 2 de ref., Sess. XXIV, cap. 4 de ref., Gregor. XIV, Const. « *Onus* » 15 Maii 1591, Instr. Urb. VIII, a. 1627 factum [57]. Quem processum informativum sequitur in ipsa Curia Romana per S. C. Consistorialem inquisitio et sententia definitiva de actis transmissis. Si sententia electo est favorabilis, in Consistorio fit praeconizatio Bullaeque Apostolicae expediuntur. Cfr. Arch. f. k. K. t. 55, p. 327 sq. *Forma* iure communi praescripta ad dandam confirmationem est ut in scriptis detur (can. 177, § 3).

268. Confirmatio facta sive in *forma communi*, quae valorem electioni non tribuit, sive *in forma specifica*, qua ex certa scientia et voluntate valor electioni tribuitur, supplendo et sanando defectus in electione commissos, quatenus id a confirmatore fieri potest, hos producit *effectus*:

I. Electus acquirit *ius in re* et facultatem petendi *institutionem corporalem* aut immediate per se capiendi possessionem

habent iudices nisi SS. Congregationes. Cfr. resp. Praesidis Comm. Cod. d. 22 Maii 1923; *A. A. S.*, 1924-XVI, 251.

[56] Cfr. cap. 3, 44, X. h. t. 6; *Leuren.*, l. c. q. 419 sq., 456; *Piat.*, l. c. q. 709, 710; *Passerin.*, l. c. cap. 33, n. 117 seq., n. 55 sq.; *Maroto*, o. c., I, 651, E, de distinctione inter casus in quibus Superior *potest* et casus in quibus *debet* confirmationem denegare.

[57] Concord. Vindobon. (a. 1447): « Electiones Episcoporum) *si canonice factae sunt, Papa eas confirmet, nisi ex causa rationabili evidenti et de fratrum consilio de digniore et utiliore persona duxerit providendum* »; Conc. Trid. ed. *Richt.* p. 489 sq., 494 sq.; Benedict. XIV, Const. *Gravissimum* 18 Ian. 1757; *Leuren.*, l. c. q. 476 sq.; *Piat*, l. c. p. 550 sq.; *Bangen*, D. röm. Curie p. 87 sq. 468; *Saegmueller*, l. c. p. 264, not. 1, 2; *Giobbio*, l. c. t. II, n. 204 sq.

officii sibi concessi et non amplius vacantis; nisi forte iure speciali actus recipiendae possessionis non sit requisitus, sed statim officii exercitium habeatur (can. 177, § 4) [58]. Hinc etiam sine consensu competentis Superioris ecclesiastici suo officio acquisito *renuntiare* non amplius potest (can. 187).

II. Inter Episcopum confirmatum et ecclesiam ipsi concessam oritur *spirituale* quoddam *matrimonium ratum*, quod sola auctoritate Rom. Pontificis solvi potest. Cfr. cap. 2, X. de transl. I, 7.

III. Episcopus vi iniunctionis per confirmationem factae acquirit potestatem *iurisdictionis* sive ius administrationis in spiritualibus et temporalibus; immo rite praesentatis in Capitulo Bullis Apostolicis etiam plenum validumque *exercitium* huius iuris exceptis iis, quae ministerium consecrationis requirunt (can. 334, § 3). *Archiepiscopus* vero sive Metropolitanus etiam postquam electus et confirmatus est, actus *iurisdictionis* metropolitanae et actus ordinis etiam proprios dignitatis *episcopalis*, *qui cum usu pallii* coniuncti esse *debent*, *exercere* nequit, nisi post consecrationem *pallium* quoque a Sede Apostolica acceperit; alios vero actus iurisdictionis vel ordinis episcopalis, in quibus usus pallii intervenire non debet, exercere potest (can. 276). Cfr. De Patriarch. et Episc. orientalibus: Collect. Lac. t. II, col. 343, 571, 575; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 222; Synod. Ruth. (a. 1891), p. 118, ubi Metropolitae Ruthen., ex indulto apostolico, vindicatur ius suis duobus Suffraganeis dandi confirmationem et institutionem atque consecrationem.

IV. Accepta confirmatione Episcopus fruitur reliquis *honoribus et privilegiis* dignitatis suae exceptis iis, quae soli Episcopo *consecrato* competunt, ad normam can. 349.

269. Scholion. Si facta electio, praesertim Episcopi, per appellationem esset impugnanda, pluribus iuris Decretalium capitibus h. t. in Sexto relatis variae datae sunt praescriptiones, quae etiam nunc saltem tutam praebent normam ad illam impugnationem, tametsi vi obligandi carent. Cfr. *Pirhing*, in h. t. 6, n. 160 sq., 168 sq.; *Passerin*, l. c. cap. 32, 34; *Leuren.*, l. c. q. 496 sq.

[58] Cfr. cap. 18, de praeb. III, 4, in Sext.; cap. 1, de elect. I, 3, in Extravg. com.; *Pirhing*, h. t. 6, n. 341. sq.; *Leuren.*, l. c. q. 414 sq., 423 sq.

Art. 6. — De consecratione vel benedictione Praelati electi et confirmati.

270. Confirmationem Episcopi electi sequi debet *consecratio*, quae ex disciplina nunc vigente Romano Pontifici in Ecclesia *latina* est reservata, ideoque, ut per alium Episcopum fieri possit, mandato apostolico opus est [59]. Quae consecratio recipienda est intra tres menses ab acceptis litteris apostolicis, nisi adsit legitimum impedimentum (can. 333); secus fructus non faciunt suos et ad fructuum receptorum restitutionem ante omnem sententiam declaratoriam tenentur. Si intra totidem menses postea id facere negligant, ecclesiis ipso iure sunt privati (can. 2398).

Consecrationis episcopalis imprimis is est effectus ut Episcopus ob plenitudinem sacerdotii *omnes actus* etiam *ordinis* episcopalis exercere possit, *exceptis Archiepiscopis*, qui nonnisi obtento *pallio* plenum exercitium suae potestatis consequuntur. Porro *matrimonium spirituale* inter Episcopum et ecclesiam suam, quod per confirmationem factum est ratum, consecratione fit *consummatum*. Cfr. cap. 2, X. de transl. I, 7. Inde a tempore consecrationis Praelatus promotus simpliciter *appellatur* Episcopus.

Scholion. De benedictione Abbatis vel Praelati *nullius*, legitime nominati aut confirmati vel instituti, cfr. inferius in proprio titulo « De Praelatis inferioribus ».

[59] Pont. Rom. tit. De consecr. electi in Episc.; Benedict. XIV Const. *In postremo* 20 Oct. 1756, de Synod. dioec. l. XIII, cap. 13, n. 4; *Zech*, l. c. tit. 22, de consecratione Episcoporum §§ 246 sq. Cfr. de iure Ecclesiarum orientalium ad *consecrandos Patriarchas statim* post electionem et *ante* confirmationem a R. Pontifice datam: Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888) p. 221 sq., ubi tamen *Episcopi* nonnisi *post* obtentam confirmationem *pontificiam* dicuntur consecrandi (a Patriarcha vel ab Episcopo per ipsum deputato). Cfr. quoque Collect. Lac. t. II, col. 343, 571, 575; Synod. prov. Ruth. (a. 1891) p. 118; Synod. Alex. Copt. (a. 1898) p. 187 sq., ubi Patriarcha ipse non stricte eligitur, sed a R. Pontifice designatur ex *tribus* candidatis a Synodo Patriarchatus nominatis, ideoque consecratio nequit praecedere designationem et collationem pontificiam.

CAPUT IX

De postulatione et admissione promovendorum ad officia ecclesiastica (can. 179-182)

271. **Fontes:** Decret. Grat. c. 10 sq., D. 61; c. 5, D. 71. — Cpl. III, l. I, t. 4, de postulatione; cpl. V, l. I, t. 4, d. post. Prael. — Decret. Gregor. IX, l. I, t. 5; Decret. Bonif. VIII, l. I, t. 5, d. p. Pr.; Extravg. com. l. I, t. 2, d. p. pr.

Scriptores: Comment. iur. Decret. in h. t. — *S. Raym.*, Summa l. I, t. 26, de electione, postulatione, confirm.; *Zech*, Hierarch. eccles. t. 20, de post. Prael.; *Devoti*, Inst. can. l. I, t. 5, sect. 2, de postul.; *Passerin.*, De elect. can. cap. 24, De postulatione; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 198 sq.; *Wagner*, De postul. Praelat.; *Boenninghausen*, De post. Prael.; *Piat.*, l. c. t. I, q. 719 sq.; *Maroto*, Instit. i. c., I, 662.

Praenotiones

272. I. **Definitio.** Postulatio officiorum ecclesiasticorum est petitio *collegii electorum* competenti Superiori ecclesiastico praesentata, ut is certam personam, quae de iure communi propter defectum sive impedimentum canonicum ad officium ecclesiasticum *eligi non potest*, per dispensationis gratiam, concedi tamen *solitam*, admittat. Attentis verbis huius definitionis et iuris sanctionibus de personis, forma et effectibus postulationis, facile deducitur inter electionem canonicam et postulationem intercedere multiplices differentias, e quibus praesertim illa commemoranda est quod electio innitatur *iure*, quippe quae dat ius ad rem, quod sine iniuria reici nequit, postulatio vero nititur gratia, quia postulatus non acquirit ius ad rem, sed ex gratia admittitur et sine iniuria reici potest [1].

II. **Divisio.** Duplex praesertim distinguitur postulatio, sc. *sollemnis* et *simplex*. Illa sola est postulatio proprie dicta, cui *unice* convenit definitio data. Altera est tantum petitio *licentiae*, ut competens Superior ecclesiasticus *consentiat* in *electionem* factam vel faciendam de persona sibi subdita (v. g. de Cardinali

[1] *Schmalzgr.*, h. t. 5, n. 1; *Pirhing*, h. t. 5, n. 1, 2; *Passerin.*, l. c. n. 1, 2; *Leuren.*, l. c. q. 198 sq.; *Piat.*, l. c. q. 719 sq.

Presbytero vel Diacono, de viro religioso) *nullo* alias impedimento *canonico* ligata. Quare haec divisio ad rigorem logicae non est exacta, et inter utramque illam postulationem non leves intercedunt differentiae. Casus enumerati postulationis *simplicis* (de Cardinali et de religioso) vix hodie sunt practici momenti; quare nihil mirum si Codex *simplicem* postulationem nequidem commemoret. (Cfr. *Leuren.*, q. 222; *Passerin*, l. c. cap. 24, n. 37 sq.). Praeterea distinguitur postulatio, quae innititur *iure communi*, et postulatio, quae fundatur *specialibus privilegiis*, v. g. apud regulares [2].

III. **Notae historicae.** *Nomen* postulationis in antiquis Ecclesiae canonibus non eam strictam habet significationem, quam nunc sortitur, sed haud raro denotavit vel ipsam electionem canonicam vel etiam petitionem principi *saeculari* praesentatam, ut electioni canonicae *iam factae* suum praestaret assensum [3]. Gratianus vero in suis dictis ad c. 10 et 11, D. 61 discrimen quoddam iuridicum inter electionem et postulationem insinuat. *Aliud est* inquit *postulari, aliud eligi.*

Canonistae deinceps Gratiani opinionem adoptatam paulatim per distinctionem inter postulationem *sollemnem* et *simplicem* ad accuratiores terminos redegerunt [4]. Id potissimum factum est in iure Decretalium. Etenim in antiquis compilationibus prima vice occurrit rubrica « *de postulatione* » in tertia compilatione authentica (Innocentii III, a. 1210), quam deinde secuta est compilatio quinta (Honor. III, a. 1226-1227), ubi est tit. « *de post. Praelat.* ». Primae quoque Decretales, quae reperiuntur in Decretalibus Gregorii IX, sunt Constitutiones Innocentii III. Pauca de postulatione reperiuntur in Sext. et in Extravg. com. h. t. atque etiam in Clement. l. I, t. 3 de elect. Quod ius Decretalium generalibus Constitutionibus posterioribus non est immutatum, neque in Concilio Tridentino vel recentioribus

[2] Cfr. cap. 27, 28, 36, de elect. I, 6, in Sext.; cap. 1, 5, 6, 8, de elect. I, 3, in Clem.; cap. unic. de postul. I, 2, in Extravg. com.; *Passerin.*, l. c. n. 1, 2, 3, 4, 5, n. 64 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 201, 203.

[3] Cfr. c. 11, 16, D. 61; c. 14, D. 63; c. 10. conc. Sardic. a. 343, = c. 10 D. 61, iunct. *Hefele*, l. c. t. I, p. 590 sq..

[4] *Bernard. Pap.*, Summ. p. 308 sq.; *S. Raym.*, l. c. *Goffred. de Trano*, Summa h. t. n. 1 sq.; *Hostiensis*, Summa h. t. n. 1, 2.

decretis Sedis Apostolicae nova iura universalia de postulatione inveniuntur.

Art. 1. — *De postulatoribus atque postulandis et postulatis.*

273. I. *Postulare possunt* omnes iique soli, qui *eligere* valent [5]. Postulatio enim ad eundem scopum tendit atque electio et in subsidium supplementumque electionis concessa est, ut propter necessitatem vel utilitatem Ecclesiae electores officio vacanti de congruo Praelato providere possint. At concesso iure principali etiam concessum est ius accessorium sive subsidiarium. (Cfr. R. I, 42, in Sext.).

Quare ius *postulandi* competit etiam illis extraneis qui consuetudine vel privilegio in aliquo collegio electorum ius *eligendi* obtinuerunt. *Compromissarii* vero postulare prohibentur, nisi in compromisso seu mandato expresse ipsis concessum fuerit (can. 179).

II. *Prohibentur* postulare: 1) Qui scienter ad officium ecclesiasticum postularunt illum, qui tali detinetur impedimento, in quo nequeat aut non soleat dispensari, si ob eam causam reiecta fuit postulatio; tunc enim provisio devolvitur ad Superiorem, ideoque electores nec iterare possunt postulationem nec procedere ad electionem (can. 182).

2) Electores in illis collegiis seu institutis in quibus iure speciali prohibita sit postulatio et necessario persona sit designanda per electionem (can. 507); quamvis ex natura rei si postulatio expresse dirigatur ad Rom. Pontificem semper fieri possit, qui tamen non est praesumendus velle derogare iuri speciali legitime constituto.

274. I. *Possunt* sollemniter *postulari*, qui digni quidem sunt, sed utpote non *plane habiles* seu idonei vere et proprie *eligi*

[5] Cfr. cap. 1, i. f. 4, h. t. 5; cap. 20, X. de elect. I, 6; *Schmalzgr.*, l. c. n. 5, 12; *Passerin.*, l. c. n. 7; *Leuren.*, l. c. q. 217 sq. Principes civiles, licet non raro obtinuerint ius praesentandi vel nominandi Episcopos, tamen non gaudent iure eligendi vel postulandi, quod soli collegio *clericorum* competere potest. Hinc si nihilominus *designent* personam impedimento canonico detentam, v. g. vinculo alterius ecclesiae, huiusmodi designatio non vocatur postulatio nec stricta praesentatio vel nominatio, sed potius *petitio*. Cfr. *Giobbio*, l. c. t. II, n. 95 sq.; Séparation de l'Eglise et de l'Etat en France in Act. S. Sed., XXXVIII, p. 73 sq., 83 sq.

prohibentur propter *defectum* vel *impedimentum* canonicum, in quo tamen competens Superior ecclesiasticus *potest et solet* dispensare (can. 179)[6].

Dispensabilia habebantur impedimenta: *defectus natalium* in progenitis ex simplici fornicatione, defectus legitimae *aetatis* vel *ordinis*; vinculum veri *matrimonii spiritualis* cum aliqua ecclesia, v. g. Episcopi saltem confirmati, etsi nondum consecrati, ipsis Episcopis *titularibus* non exclusis[7], defectus *sollemnis* et expressae *professionis* religiosae, si quis ad veram Praelaturam regularem est assumendus, et pari ratione defectus temporis professionis requisiti, v. gr. ad officium Superioris maioris in aliqua Congregatione religiosa.

Quodsi quis in istis casibus inhabilitatis a Rom. Pontifice ante electionem obtineat ex indulto apostolico Breve eligibilitatis[8], aut speciali lege pontificia discrimen inter electionem et postulationem sit sublatum[9], non obstantibus illis impedimentis vere eligi potest.

II. *Non possunt* sollemniter *postulari*:

a) qui laborant impedimento *iuris naturalis* et *divini* ob quod Ecclesia aut *absolute non valet* aut *licite non potest* admittere petitionem collegii electorum. Huiusmodi homines impostulabiles sunt omnes, qui ex natura rei iureque divino non sunt *habiles* et *idonei* vereque *digni* ad officia ecclesiastica, velut *infantes, mulieres, amentes, furiosi, plane rudes* et *illiterati*, homines *criminosi* sive *indigni* ex delicto praesertim infamiam inducente, veluti haeretici, schismatici, simoniaci, item excommunicati, suspensi, interdicti;

b) qui irretiti sunt *impedimento iuris ecclesiastici*, in quo Ecclesia dispensare *non solet*, eo quod utiliter et honeste ministeriis ecclesiasticis fungi non possint: quo titulo censebantur exclusi a dispensatione *bigami, spurii* sive damnato coitu procreati, vitio *corporis* valde notabili laborantes. Cfr. *Passerin.*, l. c. cap. XXIV, n. 29 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 218.

[6] *Passerin.*, l. c. n. 24 sq.; *Pirhing*, h. t. 5, n. 4 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 6 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 218 sq.

[7] Cfr. cap. 6, X. h. t. 5; cap. 2, 4, X. de transl. I, 7; *Leuren.*, l. c. q. 221 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 8 sq.; *Zech*, l. c. § 229.

[8] *Zech*, l. c. §§ 229, 233 (de Brevi elegibilitatis).

[9] *Nussi*, l. c. p. 38; *Saegmueller*, l. c. p. 263.

Art. 2. — De forma postulationis

275. Quae de *praeparatione, loco et tempore* electionis canonicae statuta sunt, eadem etiam in postulatione merito requiruntur. Profecto postulatio *simplex* speciales sollemnitates non requirit; est enim, formaliter spectata, nihil aliud quam *petitio consensus* competentis Superioris ecclesiastici in *veram electionem* iam factam vel faciendam. Quae petitio consensus ex necessitate iuris ad legitimam electionem *accedere* debet, at nequaquam iisdem sollemnitatibus atque electio est obnoxia. Postulatio autem *sollemnis*, si fiat *a collegio electorum*, iuxta probabiliorem canonistarum opinionem non tantum *tutius*, sed *necessario* iisdem formis atque electio dicebatur absolvenda, in quantum natura postulationis non obstat[10]. Nam electio et postulatio in iure aequiparantur; hinc quod dispositum est de una, valet etiam de altera, ubi aliunde nihil adversatur. Porro postulatio est electioni subsidiaria, immo in eodem tractu concurrit cum electione, quae vincit postulationem licet a maiore parte factam; at electio informis certe talem vim non haberet. Denique vix credi potest ius formam postulationis, in se extraordinariae, arbitrio postulantium reliquisse. Quibus rationibus addendum est canonem 180 satis clare supponere formam scrutinii in postulatione servatam. Hinc praesertim suffragia *secreta* in electionibus praescripta etiam in postulatione sunt adhibenda; item in postulatione *publicatio* scrutinii, collatio votorum, decretum postulationis, publicatio postulationis omnino requiruntur.

276. I. Cum is, qui eligi debeat, postulari non possit, aut qui postulari debeat, non possit eligi, formae postulandi ambiguae v. g.: «*Postulo eligendo, vel eligo postulando*» non sunt adhibendae; sed suffragium exprimi debet per verbum *postulo* aut aequivalens: illa vero formula: *eligo vel postulo*, aut aequipollens, valet pro electione, si impedimentum non existat, secus pro postulatione. Quae ultima formula utilis esse potest, si pro-

[10] Ita *Innoc. IV*, in comment. cap. 30, X. de elect. 1; *Panormit.*, in cap. 42, X. de elect. n. 9; *Schmalzgr.*, l. I, t. 5, n. 17, 20; *Zech*, l. c. § 230, 231, contra *Hostiens.*, *Fagnanum*, *Passerin.*, aliosque, v. g. *Leuren.*, l. c. q. 205, non obstante sua sententia postea q. 219 propugnata, sc. quod electio et postulatio etiam quoad *poenas* aequiparentur per iuris dispositionem cap. 1, X. h. t. 5 expressam.

babiliter dubitatur num quis sit eligendus vel potius postulandus (can. 180).

II. Quodsi *omnes* electores postulant, *requiritur et sufficit* ad valorem postulationis *absolute maior* pars suffragiorum.

At si ex universo collegio electorum una pars *postulat*, altera pars *eligit*, tunc solum postulatio electioni praevalet, cum in *postulandum duplo maior* suffragiorum numerus, i. e. ($^2/_3$) quam in *electum* concurrat (can. 180).

Ea autem erat praerogativa electionis ut, si suffragia capitularium *eligentium* per *unum* votum superent *tertiam* partem suffragiorum collective sumptorum, quae in electum et postulatum conspirant, omnino *praevalebit electio* vincetque postulationem pluribus suffragiis innixam, v. g. in Capitulo 24 canonicorum 9 vota electiva *uni* data contra 15 vota postulantium. Quae electionis supra postulationem praerogativa etiam iure Codicis obtinet, saltem post tertium scrutinium [11].

III. Capitulares postulantes *variare* sive a sua postulatione recedere possunt, salva aequitate naturali, si illa competenti Superiori ecclesiastico actu *nondum* est praesentata. Nam huius variationis nulla existit prohibitio sive ex natura rei sive lege positiva, neque ius tertiae personae laeditur, cum postulatus sola postulatione *nullum ius* acquirat. Postquam autem postulatio Superiori est praesentata, postulantibus capitularibus recessus a postulatione non amplius est permissus sine consensu Superioris. Quae prohibitio est statuta, ne capitulares per praesentatam, deinde vero revocatam postulationem, videantur *illudere Superiori* eiusque iudicium arbitrio postulantium subordinare (can. 181, § 4) [12].

[11] Cfr. cap. 40, X. de elect. I, 6, iunct. decisioni Innoc. XI, in caus. Colon. 20 Sept. 1688, datae. Aliter *Maroto*, o. c., I, p. 795, not. 1, ubi potius tenet standum esse cap. 24, de elect. I, 6, in Sext., quod nunquam valeat electio a minore parte facta, tametsi concurrat cum postulatione ceterorum electorum. Atque haec scripsit antequam Commissio Codicis (1 Iul. 1922) aliter decideret (A. A. S. XIV, 406): in qua decisione videtur ius antiquum solum admitti in tertio scrutinio; at vicissim in tertio scrutinio, concurrentibus pluribus, electus per maioritatem relativam etiam infra tertiam partem suffragiorum iura electionis obtinet, excluso postulato cui duae tertiae partes suffragiorum non faverint.

[12] Cfr. cap. 4, 5, X. h. t. 5, iunct. R. I, 33, in Sext.: *Schmalzgr.*, l. c. n. 21; *Passerin.*, l. c. n. 16 sq.

Art. 3. — *De intimatione et admissione et effectibus postulationis*

277. Postulatio legitime facta, *postulato* dicebatur *intimanda*, ut ipsius consensus exquireretur. Qui consensus a sollemniter postulato tantum *conditionate*, a simpliciter vero postulato, rite obtenta licentia Superioris ad acceptandam electionem, *absolute* praestari poterat [13]. At iure Codicis (can. 182, § 2) significatio postulationis factae potius iniungitur post admissionem, quo in casu a postulato iam potest praestari consensus absolutus perinde ac fit in electione, cum per admissionem impedimentum maneat sublatum.

278. Deinde postulatio sollemnis, ut *admittatur, praesentanda* est illi Superiori ecclesiastico, penes quem sive ex iure ordinario sive ex speciali privilegio est *potestas dispensandi* super impedimento canonico postulati et simul ius confirmandi electionem, si electores usi essent sua facultate eligendi.

Quare sollemnes postulationes, saltem ordinarie, *Romano Pontifici* erunt praesentandae, qui de iure divino supra ius commune est constitutus et iure ordinario super impedimentis mere canonicis dispensare potest. Postulatio vero *simplex* illi Superiori est praesentanda, cui postulatus immediate est subiectus, salvo iure speciali [14]. Supplicatio illa, ut postulatio admittatur, *a collegio* electorum, *non a postulato* est praesentanda competenti Superiori ecclesiastico, i. e. ex communiter contingentibus Sedi Apostolicae. Qua in supplicatione motiva postulationis et impedimenta canonica accurate sunt indicanda [15].

Praesentatio postulationis fieri debet intra octiduum utile; quo termino elapso, postulatio nulla evadit et electores pro ea vice iure eligendi aut postulandi privantur, nisi ostenderint se a mittenda postulatione iusto impedimento detentos fuisse (can. 181, § 2).

Admissioni postulationis etiam *processus* quidam informato-

[13] Cfr. cap. 6, 16 de elect. I, 6, in Sext.; cap. 4, 5, X. h. t. 5; *Zech.* l. c. § 234; *Schmalzgr.*, l. c. n. 14; *Passerin.*, l. c. n. 12 sq.; cfr. quoque cap. 24, 27, 28, de elect. I, 6, in Sext., cap. 8, de elect. I, 3, in Clem.

[14] Cfr. cap. 27, de elect. in Sext.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 13; *Zallinger.* h. t. 5, § 268; *Passerin.*, l. c. n. 46; *Leuren.*, l. c. q. 228.

[15] Cfr. cap. 16, de elect. in Sext.; *Passerin.*, l. c. n. 23.

rius est praemittendus, atque pendente universo negotio postulatus sicut electus officium ecclesiasticum *administrare* prohibetur.

Postulatio a competente Superiore ecclesiastico *ex iustitia* non est necessario admittenda, innititur enim *gratia;* sed Superior pro suo iure potest eam repellere (can. 181, § 3); at ratio boni *publici* interdum exigere potest ut postulatus, quamvis ipse verum *ius ad rem* et actionem non habeat, *ex debito officii* a Superiore admittatur [16].

Si *postulatio reiciatur*, generatim ius eligendi redit ad collegium; solum in eo casu provisio devolvitur ad Superiorem, cum electores *scienter* postulaverint eum, qui tali detinebatur impedimento in quo nequeat aut non soleat dispensari (can. 182, § 1).

279. *Effectus* admissionis postulationis *sollemnis* est quod, accedente postulati consensu, vim habeat *electionis confirmatae* et postulato det *ius in re* (ib., § 3). Si *simplex* postulatio fiat *ante* electionem, postulatus obtenta licentia illico vere et simpliciter *eligi* potest; si vero *post* electionem petatur et obtineatur, postulatus electioni de se factae *statim* consentire et illius confirmationem implorare potest.

Caput X

De iure patronatus (can. 1448-1471)

280. Fontes: Decret. Grat. C. XVI. q. 5, 7 (1) — Compl. I, l. III, tit. 33, de iure patronatus et ecclesiis a laicis concessis; cpl. II, III, V, lib. III, t. 24 resp. 30, 22, de iure patronatus. — Decretal. Gregor. IX, l. III, t. 38; Decretal. Bonifac. VIII, l. 3, t. 19, de iure patr.; Const. Clem. V, l. III, t. 12 eod. — Conc. Trid. Sess. VII, cap. 13, de ref., Sess. XIV, cap. 12, 13, de ref., Sess. XXII, cap. 11, de ref., Sess. XXIV, cap. 3, de ref., Sess. XXV, cap. 9, de ref. cum declar. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. — Benedict. XIV Const. *Redditae nobis* 9 Apr. 1746. — *Lingen et Reuss,* Causae

[16] Cfr. cap. 3, 5, X. h. t. 5; cap. 16, de elect. in Sext.; *Passerin*, l. c. n. 47 sq.; *Zech*, l. c. § 235; *Leuren.*, l. c. q. 229.

[1] L. 15, (Zeno) C. de ss. eccl. I, 2; L. 46, (45), de Episc. I, 3; Novell. 131 cap. 10; Novell. 123, cap. 18; Novell. 57, cap. 2. Cfr. de recentioribus legibus civilibus, v. g. Italiae, Arch. f. k. K. t. 54, p. 167, t. 55, p. 47 sq.; *Friedberg-Ruffini*, l. c. §§ 119 sq.

select. S. C. C. p. 463 sq.; Act. S. Sed. in indic. gen. v. Ius patronat.; *Martin*, Collect. doc. Conc. Vatic. p. 178.

Scriptores: Commentator. iur. Decret. in cit. tit. — *Zech*, De iur. rer. sect. 3, §§ 158 sq.; *Devoti*, Inst. can. l. I, t. 5, sect. 4, de inst. et iure patron.; *Phillips*, l. c. t. VII, p. 669 sq.; *Vering*, l. c. §§ 87 sq.; *Saegmueller*, l. c. §§ 77 sq.; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 599 sq.; *Caes. Lambertin.*, De iure patron.; *Garcia*, l. c. P. V, cap. 9; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 11 sq.; *Fargna*, Comment, in singul. can. de iure patr.; *Ferraris*, l. c. v. Ius patronatus; *D'Annibale*, Summ. theol. mor. P. III, n. 23 sq. — *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 1, cap. 29 sq.; *Shindler*, Zur gesch. Entw. d. Laienpatr. u. d. geistl. Patr. in Arch. f. k. K. t. 85, p. 489 sq.; *Stutz*, Gesch. d. k. Benefizialw., D. Eigenkirche.; *Imbart de la Tour*, Les paroisses rural.; *Zhishman*, Das Stifterrecht in d. morgenl. Kirche — *Giobbio*, Lezioni di diplom. eccl. t. II, n. 65 sq., 107 sq.; *Calchi-Novati*, Il diritto eccl. d. Stato Ital. p. 240 sq.; *Cappello*, Diritti e privileg. tollerati o concessi ai governi civili.

Praenotiones

281. I. Definitio. *Ius patronatus* secundum *partem principalem* definitur: Ius ab Ecclesia datum *praesentandi* Superiori ecclesiastico, ad concessionem tituli competenti, clericum idoneum instituendum ad vacans officium ecclesiasticum [2]. Accuratior autem *descriptio* in Codice datur: « Summa privilegiorum cum quibusdam oneribus, quae ex Ecclesiae concessione competunt fundatoribus catholicis ecclesiae, cappellae aut beneficii, vel etiam eis qui ab illis causam habet ». Quae notio Codicis tum futuris patronis tum etiam antiquis convenit, tametsi iuri praesentandi post Codicem cesserint.

II. **Divisio.** Ius patronatus dividitur:

a) In *ecclesiasticum, laicale, mixtum.*

Ecclesiasticum [3] vocatur, quod ordinarie competit personae

[2] *Devoti*, l. c. § 48; *Zech*, l. c. § 158; *D'Annibale*, l. c. n. 23; *Leuren.*, l. c. q. 11 sq.; *Saegmueller*, l. c. p. 276; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 600; *Nasoni*, Comp. iur. eccl. p. 423; *S. Thomas*, Summa theol. II.ª-II.ªᵉ q. 100; *Suarez*, De virt. et stat. religion. tr. III, l. 4, cap. 28; *Schmalzgr.*, III, 38 n. 2 sq.; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 14 sq., 25 sq., 28; *Cavagnis*, Inst. iur. eccl. publ. vol. II (ed. 3), p. 195 sq. de falsa notione iuris patronatus praesertim apud regalistas Hispaniae iunct. *Nussi*, Conventiones p. 126, art. 7 concord. (a. 1753), quod regius patronatus nullam regibus Hispaniae conferat iurisdictionem super eccles. etc.; *Hinschius*, l. c. t. III, p. 14.

[3] *Leuren.*, l. c. P. II, q. 15, 16, 17; *Schmalzgr.*, III, 38, n. 6 sq., 18 sq.; *Schindler*, Die rechtl. Unterschiede zwischen d. Laienp. u. d. geistl. Patron.

ecclesiasticae, sive physicae sive morali, et extraordinarie etiam laicis ex *titulo ecclesiastico*, v. g. ratione officii ecclesiastici aut ratione fundationis factae ex bonis stricte ecclesiasticis, de quibus libera disponendi facultas non fuit data.

Laicale est, quod laicis vel clericis competit, non ex titulo ecclesiastico, sed ex *titulo laicali*, v. g. ratione fundationis ex bonis mere laicalibus, v. g. patrimonialibus, vel ex bonis ecclesiasticis, de quibus data est potestas libere disponendi, aut ratione successionis ex titulo privato, v. g. consanguinitatis vel haereditatis.

Mixtum vocatur, quod partim ex titulo ecclesiastico partim ex titulo laicali, v. g. fundatione ex bonis ecclesiasticis et laicalibus ortum est. Quare non ex *persona*, sed ex *titulo* eruendum est utrum ius patronatus sit ecclesiasticum an laicale (can. 1449).

b) In *haereditarium* et *familiare* sive gentilitium et *mixtum*. Quae divisio est subdivisio patronatus *laicalis;* nam ius patronatus ecclesiasticum successionis secundum leges haereditatis vel consanguinitatis est incapax [4].

Et *haereditarium* quidem est illud ius patronatus, quod ad omnes et solos haeredes sive naturales et legitimos sive mere testamentarios transit; *familiare* sive gentilitium ius patronatus vocatur, quod tantum in illas personas transit, quae sive ut *agnati* sive ut *cognati* sunt de familia fundatoris vel alterius personae ab ipso fundatore nominatae [5]. Denique *mixtum* habetur, quod a nemine obtineri potest, nisi is simul sit verus *haeres* et *descendens naturalis* et legitimus ipsius fundatoris vel personae ab ipso designatae. Ius patronatus laicale etiam *personalissimum* esse potest, quod fundator in limine fundationis sibi soli reservat, omnique transmissione haereditaria exclusa, post suam mortem laudabiliter relinquit Ordinario liberam beneficii a se fundati collationem.

c) In *personale* sive *principale*, quod immediate competit determinatae personae sive physicae sive morali, ut personae, v. g. ratione privilegii apostolici vel fundationis officii independenter a possessione rei temporalis vel ab universitate huiusmodi tem-

[4] *Leuren.*, l. c. q. 20 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 12.

[5] Cfr. de aliis subdivisionibus et distinctionibus iuris patronatus familiaris universim spectati, *Santi*, h. t. 38, n. 9; *D'Annibale*, l. c. n. 25, 26.

poralium rerum et iurium [6], et in *reale* sive *accessorium*, quod proprium est personae, alias habili, ratione rei temporalis legitime possessae, cui ex privilegio Ecclesiae ius patronatus inhaeret [7]).

Solet etiam tradi divisio: 1°) In *privatum*, quod hominibus privatis ab Ecclesia est concessum, et in *regium sive publicum*, quod regibus aliisque principibus et guberniis civilibus competit et pariter in favorabili concessione Ecclesiae, non in praerogativis coronae vel iuris civilis fictitiis titulis vel in saecularizatione bonorum ecclesiasticorum fundatur. Quare ius patronatus regium, quod una cum iure patronatus privato ad ius patronatus *laicale* revocatur, merito quidem admittitur et propter aliquas *differentias* (magis assertionibus doctorum et quadam tolerantia quam claro certoque iure scripto vel non scripto fundatas) a iure patronatus privato recte distinguitur [8].

2° In ius patronatus *plenum*, quod omnia iura patronis ex iure communi vel legitimis consuetudinibus propria com-

[6] *Schmalzgr.*, l. c. n. 15; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 24.

[7] S. C. Ep. et Reg. 15 Iun. 1850, in Arch. f. k. K. t. 10, p. 380; *Vering*, l. c. § 89, n. 1, absonam illam sententiam, quod ius patronatus reale fuerit effectus iuris dominii in rebus temporalibus, recte reicit.

[8] Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 9, de ref., ubi iura patronatus a supremis principibus etiam per privilegia obtenta non abrogabantur, aucto tamen rigore quoad *probationem*; *Riganti*, in Reg. Canc. Apost. 2, § 1, n. 141, ubi tradit illam Regulam non derogare iuri patronatus vel nominandi vel supplicandi supremorum principum ad ecclesias cathedrales; in Reg. 42, n. 42, ubi docet (ob rationes non omnino concludentes) patronos regios non ligari tempore *quatuor* mensium ad praesentationem pro more aliorum patronorum laicorum; *Giobbio*, l. c. t. II, n. 108, 110 sq.; *Vering*, l. c. n. VI, solide refutat absurdas theorias doctorum et iniustas praetensiones nonnullorum guberniorum de iure quodam patronatus ob *saecularizationem*, i. e. *usurpationem*, bonorum ecclesiasticorum in gubernia translato. Cfr. quoque *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 123, Il diritto di patronato dei Sovrani, ubi *Ruffini*, not. 7, fuse et sinistre agit de iure patronatus regio in Italia; Arch. f. k. K. t. 61, p. 372 sq., et 78, p. 56 sq. de iure patronatus regis Hungariae, ubi multa iura mirabilia allegantur, sed certis argumentis allatis non probantur; *Cavagnis*, Inst. iur. eccl. pub. vol. II (ed. 3), p. 304, praeter favorem patronorum regiorum quod non adstringantur *determinato tempori* (?) etiam recenset illum, quod ex non usu non amittant ius praesentandi, sicut amittunt privati, etsi longissimo tempore illud non exercuissent (?). Cfr. quoque *Cappello*, De visit. SS. Limin. II, p. 152 sq. Inst. iur. publ. I, p. 498 sq. ac eiusdem Auct. I diritti e i privilegii tolerati o concessi ai governi civili p. 32 sq.

prehendit, et in *minus plenum*, quod certis iuribus patronorum, v. g. iure praesentandi, caret.

3° In ius patronatus *singulare*, quod uni personae, sive physicae sive morali, soli competit, et in *compatronatum*, quod a pluribus personis in *solidum* tenetur et exercetur.

4° In ius patronatus *iustitiae* et *gratiae*, quatenus nititur vera et reali *fundatione* iureque communi aut *mero privilegio apostolico*.

282. Scholion. Si ius patronatus interdum etiam dividitur in *activum et passivum*, hisce verbis utilis quaedam distinctio significatur, sed *vera* et *adaequata* divisio iuris patronatus non continetur. Nam ius patronatus *activum* est illud quod a *patrono tenetur* et *exercetur*, et quod supra definitum est; ius patronatus passivum est potius *ius*, quod inest *certae familiae* vel communitati, ut *ex illis* solis, omnino exclusis extraneis, *clerici praesentandi a patrono* seligantur. At vera et obvia notio iuris patronatus tantum verificatur in iure patronatus *activo*. Quare ista divisio solummodo admitti potest, quatenus ius patronatus passivum reducitur ad ius illud onerosum et restrictum patroni. Qua significatione admissa ius patronatus, secundum analogiam collationis liberae et necessariae, in ius patronatus *liberum* et in ius patronatus *necessarium* distingui potest.

Art. 1. — Principia fundamentalia et historia iuris patronatus ac Codicis immutatio

§ I. Principia fundamentalia

283. *Potestas unice competens ad leges ferendas* de iure patronatus est *potestas ecclesiastica*. Etenim ius patronatus est ius spirituale sive spirituali adnexum. Potissimum valet de *iure praesentandi*. Porro iura *utilia* patroni sunt concessiones Ecclesiae quoad bona temporalia officii patronati; iura autem *honorifica* intime connexa sunt cum cultu divino sacraque liturgia. At in haec obiecta potestas civilis non est competens ideoque omni potestate legifera de iure patronatus est destituta. Porro iura patronorum, cum quoad substantiam iure communi aut specialibus legibus pontificiis in concordatis definita sint, manifeste sine interventione auctoritatis pontificiae mutari non possunt, neque sufficit auctoritas Episcoporum multoque minus principum civilium [9].

284. Item *iudex unice competens* in omnibus causis iuris patronatus, etiam bonorum beneficialium, per se est solus iudex *ecclesiasticus*, nisi praesertim quoad quaestiones *facti* sive ex consuetudine, ab Ecclesia tacite approbata, sive expressa Romani Pontificis concessione cognitio iudicialis saecularibus iudicibus sit indulta. Quae assertio, tum illatione ex potestate legifera Ecclesiae de iure patronatus unice competente, tum ex natura obiecti cognitionis iudicialis manifeste probatur [10].

285. Denique *potestas civilis* nequit *punire* patronos propter delicta forte in usu iuris patronatus commissa multoque minus eosdem valet directe iure patronatus privare. Id evidenter deducitur ex praecedentibus; quare etiam iurisdictio *criminalis* de iure patronatus est penes *solam* Ecclesiam [11].

§ II. Historia iuris patronatus

286. *Vestigia* quaedam iuris patronatus iam primis saeculis occurrunt [12]; Ecclesia enim suis benefactoribus gratam sese osten-

[9] Concord. Austr. (a. 1855), art. 12, 24, 25; S. C. C. 22 lun. 1872, et Act. S. Sed. l. c. in font.; *Nussi*, Conventiones, l. c. in seq. nota. Quare *Hinschius*, *l.* c. t. III, p. 7 sq. 63, 97, et praesertim p. 8, et p. 63, errat cum leges ecclesiasticas de iure patronatus, v. gr. art. 25. Concord. Aust., per legem civilem a. 1874 esse abrogatas falso asserit. Quidquid enim leges civiles *directe* statuunt de iure patronatus, v. g. de eius acquisitione per praescriptionem immemorialem, de numero annorum praescriptionis ordinariae a sanctionibus canonicis diverso etc., in foro ecclesiastico vi et auctoritate ex sese carent. Cfr. *Schindler*, in Arch. f. k. K. t. 82, p. 437 sq.; *Saegmueller*, l. c. p. 282, n. 3; *Cavagnis*, l. c. p. 305 sq. (de exorbitantibus assertionibus regalistarum Hispaniae).

[10] *Nussi*, l. c. p. 151, 171, 173, 178, 200, 202, et praesertim p. 197 sq. de singulari concessione facta in concord. inito cum Magno Duce Etruriae a. 1851, art. 8, ubi tum in *possessorio* tum in *petitorio* iudicibus *laicis* relinquitur iudicium, si de iure patronatus *laicali* agatur; *Schmalzgr.*, h. t. n. 244 sq.

[11] Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 11 de ref.; *Pirhing*, III, 38, n. 57; *Hollweck*, l. c. §§ 156, 256.

[12] *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 1, cap. 29 sq.; *Phillips*, l. c. t. VI, p. 21; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 618 sq.

dere voluit. Hinc *nomina fundatorum ecclesiis* (v. g. Romae, titulus S. Laurentii in Damaso, titulus Pammachii, titulus S. Laurentii, quem *Lucinae* dicunt, Basilica Constantiniana sive Lateranensis) imposita sacrisque dyptichis inscripta et publice in ecclesia recitata esse constat. At perfectum quoddam plenumque ius patronatus, quo praesertim ius praesentandi continetur, illis temporibus non invenitur.

287. Verum *in Oriente*, saltem ex saeculo *sexto*, qui ecclesias aedificarunt vel clericis in eis ministeria obeuntibus annonas suppeditarunt, praesertim legibus Iustiniani Imperatoris, illud consecuti sunt, ut clerici digni ab ipsis vel haeredibus eorum *nominati*, accedente Episcopi approbatione, ibidem fuerint constituendi. Si vero ab iisdem clerici indigni nominati fuerunt, Episcopus loci, quos putavit meliores, libere constituere potuit et debuit [13]. Praeterea iidem fundatores eorumque haeredes etiam in administratione *bonorum temporalium* illarum ecclesiarum suas partes habere potuerunt. Cfr. L. 46, Cod. de Episc. I, 3.

288. In Ecclesia autem *occidentali* Concilium Arausicanum I (a. 441), c. 10 = c. 1, C. XVI. q. 5 ius praesentandi Episcopi, qui in aliena dioecesi ecclesiam aedificavit, ratum habuit, et paulatim eadem facultas praesentandi etiam ad *laicos* fuit extensa [14].

Maxime autem ius patronatus, quod dicitur *reale*, cum suis abusibus tempore medii aevi ortum est ex nonnullis institutis civilibus populorum germanicorum. Vigebat enim apud illos populos *vestitura* (Gewere) [15] sive ius quoddam perfectum hominis ingenui libere disponendi de suo fundo et omnibus rebus immobilibus et mobilibus in illo existentibus. Viri nobiles hanc investituram extendebant ad ipsas ecclesias a se in suis fundis

[13] Novell. 57, cap. 2; Novell. 123, cap. 18.

[14] Cfr. c. 26, C. XVI, q. 7, iunct. c. 10, D. 54, et c. 32, C. XVI, q. 7 = c. 2, Conc. Tolet. IX, (a. 655); c. 19 Conc. Emerit. (a. 666), (nomina eorum, qui ecclesiam aedificarunt vel donarunt, inter Missam ad altare sunt legenda); *Hinschius*, l. c. p. 619 sq., ubi contra tenorem verborum (cfr. cit. c. 26, C. XVI, q. 7) in favorem *laicorum* insufficientibus argumentis nimium probare studet. Cfr. *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 599.

[15] *Walter*, Deutsche Rechtsgesch. t. I, n. 528; *Gerber*, System. d. deutsch. Privatrechts § 72.

aedificatas atque adeo ad *institutionem* et *depositionem clericorum* illarum ecclesiarum [16].

Praeterea magni momenti fuit alterum quoddam ius, quod vulgo *mundium* appellabatur [17]. Nam vi huius iuris omnes *personae*, ipsis clericis non exceptis, quae in aliquo fundo habitabant, domino illius fundi tanquam *advocato* fuerunt subiectae. Graves abusus ex duplici illo iure civili in re nostra orti sunt [18], et ex falsa extensione huius iuris civilis ad causam mere ecclesiasticam *in officiis minoribus* similia pericula imminebant ac ex perversa *investitura Episcoporum* per annulum et sceptrum regis. Quare Ecclesia postquam per concordatum Wormatiense consuluit liberae electioni *Episcoporum*, prudenti [19] constantique studio istos abusus etiam quoad officia *inferiora* eradicare studuit [20]. Quem scopum ut obtineret, fundatoribus et patronis concessit quae, servatis cautelis necessariis, tuto concedere potuit, v. g. *ius* quoddam limitatum *designandi* (offerendi, praesentandi) *clericum* instituendum in officio et alia iura minoris momenti, penitus vero reiecit causam abusuum, i. e. *plenum dominium ecclesiarum* a fundatoribus vel patronis retentum. Quae reformatio, post finitum dissidium de investituris, potissimum per decreta Conc. Later. III (a. 1179) et Conc. Later.

[16] Cfr. c. 6, Conc. Bracar. II, (a. 572); c. 19, Conc. Tolet. III (a. 589); c. 33, Conc. Tolet. (a. 633); cap. 1, 2, X. h. t. 38.

[17] *Gerber*, l. c. § 243, *Walter*, l. c. n. 448. *Friedberg-Ruffini*, l. c. p. 501, not. 8.

[18] Cfr. c. 7, 26, Conc. Aurel. IV, (a. 541); c. 14, Conc. Cabil. (c. a. 644); c. 12, 16, 17, 20, 38. C. XVI, q. 7; cap. 1, X. h. t. 38, = c. 26, Conc. Cabil. a. 813, non Conc. Mediolan., ut falso legitur in inscriptione h. cap.; cap. 2, X. t. 38, = c. 32, Conc. Tribur. a. 895; cap. 4, X. h. t. 38; *Stutz*, Gesch. d. Benefizialw. p. 138 sq., 237 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 622 sq.

[19] *Hefele*, l. c. t. V, p. 355 sq. Quibus ex factis historicis illud quoque consequitur, sc. ius patronatus ex iure communi non obtineri quoad sedes episcopales, sed tantum quoad officia minora.

[20] Cfr. Aquisgranensia capitula propria ad Episcopos (a. 817) capit. 9; c. 21, Synod. Roman. (a. 826); cap. 22, Synod. Paris, (a. 829), c. 9, Synod. Pistr. (a. 869); cap. 13, Synod. Selligenst. (a. 1022); cap. 14, 17, Conc. Lateran. III, (a. 1179), ubi in textu originali cap. 17, *tres* menses commemorantur; at nunc cap. 3, X. h. t. 38, ex cit. cap. 17 Conc. Later. III desumpto, *quatuor* mensium fit mentio; cap. unic. h. t. in Sext.; cap. 1, 2, h. t. in Clem.; Trid. Sess. XXIV, cap. 18, de ref.

IV (a. 1215) effectum sortita est. Universae autem novae legislationis canonicae de iure patronatus principalis auctor fuit Alexander III (a. 1159-1181). Ius hucusque constitutum, deinde quoad substantiam, transiit in collectionem authenticam Gregorii IX et factis paucissimis explicationibus et additamentis, praesertim de discrimine inter ius patronatus ecclesiasticum et laicale, in Decretalibus Bonifacii VIII et in Const. Clem. V et in Conc. Trid., constituebat disciplinam ante Codicem vigentem in Ecclesia, quae iniustis legibus civilibus, paulatim ex saec. 17 latis, valide mutari non potuit [21].

§ III. Gravis immutatio in Codice facta

289. Codex vero ius patronatus penitus pro futuro tempore abrogavit et saltem praeparavit suppressionem iuris patronatus iam existentis, praesertim relate ad ius praesentandi; quod praestitit can. 1450, 1451.

Ius illud Codicis generali modo propositum his continetur:

I. (Can. 1450): *Nullum patronatus ius ullo titulo constitui in posterum valide potest.* At quoniam Ecclesia nihilominus vult se gratam manifestare erga pios fundatores, in substitutionem antiqui iuris patronatus alias gratias non levis aestimationis ipsis proponit. Unde: *Loci Ordinarius potest*: 1°) *fidelibus qui ex toto vel ex parte ecclesias extruxerint vel beneficia fundaverint, spiritualia suffragia, eorum liberalitati proportionata, concedere vel ad tempus vel etiam in perpetuum.* 2°) *Fundationem beneficii admittere ea adiecta conditione, ut beneficium prima vice conferatur clerico fundatori vel alii clerico a fundatore designato.*

Sicut *quantitas* seu mensura et *qualitas* suffragiorum offerendorum relinquuntur determinandae prudenti arbitrio Ordinarii in conventione cum pio fundatore, habita ratione maioris vel minoris liberalitatis ab hoc exhibitae, ita pariter acceptatio obligationis beneficium prima vice determinatae personae conferendi, quae potest pendere a qualitatibus personae pro qua prima illa collatio petitur; nec prohibetur Ordinarius utramque obligationem simul suscipere. Conventionis inter pium largitorem et Ordinarium acceptatae illa est natura ut sit donatio cum modo; quare, posita Ecclesiae acceptatione, exsurgit in ipsa obligatio iustitiae oblata suffragia implendi; vicissim bona ea ratione donata vere transeunt in dominium Ecclesiae et induunt conditionem bonorum ecclesiasticorum.

[21] S. C. C. 22 Iun. 1872, et Act. S. Sed., VIII, p. 512 sq.; *Hinschius,* l. c. t. III, p. 7 sq.; *Friedberg-Ruffini,* l. c. p. 502, not. 13.

II. Mens Codicis est ut iura patronatus legitime existentia supprimantur in totum aut saltem relate ad ius praesentandi per renuntiationem eorum, qui nunc iure patronatus fruuntur. Cuius suppressionis cura commendatur Ordinariis can. 1451: *Curent locorum Ordinarii ut patroni, loco iuris patronatus quo fruuntur aut saltem loco iuris praesentandi, spiritualia suffragia etiam perpetua pro se suisve acceptent* [22*].

III. Quoad electiones aut praesentationes populares ad beneficia etiam paroecialia, quaecumque sit ipsarum origo, quocumque nitantur fundamento, eae supprimendae sunt. Quodsi illa suppressio fieri non possit, mera tolerantia erga tales electiones et praesentationes exhiberi potest, modo tamen ita fiant ut *populus clericum seligat inter tres ab Ordinario loci designatos* (can. 1452).

IV. Actuales possessores iuris patronatus non possunt cogi ad illius renuntiationem (can. 1451, § 2). Ergo leges Codicis de iuris patronatus translatione, de eius exercitio, de amissione, de iuribus et oneribus patronorum, pertinent ad illa sola iura patronatus, quae, propter defectum renuntiationis praesentium possessorum minus menti iuris communis conformem, adhuc sub iure Codicis remanebunt.

V. Porro cum agatur de vindicando iure patronatus in determinatam ecclesiam vel beneficium: *Nullum ius patronatus admitti debet, nisi authenticis documentis aut aliis legitimis probationibus evincatur* (can. 1454); nam in dubio praesumitur officia ecclesiastica potius *liberae* collationi quam servituti iuris patronatus esse obnoxia. Quae probatio duo debet evincere, sc. ius patronatus legitimo titulo originario inniti atque in eum, qui illud praetendit exercere, legitimis modis fuisse transmis-

[22*] Hinc oritur pro Ordinariis vera obligatio suadendi patronis ut loco iuris patronatus quo fruuntur, aut saltem loco iuris praesentandi, spiritualia suffragia, etiam perpetua, pro se suisve acceptent; patroni vero, praesertim ecclesiastici, optime se gerent si hisce suasionibus obsequantur. Comm. Cod., 12 Nov. 1922; A. A. S., XIV, 663, VI.

sum. Quae omnia sunt diiudicanda secundum ius ante Codicem constitutum, nisi agatur de transmissione post Codicem facta, quae ex iure Codicis est diiudicanda, quemadmodum ex iure Codicis sunt petendae conditiones requisitae in subiecto sive ad adquirendum sive ad exercendum ius patronatus.

Inde petitur necessitas ut etiam in expositione novi iuris breviter exponantur tum modi originarii, quibus ius patronatus in beneficiis constitui poterat, tum modi quibus ius patronatus iam legitime constitutum in aliam personam transmitti potuit.

Art. 2. — *De acquisitione iuris patronatus*

§ I. De subiecto, obiecto, sollemnitatibus acquisitionis iuris patronatus in iure Codicem praecedente

290. *Subiectum activum* iuris patronatus acquirendi capax habebatur omnis fidelis, qui generatim ad ius ecclesiasticum acquirendum habilis esset neque speciatim legibus ecclesiasticis prohiberetur [23]. Quare etiam *laici* [24], *feminae* [25], *infantes impuberes* [26], *illegitime nati* [27] patroni fieri potuerunt. Neque excludebantur *personae morales* sive ecclesiasticae sive laicales. *Repellebantur* autem a iure patronatus acquirendo infideles sive homines non baptizati velut Hebraei [28]. Inhabiles quoque ad *acquirendum* ius patronatus erant apostatae, haeretici, schismatici [29], excommunicati sive *vitandi* sive *tolerati*, quorum conditio quoad gratias ecclesiasticas recipiendas a Martino V non facta

[23] *Schmalzgr.*, h. t. 38, n. 65 sq.; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 69 sq.
[24] Cap. 7, X. h. t. 38; *Schmalzgr.*, h. t. 38, n. 72.
[25] Cap. 16, X. de conc. praeb. III, 8; *Schmalzgr.*, l. c. n. 80 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 73; Arch. f. k. K. t. 23, p. 16.
[26] Cap. 32, de elect. I, 6, in Sext.; cap. 3, de iudic. II, 1, in Sext.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 74 sq.; *Leuren.*, l. c. n. 71 sq.
[27] Arg. cap. 25, X. h. t. 38; l. c. q. 74.
[28] Cfr. *Pirhing*, h. t. 38, n. 20; S. C. Inq. 31 Maii et 21 Dec. 1873, ad Episc. Neutr. in Hungaria (in Arch. f. k. K. t. 37, p. 361 sq.).
[29] Cap. 19, de haeret. V, 2, in Sext.; *Pirhing*, l. c., cfr. tamen de tolerantia Ecclesiae: *Schmalzgr.*, l. c. n. 68, atque de extraordinariis indultis a Sede Ap. concessis; *Nussi*, l. c. App. p. 34.

fuerat melior (cfr. cap. 1 de rescript. I, 3, in Sext. iunct. *Hollweck*, l. c. § 46) [30], et denique infames iuxta R. I. 87, in Sext.

291. Praeterea ad acquisitionem iuris patronatus requirebatur *obiectum*, in quod ius patronatus existere et exerceri posset. Quod obiectum est omne et solum *officium* ecclesiasticum, dummodo ex iuris dispositione iuri patronatus non esset subductum [31]. Quare ius patronatus acquiri non poterat in *pavimentum* pretiosum, in *sepulchrum* vel *coemeterium* [32]. Item ex iuris communis concessionibus nullum existebat ius patronatus in electione *Romani Pontificis* [33] vel in creatione *Cardinalium*. Dignitates quoque *episcopales*, si iuris communis, in collectionibus authenticis Decretalium contenti, ratio haberetur, iuris patronatus, ex quo *ius praesentandi* in illas ecclesias cathedrales oriatur, capaces dici non poterant, nisi vel ad ipsam fundationem vel ad dotationem *speciale* privilegium apostolicum accessisset [34]. Quodsi in Concilio Tridentino Sess. XXV, cap. 9 de ref. et Constitutionibus pontificiis et concordatis recentioribus [35] commemoratur ius patronatus principum civilium cum facultate praesentandi etiam Episcopos ad ecclesias cathedrales, id *ex accedente* concessione speciali Romani Pontificis, non ex solo

[30] Aliter sentiebat *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 620; *Kober*, D. Kirchenbann p. 372 sq. iunct. p. 339, 349, ubi *non* agit de inhabilitate excommunicati ad *acquirendum* ius patronatus, sed de *privatione* vel impedito *exercitio* iuris patronatus ab excommunicato iam *possessi*; *Saegmueller*, l. c. p. 279, ubi excommunicatum saltem *vitandum* dicit esse incapacem ad *acquirendum* ius patronatus, non *toleratum*; similiter *Leuren.*, l. c. q. 75, cum aliis putat excommunicatum toleratum posse saltem *acquirere* ius patronatus, sed non *exercere*.
[31] Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 9, de ref.
[32] S. C. Ep. et Reg. a. 1712; *Pitonius*, De controv. patr. t. I, alleg. 43, t. II, alleg. 77; *Hinschius*, l. c. t. III, p. 42 Quodsi quis habeat ius quoddam protectionis vel advocatiae in aliquod *altare* vel *ecclesiam* quandam, huiusmodi *ius patronatus* ad hanc disputationem de *officiis* ecclesiasticis non spectat, nisi quatenus beneficium cum ecclesia convertatur. Cfr. Trid. Sess. XXI, cap. 11, de ref.; *Schmalzgr.*, h. t. 38, n. 262; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 600, 603.
[33] *Hefele*, l. c. t. III, p. 713, de iure Henrici III designandi illum, qui eligendus sit Romanus Pontifex.
[34] *Giobbio*, l. c. vol. II, n. 110 sq.
[35] *Nussi*, l. c. p. 34, 44, 46; Conventiones Leonis XIII, p. 25, 108.

iure communi erat repetendum. De facto quoque ius patronatus in sedes episcopales solis supremis moderatoribus civitatum, non *aliis laicis* reperitur concessum. Et revera *nullibi* in iure communi legebatur quod quicunque fundasset, aedificasset, dotasset ecclesiam cathedralem, is ius patronatus cum facultate praesentandi in illam Episcopum, ipsa iuris communis dispositione et absque privilegio apostolico, consequeretur. Quae praetensio communitatis laicalis in causa Savonensi 26 Febr. 1744 fuit reiecta [36]. Illud vero omnino concedi potest, sc. ius praesentandi [37] vel nominandi ad sedes episcopales, si *propter fundationem* vel *dotationem* datum sit, *maiorem* habere *firmitatem*, quam si ex solo et puro *privilegio* apostolico sit concessum. Id videtur posse colligi ex verbis Clementis XI, Const. *In supremo* 7 Nov. 1716, § 10, ubi ius patronatus *ex privilegio apostolico* opponitur *firmiori* iuri patronatus *ex vera primaeva, reali et actuali, plena... dotatione* [38].

Praelaturae sive *dignitates primae* in *Capitulis* cathedralibus et collegiatis et in ecclesiis conventualibus [39] a iure patronatus saltem *laicali*, quatenus ius praesentandi continet, erant exclusae [40], nisi patronus aliter de sua iurisdictione obtinuisset, i. e. aut ex speciali privilegio Sedis Apostolicae aut vi expressae reservationis in limine fundationis *cum assensu* Romani Pontificis factae aut ex consuetudine immemoriali cum fama privilegii [41]. In reliqua vero officia ecclesiastica, velut in simplices canonicatus ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, ne exceptis quidem praebendis theologi et poenitentiarii, item in ecclesias paroeciales aliaque officia curata et simplicia, etiamsi illa sint ad nutum revocabilia, ius patronatus tum ecclesiasticum

[36] Conc. Trid. ed. *Richter*, p. 450, n. 2.
[37] Cfr. de primis vestigiis huiusmodi privilegiorum; *Sentis*, De Monarchia Sicula p. 101 sq.
[38] Act. S. Sed., IV, p. 177.
[39] *Leuren*, l. c. q. 47, 77, 97; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 602; *Nussi*, l. c. p.21, 37.
[40] Innoc. VIII Const. *Cum ab Apostolica Sede* 23 Aug. 1485, § 2; *Leuren.*, l. c. q. 33; *Pirhing*, h. t. 38, n. 33, 34; *Schmalzgr.*, h. t. 38, n. 46 sq.; *Ferraris*, l. c. v. Ius patronatus art. 1, n. 28.
[41] *Leuren*, l. c. q. 47; *Reiffenstuel*, h. t. 38, n. 68; *Fagnanus*, in cap. 25, X. h. t. n. 14; Act. S. Sed., XXI, p. 537.

tum laicale etiam cum vero iure praesentandi acquiri potuit [42].

Non pauca *officia* ecclesiastica, quae beneficia non sunt, velut officium Vicarii Generalis, decani ruralis, iudicum Curiae episcopalis, promotoris fiscalis, defensoris matrimonii aliaque similia munera iuri patronatus obnoxia non erant.

§ II. De modis originariis acquirendi ius patronatus in iure praecedenti

292. *Modi originarii* acquirendi ius patronatus dicuntur illi, quibus ius patronatus primum constituitur, et ordinarie *tres* erant admissi [43].

293. *Primus modus originarius*, qui tanquam ordinarius iure communi approbatus, est *fundatio* **aut** *constructio* **aut** *dotatio* ecclesiae [44]. Sensu stricto *fundat* ecclesiam qui dat fundum ut ibidem ecclesia construi possit [45]; ecclesiam vero *construere* dicitur is, cuius sumptibus cum consensu Ordinarii ecclesia aedificatur [46]; denique *dotat* ecclesiam, qui reditus assignat sufficientes ad conservationem ecclesiae, cultum divinum, ministrorum congruam sustentationem [47].

Si *unus idemque* benefactor ecclesiam fundavit, construxit, dotavit, ipse est *unicus patronus*, sed ex tribus titulis. Si complures haec praestiterint, ita ut unus fundarit, alter construxerit, tertius dotarit ecclesiam, unusquisque ex speciali titulo est patronus, sive tres sunt *compatroni* vel etiam complures in solidum, qui ad eundem titulum concurrebant [48]. Controversia agitata est utrum tres illi tituli *copulative* requirerentur, ut defenderunt *Panormitanus, Fagnanus, Phillips* aliique, an *disiunctive* unusquisque titulus in se sufficeret, v. g. titulus fundationis, *dummodo* reliqua, v. g. constructio et dotatio, ab aliis quoquo modo suppeditarentur, ut tenebant communiter doctores [49]. Sane in contro-

[42] Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 9, de ref.; *Lingen et Reuss*, Causae selectae S. C. C. p. 256.
[43] *Leuren.*, l. c. P. II, q. 29 sq.
[44] Cap. 25, X. h. t. 38; *Ferraris*, l. c. v. Ius patronatus art. 1, n. 19 sq.
[45] *Leuren.*, l. c. q. 39.
[46] Cap. 25, X. h. t.; cap. 4, de priv. V, 7, in Sext.
[47] Cap. 8, X. de consecr. eccl. III, 40.
[48] *Pirhing*, h. t. 38, n. 6.
[49] *Ferraris*, l. c. n. 20 sq.; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 30; *Schmalzgr.*, h. t. 38, n. 52 aliique multi.

versiam adduci non potuit *dotationem solam* ex sese iam sufficere, ut quis acquireret ius patronatus in officium, quod *in ecclesia constructa* et *dotata* fuerit erectum [50]. At licet vix negari possit istam controversiam attentis fontibus *iuris scripti* certo dirimi non posse [51], tamen, spectata doctrina communi canonistarum et decretis particularibus, etiam *sola fundatio* vel *sola constructio* ecclesiae ad acquirendum ius patronatus suffecisse dicendae sunt [52].

Fundationi, constructioni, dotationi aequiparanda erat *reaedificatio* ecclesiae plane dirutae cum consensu Episcopi, item *redotatio* Episcopo approbante, si priores reditus omnino periissent. Quodsi ius antiqui patroni unico forte niteretur titulo, v. g. aedificationis, atque reaedificationem detrectaret, excidebat iure patronatus, et novus ille benefactor, qui v. g. reaedificationem vel redotationem curavit, in eius locum succedere poterat. At si ius patronatus *tribus titulis* niteretur, novus patronus ex titulo reaedificationis aut redotationis solummodo fiebat compatronus [53]. *Intentio* autem *fundandi* requirebatur, ut quis ius patronatus acquireret, neque sufficiebat animus solummodo *benefaciendi* Ecclesiae. At fundatores minime disertis verbis sibi *reservare* debebant ius patronatus; ipsa enim iuris dispositione per fundationem legitime factam illud acquirebant, dummodo *expresse* iuri patronatus *non renuntiarent* [54].

294. *Secundus modus* acquirendi ius patronatus erat *privilegium* vel indultum apostolicum. Qui modus potius extraordinarius erat dicendus; iure enim communi non nitebatur.

Concilium Tridentinum, Sess. XXV, cap. 9. de ref., omnia iura patronatus, de quibus ex fundatione vel dotatione authentice probata aut per immemorialem consuetudinem rite non

[50] Caus. select. S. C. C. ed. *Lingen et Reuss*, p. 254, 256; Act. S. Sed., VII, p. 476; S. C. C. 5 Apr. 1895 in Act. S. Sed., XXVII, p. 686 sq.

[51] Cap. 25, X. h. t.; Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 12, de ref., Sess. XXV, cap. 9, de ref.

[52] *Ferraris*, l. c.; Concord. Bavar. (a. 1818), art. 14 « *Rex Bavariae ad ea beneficia tam paroecialia quam curata ac simplicia praesentabit, ad quae ex legitimo iure patronatus*, sive *per fundationem sive per constructionem acquisito, eius antecessores duces et electores praesentabant* »; Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888) p. 260 sq.

[53] *Pirhing*, h. t. 38, n. 7 sq.

[54] Arg. cap. 41, X. de testib. II, 20; cap. 25, X. h. t.: *Schmalzgr.*, l. c. n. 42; *Leuren.*, l. c. q. 35.

constabat, sublatis quibuscumque privilegiis etiam Sedis Apostolicae, prorsus abrogavit, exceptis tantum privilegiis patronatus super ecclesiis cathedralibus competentibus et aliis, quae ad supremos principes, iura imperii in dominiis suis habentes, pertinerent, et quae in favorem studiorum generalium essent concessa. Quo decreto Episcopis omnino subducta est potestas concedendi ius patronatus vi privilegii episcopalis [55]. Ipsi quoque Romani Pontifices, licet non obstante decreto Tridentino salva permaneret illorum suprema potestas per privilegium concedendi ius patronatus, tamen post Concilium Tridentinum rarius usi sunt [56] iure suo.

295. *Tertius modus*, qui non raro inter modos originarios et extraordinarios acquirendi ius patronatus recensebatur [57], erat *praescriptio immemorialis*, v. g. contra ecclesiam liberam. Qui modus quoad *effectus* modis originariis aliqua ratione aequiparari potuit; constituebat enim *praesumptionem*, sed non iuris et de iure, legitimae acquisitionis ex titulo fundationis vel privilegii apostolici. Nihilominus *verus* et *proprius* quidam modus originarius *acquirendi* ius patronatus, a duobus aliis supra commemoratis diversus, saltem post Tridentinum haberi non poterat, sed potius erat modus quidam *probandi*, non *constituendi* titulum legitimi iuris patronatus [58] in quantum constituebat meram praesumptionem *veri tituli*. (Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 9 de ref.).

[55] Iam antea illa prohibitio Episcopis fuerat facta a Gregorio X in Conc. Lugdunensi II = cap. 2, de reb. alien. III, 9, in Sext.; cfr. quoque abrogationem privilegiorum iuris patronatus factam ab Innocentio VIII, Const. *Cum ab Apost. Sede* 23 Aug. 1485, et extensionem revocationis per Hadrianum VI, Const. *Accepto* 9 Dec. 1522.

[56] *Leuren.*, l. c. q. 45, 46; *Giobbio*, l. c. n. 69 sq.; *Hinschius*, l. c. t. III, p. 31.

[57] *Leuren.*, l. c. q. 47; *Devoti*, Inst. can. l. 1, tit. 5, sect. 4, § 54; *Ferraris*, l. c. art. 34 sq.; *Schiappoli, La prescrizione del patronato* (a. 1894).

[58] *De Angelis*, h. t. 38, n. 4, p. 220; *Santi*, h. t. 38, n. 17; *Saegmueller*, l. c. p. 281 sq.; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. p. 477; *Schindler*, in Arch. f. k. K. t. 82, p. 437 sq.; *Garcia*, l. c., P. V, cap. 9, n. 119, 128, 131; *Schmalzgr*, h. t. 38, n 241; *Leuren*, l. c. q. 47, 78 sq.

§ III. De derivatis modis acquirendi ius patronatus in praecedenti iure

296. *Derivati modi* quibus ante Codicem ius patronatus, per unum ex duobus modis originariis obtentum, in aliam personam capacem *transferebatur* erant:

I. *Successio haereditaria*. Ius patronatus ad quosvis patroni haeredes, iuris patronatus capaces, cum universitate bonorum, quibus erat adnexum, transire poterat. Quae successio non erat restricta ad solos haeredes testamentarios vel ab intestato vel ad proprios descendentes originarii patroni, sed etiam ad *extraneos* porrigebatur, *nisi* ius patronatus ex ipsis fundationis tabulis esset mere gentilitium [59], aut tantum ex privilegio quaesitum, quod strictae interpretationi subicitur. Ceteroquin ut facilius provideretur ecclesiis vacantibus, et lites vitarentur, ipso iure permissum erat ut *haeredes*, qui patroni facti sunt, inter sese libere dividerent ius praesentandi sive ratione *temporis* sive ratione *locorum*. *Plures* haeredes *plurium* patronorum originariorum non succedunt in iure praesentandi per *capita*, sed per *stirpes*, ita ut haeredes unius patroni, v. g. fundatoris vel constructoris, unum solummodo suffragium habeant in praesentatione [60]. Si ius patronatus esset *familiare*, extincta familia, ius patronatus non transibat ad haeredes, sed officium ecclesiasticum patronatui obnoxium fiebat liberae collationis. Id certe obtinebat, si patronus originarius in ipsa fundatione *expresse* statuisset ius patronatus ad solos posse transire agnatos. Quae clausula taxativa si non fuisset apposita, ius patronatus, exstincta familia, ex dispositione iuris communis transibat etiam ad haeredes extraneos [61].

II. *Contractus*: *a*) *Donatio* iuris patronatus fieri poterat a patrono *laico*, libere et non requisito consensu Episcopi, in favorem *ecclesiae*, monasterii, loci pii vel officii ecclesiastici; salvo

[59] Cap. 1, X. h. t. 38, iunct. *Pirhing*, h. t. 38, n. 44, et *Ferraris*, l. c. v. Ius patr. art. 2, n. 2; cap. 41, X. de testib. II, 20; cap. 2, de iure patr. III, 12, in Clem.; *Leuren*, l. c. P. II, q. 48 sq.

[60] Cap. 2, h. t. in Clem.; *Pirhing*, h. t. 38, n. 47 sq.; *Ferraris*, l. c. n. 3 sq., 7 sq.

[61] *Pirhing*, l. c. n. 52, 53; *Ferraris*, l. c. n. 11 sq. Cfr. quoque Act. S. Sed., VII, p. 476 sq.

tamen *iure Episcopi ad institutionem* canonicam [62]. At *laicus* patronus non poterat *laico* vel clerico, ut personae privatae, *sine consensu Episcopi* donare suum ius patronatus [63], nisi donatio fieret *compatrono* [64] aut ageretur de iure patronatus *reali* [65]. Denique si *ipse fundator* certas personas certoque ordine ad ius patronatus vocasset, patronus, qui in ius patronatus successit, iuri suo *personaliter*, sed non cum praeiudicio *aliarum* per donationem liberalem renuntiare poterat [66]. *Patronus* autem *ecclesiasticus* sine licentia Romani Pontificis *laico* ius patronatus *ecclesiasticum* donare non poterat [67]. Quodsi huiusmodi ius patronatus donandum esset ecclesiae vel alteri instituto vel officio ecclesiastico, consensus competentis Superioris ecclesiastici et sollemnitates requisitae intervenire debuerunt, cum intercederet alienatio iuris ecclesiastici, de quo patronus cclesiasticus nequaquam ad instar *domini* disponere valet [68].

b) *Venditio* et *emptio*. Ius patronatus directe et in se sine crimine *simoniae* [69] neque *vendi* neque *emi* poterat. Quare ius patronatus *personale* absolute ab emptione et venditione excluditur; at ius patronatus *reale* per emptionem et venditionem *rei temporalis*, cui accessorie est adnexum, per accidens et concomitanter, sed *non aucto pretio* propter ius patronatus adnexum, in alium transferri potuit [70].

Per alios quoque *contractus* vel similia negotia iuris pariter ius patronatus vel saltem *exercitium* iuris patronatus in alios transferri potuit [71], velut in *maritum* propter ius patronatus bonis dotalibus *uxoris* adnexum, in *tutorem*, in *emphyteutam*, in *vassallum*, in *usumfructuarium* omnium bonorum (cfr. cap. 7,

[62] Cap. unic. de iure p. III, 19, in Sext.; cfr. quoque cap. 8, 14, 17, X. h. t. 38; *Ferraris*, l. c. art. 2, n. 25, 27; *Leuren.*, l. c. q. 62 sq.

[63] Arg. cap. unic. h. t. in Sext.; *Ferraris*, l. c. n. 26.

[64] Arg. cap. 2, h. t. in Clem.; *Pirhing*, h. t. 38, n. 63; *Ferraris*, l. c. n. 30, 31.

[65] Arg. cap. 13, X. h. t.; *Schmalzgr.*, h. t. 38, n. 146.

[66] *Leuren*, l. c. P. II, q. 64 sq.

[67] *Ferraris*, l. c. n. 29.

[68] *Ferraris*, l. c. n. 28, 32 sq.

[69] Cap. 16, X. h. t. 38, Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 9, de ref.; *Ferraris*, l. c. n. 51 sq.; *Leuren*, l. c. q. 67 sq.

[70] Arg. cap. 7, 13, X. h. t. 38; S. C. C. in caus. Macerat. 13 Iul. 1789; *Ferraris*, l. c. n. 59 sq.

[71] *Ferraris*, l. c. n. 65 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 50 sq.

X. h. t. 38), in *sequestrum* [72], in *fiscum* [73], in possessorem bonorum *oppignoratorum* (cfr. c. 27, Conc. Mogunt. a. 1233).

c) *Permutatio*. Ius patronatus *personale* cum alio iure patronatus personali [74] permutari potuit, dummodo accederet *consensus competentis* Superioris ecclesiastici [75], cuius erat examinare utrum permutatio cederet in utilitatem Ecclesiae, et curare ut sollemnitates requisitae in permutatione iurium patronorum ecclesiasticorum servarentur.

Permutatio autem iuris patronatus *personalis* cum *re* vel *iure temporali* penitus erat interdicta. Cfr. cap. 9, X. de rer. permut. III, 19. Ius patronatus reale ratione permutationis rei temporalis, cui adnexum erat, per accidens et concomitanter permutationi potuit fieri obnoxium, dummodo res illa temporalis propter ius patronatus adnexum maiore pretio temporali non commutaretur [76].

III. *Praescriptio ordinaria*. Concilium Tridentinum, Sess. XXV, cap. 9 de ref., quamvis praescriptionem *ordinariam* ut modum *originarium acquirendi* ius patronatus omnino non admisit, tamen vim *transferendi* ius patronatus *iam constitutum* praescriptioni *ordinariae* non ademit. Quodsi ius patronatus esset *reale*, eodem modo per legitimam praescriptionem transferebatur in novum patronum, quo bona laicalia vel ecclesiastica praescriptione obtineri poterant [77]. Si *personale* esset ius patronatus, imprimis *laicale* cum titulo inter praesentes decem annis, inter absentes viginti annis, sine titulo triginta annis praescribebatur; ecclesiasticum vero quadraginta annis cum titulo, tempore immemoriali absque titulo saltem in clericos per praescriptionem transferri poterat [78].

[72] S. C. Ep. et Reg. 15 Iun. 1850, in Arch. f. k. K. t. 10, p. 370.

[73] *Pirhing*, l. c. n. 57; *Hinschius*, l. c. t. III, p. 85 sq., 83, 76 sq.

[74] Arg. cap. 6, X. de rer. permut, III, 19. Cfr. de permutatione cum alia re spirituali: Resp. S. C. C. in caus. Pampilon a. 1723, in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 454, n. 10; *Ferraris*, l. c. n. 47; *Leuren.*, l. c. q. 66.

[75] Cap. 5, X. de rer. permut. III, 19; *Ferraris*, l. c. n. 48 sq.

[76] *Schmalzgr.*, h. t. 38, n. 161 sq.; *Ferraris*, l. c. art. 2, n. 43 sq.

[77] Cap. 20 X. de praescr. II, 26; cap. 1, eod. tit. II, 13, in Sext.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 166; *Leuren.*, l. c. q. 47; *Schindler.*, l. c. t. 82, p. 437 sq.

[78] Cfr. cap. 8, X. de praescr. II, 26; *Reiffenstuel*, h. t. 30, n. 15; *Ferraris*, v. ius patr. art. 1, n. 39 sq.; *Schindler*, l. c. p. 440 sq.

§ IV. Modi derivati ex iure Codicis

297. Ius Codicis de acquisitione iuris patronatus per translationem ab uno patrono in alium his continetur:

Patronata existentia in alias personas transferri non possunt nisi ad Codicis normam; pariter ius patronatus extinguitur vel amittitur secundum Codicis praescripta. Codex enim dum patronata existentia noluit abolere, novas tulit leges de eorum translatione et amissione, quae praesentem iuris communis disciplinam constituunt relate ad actus seu facta, quae iuridicam existentiam post Codicis promulgationem sortita fuerint (can. 1451, § 2).

I. *Subiectum habile* ad acquirendum ius patronatus per translationem non sunt *infideles, publice apostatae, haeretici, schismatici, adscripti societatibus secretis ab Ecclesia damnatis, excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam* (can. 1453, § 1). Ceterae personae sunt habiles ad ius patronatus acquirendum per translationem, nisi inhabilitatis poenam (v. gr. ob infamiam iuris) incurrerint.

In personam *habilem* translatio iuris patronatus *personalis* fieri non potest, si obstet lex fundationis, v. gr. si est *familiare* aut *gentilitium* et translatio fieret in eum, qui non est de familia aut gente fundatoris; qua lege fundationis non contradicente, translatio nihilominus non est valida, nisi accedat consensus Ordinarii in scriptis datus (ib. § 2).

Ius patronatus *reale* cum *re*, cui cohaeret, in aliam personam transit; si vero persona, ad quam *res* modis legitimis devenerit, ad acquirendum ius patronatus sit inhabilis, hoc interim suspensum manet (ib., § 3).

Art. 3. — *De iuribus et obligationibus patroni*

298. *Iura* patroni reducuntur ad *ius praesentandi*, ad ius in certo casu *alimenta recipiendi* et ad certos *honores* ipsi competentes (can. 1455).

§ I. De iure praesentandi patroni

299. *Praesentatio* est *ius designandi* et *offerendi* clericum idoneum, a competente Superiore in officio ecclesiastico vacante necessario instituendum.

Hoc ius minores exercere debent per parentes aut tutores, et si parentes vel tutores sint acatholici, interim suspensum manet. Ceteri per seipsos exercere possunt, non exclusa uxore ad quam tale ius devenerit (can. 1456).

Si plures sint patroni, qui verum constituunt *collegium*, designatio clerici praesentandi fieri debet per suffragationem; in qua is praesentatus habetur, qui maiorem suffragiorum numerum retulit, ad normam can. 101, § 1, ideoque in primis duobus scrutiniis requiritur maioritas *absoluta*, in tertio sufficit maioritas *relativa*. Quodsi, duobus scrutiniis sine effectu institutis, in tertio scrutinio plures maiorem prae ceteris, sed aequalem inter se suffragiorum numerum retulerint, ii omnes praesentati habendi sunt (can. 1460, § 1), et liberum est Superiori quem maluerit eligere.

Si ius praesentandi ad complures compatronos ut *singulos* pertinet, imprimis illi plures patroni possunt inter se de alternis praesentationibus convenire: quae conventio etiam est possibilis, cum unus patronus habet plures titulos quam alii; v. gr. si unus habet duos titulos, alius unum, conventio erit ut prior praesentet in duabus primis vacationibus, alter in tertia vacatione. Nam qui diversis titulis ius praesentandi obtinet, tot in praesentatione habet suffragia, quot titulos (can. 1460, § 3). Quae conventio inter patronos fieri potest vel pro se tantum vel pro se et pro suis successoribus; in utroque autem casu ut valida sit, accedat oportet Ordinarii consensus in scriptis datus, quo consensu semel praestito, non amplius ab eodem Ordinario vel ab eius successoribus revocari valide potest, invitis patronis (can. 1459). Si illa conventio de alternis praesentationibus facta non fuit, ille est habendus praesentatus, qui maiorem saltem relative suffragiorum numerum retulerit; et si plures eundem, maiorem quam ceteri, suffragiorum numerum habuerint, omnes censendi sunt praesentati (can. 1460, § 2).

Omnes patroni habent ius *cumulativum* variandi, i. e. possunt antequam praesentatio acceptetur, non unum tantum, sed

plures praesentare, tum una simul tum etiam successive, intra tempus tamen praescriptum, modo illos ne excludant quos prius praesentarunt (ib., § 4). Quae facultas variandi per successivam novi clerici praesentationem intra tempus praescriptum, Superiori, ad quem spectat institutio, non imponit obligationem expectandi ad finem temporis praescripti, ut clericum idoneum acceptet et instituat, sed statim eligere potest inter praesentatos et electo dare institutionem canonicam [79].

Si is, qui tulit requisitam maioritatem suffragiorum idoneus non sit, Episcopus vel Praelatus competens *potest*, per se autem ordinarie *non tenetur*, instituere clericum a minore numero compatronorum praesentatum [80]; potest enim inidoneum simpliciter repellere et expectare novam praesentationem quae fiat intra legitimum tempus.

300. Praesentatio fiat necesse est de *persona digna* et *idonea* et *ipso* iam *tempore* praesentationis aut saltem acceptationis *capaci* institutionis canonicae iuxta sanctiones iuris communis et legem fundationis et statuta particularia (can. 1463) [81]. Patronus, tam laicus quam clericus, qui indignum *scienter* praesentaverit, iure praesentandi ipso facto pro ea vice caret (can. 2391, § 3) [82]. Sublata iuris praecedentis distinctione inter patronum laicum et patronum ecclesiasticum, quandocumque ecclesiae vel beneficio provideri debet per concursum, concursus ipse debet praecedere praesentationem et quilibet patronus praesentare non potest nisi clericum legitime ex concursu probatum (can. 1462).

[79] Cfr. *Schmalzgr.*, l. III, t. 7, n. 26, 27, et *Leuren.*, l. c. P. II, q. 194, n. 3; *Friedle*, l. c. p. 33 sq. Illa facultas variandi iure praecedenti non competebat patrono in iure patronatus ecclesiastico.

[80] *Benedict.* XIV, De Synod. dioec. l. XII, cap. 7, n. 6.

[81] Cfr. Conc. Trid. Sess. VII, cap. 13, de ref., Sess. XXV, cap. 9, de ref.; La séparation de l'Egl. et de l'Etat en France, chap. 7 (de praesentatione, quae vim *postulationis* habet); *Leuren.*, l. c. q. 152 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. 38, n. 167 sq.; *Friedle*, l. c. p. 18 sq., 73 sq.

[82] De iure praecedenti cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 18, de ref., Sess. XXV, cap. 9, de ref.; Benedict. XIV, Const. *Redditae nobis*; S. C. C. 10 Maii 1860; *Friedle*, l. c. p. 28 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 154; cap. 24, 29, X. h. t. 38; *Schindler*, l. c. t. 82, p. 446 sq.; unde patet sublatum iure Codicis fuisse in hac parte discrimen quod intercedebat inter patronum laicum et ecclesiasticum; quod laicus simpliciter *dignum*, ecclesiasticus *digniorem* teneretur praesentare, et quod solus patronus ecclesiasticus excideret iure praesentandi, si *indignum* scienter praesentasset.

Idcirco patronus ex can. 1457 debet moneri non solum de beneficii vacatione, sed etiam de sacerdotibus in concursu probatis. At haec post responsum Comm. Codicis (12 nov. 1922) intelligenda sunt de paroeciis aut beneficiis concursui obnoxiis *ex iure particulari.* (A. A. S. XIV, 661).

Patronus vero licet idoneus sit, nunquam *seipsum* neque per procuratorem praesentare potest; item non potest accedere suffragiis aliorum patronorum in sui favorem datis atque ita complere pro se suffragiorum numerum ad praesentationem necessarium (can. 1461); at non prohibetur quominus a competente collatore *petat* institutionem canonicam aut *consentiat* praesentationi a compatronis in sui favorem factae aut acceptet officium sponte a collatore oblatum; in his enim casibus ratio prohibitionis, sc. suspicio ambitionis, cessat.

301. *Tempus legitimum* ad praesentationem faciendam tum in patronatu laicali tum in ecclesiastico et mixto est spatium quatuor mensium, sublato antiquo discrimine inter patronos laicos et ecclesiasticos [83]. Qui quatuor menses, licet tempus sit *continuum,* non currunt impedito, et computandi sunt non praecise a die secutae vacationis, sed a die quo is, cui ius est instituendi, patronum certiorem fecerit de beneficii vacatione et de sacerdotibus qui in concursu probati fuerunt, si agatur de beneficio quod per concursum conferri debet (can. 1457). Quodsi brevius tempus ad exercendum ius praesentandi lege fundationis aut legitima consuetudine fuerit praescriptum, huic praescripto standum est (ib).

Si intra praescriptum tempus praesentatio facta non fuerit, patrono legitime non impedito, is ea vice excidit iure suo et ecclesia vel beneficium fit liberae collationis, devoluta provisione ad Praelatum, alias ad *institutionem* canonicam competentem (can. 1458, § 1).

Si lis exoriatur, sive circa ius praesentandi inter Ordinarium et patronum vel inter ipsos patronos, sive circa ius praelationis inter ipsos praesentatos, si quidem dirimi possit intra

[83] De illo discrimine iuris praecedentis quoad tempus inter patronatum *laicum* et patronatum *ecclesiasticum,* cui aequiparabatur *mixtus,* cfr. *Leuren.,* l. c. q. 135 sq., 145 sq.; *Friedle,* l. c. p. 35 sq. Quod discrimen Doctores fundabant in facultate *variandi* patrono *laico* concessa, ecclesiastico negata; sed iure Codicis etiam in hac facultate, ut dictum est, omnes patroni facti sunt pares.

utile tempus quatuor mensium, qui dantur ad praesentationem, et aliorum duorum qui conceduntur pro conferenda institutione (cfr. can. 1467 iunct. can. 155), nihil vetat quominus lis dirimatur eaque dirempta praesentatio effectum sortiatur. Si intra tempus utile lis dirimi non possit, suspendenda est collatio usque ad finem controversiae, et interim, si opus sit, oeconomus ecclesiae vel beneficio vacanti ab Ordinario est praeficiendus (can. 1458, § 2).

302. *Cui praesentatio sit facienda.* Ea fieri debet loci Ordinario, quo nomine etiam venit Vicarius generalis, saltem si habeat mandatum speciale (cfr. can. 1466, § 2) et procul dubio Vicarius Capitularis. Fieri autem potest oretenus vel scripto, quamvis forma scripta omnino est praeferenda. Debet autem fieri a patrono *per se* vel per procuratorem [84] *terminis aptis,* quibus praesentatio, non usurpata potestas « *eligendi* » vel « *conferendi* » enuntietur [85], *gratis* et sine simonia. Quodsi praesentatio facta sit simoniace, *ipso iure* est nulla et *irrita;* eodemque nullitatis vitio inficitur institutio secuta (can. 1465, § 2); immo patronus in poenam delicti ipso facto privatur in perpetuum iure praesentandi (can. 2392, n. 2).

303. *Examen de idoneitate*: Praesentationem patroni subsequi debet in Superiore, antequam praesentationem admittat, examen *de idoneitate* praesentati, nisi examen iam praecesserit, velut cum beneficio providetur per concursum. Iudicium de idoneitate, praesertim quoad scientiam requisitam, *debet* sibi efformare Ordinarius subiciendo praesentatum examini, quando ius hunc modum comprobandi idoneitatem postulat, velut in provisione paroeciarum etiam citra concursum facta (can. 459, § 3, n. 3); itemque quando officii ratio id exigit, velut in conferenda praebenda theologali aut poenitentiaria (can. 399), nisi ipsi iam aliunde certo constet de promovendi idoneitate: *potest* exigere illud examen quoties ipse Ordinarius illud opportunum iudicaverit (can. 1464, § 2 iunct. can. 149). Insuper, praesertim quoad alias qualitates quae praeter doctrinam requiruntur, de persona praesentata debet diligenter inquirere et opportunas notitias, etiam secretas, si opus fuerit, assumere.

[84] Cfr. *Schmalzgr.,* h. t. 38, n. 114 sq.

[85] Cfr. *Leuren.,* l. c. P. II, q. 125; Archiv. f. k. K. t. 39, p. 195; La sépar. de l'Egl. et de l'Etat en France, chap. 6. La question du Nobis nominavit.

Quodsi, captis informationibus de idoneitate et dignitate praesentati, ipsum inidoneum aut indignum repererit, debet repellere nec patrono tenetur patefacere rationes cur personam praesentatam admittere non possit (can. 1464, § 3).

Reiecto praesentato ut inidoneo, patronus, dummodo tempus utile ad praesentandum sua negligentia lapsum non sit, potest intra legitimum praesentationis tempus alium praesentare: quodsi ne hic quidem idoneus repertus fuerit, ecclesia vel beneficium pro eo casu fit liberae collationis, nisi vel *patronus* vel *praesentatus* intra decem dies a significatione recusationis recursum a iudicio Ordinarii ad Sedem Apost. interposuerit; quo pendente, suspendenda est collatio usque ad finem controversiae et interim, si opus sit, oeconomus ecclesiae vel beneficio vacanti est praeficiendus (can. 1465, § 1) [86].

304. *Effectus praesentationis admissae.* Clericus legitime praesentatus et idoneus repertus, acceptata praesentatione, adquirit *ius ad rem* perinde ac electus post electionis confirmationem, ideoque strictum habet ius ad obtinendam canonicam institutionem [87]. Cuius concedendae ius et officium est penes Ordinarium loci, excluso Vicario Generali, nisi is speciali mandato sit munitus. Quodsi plures et omnes idonei praesentati sint, Ordinarius libere eligit quem magis idoneum in Domino iudicaverit: cum enim plures praesentantur sive simul sive successive, nullus determinate habet ius, sed omnes habent ius indeterminatum ut unus ex ipsis assumatur (can. 1466, § 3).

Institutio canonica pro quolibet beneficio etiam non curato dari debet intra *duos menses,* ex quo praesentatio facta est, nisi iustum aliquod impedimentum obstet (can. 1467), v. gr., si praesentati idoneitas tempestive ob peculiaria adiuncta indagari non potuit, aut, recursu interposito a reiecto, in tempore sententia data non fuit. Quodsi Ordinarius legitimo tempore non concedit institutionem canonicam, eius negligentiam supplet Metropolitanus (can. 274, n. 1), vel, Metropolitano negligente, S. Sedes.

[86] Cfr. *Chelodi,* De personis n. 145, ubi monet ei, qui *sine culpa* ineptum exhibuit, *novum* quadrimestre esse concedendum; secus in promptu haberet Ordinarius reiectionem praesentati differre ad tempus elapsi *primi* quadrimestris et ita aequiparare innoxium patronum negligenti contra sensum can. 1465 collati sum 1457.

[87] Cfr. *De institutione* Decret. Gregorii IX, l. III, tit. 7, de institutionibus et commentatores in dictum tit.; *Phillips,* t. VII, § 399; *Garcia,* P. X. cap. 4; *Leuren.,* P. II, q. 169 sq., 798 sq.; Archiv. f. k. K. t. 58, p. 459 sq. t. 61, p. 285, 313 sq.

Quodsi praesentatus ante canonicam institutionem renuntiaverit vel mortuus fuerit, patronus rursus ius praesentandi habet (can. 1468). Quo in casu, cum eadem perduret vacatio, si plures sint qui ius alterum praesentandi habent, nova praesentatio ad eundem pertinet, qui priorem fecerit, non ad sequentem in turno: ad sequentem pertineret, si praesentatus moreretur statim post acceptam institutionem, ob rationem contrariam. *Ferres,* Institut. vol. II, n. 447.

Ex generali principio can. 159 de provisione cuiuslibet officii scripto consignanda, etiam institutio canonica scripto danda est.

305. Scholion. Si antiqui canonistae, argumento deducto ex cap. 47 de elect. 1, 6, in Sexto, docuerunt ante canonicam institutionem *per edictum,* ad valvas ecclesiae providendae vel alio consueto loco affixum, esse citandos omnes, quorum interest, ut intra terminum in edicto statutum exceptiones suas contra praesentationem vel institutionem coram Ordinario deponerent [88], illa praescriptio in Codice deest ideoque non amplius obligat; multo minus haberi potest ut requisitum essentiale ad valorem institutionis, ut nonnulli contra alios voluerunt [89].

§ II. De iuribus mere honorificis et utilibus patroni

306. I. Iura honorifica. Codex can. 1455 tres dumtaxat enumerat honores patronis iure communi debitos, si tamen ita ferant legitimae locorum consuetudines: ius praecedentiae, ius honoratioris sedis in ecclesia, ius stemmatis in ecclesia habendi. Videlicet:

a) *Honor processionis,* ita dicebatur [90] sive ius praecedentiae in processionibus vel similibus functionibus ecclesiasticis suae ecclesiae patronatae prae reliquis laicis, qui non sunt supremi principes. In ipso Pontificali Romano (De ecclesiae dedic.) Episcopus ad fundatorem dicit: « *Scias, ut* (Ecclesia) *gra-*

[88] Cfr. *Leuren.,* q. 192; *Schmalzgr.,* h. t. 7, n. 33; Archiv. f. k. K. t. 36, p. 55.

[89] Cfr. *Leuren.,* q. 192; Act. S. S., X, p. 551; *Lingen et Reuss,* Causae select. p. 467.

[90] Cfr. c. 26, 27, C. XVI, q. 7; cap. 25, X. h. t. 38; *Schmalzgr.,* h. t. 38, n. 93 sq.; *Leuren.,* l. c. P. II, q. 103, n. 1 sq.

titudinem ipsam ad fundatores ostendat, quod a sanctis patribus statutum est, in diei dedicationis anniversario sollemni fundatores et eorum haeredes in processionibus primos esse debere ».

b) *Sedes honoratior in ecclesia* patronata, sed extra presbyterium et sine baldachino, etiamsi patronus sit dominus temporalis [91].

c) *Ius lystrae*, ita dicebatur, sive honor arma et insignia sive stemmata *familiae* seu *gentis*, si ius patronatus sit *laicale*, *officii ecclesiastici*, si sit ecclesiasticum, intra ecclesiam patronatam sive extra illam apto loco una cum inscriptione nominis apponendi, ut posteri ad eadem pietatis opera et ad orandum pro *fundatoribus* defunctis excitentur [92].

Cum Codex enumerata iura honorifica dicat competere patrono, *si ita ferant legitimae locorum consuetudines*, consuetudini multum videtur tribuere; inde non immerito inferri potest, quod ubi ius quaesitum iam sit ad alios honores, quos passim Doctores recensebant, si consuetudo eos tribuendi suffragetur, nequaquam Codicem ipsis resistere ex hoc solo quod eos non enumeret; praesertim quia nonnulli sunt connexi cum re liturgica, quam Codex ex professo noluit tractare. A Doctoribus autem enumerabantur sequentes.

1°) *Honor aquae benedictae* et *sollemnis receptio* per clerum ad portam ecclesiae patronatae, dummodo imprimis servetur rubrica de aspersorio, et patronus *simul* sit supremus princeps regni [93].

2°) *Ius precum* sive honor recitationis nominis in ecclesia patronata inter publicas preces [94].

[91] Cfr. Cap. 1, X. de vita et hon. III, 1; S. C. C. 21 Aug. 1587, apud *Pignatelli*, Consult. t. IV, consult. 16; decret. generale S. R. C. 13 Mart. 1688, pro regn. Neap. in Collect. Lac. t. I, col. 108, 109, et in Decr. auth. n. 1792, 1793; *Kihn*, in Arch. f. k. K. t. 71, p. 34 sq.; Synod. Sciarf. Syr. (a. 1888) p. 261; *Gasparri*, De ss. eucharist. n. 937 sq.

[92] Cfr. *Schmalzgr*., h. t. 38, n. 94; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 607, not. 6, ubi ius lystrae explicat de iure muros ecclesiae patronatae in casu luctus exornandi velis nigris.

[93] Cfr. S. C. C. 2. Aug. 1698, 11 Iulii 1857; *Schmalzgr*., h. t. 38, n. 94; *Leuren*., l. c. n. 3.

[94] Cfr. c. 19 Conc. Emerit. (a. 666); Pontif. Rom. l. c. in rubrica post allocut. fund.: *Deinde Pontifex iubet Deum deprecari pro eo, qui ecclesiam construxit et dotavit, pro eo, qui eam consecrari petiit, et concedit illis partem in omnibus bonis, quae ibi fieri continget.*

3°) *Honor thurificationis* inter officia divina, saltem si patronus sit masculus, et simplici, non triplici ductu neque a sacerdote pluviali indulto [95].

4°) *Osculum pacis* [96] in Missa sollemni per instrumentum, i. e. per oblationem crucifixi factam ab aliquo ministro cotta induto, et postquam pax omnibus de choro data est.

5°) *Ius cerei* et palmarum, vi cuius patrono in festo purificationis B. V. Mariae traditur candela benedicta, et dominica palmarum similiter benedicta palma donatur [97].

6°) *Ius sepulturae* in ecclesia patronata. Immo fundatores sibi suisque successoribus in limine fundationis *exclusive* illud ius reservare possunt. Quam reservationem si omiserint, ius exclusivum sepulturae postea praetendere non amplius possunt [98]. Cum nostra aetate ab auctoritate civili sepulturae in ecclesiis generatim impediantur, huiusmodi ius patronorum est exigui momenti pratici neque secundum analogias arbitraria ratione potest extendi.

7°) *Ius luctus ecclesiastici*, i. e. in ecclesia patronata campanae statis temporibus pulsandae sunt vel officium funebre est celebrandum, saltem si fundator vel ipsius successor in iure patronatus mortuus sit [99].

307. II. ***Iura utilia*** patronorum dicuntur illa, quae ipsis tribuunt facultatem percipiendi certos *reditus temporales* vel emolumenta ex bonis fundationis suae.

Huc spectant: *Ius* patroni *alimenta percipiendi* ex bonis ecclesiae patronatae vel reditibus beneficii, si *verus* illius fuerit fundator vel a fundatore *descendat* atque *vergat* ad inopiam veram, *non* culpabilem, quae *aliunde* tolli non potest. Quod ius ipsi competit ex *aequitate* non ex iustitia, si reditus extiterint

[95] Missale, Ritus celebr. Miss. VII, 10; Caerem. Episc. l. I, cap. 23, n. 24; S. R. C. 2 Iun. 1685, 23 Mart. 1686, in Decr. auth. n. 1751, 1763; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1977, de thurificatione consulis gallici in Oriente; *Schmalzgr*., h. t. n. 95; *Aichner*, Compend. iur. eccl. § 89; *Thalhofer*, Liturgik t. I. p. 697.

[96] Caerem. Episc. l. I, cap. 24, n. 6; S. R. C. 13 Mart. 1688, l. c. *Schmalzgr*., h. t. 38; n. 95; *Thalhofer*, l. c. p. 657 sq.

[97] *Heiner*, K. Kirchenrecht t. II, p. 178.

[98] Cfr. c. 5, Synod. dioec. Cisterc. (a. 1292), et *Hefele*, l. c. t. VI, p. 278; *Leuren*., l. c. P. II, q. 104.

[99] *Heiner*, l. c.; *Aichner*, l. c.

superflui postquam deductae fuerint expensae pro executione onerum et honesta beneficiarii sustentatione. Nec illo iure excidit, tametsi iuri patronatus in commodum Ecclesiae renuntiaverit, vel ipsi in limine fundationis fuerit reservata pensio, quae ad sublevandam eius inopiam non sufficiat (can. 1455, n.)[100].

At patrono ex iure communi *non* competit *ius administrandi* bona temporalia officii patronati, nisi fundator in limine fundationis patrono ius quoddam interveniendi in administratione illorum bonorum reservavit. Quare patronus caret iure disponendi, qua ratione reditus ecclesiae patronatae sint expendendi. Item sibi vindicare nequit ius visitandi bona beneficialia et exigendi minutas rationes administrationis ad instar legitimi *visitatoris*. Multoque magis exclusus est ab actibus *alienationis*[101].

Quae exclusio patroni ab administratione non obstat, quominus curam quandam beneficii patronati habeat et detectam negligentiam deferat ad Episcopum[102]: in quo simul et exercet ius et implet onus.

Iuribus utilibus patroni illa quoque adnumerari possunt, quae ipsi tribuunt aliquam facultatem interveniendi, etiam forte per consensum, in *innovatione* vel *suppressione* officii patronati, ut suo loco iam dictum est.

§ III. De patronorum obligationibus

308. Onera sive **obligationes** patroni sunt:

a) Monere Ordinarium loci, si bona ecclesiae seu beneficii viderit dilapidari, exclusa immixtione in bonorum ipsorum administratione (can. 1469, § 1, n. 1).

b) Obligatio quaedam *reparandi* et *reaedificandi* ecclesiam patronatam forte collapsam. Qua obligatione patronus non ligatur *absolute*, sed tantum *conditionate*, scilicet *si* vult retinere ius patronatus ex solo titulo *constructionis* ecclesiae ortum

[100] Cfr. c. 38, Conc. Tolet. IV, (a. 633) = c. 30, C. XVI, q. 7; cap. 25, X. h. t.; *Lingen et Reuss*. Caus. select. S. C. C. p. 250, 209; Act. S. Sed., VII, p. 695 sq., vol. XXI, p. 536, 545, 546; *Schmalzgr.*, h. t. 38, n. 105 sq.; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 105 sq.

[101] Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 9, de ref., Sess. XXIV, cap. 3, de ref., *Vering*. l. c. § 93.

[102] Cfr. *Leuren.*, l. c. P. II, q. 95.

et nisi ad illum finem sufficiant bona fabricae ad normam can. 1186, n. 2. Quare si patronus reaedificationem ecclesiae detrectet, per actionem iudicialem ad huiusmodi opus compelli non potest; sed terminus ipsi est praefigendus, intra quem aut reaedificationem sese suscipere declaret et spondeat, aut iuri patronatus renuntiet. Quo termino inutiliter elapso patronus ipso facto suo iure patronatus excidit, si ex *sola* constructione illud habuit, atque adeo cogi potest et debet, ut ab exercitio praetensi iuris patronatus abstineat (can. 1469, § 1, n. 2)[103]. At destructa ecclesia ab uno patrono aedificata, duo alii, qui fundationem et dotationem dederunt, ius patronatus retinent. Si alius loco primi patroni reaedificet ecclesiam, tanquam tertius patronus duobus aliis accedet ad iuris novi normam.

c) Supplere reditus, si ex titulo dotationis ius patronatus proveniat, cum ecclesiae vel beneficii reditus ita defecerint, ut nequeat amplius vel cultus decenter in ecclesia exerceri, vel beneficium conferri. Dum reditus sensu explicato deficiunt, ius patronatus quiescit, et sicut de aedificatione dictum est, praefiniendus est patrono terminus ad augendos reditus sub poena cessationis patronatus[104].

Art. 4. — De amissione iuris patronatus

309. Ius patronatus duplici ratione amitti potest, sc. si:

I. Quoad *substantiam* totaliter vel partialiter, absolute vel relative tantum in certo subiecto *cessat* et *exstinguitur*.

II. Quoad *exercitium* in casu particulari vel ad certum vel indeterminatum tempus totaliter vel partialiter *suspenditur* vel *derogatione* tollitur.

[103] Cfr. Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 7, de ref.; S. C. C. 3 Aug. 1686, apud *Richter*, ed. Conc. Trid. p. 121; praesertim *Pirhing*, h. t. 38, n. 8, 9; *Santi*, h. t. 38, n. 45; *Ruffini*, l. c. § 122, n. 1.

[104] De abusibus in praetensione iurium non existentium cfr., v. gr. Archiv. f. k. K. t. 73, p. 188, t. 78, p. 56 sq. de Hungaria: *Geigel*, in eodem Archiv. t. 55, p. 49, de iure (?) patronis vel gubernio in Italia tributo administrandi bona beneficialia tempore beneficii vacantis; *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 181, not. 30, § 180, p. 776 sq. et p. 502 not. 13, de decreto Leopoldi I, Magni Ducis Etruriae, quo a. 1789, multa beneficia iuris patronatus privati convertit in beneficia iuris patronatus regii.

§ I. De cessatione vel exstinctione iuris patronatus (can 1470)

310. Ius patronatus extinguitur ex *natura rei* ipsoque facto:

a) *Interitu completo subiecti* competentis, cui ius patronatus inhaerere potest, velut morte patroni, si ius patronatus ipsius fuerit personalissimum; exstinctione familiae, gentis aut lineae, cui secundum tabulas fundationis erat reservatum. Quare, quod iam est ex natura rei, expresse can. 1470, § 1 n. 4 edicitur in tali casu non evadere haereditarium, nec Ordinarium posse valide permittere iuris donationem alteri factam. Item legitima suppressione monasterii [105], Capituli [106*], officii ecclesiastici, quibus inhaeserat ius patronatus; absoluta destructione rei temporalis, quacum ius patronatus reale fuerat coniunctum, cum eius fundamentum desit (ib. n. 4°).

b) *Interitu obiecti* sive officii ecclesiastici, quod iuri patronatus est obnoxium, v. g. per suppressionem.

311. Praeterea *ex facto patroni* cessat ius patronatus *per liberam resignationem* (ib. n. 1) fundatoris vel successorum eius in iure patronatus, quatenus illi liberae resignationis faciendae *capaces* sunt. Hinc si quis obtinet ius patronatus gentilitium,

[105] Cfr. *Card. Rauscher;* in epistola «*Ecclesiae*» 18 Aug. 1855, quae est pars concord. austriac., art. 18, haec scribit; « *Si forsan eveniat, ut corporatio quaedam ecclesiastica legitime supprimatur, beneficia, ad quae praesentaverat, liberae collationi episcopali reddentur, in quantum id canonum sanctiones praescribunt* ». Cfr. quoque *Aichner*, i. c. § 90, i. f.; *Giobbio*, l. c. vol. II, n. 134 sq. (de iure patronatus in Patriarchatum Venetum).

[106*] Cfr. Res. S. C. C. d. 15 Febr. 1936; A. A. S., XXIX-1937, 27... Quoddam Capitulum collegiale, a. 1703 erectum, ius nominandi canonicos exercebat cum obligatione eligendi originarios vel cives eiusdem civitatis. Ineunte saeculo decimo octavo eadem ecclesia collegialis, praevia collegialitatis suppressione et exstinctione, fuit a S. Sede ad ecclesiae cathedralis gradum evecta. Nihilominus, etiam post hanc innovationem, Capitulum cathedrale ius activum perrexit exercere sub iisdem conditionibus ac antea, saltem quoad sex praebendas canonicales. Declarat S. Congr. non posse iam sustineri Capituli cathedralis ius nominandi sex canonicos, nec debere necesario eligi eos, qui vel cives vel originarii sint eiusdem loci. Ratio praecipua pro supprimendo utroque iure, et activo et passivo, exinde petitur quod fuerit legitime exstincta persona moralis collegiatae et consequenter iura et privilegia eiusdem abolita et extincta censenda sint.

sane *iuri suo* personaliter renuntiare potest, sed *aliis* descendentibus, qui *directe* a fundatore ad successionem vocati sunt, resignatione praeiudicare *non valet* [107]. Quodsi cui patrono, praesertim ex iure patronatus *reali*, certa onera directe et absolute iuxta statuta particularia regionis sint imposita, is nequaquam pro suo arbitrio et cum effectu excutiendi onera libere iuri patronatus renuntiare potest; talis enim renuntiatio involveret prohibitam alienationem bonorum ecclesiasticorum [108], quae absque consensu competentis Superioris ecclesiastici fieri nequit.

Renuntiatio fieri potest aut ex integro aut ex parte, v. gr. quoad solum ius praesentandi: ea autem nunquam ullo modo praeiudicat aliis compatronis, si qui sint, qui suo iuri non renuntiaverint.

Item cessat ius patronatus, si consentiente patrono ecclesia vel beneficium uniatur alii liberae collationis, aut ecclesia fiat electiva vel regularis (can. cit. n. 5).

312. Denique ex ipsa *legis ecclesiasticae dispositione* ius patronatus variis modis cessat:

a) Per *praescriptionem*. Cfr. cap. 20. X. de praescr. II, 27. Ius patronatus in se non exstinguitur per *simplicem non usum*, quo solummodo in casu particulari *exercitium* iuris patronatus ob lapsum temporis cessat. Nam generatim iura per simplicem non usum non amittuntur, neque specialis quaedam lex Ecclesiae de iure patronatus contrarium statuit. Quodsi cum non usu concurrat [109] *praescriptio acquisitiva* tertiae personae aut usucapio libertatis Ordinarii legitimis conditionibus vestita, ex ipsa iuris ecclesiastici dispositione ius patronatus etiam in patrono

[107] S. C. C. in caus. Tyburt. 23 Ian. 1838, in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 454, n. 12. Ita videtur esse intelligendum etiam ius Codicis, quamvis expresse illam limitationem non addat. At ius patronatus mere haereditarium per renuntiationem praesentis patroni penitus cessat, cum haeredes ius quaesitum non habeant nisi per mortem eius a quo causam habent, qui renuntiatione facta sine iure patronatus decedit.

[108] *Aichner*, l. c. § 90; *Ruffini*, l. c. § 122, not. 1, de iure civili in Italia vigente.

[109] Veteres auctores indiscriminatim ex solo non usu amissionem iuris patronatus repetere non solent; v. g. *Leuren.*, l. c. P. II, q. 120, n. 6, scribit: « *Licet enim ex sola negligentia non praesentandi ius patronatus de iure communi competens non amittatur, tamen ubi datur formalis praescriptio contrarii status...* » Quare ipsorum sententia ab opinione recentiorum canonistarum (cfr. *Aichner*, l. c.) vix discrepabat.

invito cessat et in novum patronum transfertur, vel denuo succedit libera Ordinarii collatio.

b) Per *extraordinariam provisionem* canonicam ex iusta causa et sine ullo delicto interveniente a competente Superiore ecclesiastico factam. Huc spectat *directa suppressio* iuris patronatus a Concilio oecumenico, v. g. a Concilio Tridentino Sess. XXV, cap. 9, de ref., vel a Romanis Pontificibus, v. g. ab Innocentio VIII, Adriano VI et Pio VII facta. Item ius patronatus saltem quoad partem principalem exstinguitur, si Romanus Pontifex in perpetuum sibi seu liberae suae collationi reservat beneficium patronatum. Multo magis ius patronatus penitus cessat, si R. Pontifex illud revocat aut ipsam ecclesiam vel beneficium perpetuo supprimit (can. cit. § 1, n. 2).

c) Per *sanctionem poenalem* ob crimina in iure expressa. Quae crimina, quibus ipso iure etiam poena amissionis iuris patronatus in patronos delinquentes statuta est, haec sunt (can. 1470, § 1, n. 6):

1) *Apostasia, haeresis, schisma.*

2) Attentata *simoniaca* iuris patronatus translatio a patrono in alios facta.

3) Iniusta usurpatio aut detentio bonorum ac iurium ecclesiae vel beneficii, in quod ius patronatus habetur.

4) *Caedes* aut *mutilatio* rectoris, beneficiarii vel alterius clerici ecclesiae patronatae a patrono sive per se sive per alios commissa. Quae poena patronum ita afficit, ut etiam eius haeredes de iure patronatus nihil percipiant; ob alia delicta enumerata solus patronus reus suo iure privatur.

Ut ex enumeratis delictis patroni censeantur ius patronatus amisisse, requiritur et sufficit sententia declaratoria.

§ II. De suspensione et derogatione exercitii iuris patronatus

313. *Exercitium* iuris patronatus, saltem quoad praerogativam praesentandi, in casu *singulari* vacationis officii patronati cessare potest, si *terminus* praesentationi iure communi vel iure speciali determinatus *elapsus* est. Item saepe in poenam; cfr. canones poenales 2391, § 3, 2393.

Suspenditur exercitium iuris patronatus quoad omnia sua iura et privilegia in patrono censura aut infamia iuris innodato, post sententiam condemnatoriam aut declaratoriam, quamdiu

censura vel infamia perdurant. Quare licet ligatus censura vel infamia *non amittat* ius patronatus, quod *ante* habuit, tamen eius usu et exercitio ita privatur, donec fuerit absolutus vel dispensatus, ut praesentatio ab ipso facta non solum sit illicita, sed etiam *invalida*, quam Episcopus nec potest nec debet admittere, si intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria. Quodsi illa sententia non intercesserit standum est canoni 2232, habitis prae oculis can. 2265, 2275, 3°, 2283, 2294.

Quodsi *Romanus Pontifex* ipsum ius patronatus quoad substantiam abrogare potest, a fortiori competens est ut in casibus particularibus *exercitium* iuris patronatus per praesentationem tollat sibique liberam collationem officii patronati reservet. Quo in casu *exercitio* iuris patronatus dicitur *derogari.*

314. Scholion. *De indulto Apostolico praesentandi.* Si cui Sedes Apostolica quacumque ratione in concordato aut separatim indultum concesserit *praesentandi* ad ecclesiam vacantem vel beneficium vacans, non inde intelligitur concessum verum seu plenum ius patronatus, sed exclusis aliis patronorum favoribus merum ius praesentandi, quod strictam debet recipere interpretationem ex tenore indulti (can. 141) [110].

CAPUT XI

De institutione corporali seu de tradenda officii vel beneficii possessione (can. 1443 1447)

315. **Fontes:** Cfr. supra, cap. 1 huius tit.; Decr. Greg. IX, l. III, tit. 7, de instit.; Decret. Bonifacii VIII, l. III, tit. 6, eod.; Conc. Trid. Sess. VII, cap. 13, Sess. XXV, cap. 9, de ref.; Act. S. S., III, p. 65 sq., 86.

Scriptores: Comment. iur. Decret. in h. t. 7; *Garcia,* De benef. P. X, cap. 4; *Leuren.,* For. benefic. P. II, q. 169 sq., 789 sq.; Archiv. f. k. K. t. 58, pag. 459 sq., t. 61, p. 285, 313 sq.; *Ferreres,* Inst. II, 455 sq.

De necessitate institutionis corporalis. Licet electus post confirmationem, postulatus post admissionem, praesentatus post in-

[110] *Cappello,* Diritti e privilegii tolerati o concessi ai governi civili. De regio patronatu in Hispania, cfr. *Ferreres,* Inst. II, 454 sq.

stitutionem collativam, collatarius post acceptatam liberam collationem obtineat quidem *ius in re* una cum actione in rem, in actualem autem *possessionem* officii vel dignitatis, saltem *minoris*, ordinarie nequaquam per apprehensionem *propria auctoritate* factam, sed per introductionem a competente Superiore ecclesiastico peractam immitti debet [1] (can. 1443). Quodsi clericus, obtenta institutione collativa tituli, absque ulla institutione corporali possessionem officii sibi *collati* et *etiam de facto vacantis* propria auctoritate contra praxim receptam capiat, a Superiore ecclesiastico competente optimo iure condigna poena castigari potest.

Similiter in beneficiis maioribus, quae a R. Pontifice conferuntur, nemo potest *possessionem apprehendere ante expeditionem* Litter. Apost. et antequam ipsae ostendantur iis, qui a iure sunt designati ut legitimitatem tituli examinent et agnoscant.

316. Personae, quibus *ius* introducendi clericum provisum in possessionem competit, nequeunt esse *laici*, nisi speciale habeant indultum apostolicum. Nam illa institutio corporalis est officium quoddam spirituale. Hinc laici ne in temporalia quidem officii ecclesiastici clericum provisum introducere possunt [2]. In beneficiis non consistorialibus missio in possessionem, seu institutio corporalis, ad loci Ordinarium spectat, qui ad id alium ecclesiasticum virum delegare potest (can. 1443, § 2).

Iure Decretalium institutio corporalis in minora officia et dignitates minores inter iura et officia *Archidiaconi* recensebatur [3]. Qua ordinatione Episcopus a concedenda institutione corporali non fuit exclusus. Cfr. cap. 28, de praeb. III, 4, in Sext. Postquam Archidiaconi cessarunt esse Praelati vera et ordinaria iurisdictione praediti, ius ad institutionem corporalem concedendam translatum est ut plurimum in Vicarios generales, vel in alios clericos ab Episcopo sive generaliter sive specialiter deputatos, velut in Vicarios foraneos [4].

Si iure praecedenti in officiis inferioribus ab ipsa Sede Apostolica collatis, ius introducendi clericum provisum dari de iure dicebatur alicui Praelato vel Vicario generali Episcopi vel canonico seniori vel etiam duobus canonicis antiquioribus [5], haec dispositio in iure Codicis non continetur; quare etiam in iis casibus institutio corporalis ad Ordinarium loci pertinet, nisi aliter in rescripto disponatur.

[1] Cfr. *Leuren.*, l. c. P. II, q. 798 sq.: *Schmalzgr.*, h. t. 7, n. 62 sq.; Arch. f. k. K. t. VII, p. 130, § 13.
[2] Cfr. *Leuren.*, l. c. q. 806; *Schmalzgr.*, h. t. 7, n. 53, 57, 58.
[3] Cap. 7, § 5, X. de off. archid. I, 23.
[4] *Leuren.*, l. c. q. 817.

Inter *conditiones* requisitas ad institutionem corporalem, argumento deducto ex can. 151, imprimis recensenda est *citatio* illius, qui *amisso titulo* nihilominus *actu* retinet officium, nisi *notorium* sit possessori officii nullum ius retinendi competere, aut contra possessorem, iam ante collationem citatum, praevia cognitione iudiciali fuisset sententia lata [6].

Ex parte illius qui corporaliter instituendus est, requiritur ut emiserit fidei professionem, si agatur de beneficiis pro quibus haec fidei professio praescripta sit (can. 1443, iunct. can. 1406).

Porro possessio officii capi potest sive *personaliter* per clericum provisum sive per *procuratorem* speciali mandato munitum (can. 1445). Qui procurator etiam laicus esse potest [7].

Iure communi certum quoddam *tempus* ad capiendam possessionem non est praescriptum, sed ab Ordinario praefiniri debet; quo praefinito et inutiliter praeterlapso, Ordinarius, nisi iustum obstiterit impedimentum, beneficium vacare declaret (Cfr. can. 1444, § 2). At certe tempore litis pendentis aut pendente appellatione cum effectu *suspensivo*, institutio corporalis fieri nequit [8]. Denique possessio capiatur *gratis* et absque *simonia* [9].

Non paucae formalitates in institutione corporali servandae, iure particulari, non iure communi, sunt praescriptae aut legitima consuetudine receptae: ratio igitur habenda est consuetudinum particularium [10], ad quas ipse Codex provocat can. 1444.

[5] *Santi*, h. l. 7, n. 27.
[6] Vide *Leuren.*, t. c. q. 809. Cfr. de *nullitate* captae possessionis: *Aichner*, l. c. § 85, p. 294; *Ferraris*, l. c. v. Canonicus, art. 2, n. 15 sq.
[7] *Leuren.*, l. c. q. 810. Ita in Hispania Episcopi residentiales generatim per procuratorem capiunt possessionem et postea ingressum sollemnem faciunt in dioecesim. *Ferreres*, Inst. II, 432.
[8] *Leuren.*, l. c. q. 811.
[9] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 14, de ref.; *Ferraris*, l. c. n. 32 sq.
[10] *Leuren.*, l. c. q. 804, 818; *Schmalzgr.*, h. t. 7, n. 52; *Santi*, h. t. 7, n. 27; *De Meester*, Iur. can. comp. l. III, n. 1418, de consuetudine praecedenti in Belgio et ex novis Statutis Brug.

A ritu seu formalitatibus legitime constitutis Ordinarius ex iusta causa dispensare potest; dispensatio autem expresse et in scriptis danda est; quo in casu haec dispensatio locum tenet possessionis (can. 1444, §1).

317. Effectus institutionis corporalis sunt:

I. Ut non solum acquiratur *possessio iurium* spiritualium, sed etiam temporalium officii ecclesiastici [11]. Quare clericus provisus a die captae possessionis, *non antea*, fructus novi officii, sibi concessi, facit suos [12].

II. Post obtentam pacificam et utilem possessionem novi officii *ipso iure vacat* officium incompatibile a clerico proviso antea possessum [13]; quodsi prius retinere praesumpserit utroque privatur ipso iure (can. 2396).

III. Praeterea post captam possessionem clericus institutus fruitur omnibus illis iuribus, quae generatim oriuntur ex *titulo possessionis* et *proprietatis*, ita v. g. possessio dat fundamentum et initium *praescriptionis*.

IV. Speciatim vero, si clericus qui beneficium possidet, probaverit se in eiusdem beneficii possessione pacifice per integrum triennium bona fide fuisse, etsi forte ex titulo invalido, dummodo absit simonia, beneficium ex legitima praescriptione obtinet (canon 1446). Quae Codicis praescriptio suum habet fundamentum in antiqua regula 36 Cancellariae Apostolicae [14]. Quae bona fides evidenter non habetur in intruso; sed supponit ordinarium actum collationis, etsi forte invalide positum.

Pariter in favorem possessionis can. 1447 statuitur: « Qui beneficium postulat ab alio possessum, quod certo modo vacare contendat, debet in supplici libello exprimere nomen possessoris, tempus possessionis et causam specialem ex qua constet nul-

[11] *Schmalzgr.*, h. t. 7, n. 56, 57, 58; concord. austriac. (a. 1855), art. 27.

[12] *Santi*, h. t. 7, n. 29; Arch. f. k. K. t. VIII, p. 130, § 15.

[13] Cfr. *Santi*, h. t. 7, n. 32, de stylo Datariae a iure communi aliquantisper recedente et de nova praxi in Italia.

[14] *Riganti*, l. c. Reg. 35, 36, Canc. Apost.; *Leuren.*, l. c. q. 827 sq. Qua canonis dispositione manet antiquata disputatio, quae circa reg. 36 Canc. Apost. adfuit, utrum triennalis possessio vere daret titulum, an solam securitatem contra querelas et actiones tertiae personae: quae tamen favorabilis decisio Codicis non datur nisi quando existit bona fides, quam ex communiore sententia non requirebat favor memoratae regulae 36. Cfr. *Leuren.*, l. c. et q. 857, 858; *D'Annibale*, Summ. P. III, n. 48 sq.; *Zitelli*, Appar. iur. eccl. p. 21 sq.

lum possessori in eo beneficio ius competere; beneficium autem postulanti conferri non potest, nisi prius causa in petitorio fuerit ad normam iuris definita ».

Scholion. — De institutione autorizabili. Verbum illud institutionis *autorizabilis* occurrit in summario cap. 4. X. de off. archid. I, 23., ubi sensus capitis hisce verbis enuntiatur: *Archidiaconus sine mandato Episcopi non committit curam animarum, id est non habet institutionem autorizabilem* [15]. Item Glossa in R. I. 1, in Sext. v. *Beneficium* docet: *Dicendum quod triplex est institutio. Quaedam est tituli collativa, alia est autorizabilis quoad commissionem curae animarum, alia est institutio realis et actualis, quae vocatur investitura vel inductio in possessionem realem et corporalem.* Quae distinctiones et terminologiae deinde passim a canonistis sunt receptae [16], atque procul dubio institutio *autorizabilis* potest denotare actum vere distinctum ab institutione collativa [17]: Quamvis enim Archidiaconi paulatim etiam obtinerent potestatem *concedendi curam animarum*, tamen antiquo iure Decretalium (cfr. cit. cap. 4. X. de off. archid. I, 23) huiusmodi potestate carebant [18]. Quare sapienti consilio Synodus Tridentina, quoad rem ad antiquiorem illam distinctionem

[15] Illa tamen *distinctio* institutionis *autorizabilis* ab institutione *collativa*, quam insinuat summarium, in ipso textu cit. cap. 4 nullum habet fundamentum, et ab Innocentio IV., uno ex antiquissimis commentatoribus Decretalium Gregorii IX, neque in comment. ad cit. cap. 4, neque tit. 7, de inst. ulla ratione commemoratur, sed Archidiacono *simpliciter* negatur ius *conferendi* ecclesias (curatas) vel praebendas, nisi hoc habeat tanquam vicarius ex consuetudine vel privilegio sive auctoritate generali vel speciali Episcopi. Hinc etiam *Goffredus de Trano*, Summa h. t. 7, n. 1, et Hostiensis, Summa h. t. n. 1, 2, 3, tantum *duplicem* distinguunt institutionem, sc. collativam tituli et corporalem sive investituram, tertiam autem illam institutionem autorizabilem neque quoad rem neque quoad nomen recensent et cum Innocentio IV in interpretando cap. 4, X. de off. archid. conveniunt.

[16] *Schmalzgr.* h. t. 7, prooem. et n. 40 sq.; *Gonzalez Tellez* in cit. cap. 4, X. de off. archid. n. 3.

[17] Cfr. v. g. *approbationem*, quae dabatur regularibus ab Episcopo loci ad confessiones audiendas vel praedicandum verbum Dei, quamvis illi a suis Superioribus regularibus iam accepissent *iurisdictionem* et *missionem* canonicam; *Schmalzgr.* h. t. 7, n. 40; *Hinschius* l. c. t. II, p. 650, 651, not. 1.

[18] *Schmalzgr.* h. t. 7, n. 42; *Hinschius* l. c. p. 194, 197, not. 7, Cfr. *Goffred. de Trano*, l. c.; *Innoc. IV*, l. c.; *Hostiens.* l. c.

rediens, potestatem inferiorum collatorum praesertim in officiis paroecialibus concedendis multum limitavit [19]. Quae disciplina Tridentina postea a Gregorio XV Const. *Inscrutabili* et a Benedicto XIV Const. *Firmandis* praesertim quoad parochos regulares accuratius definita est.

II. *Institutio autorizabilis,* quae nostra aetate non iam adeo frequenter est practici momenti, habet maximam similitudinem cum *approbatione* quae ab Episcopo dabatur regularibus ad confessiones audiendas, vel Episcopo in Consistorio iam promoto ante Bullas apostolicas rite Capitulo praesentatas [20]. Etenim consistit in *iudicio authentico* Episcopi competentis de aptitudine clerici provisi vel providendi ad *universam curam animarum* exercendam. Quod iudicium ut tuto ferri possit, ex communiter contingentibus supponit *examen rite superatum* [21]. Praeterea ad iudicium authenticum de aptitudine accedat necesse est *licentia* et *deputatio* Episcopi ad *universam* illam *curam animarum exercendam,* etsi institutio *collativa tituli* spectet ad *Praelatum* inferiorem vel ad Capitulum vel ad regulares [22]. Quare optimo iure institutio autorizabilis vocatur *approbatio* [23]; complectitur enim pariter duplicem actum, qui interveniebat in allegata approbatione regularium, i. e. iudicium authenticum *intellectus* atque licentiam et deputationem, quae est actus voluntatis. Cfr. cit. Benedicti XIV Const. *Apost. minist.* § 8. Porro institutio autorizabilis adeo necessaria est, ut sine illa clericus provisus a collatore, Episcopo inferiore, v. g. curam animarum in foro poenitentiali *valide* exercere non possit [24], ut accidebat sacerdoti *regulari,*

[19] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 18, de ref.; Sess. VII, cap. 13, de ref., Sess. XXV, cap. 11, de regular.

[20] Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 15, de ref.; *Zallinger* h. t. 7. § 118; *Bouix,* De iure regul. t. II, p. 18.

[21] Conc. Trid. Sess. VII et Sess. XXIII et Sess. XXIV, l. c.

[22] Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 15, de ref. Sess. XXV, cap. 11, de regul.; Gregor. XV Const. *Inscrutabili* (a. 1622.) § 4; Benedict. XIV Constit. *Firmandis* (a. 1744.) §§ 3, sq., *Apostolicum ministerium* (a. 1753.) §§ 7. sq.; *Leuren.,* l. c. P. II, q. 7.; *Pignatelli,* Consult. t. VIII, consult. 44, n. 20, 21.; *Gonzalez Tellez* l. c. n. 3, i. f. « *Nam ille, cui commissa est paroecialis ecclesia, non habet potestatem conferendi sacramenta et administrandi cum cura, nisi Episcopi licentia mediante hac institutione* (autorizabili) *detur* ».

[23] *Santi,* h. t. 7. n. 4, 8, 19.

[24] *Schmalzgr.* h. t. 7, n. 40.

a suo Superiore iurisdictione munito, qui absque approbatione Episcopi loci audisset confessiones saecularium personarum. At ea intercedit differentia, quod iudicium illud et licentia regularium referebatur ad *solam* administrationem sacramenti poenitentiae, in institutione autem autorizabili ad *universam curam* animarum omniaque sacramenta a parochis administrata extendatur [25].

Quodsi institutio collativa tituli spectat ad Episcopum, ut de iure communi et ordinarie pertinet, utraque institutio, i. e. collativa et autorizabilis, *uno eodemque* actu fieri solet et de facto intelligitur facta nisi contrarium exprimatur [26].

III. *Potestas* concedendi institutionem autorizabilem est penes *Episcopum* vel *Praelatum nullius* vel *Vicarium generalem* etiam sine mandato speciali. Nam huiusmodi concessio non est libera collatio, sed iurisdictionis necessariae exercitatio. Propter eandem rationem sede vacante institutio autorizabilis etiam a *Capitulo* cathedrali et suo tempore a *Vicario capitulari* concedi potest. *Aliis* autem *Praelatis inferioribus haec facultas* sine speciali privilegio apostolico non competit [27], neque *praescriptione* etiam immemoriali, quamdiu Episcopi superioritas manet [28], neque *reservatione* in limine fundationis facta iisdem *nunc illa* obvenire *potest* [29].

IV. *Omnibus illis* institutio autorizabilis est danda, qui non ab Episcopo, sed *ab* alio Praelato inferiori vel a Capitulo vel a monasterio institutionem collativam tituli obtinere debent [30].

[25] *Zallinger* l. c.; *Schmalzgr.* h. t. 7, prooem.

[26] Ita recte *Schmalzgr.* h. t. 7, n. 40. Quare si in nonnullis regionibus, vel ipsis parochis legitime *ab Episcopo* provisis, distinctis verbis et specialibus documentis conceditur cura animarum, id fit ad *superabundantiam,* non propter iuris necessitatem. Cfr. Arch. f. k. K. t. VII, p. 130, § 11.; *Hinschius* l. c. t. III, p. 3.

[27] *Schmalzgr.* h. t. 7, n. 41. Quare *Santi* h. t. 7, n. 20, de Vicar. gen. non satis fundatam videtur tenuisse sententiam. Cfr. de institutione autorizabili spectante ad *Episcopum,* non ad *Capitulum*: S. C. C. 27. Nov. 1856, in Act. S. Sed., XVII, p. 579.

[28] Conc. Trid. Sess. VII, cap. 13.; *Schmalzgr.* h. t. 7, n. 42, sq. Cui sententiae minus accurate contradicit *Hinschius* l. c. t. II, p. 458, not. 7.

[29] Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 12, 13, de ref.; *Schmalzgr.* h. t. 7, n. 45.

[30] Act. S. Sed., III, p. 75, sq. 77, 82. Cfr. de casu quodam practico institutionis autorizabilis pro missionariis regularibus, qui debent fieri parochi: *Zitelli,* Apparatus p. 140, sq.

V. Inter *conditiones*, quae ad institutionem autorizabilem requiruntur, maxime commemorandum est *examen* ipsi institutioni praemittendum [31].

VI. Ad institutionem autorizabilem *aliqua ratione revocari potest approbatio* pro cura animarum, quae pro diversitate regionum datur sacerdotibus, qui veri beneficiarii vel parochi non sunt et ad *certum* tempus, v. g. duos, quatuor vel sex annos, ad curam animarum exercendam legitimantur. Quae legitimatio sive approbatio fit per *examen*, quo *digni* atque *idonei* ad curam animarum renuntiantur. Cui testimonio authentico accedit *participatio* necessariarum facultatum, ut in determinata paroecia curam animarum exercere possint. Quare non solum datur *licentia*, ut quis iurisdictione aliunde iam acquisita licite et valide utatur, sed ipsa *potestas* iurisdictionis ad instar officii ecclesiastici communicatur [32]. Episcopus quoque non prohibetur, quominus parochum in perpetuum de officio paroeciali provisum et ad curam animarum approbatum ex iusta causa superveniente denuo *ad examen* revocet atque in eum, probata ignorantia et imperitia, procedat secundum normam Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 6, de ref. et can. 877, § 2, necnon can. 880, § 2. [33].

CAPUT XII

De iuribus et obligationibus beneficiariorum (can. 1472-1488)

318. **Fontes:** Decret. Grat. c. 6, D. 4; c. 7, D. 17, c. 14, 20, D. 93; c. 8, 10, D. 95. — Cpl. I, l. I, t. 23, de off. et potestate Praelati et iudicis ordinarii, tit. 25, de maior. et obed.; cpl. V, l. I, t. 16, de off. et potestate iud. ord.; cpl. II, III, IV, ead. rubr. atque supra — Decret. Gregorii IX, l. I, tit. 31, 33; Decret. Bonif. VIII, l. I, t. 16, de off. ordinarii, t. 17, de maior.; Const. Clement. V, l. I, t. 9; Extravg. Ioann. XXII, t. 2; Extravg. com. l. I, t. 7, 8. — Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 17, de ref. iunct. Decretal. Clem. Pap. VIII, ed. *Sentis*, p. 25 sq., 33 sq.

[31] Conc. Trid. Sess. VII, cap. 13, de ref., Sess. XXIV, cap. 18, de ref.: *Schmalzgr.* h. t. 7, n. 46, sq.

[32] *Martin*, Collect. doc. Conc. Vatic. p. 180, postul. Episc. Belg.; Notific. Cardinal. Vic. in Urbe 24. Sept. 1894.; *Hinschius* l. c. t. III, p. 3 sq.

[33] Decis. S. C. C. in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 119, sq.; discept. in caus. 22 Iun. 1863, a S. C. C. decis. in Act. S. Sed., V, p. 17. sq. 19, sq.

Scriptores: Commentatores iur. Decret. in cit. tit. — *Phillips*, l. c. t. II, §§ 78, 79; *Scherer*, l. c. t. I, § 77. — *García*, l. c. P. II, cap. 1 seq.; *Leuren.*, Forum. benef. P. I, q. 363 sq., 434 sq.; *Ferreres* l. c. II, n. 455 sq.

319. *Iura* et *obligationes* beneficiarii aliae sunt *peculiares* cuiusque beneficii, quae determinantur praesertim lege fundationis et etiam iure communi, si de illo beneficio in particularibus cavet ius commune (v. gr. de beneficio paroeciali); aliae sunt *communes* omnibus beneficiariis, et de his agitur in hoc Codicis capite. Inter obligationes speciatim recensentur quae pertinent ad curam bonorum beneficialium, de qua praeter ea quae hoc loco continentur, sunt etiam observanda quae de administratione bonorum ecclesiasticorum in Parte VI Libri III traduntur, quae hoc loco non sunt anticipanda.

320. **Iura beneficiarii.** Cum beneficium sit ens iuridicum constans officio sacro et dote ipsi adnexa in finem ad quem officium destinatur, *iura* et *obligationes* beneficiarii cohaerent cum ipso beneficio *obiective* considerato, quod illo complexu iurium et obligationum constituitur; sed iura sunt exercenda et obligationes implendae a titulari beneficii. Hoc exercitium ad beneficiarium plene et expedite pertinet, non a momento collationis, sed tantum a *momento captae possessionis*. Ab hoc momento ipsi competit ius ad *liberum exercitium facultatum spiritualium et temporalium* et ad omnium *obligationum* implementum. Relate ad *temporalia* ipse constituitur *administrator*, non *dominus*, simul autem *fructibus* beneficialibus libere uti ac frui potest, i. e. illa parte redituum quae destinatur ad honestam sustentationem beneficiarii; nam, pro diversitate casuum, pars redituum ex bonis datis in dotem potest esse destinata ad cultum ecclesiae vel altaris aut cappellae, in qua beneficium est fundatum (can. 1472, 1473).

Quae facultas libere utendi fruendi fructibus *stricte beneficialibus* beneficiario competit, tametsi alia bona habeat non beneficialia; nihilominus fructus qui supersunt, post obtentam congruam sustentationem, tenetur in causas pias vel eleemosynas pauperum erogare (ib.). Quare, si dos beneficii ad normam can. 1410 sit constituta in iuribus stolae intra fines taxationis dioecesanae vel legitimae consuetudinis, quae extra fines taxationis sunt ad beneficiarium pertinent sine illo onere, quemadmodum illi oneri non subsunt iura stolae ad illos beneficiarios pertinen-

tia, qui congruam beneficiariam habent sibi constitutam omnino independenter a iuribus stolae. Pariter ab illo onere immunes sunt distributiones chorales in beneficiariis officium chorale habentibus [1].

Quae obligatio impendendi superflua in causas pias non est obligatio *iustitiae*, sed ultimatim *ex lege ecclesiastica*, cui *obedientia* debetur, est repetenda [2].

321. Obligationes beneficiarii. I. *Obligatio beneficiarii quoad ordines.* Si ad beneficium obtinendum susceptio alicuius ordinis requiratur, beneficiarius talem ordinem ante beneficii collationem iam receperit oportet (can. 1474): quae Codicis praeceptio non leviter immutat ius praecedens, in quo generatim ordo requisitus non necessario haberi debuit tempore collationis, sed satis erat ut infra annum reciperetur [3].

[1] Illa obligatio non pertinet nec ad bona *patrimonialia* nec ad *quasi-patrimonialia* aut *parsimonialia.* Quare nimis rigidam amplexi sunt sententiam: *Zech,* De iure rer. eccl. t. 8, § 96, et post ipsum *Zallinger,* l. III, t. 25, § 264, 274, si bona parsimonialia et quasi-parsimonialia clericorum bonis beneficialibus quoad obligationem illa expendendi in causas pias adnumerarunt. Similiter *Hollweck,* Das testament des Geistlichen p. 35, nimis rigide illi obligationi subiecit omne illud peculium clerici, quod ex officio derivatur ad quod gerendum missio canonica requiritur, tametsi beneficii rationem non habeat. Cfr. *Aichner,* Comp. iur. eccl. § 232. — Utrum autem in casu quo casuales reditus sint assignati in dotem beneficii, etiam sub respectu ad hanc obligationem elargiendi superflua in pauperes, sint tales reditus considerandi ut *communes* reditus beneficiarii, vel potius ut *bona quasi-patrimonialia* perinde ac in iure praecedenti, nondum adest iurisprudentia rem definiens nec authentica declaratio; quibus deficientibus certa obligatio non videtur posse imponi. Res est valde implexa, quia in illis regionibus, ubi est communis hic modus dotationis paroeciae, ex casuali parochi iam detrahi solet pro aliis ministris sacris, ecclesiis, scholis, necessitatibus dioecesis, ideoque pro causis piis. Scite notat *Vermeersch,* o. c., II, n. 798, non debere praesumi legislatorem voluisse imponere novam obligationem sine perspicuis verbis et insuper per dispositionem, cuius scopus videtur fuisse legalem constitutionem beneficii, praesertim paroecialis, faciliorem reddere.

[2] Cfr. *Schmalzgr.,* l. III, tit. 25, n. 27 sq.; *Pirhing.* eod. n. 6; *Reiffenstuel,* eod. n. 56 sq.; *Lugo,* De iust. et iure, disp. 4, sect. 2, n. 16; *Benedictus XIV,* De Syn. dioec. l. VII, cap. 2, n. 10, 11; *Ferreres,* Inst. II, 455, Comp. Theol. mor. I, 691 sq.; *Lehmkuhl,* Theol. mor. I, n. 900, not. 1.

[3] Cfr. *Wernz,* Ius Decret. II, n. 300.

I. *Onera beneficii.* Beneficiarius tenetur fideliter adimplere peculiaria onera beneficio adnexa, quae onera in plerisque beneficiis iam determinantur iure communi; sed praeterea attendenda est lex fundationis tum in beneficiis de quibus ius commune in particulari non cavet, tum etiam in aliis, quum praeter onera iure communi definita pius fundator alia quoque potuit adicere, cui legi fundationis legitimae admissae omnino standum est.

Iis oneribus peculiaribus cuiusque beneficii accedit commune onus omnium beneficiariorum cotidie recitandi horas canonicas (can. 1475). Quae obligatio urgetur per subtractionem fructuum ita, ut qui legitimo impedimento non detentus illi non satisfecerit, fructus pro rata omissionis non facit suos, eosque fabricae ecclesiae aut Seminario dioecesano tradere vel in pauperes erogare debet.

III. *Beneficiarius ut bonorum beneficii administrator.* Beneficiarius non est *dominus substantiae* bonorum beneficialium, quorum verum ius *dominii directi* est penes ipsum officium ecclesiasticum personalitate iuridica donatum. Quae persona iuridica per se agere non potest, sed per personas physicas, in casu per beneficiarium, qui constituitur beneficii, ad instar minoris considerati, (can. 100, § 3) curator et verus defensor, qui ipsius res et iura potest et debet tueri per actiones iudiciales sive in petitorio sive in possessorio intentatas. Sicut ergo tutor sui pupilli patrimonio singulari circumspectione consulere debet, ita beneficiarius consulere debet bonis beneficii, cavere ab omni ipsorum deterioratione et curare ut efficiantur meliora. Si negligens aliove modo in culpa fuerit, damna resarcire beneficio debet, atque ad ea compensanda ab Ordinario loci est compellendus, immo si parochus sit, ea negligentia est una ex causis canonicis, canone 2147, § 2, n. 5 admissis, ad eius remotionem oeconomicam (can. 1476, § 2).

IV. *Sumptus* ordinario modo connexi cum bonorum beneficialium administratione et fructuum perceptione a beneficiario ferendi sunt.

Impensae pro extraordinaris domus beneficialis reparationibus ab iis ferendae sunt quibus onus reficiendi beneficialem ecclesiam incumbit, nisi fundationis tabulae aut legitimae conventiones et consuetudines aliud caveant.

Ne vero maiores seu extraordinariae reparationes necessariae evadant, beneficiarius quamprimum perficere debet minores quae ipsi incumbunt (can. 1477) [4].

V. *Beneficiarius subest vigilantiae Ordinarii* loci, qui obligatione tenetur advigilandi etiam per vicarios foraneos, ut beneficialia bona conserventur et rite administrentur (can 1478).

VI. *In locatione bonorum beneficialium* prohibitae sunt anticipatae solutiones ultra semestre, si recipiantur sine licentia Ordinarii loci, a quo in casibus extraordinariis cavendum est per peculiares congruas praescriptiones ne anticipatae illae solutiones in damnum vergant aut loci pii aut successorum in beneficio.

VII. *Partitio fructuum inter antecessorem et successorem* ita facienda praescribitur can. 1480, ut simul computatis omnibus proventibus et oneribus currentis anni, quod, expletis oneribus, supersit annui reditus sit dividendum inter antecessorem et successorem pro rata temporis quo beneficio uterque deservit. Quodsi antecessor obierit, eius rata pars obtingit eius haeredibus. Si tamen aut consuetudo legitima aut peculiaria statuta rite approbata alium iustae compensationis modum induxerint, huic omnino standum est. Haec autem valent de fructibus tam civilibus quam naturalibus, industrialibus et mixtis [5].

[4] Obligationes hoc canone commemoratae sunt obligationes quae incumbunt usufructuariis, quibus in plerisque beneficiarii aequiparantur. *Leuren.*, For. benef. P. I, q. 5; *Lotterius*, De benef. l. I, q. 3, n. 8 sq.; *Lingen*, in Archiv. f. k. K. t. 20, p. 79 sq.; *Brandys*, ibidem t. 61, p. 285 sq.

[5] Iure praecedenti modus divisionis non erat accurate determinatus. Generatim quoad fructus pendentes applicabatur ius de usufructuariis, ideoque fructus inexacti tribuebantur successori. Ita Iulius III, Const. *Cum sicut* 26 Iun. 1550 et Const. *Dudum* 4. Aug. 1550, decernit fructus beneficiorum etiam Cardinalium inexactos ad successores in beneficiis, non ad haeredes spectare in locis in quibus non deputantur a Rev. Camera Apostolica spoliorum collectores. Quod decretum postea Urbanus VIII, Const. *Aeternus* 5 April. 1628, confirmavit. At postea doctrina Doctorum, relicta comparatione cum usufructuario, potius aequiorem sententiam de rata temporis secuta est, innixa in decisionibus S. C. C. 23 Dec. 1873, 28 Ian. 1882. Cfr. Acta S. Sedis, VIII, p. 201 sq., XIV, p. 556, 560; *D'Annibale*, Summ. III, n. 63. * In reditibus intercalaribus sive civilibus sive naturalibus distribuendis inter beneficiarium successorem et antecessorem ejusve heredes, sequendus est annus solaris seu civilis in omnibus regionibus pro quibus viget Concordatum initum inter Sedem Apostolicam et Gubernium Italicum. S. C. C., 20 Nov. 1930; *A. A. S.*, XXIII-1931, 16. Haec resolutio, ut patet, unice respicit Italiam; pro aliis Statibus norma a S. Congregatione determinata optimo consilio ut directiva haberi potest. Cfr. *Per.*, XX, 140; *Il Monitore eccl*, 1931, 51.

VIII. *Fructus beneficii vacantis.* Fructus beneficii vacantis sive fructus medii temporis vel *intercalares* intelliguntur omnes illi reditus beneficiales, qui inde a legitima vacatione beneficii usque ad captam possessionem novi beneficiarii deductis omnibus expensis necessariis supersunt [6]. Ergo ante omnia deducendae sunt cuiusvis generis expensae, v. gr. quae necessariae sint ad perceptionem fructuum et quae sunt connexae cum administratione bonorum beneficialium et ad sarta tecta conservanda ipsa bona vel fortasse sunt persolvendae aliquot missae, anniversaria etc.: quodsi beneficium sit paroeciale, deducenda est portio congrua solvenda vicario oeconomo in paroecia, durante vacatione, constituendo. Qui supersunt fructus in duas partes sunt dividendi: altera accrescit sive applicanda est doti beneficii, vel massae communi, si ex communi massa pluribus, v. gr. canonicis, congrua beneficiaria seu praebenda desumatur; altera cedit ac tradenda est fabricae ecclesiae seu sacrario. Praeservatur tamen legitima consuetudo, qua omnes fructus vacantis beneficii in bonum commune dioecesis sint erogandi (can. 1481), quod etiam in nonnullis Concordatis fuit constitutum. Cfr. v. gr. Concordatum a. 1851 cum Hispania art. 37 [7].

[6] Fructus illi medii temporis non in omnibus regionibus uniformi praxi computari solebant, tum quia aderat diversa disciplina de termino a quo vacatio beneficii in ordine ad percipiendos fructus esset computanda, v. gr. ob concessum sic dictum *mensem luctus*, tum propter diversas consuetudines circa perceptionem fructuum pendentium. Cfr. *Schenkl*, Ius eccl. I, § 530; *Duerr*, De annis gratiae in Thesauro I. E. tom VI, p. 173 sq.; *Sovienteck*, in Arch. f. k. K. t. 50, p. 291 sq.; *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 180.

[7] Fructus illi medii temporis ex antiqua ecclesiae disciplina manserunt in dominio Ecclesiae (can. 25, conc. Chalced. (a. 451) = c. 2, D. 75, iunct. Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 16), *aut* successori fuerunt servandi (c. 35, Conc. Biterric. a. 1246) iunct. Conc. Trid. l. c. et cap. 9. de offic. Ordin. in Sext.). Cum custodia beneficiorum vacantium Episcopis aliisque Praelatis esset commissa, ipsi tempore vacationis etiam ius in eorum reditus sibi perperam vindicarunt (can. 9, de offic. Ord. in Sext.), atque non raro id vi indultorum Pontificiorum obtinuerunt (cap. 10 de rescr. I, 3, in Sext.; cap. 18, 32, X. de V. S. V, 40). Cum vero advocati ipsique reges iam passim sibi usurpassent ius spolii in bona a clericis relicta, ita simili ratione ius quoddam *deportus* vel *regaliae* in re-

IX. *Media annata. Annatae* erant taxae, obtento beneficio, de fructibus primi anni Rom. Pontifici pendendae. Annatae vero sic dictae Bonifacianae erant dimidia pars fructuum primi anni omnium beneficiorum, quae a R. Pontifice *extra* Consistorium conferuntur; a quibus solvendis post varias vicissitudines immunes fuerunt beneficiarii in beneficiis, quorum reditus 24 florenos non superarent; inde autem factum est ut extra Italiam in praxi non exigerentur [8].

Codex can. 1482 iubet retineri, ubi viget, et servari in ipsis solvendis peculiaria statuta et laudabiles consuetudines in unaquaque regione existentes. (Cfr. Pontificias Constitutiones et causas in nota ad hunc canonem adiectas).

X. *Episcopi relate ad suum beneficium.* Episcopo incumbit bona mensae episcopalis diligenter administrare; quae administratio ex natura rei secum fert onus domum episcopalem sartam tectam conservandi, quoties huiusmodi onus ex peculiari titulo ad alium non pertineat. Curare quoque debet Episcopus ut, accurato inventario confecto, utensilia omnia vel bona mobilia domui episcopali forte addicta atque in mensae episcopalis dominio constituta, ad successorem ex toto secureque transmittantur (can. 1483).

ditus beneficiorum vacantium sibi competere praetendebant (*Hefele*, t. VI, p. 60, 321; cap. 40, de elect. I, 6, in Sext.; cap. 3, de off. Ord. I, 16, in Sext.; cap. 7, de elect. I, 3, in Clem. Cfr. *Schenkl*, Ius eccl. I, § 150). Cui iuri regaliae iam saec. XIII in Germania reges renuntiarunt. In Gallia reges praeter ius in reditus sibi etiam vindicarunt facultatem *conferendi* praebendas vacantes tempore sedis Episcopalis vacantis, et tandem sub Ludovico XIV celeberrima controversia de iure regaliae cum nonnullis Episcopis et Sede Apostolica orta est.

Romani Pontifices, cum inde ab ineunte saec. XIV difficultatibus pecuniariis premerentur, fructus medii temporis sibi pro iure reservare coeperunt (Cfr. libr. III, tit. 3, de spoliis cleric. in Libr. Sept.). Quibus fructibus Martinus V, in Conc. Constant. sess. 43, (20 Mart. 1418), renuntiavit. (*Hefele*, tom. VII, p. 352). Nihilominus illa praxis exigendi fructus medii temporis per collectores Camerae Apostolicae non ubique cessavit (cfr. *Nussi* p. 218); sed tandem per concordata et consuetudinem una cum iure spolii Camerae Apostolicae magis magisque restricta fuit (cfr. *Nussi*, p. 220 sq. 233), et de illis fructibus fere erat disponendum ea ratione, quam praescribit Codex, cum magna tamen varietate propter particularia iura et particulares consuetudines. (Cfr. Collect. Lacens. tom. 6, col. 704, 706, 729).

[8] Cfr. De Annatis, *Thomassin.*, P. III, lib. I, cap. 58; *Schenkl*, Ius eccl. I, § 150; *Duerr*, De annis carentiae § 7, apud *Schmidt*, Thes. iur. eccl. tom. VI, p. 223 sq. Pro Italia cfr. Const. Benedicti XIII *Pius et misericors* 28 April. 1725, iunct. decis. S. C. C. in causa *Fossanen.* et in causa *Fanen.* in A. A. S., VII, p. 67. sq., 209 sq.

DE AMISSIONE OFFICIORUM ET BENEFICIORUM ECCLESIASTICORUM

(can. 183-195; can. 1484-1488)

Praenotiones

322. Universa fere disputatio de officiis ecclesiasticis est absoluta, postquam illorum *statum* sive *constitutionem, provisionem, iura* et *obligationes* beneficiariorum examinavimus. Unica restat quaestio de *amissione* sive *vacatione* officiorum, quae cum provisione canonica maxime connectitur. *Vacatione* enim *plena* id amittitur, quod *provisione perfecta* fuit obtentum, i. e. *titulus proprietatis* et *possessionis* in officium atque iura et officia inde quaesita. *Constitutio* autem officii in perpetuum erecti mutatione beneficiarii intitulati in se non mutatur, nisi agatur de ecclesiis non numeratis, in quibus praebendae non manent et *vacant*, sed potius cum defuncto praebendario esse *desinunt;* numerus enim praebendarum non est determinatus.

Inde iam facile patet quid sit *amissio* officiorum ecclesiasticorum; est enim cessatio iuris proprietatis et possessionis, quod beneficiarius habet in aliquod officium ecclesiasticum. Quae amissio, si comprehendat cessationem *tituli et possessionis* in beneficiario, est amissio *plena;* si solummodo titulus *aut* possessio cesset, in priore casu habetur amissio officii *de iure,* in altero casu, in quo titulus a beneficiario non aufertur, tantum *de facto* existit amissio officii ecclesiastici. Manifestum autem est hoc loco potissimum de amissione *tituli* offici esse disserendum.

Quae amissio tituli officii, attento can. 183, fit [9]:

[9] *Garcia*, l. c. P. XI; *Leuren.*, l. c. P. III, q. q. 1 sq.; *Devoti*, Instit. canonic. l. I, tit. 7, quibus modis potestas iurisdictionis et ecclesiastica officia amittantur; *Sanguineti*, Inst. iur. eccl. n. 321.

I. Per *mortem naturalem* [10].

II. Per *liberam cessionem beneficiarii*, quae tum in renuntiatione [11] tum in permutatione [12] tum in translatione [13] locum habere potest.

III. Per *coactam* sive *necessariam* [14] vacationem *a*) ex *sola legis* dispositione, etiam *invito* vel saltem non consentiente beneficiario, statutam, aut propter *factum non criminosum absque* ulla sanctione *poenali*, aut propter factum criminosum beneficiarii in *poenam* vindicativam *ipso facto* incurrendam;

b) ex *mandato particulari* competentis Superioris ecclesiastici, *aut* per sententiam *condemnatoriam* ob grave *delictum* a beneficiario patratum, cui *lex ecclesiastica* expresse poenam privationis beneficii ministerio *iudicis infligendam* constituit, *aut* per remotionem canonicam ex causa iusta etiam *sine ulla culpa* beneficiarii peractam.

IV. *Lapsu temporis* praefiniti, si agatur de officio ad tempus concesso, quod in beneficiis non verificatur [15].

[10] S. C. C. in caus. Favent. 28 Aug. 1841, in ed. *Richt.* Conc. Trid. p. 39 n. 21, ubi S. C. C. concessit novam provisionem beneficii ad instar vacationis per obitum, cum beneficiarius per 24 annos a loco residentiae abfuisset nec undique quaesitus potuisset reperiri; *Leuren.*, l. c. P. III, q. 3 sq., 26 sq., 34, 35; *Schmalzgr.*, l. III, t. 8, n. 3, 4. Quae de morte *naturali* valent, nequaquam arbitrarie ad casus *analogos* mortis *civilis*, v. g. ad captivitatem Episcopi vel beneficiarii, deportationem, damnationem ad carcerem vel triremes sunt extendenda, quasi *ipso iure* in his casibus beneficia vacent.

[11] Decretales, lib. I. t. 9, de renunt.; *Leuren.*, l. c. q. 234 sq.

[12] Ibid. Lib. III, t. 19, de permut. rer.; *Leuren.*, l. c. q. 815 sq.

[13] Ibid. lib. I, t. 7, de transl. Episc.; *Leuren.*, l. c. q. 149 sq.; *Hinschius*, l. c. t. III, p. 264.

[14] Cfr. *Leuren.*, P. III, q. 26 sq., 161 sq.

[15] Duratio temporanea officii verificatur in examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus (can. 387), in consultoribus dioecesanis (can. 426) et in Superioribus religiosis localibus ac frequenter etiam in aliis Superioribus religiosis maioribus.

CAPUT XIII

De renuntiatione seu dimissione officiorum et beneficiorum

323. **Fontes:** Decret. Grat. C. VII, q. 1, 2, C. XVII, q. 1, C. XXI, q. 2. — Cpl. I, II, IV, l. I, t. 5, de ren.; cpl. III, V, eod. l. t. 7, resp. 8. — Decretal. Greg. IX, l. I, tit. 9, de ren.; Decretal. Bonif. VIII, l. I, t. 7, de ren. Const. Clem. V, l. I, t. 4, de ren.; Lib. Sept. l. I, t. 14, de resignationibus et permutationibus; Pii V Const. *Quanta Ecclesiae* 1 Apr. 1568, Const. *Cogit nos* 13 Mart. 1569; Greg. XIII Const. *Humanum genus* 5 Ian. 1584; Benedict. XIV Const. *Ecclesiastica* 25 Iun. 1746. — Act. S. Sed., I, p. 234, 568, IV, p. 601, XI, p. 443, 446, XIII, p. 501 sq.; Reg. Canc. Apost. 19, 45.

Scriptores: Comment. iur. Decretal. h. t. — *S. Raymund.*, Summa lib. III, t. 27 § 4; *Devoti,* Instit. can. l. I, tit. 7, sect. 1, de renunt.; *Ioan. Andreae,* De renuntiat. benef.; *Parisius,* De resignat. benef.; *Garcia,* De benef. eccles. P. XI, cap. 3; *Leuren.*, l. c. P. III, q. 234 sq.; *D'Avezan,* De renunt.; *Riganti,* l. c. Reg. 19, 45, Canc. Apost.; Analect. iur. pontif., Traité des résignations (a. 1857) p. 1486 sq.; *Gillmann,* Die Resignation der Benefizien in Arch. f. k. K. t. 80, p. 50 sq. — *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 2, cap. 50 sq.; *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. XIII, cap. 16, n. 1 sq.; *Phillips,* l. c. t. VII, § 436; *Blat,* Comm. Cod., II, nn. 128 et sqs.; *Chelodi,* De personis, nn. 146 et sqs.; *De Meester,* Compendium i. c., I, nn. 423 et sqs.; *Maroto,* Institutiones i. c., I, nn. 678 et sq.; *Matth. C. a Coronata,* Institutiones i. c., I, nn. 255 et sqs.; *Ojetti,* Comm. in Cod. i. c., IV; *Vermeersch-Creusen,* Epit. i. c., I, nn. 301 sq.

Praenotiones

324. I. **Definitio.** *Renuntiatio* est libera dimissio proprii officii seu beneficii ecclesiastici ex iusta causa et cum acceptatione competentis Superioris ecclesiastici legitime facta [1].

II. **Divisio.** Renuntiatio officii ecclesiastici dividitur in *expressam* et *tacitam* et *praesumptam*.

[1] *Riganti,* l. c. Reg. 45 Canc. Apost. n. 1, 21, 39, ubi notat quod non raro renuntiatio et resignatio promiscue adhibentur; at v. g. in Dataria Apostolica renuntiatio potius designat cessionem *puram* et *simplicem*, resignatio vero dimissionem beneficii in *alterius favorem;* immo etiam subtilius ibidem distinguitur: *Dimissio,* qua quis suum beneficium simpliciter deserit eique nuntium mittit; *renuntiatio* strictiore sensu, qua quis beneficio obtento cedit post expeditas Bullas Apostolicas, sed *ante* captam possessionem; *cessio iuris,* qua fit renuntiatio, v. g. coadiutoriae collatae cum iure successionis vel beneficii nondum possessi. Cfr. quoque *Gillmann,* l. c. in font. p. 50 sq.

a) *Expressa* dicitur illa, qua *voluntas* officium ecclesiastici cum dimittendi disertis *verbis* vel *scripto, personaliter* vel per *procuratorem* cum mandato *speciali* iuxta formam a iure praescriptam legitime declaratur [2].

b) *Tacita* vero vel *praesumpta* est *factum* liberum et concludens, quod aut *natura sua aut* saltem ex interpretatione et *statuto iuris* dimissionem vel privationem officii ecclesiastici habet adnexam.

c) Renuntiatio *expressa* denuo subdividitur in *conditionalem* et in *absolutam,* sive puram vel simplicem. *Illa* fit cum conditione vel cum modo vel pacto atque quadruplici ratione exercetur, sc. in favorem *tertiae* personae, *aut* cum reservatione *pensionis* constitutae in beneficio resignato vel persona, cui fit resignatio, *aut* reservato regressu, ingressu vel accessu, *aut* ex causa permutationis [3]. *Altera* fit sine conditione vel modo vel pacto, ita ut beneficium resignatum tanquam *vacans cuilibet* legitime concedi possit.

III. **Notae historicae.** Cum renuntiatio officii ecclesiastici sit modus quidam extraordinarius amittendi iurisdictionem ecclesiasticam [4], primis saeculis pauca reperiuntur renuntiationis exempla [5]. Quemadmodum enim potestas *iurisdictionis* uno eodemque tempore cum potestate *ordinis* fuit collata, ita *officium* ecclesiasticum cum ordinatione susceptum non facile per renuntiationem ab *ordine* fuit separatum.

Nihilominus antiquissimae non desunt renuntiationes etiam Episcoporum. V. g. Gregorius Nazianzenus, dimissa dioecesi hucusque retenta, ad sedem Constantinopolitanam translatus est, quam postea, per renuntiationem a Synodo Constantinopolitana I, a. 381 acceptatam, dimisit [6]. In Concilio Ephesino (a. 431) re-

[2] *Schmalzgr.*, l. c. n. 2, 3; *Pirhing,* l. c. n. 2 sq.; *Leuren,* l. c. q. 235; *Gillmann,* l. c. p. 53 sq.

[3] *Schmalzgr,* l. I, tit. 9, n. 3.

[4] A libera dimissione officii ecclesiastici iam primis saeculis probe fuit distinctus *arbitrarius discessus* a statu clericali et reditus ad vitam laicalem. Cfr. c. 7, Conc. Chalced. (a. 451) iunct. *Hefele,* l. c. t. II. p. 511 sq.; c. 7. Conc. Andegav. (a. 453); c. 5, Conc. Turon. I, (a. 461); c. 6, Conc. Tolet. (a. 638); c. 24, Conc. Francofort. (a. 794); c. 8, Conc. Rem. (a. 1049); cap. 1, 3. X. de apost. V, 9.

[5] Cfr. c. 6, Conc. Caesaraug. (a. 380).

[6] *Hefele,* l. c. t. II, p. 8; *Gillmann,* l. c. p. 66 sq.

signatio Eustathii, Episcopi Attaliensis in Pamphilia, commemoratur. Quam renuntiationem ipsa quoque Synodus Ephesina ratam habuit, cum Eustathio petenti speciales honores et praerogativas permitteret nonnullis limitationibus adiectis [7].

In Ecclesia quoque latina S. Augustinus renuntiationem ob iustas causas omnino licitam habuit. In eadem opinione fuit S. Greg. M., quod Episcopus ob impotentiam physicam resignare possit [8].

Romanus Pontifex ut primis saeculis immediate Episcopos non promovit, ita etiam sibi non reservaverat acceptationem resignationis Episcoporum. Quare *Episcopi* provinciae ecclesiasticae, qui cum Metropolita novos Episcopos elegerunt et consecrarunt, resignationem quoque factam tacite ratam habuerunt. Etenim nova provisio canonica non fuit permissa, nisi sedes episcopalis vacaret [9]. Praeterea iam ex ipsa natura rei resignationes magistratuum ecclesiasticorum privato arbitrio non potuerunt relinqui.

Postquam autem iam Rusticus Narbonensis suam intentionem resignandi cum S. Leone M. a. 458 communicavit, *saeculo nono prima vice* expressis verbis a Ioanne VIII, ad resignationem Episcoporum faciendam, expetitur *licentia Sedis Apostolicae.* Quibus exemplis postea [10] alia accesserunt, ut patet ex Gratiano eiusque doctrina saeculo duodecimo tradita. Cfr. C. VII, q. 1 [11].

Denique Alexander III et Innoçentius III praxim iam receptam approbarunt. Quorum Decretales cum aliis decisionibus Rom. Pontificum in compilationes authenticas translatae constituebant fundamentum iuris communis de renuntiatione officiorum ecclesiasticorum, quod cit. Reg. Canc. Apost. [12], cit. Const. Pii V, Gregor. XIII, Benedict. XIV contra abusus defensum at-

[7] *Hefele,* l. c. p. 211 sq.

[8] Cfr. c. 13, 14, C. VII, q. 1; *Thomassin.,* l. c.; *Gillmann,* l. c. p. 67 sq. 72 sq.

[9] *Hefele,* l. c.; *Gillmann,* l. c.

[10] *Thomassin.,* l. c. cap. 54; *Gillmann,* l. cs. p. 523 sq., 530 sq.

[11] Cfr. de origine renuntiationum in favorem tertii: *Thomassin.,* l. c. cap. 61, n. 1 sq.; *Riganti,* l. c. Reg. 45, Canc. Apost. n. 1 sq.

[12] *Riganti,* l. c. Reg. 19, Canc. Apost. n. 1 sq. de origine Regulae « *de viginti* ».

que explicatum et ampliatum est. Codex retinuit quoad substantiam ius praecedens.

Art. 1. — De subiecto renuntiationis

325. *Omnes* beneficiarii vel magistratus ecclesiastici sive in maioribus sive in minoribus officiis ecclesiasticis constituti, dummodo ius quaesitum in iisdem habeant, sunt *subiecta habilia* ad renuntiationem ex iusta causa rite faciendam [13], nisi specialiter in iure prohibeantur (can. 184).

II. *Prohibentur* a renuntiatione *valide* facienda:

a) Furiosi et *mente capti,* quia carent iudicio et libero consensu; ipsorum igitur renuntiatio est nulla et irrita, atque si ad sanitatem redierint, nisi aliud obstet, beneficium suum repetere valent.

b) Clerici in *sacris* constituti, qui non habent unde vivant, etiamsi ad beneficia illa non fuissent ordinati (can. 1484), ubi minus clare apparet nullitas renuntiationis, quam sancivit Pius V [14].

c) Criminosi, qui aut ipso iure aut per sententiam condemnatoriam iudicis ecclesiastici suis officiis privati fuerunt [15]; item *intrusi* et omnes illi, qui nullum iam ius sive *titulum* in beneficio habent.

d) Novitii, qui religionem sunt ingressi, durante novitiatu suis beneficiis nequeunt valide renuntiare (can. 568) [16].

e) Clerici minores, cum ex can. 89 in exercitio suorum iurium potestati parentum vel tutorum obnoxii maneant, nec in hac materia exceptio a iure facta sit, non possunt suis beneficiis renuntiare nisi cum illa dependentia [17].

[13] Cap. 1, h. t. I, 7, in Sext.; *Schmalzgr.,* l. c. n. 12 sq.; *Leuren.,* l. c. q. 310 sq.; *Pirhing,* l. c. n. 18 sq.; *Gillmann,* l. c. p. 346 sq.

[14] Pii V Const. *Quanta Ecclesiae* 1 Apr. 1568.

[15] S. C. C. 24 Apr. 1880, in Act. S. Sed., XIII, p. 501 sq.

[16] Inde non leviter immutata disciplina praecedens. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 16, de reg. iunct. Pii IX decret. 1 Aug. 1862, (*Sentis,* Decretal. Clem. P. VIII, p. 89), et Act. S. Sed., XI, p. 438 sq., XII, p. 519 sq., 577 sq.; *Fagnan.,* in cap. 23, l. III, t. 31, de regular. n. 19; *Biederlack,* in Act. theol. Oenip. t. VI, p. 440; *Schmalzgr.,* l. c. n. 15.

[17] Iure praecedenti non poterant *impuberes*: sed *minores puberes* poterant; at graviter laesi habebant beneficium restitutionis in integrum.

Art. 2. — De obiecto renuntiationis

326. *Obiectum* renuntiationis *possunt esse omnia officia* sive beneficia ecclesiastica cuiuscumque generis et qualitatis, nisi renuntiatio illorum speciali iure sit prohibita. Quare benefica curata et simplicia, maiora et minora, *collativa, electiva, patronata,* etiam exempta vel Romano Pontifici *reservata* renuntiari possunt, dummodo iura quaesita non laedantur [18].

II. *Prohibetur* autem valida resignatio:

a) Beneficii litigiosi, de quo lis iam mota est, lite pendente, in favorem *tertii,* propter generale principium *ut lite pendente nihil innovetur;* sed non prohibetur si fiat in favorem partis collitigantis (can. 1486) [19].

b) Beneficii illius, ad cuius *titulum* clericus resignans fuerat promotus ad ordines; quae omnino irrita est, nisi verificentur duae conditiones, ut fiat expressa mentio quod resignans illius titulo promotus fuit, et de consensu Ordinarii alius legitimus titulus substituatur (can. 1485).

c) Beneficii, quo quis ob crimen vel aliam causam *ipso iure privatus* est, neque ulla ratione huiusmodi renuntiatio dicenda est valida, si fiat *ante* sententiam *declaratoriam* privationis ipso iure statutae; nam talis beneficiarius *titulum* sive *proprietatem* beneficii iam amisit; renuntiatio autem solummodo fieri potest de *proprio* beneficio. Quodsi quis suo beneficio non est privatus ipso iure, sed per *sententiam condemnatoriam* est privandus, certe *ante* litem motam valide renuntiare potest; etenim quamdiu sententia condemnatoria lata non est, beneficium vere ipsi *proprium* est [20].

Cfr. cap. 2, X. de aet. et qualit. I, 14; cap. 3, de iud. II, 1, in Sext.; *Leuren.* l. c. P. III, q. 324; *Schmalzgr.,* l. c. n. 14.

[18] *Schmalzgr.,* l. c. n. 6 sq.; *Leuren.,* l. c. q. 279 sq.; *Pirhing,* l. c. n. 12 sq.; *Parisius,* l. c l. II, q. 2, n. 1 sq.; *Gillmann,* l. c. p. 55 sq.; Hinschius, l. c. p. 269 sq.

[19] Cfr. cap. 2, ut lite pend. II, 8, in Sext.; *Leuren.,* l. c. q. 308.

[20] Cfr. *Schmalzgr.,* l. c. n. 9, 19; *Leuren.,* l. c. q. 310 sq.; *Garcia,* l. c. P. II, cap. 3, n. 124; *Gillmann,* l. c. p. 78 sq.; Act. S. Sed., XIII, p. 501 sq.

Art. 3. — De causis renuntiationis

327. I. Generatim absque *legitima causa* renuntiatio cuiuscumque officii ecclesiastici fieri non potest (can. 184, 189, § 1). Nam arbitraria libertas resignandi cederet in maximum detrimentum Ecclesiae et animarum atque summam induceret perturbationem. Porro si nemo invitus sine causa legitima suo beneficio, ipsi in perpetuum concesso, est *privandus*, etiam libera *dimissio* illius beneficii sine iusta causa fieri non debet.

Praeterea eo *gravior* requiritur causa ad renuntiationem, quo *altius* et *gravius* est *officium* ecclesiasticum, et quo *firmius* intercedit *vinculum* inter officium et beneficiarium [21].

II. Speciatim in iure Decretalium sex enumerabantur causae tanquam *exempla*, non *exclusis aliis causis* ex necessitate vel utilitate Ecclesiae petitis, propter quas Episcopus, saltem confirmatus, a Romano Pontifice licentiam dimittendi officium episcopale petere valebat vel etiam debebat, sc. *conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiae, malitia plebis, grave scandalum populi, irregularitas* [22].

III. Causae, quae sufficiunt ad resignationem dignitatis episcopalis, a fortiori in resignandis inferioribus dignitatibus vel officiis ecclesiasticis sunt legitimae; nam vinculum spirituale inter illos inferiores beneficiarios et officia ecclesiastica ab ipsis obtenta minus est arctum quam in Episcopis. Quare erant complures aliae causae etiam leviores, ob quas resignationes inferiorum beneficiariorum in Curia Romana pro perfectiore potestate Romani Pontificis admittebantur. Episcopi vero aliique Praelati ecclesiastici, qui facultate acceptandi renuntiationes pollent, easdem nonnisi propter causas in Pii V Const. *Quanta Ecclesiae*, 1° Apr. 1568, recensitas admittere potuerunt, nisi specialibus privilegiis vel legitima consuetudine fuisset emollitus ille rigor [23]. Quod ius praecedens potest tutam normam praebere;

[21] *Schmalzgr.*, l. c. n. 28 sq.; *Pirhing*, l. c. n. 39 sq.; *Leuren.*, l. c. 399 sq.

[22] Cap. 10, X. h. t. 9; cap. 18, X. de regular. III, 31; *Pirhing*, h. t. n. 39 sq., 50 sq.

[23] *Pirhing*, l. c. n. 54 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 271 sq.

sed causae renuntiationis iure Codicis non determinantur in particulari [24].

Art. 4 — De forma renuntiationis

328. Renuntiatio, ut sit legitima, debet esse:

I. *Libera*, non *vi metuve* gravi et iniusto vel *dolo* extorta, vel ex errore substantiali facta; secus est ipso iure irrita (can. 185). Si vero dolus induxerit errorem *accidentalem* de circumstantia, renuntiatio ipso iure irrita non est. Multo minus metus *iuste* incussus renuntiationem efficit irritam vel rescindibilem. Cfr. S. C. C. 24 Apr. 1880, in causa resignationis factae ex metu ad vitandas iustas poenas canonicas proprii delicti: Act. S. Sed., XIII, p. 501 sq.

II. *Pura*, i. e. absque *simonia;* secus renuntiatio ipso iure nulla est, etiamsi iuramento fuisset confirmata (can. 185). Ad vitandum vero illud *periculum* simoniae et ad tollendas pactiones simoniacas, Romani Pontifices praxim resignationum *conditionatarum* in favorem tertiae personae approbarunt et non obstantibus exceptionibus retinuerunt; efficacius vero Codex providit per hoc quod a solo R. Pontifice possit resignatio conditionata approbari. Salva manet illa renuntiatio conditionata parochi, de qua cavet can. 2150, § 3; quae tamen non est conditionata cum conditione suspensiva, ut apparet ex can. 2155.

III. Ut valida sit, debet fieri aut scripto aut coram duobus testibus expressis verbis significata. Et scripta renuntiatio aut authenticum instrumentum de renuntiatione coram testibus facta in Curia est deponendum (can. 186). Quod cum iure praecedenti non esset praescriptum, iam tamen servabatur ex stylo in Curia Romana et in Curiis episcopalibus iamdiu introducto.

IV. Data *personaliter* aut per *procuratorem* speciali mandato munitum nec tempore legitimo revocatum (can. 186).

329. Renuntiatio tacita. Praeter renuntiationem expressam ex libera voluntate beneficiarii factam, ius in certis factis agnoscit contineri *tacitam* renuntiationem, quam ipsum ius admittit

[24] Ex natura rei, quo altius et magis necessarium est officium potioresque qualitates requirit in persona, quae ipso fungi debet, eo graviores causae sunt requirendae.

et sancit tanquam sequelam iuridicam illius facti, quin opus sit ulla declaratione.

Facta illa enumerantur can. 188 sequentia:

1°) Si clericus professionem religiosam emiserit, vacant ipso facto per tacitam renuntiationem *officia* ab ipso possessa; *beneficia* vero, si sint paroecialia, vacant post annum ab emissa qualibet professione religiosa sollemni vel simplici, perpetua aut temporanea, cetera post triennium (can. 584).

2°) Si provisus de beneficio seu officio illud adire neglexerit intra tempus utile iure statutum vel, deficiente iure, ab Ordinario determinatum.

3°) Si aliud officium seu beneficium ecclesiasticum cum priore incompatibile acceptaverit et eiusdem pacificam possessionem obtinuerit.

4°) Si a fide catholica publice defecerit.

5°) Si matrimonium, etiam civile tantum, ut aiunt, contraxerit.

6°) Si contra praescriptum can. 141, § 1, militiae saeculari nomen sponte dederit.

7°) Si clericus habitum ecclesiasticum propria auctoritate sine iusta causa deposuerit, nec illum, ab Ordinario monitus, intra mensem a monitione recepta resumpserit.

8°) Si residentiam, qua tenetur, illegitime deseruerit et receptae Ordinarii monitioni, legitimo impedimento non detentus, intra congruum tempus ab Ordinario praefinitum, nec paruerit nec responderit.

330. Scholion. De obligatione publicandi renuntiationem beneficii imposita per Const. Gregorii XIII, *Humano vix iudicio* 5 ian. 1584, et Const. Benedicti XIV, *Ecclesiastica* 15 iun. 1746, Codex penitus silet ideoque illa obligatio censenda est abrogata. Cfr. *Leuren*, l. c. q. 758 sq.; *Pirhing*, l. c. n. 103 sq.

Art. 5. — De admissione renuntiationis

331. I. Vera renuntiatio officii ecclesiastici, ut licite et valide fiat, generatim a competente Superiore ecclesiastico est *acceptanda*, nisi aut ex natura officii aut iure speciali acceptatione non egeat (Cfr. can. 187, § 1). Nam sine auctoritate Superioris

nemo ad officium in Ecclesia *assumi* potest; ergo eadem auctoritas interveniat necesse est in dimissione officii ecclesiastici. Immo renuntiatio officiorum ecclesiasticorum, propria auctoritate et sine licentia competentis Superioris facta, tanquam corruptela habenda est ideoque etiam per *consuetudinem* huiusmodi perversa praxis introduci non potest. Quare nulla et irrita est resignatio facta ex privato arbitrio vel in manus alicuius laici, etiamsi iste forte patronus sit vel regia dignitate praefulgeat, et qui in manus laici resignationem facere praesumpserit ipso facto est suspensus a divinis (can. 2400). Quin immo, ad valorem *absolutae* renuntiationis non requiritur consensus *patroni* [25]. Generatim vero is Superior ecclesiasticus est competens ad renuntiationem admittendam, a quo clericus beneficium accepit aut qui eiusdem locum tenet. Quare si officium per confirmationem, admissionem, vel institutionem collatum fuerit, renuntiatio fieri debet Superiori, ad quem de iure ordinario confirmatio vel institutio spectat (can. 187).

II. In specie admissio renuntiationis per *Romanum Pontificem* quoad omnia beneficia ecclesiastica quocumque loco et tempore certe *sufficit;* omnino autem *requiritur* ad valorem resignationis Cardinalium, Patriarcharum, Primatum, Metropolitarum, Episcoporum etiam mere titularium, Praelatorum *nullius* omniumque beneficiariorum *exemptorum*.

Porro resignationes quorumcumque beneficiorum *conditionales* in favorem tertiae personae aut cum reservatione pensionis aut cum reservatione accessus, ingressus vel regresus, a solo Romano Pontifice admitti possunt (can. 1486).

In aliis beneficiis ecclesiasticis inferioribus renuntiationem admittere valent locorum Ordinarii vel respectivi Praelati ad normam can. 187.

III. Renuntiatio competenti Superiori praesentata, ab hoc intra mensem aut admittenda est aut reicienda (can. 189) [26*].

[25] Arch. f. k. K. t. 34, p. 367 sq., ubi falsa sententia Schulte solide refutatur, cui minime *Schmalzgr.*, l. c. n. 7, et *Pirhing*, l. c. n. 86, aliique suffragati sunt; illi enim agunt de *conditionali* renuntiatione in favorem tertii vel permutationis causa facta.

[26*] Renuntiatio *valide* acceptari potest, quamvis ea denuo iterata non fuerit, etiam post expletum mensem, modo resignatarius renuntiationem factam non revocaverit et revocationem Ordinario non significaverit. Patet istam revocationem fieri posse etiam post mensem a facta

Quae admissio aut reiectio ex natura rei est intimanda seu significanda resignatario; post significatam admissionem negotium iuridicum renuntiationis legitime perfectum est; e contra per significationem reiectionis negotium peremptum est. Consequenter renuntians in officio debet permanere donec de Superioris acceptatione certum nuntium acceperit (can. 190, § 2).

Renuntiatione acceptata et idcirco legitime perfecta, renuntianti non amplius datur poenitentiae locus, ne Superiori videatur illudere; poterit tamen renuntians officium ex alio titulo consequi (can. 191, § 1). At ante acceptationem a Superiore factam, resignans suum actum unilateralem potest revocare, cum res adhuc sit integra [27].

Art. 6. — De effectibus renuntiationis

332. I. Primus et praecipuus effectus *absolutae* renuntiationis rite admissae et renuntiatario intimatae est ut beneficium legitime resignatum *vere vacet*. Porro beneficiarius resignans *amittit omne ius* in officio et beneficio dimisso quoad titulum, possessionem, administrationem, perceptionem fructuum; insuper *absolvitur* ab omnibus *obligationibus* officio vel beneficio dimisso adnexis. Quare etiam ad dimittendam *possessionem*, quam de facto retinet, compelli potest, si a beneficio *libere* resignato recedere nolit, nec ob *notorium* defectum proprietatis in possessionem restituendus est, si illa fuerit spoliatus [28].

II. Attento iure Decretalium, Episcopi si *loco* tantum renuntient (et id est quod ordinarie accidit), usum pontificalium cum consensu Ordinarii loci retinent et rogati ab Episcopis ordines maiores et minores conferre aliosque actus ordinis episcopalis exercere, servatis servandis, non prohibentur; at si *loco et dignitati* cedunt, (quod ordinarie fieri solet, si migrant ad vitam re-

resignatione, si haec nondum acceptata fuerit. Comm. Cod. d. 14 Iul. 1922; A. A. S., XIV, 526, III.

[27] Cfr. commentatores ad cap. 12, *Quidam*, X. de renunt. I, 9.

[28] *Pirhing*, h. t. 9, n. 110 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 47; *Reiffenstuel*, h. t. 9, n. 148; *Gillmann*, l. c. q. 665 sq.; at *Barbosa*, Ius eccl. cap. 15, n. 66 sq., contra communem sententiam tenet saltem possessionem per resignationem perfectam non ipso iure penitus amitti.

ligiosam et monasteria) usum pontificalium amittunt, et ne cum consensu quidem Ordinarii loci ordines *sacros* licite conferre possunt, sed ex iure antiquo Decretalium cum approbatione Ordinarii loci a collatione primae tonsurae et ordinum minorum non fuerunt exclusi [29].

III. *Conditionalis* renuntiatio beneficii non consequitur plenum effectum neque titulum aut possessionem beneficii resignati aufert, nisi postquam conditio fuerit impleta. Etenim conditiones renuntiationi appositae solent habere vim conditionum suspensivarum.

IV. Episcopi religiosi, dimisso Cardinalatu, Episcopatu, seu quacumque alia dignitate amissa, ad quam extra claustra evecti fuerant, denuo ad religionem redire tenentur, nisi Romanus Pontifex expresse aliter disponat; Cardinalis autem vel Episcopus potest eligere quamlibet religionis domum; sed caret voce activa et passiva (can. 629) [30].

CAPUT XIV

De permutatione beneficiorum ecclesiasticorum

333. **Fontes:** Comp. I, II, III, t. 16, t. 13, t. 15, de rer. perm. — Decretal. Gregor. IX, l. III, tit. 19, de rerum permut.; Decretal. Bonif. VIII, l. III, t. 10, ead. rubr.; Const. Clem. V, lib. III, tit. 5, ead. rubr. — Reg. Canc. Apost. 40, 19, Pii V Const. *Quanta Ecclesiae* 1 Apr. 1568, § 3, Greg. XIII Const. *Humano vix iudicio* 5 Ian. 1584; Benedict. XIV Const. *Ecclesiastica* 25 Iun. 1746.

Scriptores: Commentatores iur. Decret. in h. t. — *Devoti*, l. c. sect. 3, de permut.; *Chokier*, Tract. de permut. benef.; *Leuren.*, l. c. P. III, q. 815 sq.; *Garcia*, l. c. P. IX, cap. 4; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 24; *Riganti*, l. c. Reg. 40, Canc. Apost.; *Suarez*, De virt. et stat. religion. tract. III, l. 4, de simonia cap. 31 sq.; *Matth. C. a Coronata*, Institutiones, i. c., II, nn. 1020 et sqs.; *Vermeersch-Creusen*, Epitome i. c., II, nn. 808 et sqs.

[29] Cap. 9, 11, X. h. t. 9; cap. 1, X. de ordinatis ab Episc. qui renunt. Ep. I, 13; *Pirhing*, l. c. n. 114 sq.; *Ferraris*, l. c. v. Episcopus art. 3, n. 69 sq.

[30] Cfr. Benedict. XIII Const. *Custodes* 7 Mart. 1725; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 16, n. 4.

Praenotiones

334. I. Definitio. Permutatio sive contractus permutationis universim spectatus dicitur omnis contractus bilateralis et non gratuitus, quo aliquid ultro citroque datur; quo sensu v. g. vel ipsam emptionem venditionem complectitur. At sensu stricto est contractus bilateralis [1], quo *res datur ea lege* ut vicissim *alia res* detur. Permutatio autem officiorum ecclesiasticorum, quae sensu stricto contractus permutationis non est [2], definiri potest: *Resignatio* [3] *mutua* officiorum ecclesiasticorum ex *conditionata* pactione *duorum* (can. 1487, 1488) beneficiariorum facta, ut *alter alterius* resignantis officium *consequatur* [4].

II. **Divisio.** Quare unica est species permutationis, sc. *simplex* sive bilateralis; permutatio autem *triangularis* et *quadrangularis* verae permutationes non sunt, sed potius resignationes in favorem tertii, quae sine licentia Romani Pontificis fieri non possunt [5].

III. **Notae historicae.** Permutationes officiorum ecclesiasticorum, quae a resignationibus proprie dictis distinguuntur, primis saeculis non occurrunt. Quae praxis immutata est, postquam

[1] Cfr. de iure Romano: *Schmalzgr.*, l. c. n. 2 sq.; *Arndts-Serafini*, Lehrb. d. Pandekt. § 308; *Vering*, Geschichte u. Pand. p. 390, de iure autem moderno, quo solo consensu permutatio perfici solet: Cod. civ. Ital. art. 1549 sq.; cod. civ. Gall. art. 1702 sq.; *Holtzendorff*, Rechtslex. v. Tausch.

[2] *Schmalzgr.*, h. t. 19, n. 40, iunct. n. 63, 64.

[3] *Pirhing*, h. t. 19, n. 13; *Devoti*, l. c. § 16; *Leuren.*, l. c. q. 815; quibus *Ph. Hergenroether-Hollweck*, *Gillmann* aliique consentiunt; aliter *Saegmueller*, qui negat permutationem beneficiorum esse resignationem. Cfr. Reg. Canc. Apost. 19, 40.

[4] *Riganti*, l. c. Reg. 40, Canc. Apost. n. 66; *Schmalzgr.*, l. c. n. 63, 64, 79; *Pirhing*, l. c. n. 18, 21, 22; *Suarez*, l. c. cap. 31, n. 9; *Zech*, De iure rer. eccl. sect. IV, § 311: « *Permutatio beneficiorum ecclesiasticorum non habet rationem proprie dictae permutationis, cum neuter ex beneficiariis habeat potestatem transferendi beneficium suum in alterum, sed potius personae resignantes sua beneficia transferuntur, eiusdem Episcopi auctoritate, ab uno ad alterum beneficium; non tamen potest Episcopus beneficia ex causa permutationis resignata aliis conferre quam permutare volentibus. Conventio autem beneficiariorum consistit tantum in hoc, quod velint consentire in translationem ab Episcopo faciendam.*

[5] *Schmalzgr.*, l. c. n. 72; *Leuren*, l. c. q. 815.

vera beneficia cum officiis ecclesiasticis fuerunt coniuncta. Hinc cum clerici coepissent inhiare praebendis pinguioribus et arbitrariis pactionibus et permutationibus sibi illas compararent [6], Alexander III, c. 1, Conc. Turon. (a. 1163) permutationem beneficiorum severe prohibuit. Cfr. cap. 8, X. de praeb. III, 5. Qua prohibitione solummodo comprehendebantur *arbitrariae* permutationes beneficiorum *privata* auctoritate factae, atque eodem modo cap. 5 (Urban. III, a. 1185-1187), cap. 8 (Innoc. III, a. 1198), cap. 7 (Innoc. III, a. 1203) X. de rer. perm. III, 19, sunt explicanda. Quare quamvis cit. cap. 5, 7, 8, X. h. t. 19, tractatus praevii videantur damnari, tamen iuxta cit. cap. 5, X. h. t. 19, ex causa probata per Episcopum permutatio fuit permissa. Quae permissio permutationis, rigore iuris temperato, multo magis patet ex cap. unic. h. t. 19, de rer. perm. in Sext. et praesertim in Clem. [7].

Novis abusibus novis quoque legibus et poenis fuit occurrendum. Id imprimis factum est a Paulo II, a. 1464 (cfr. cap. 2, de simon. V, 1, in Extravg. com.) etiam contra simoniacas permutationes [8]. Postea Pius V suam Const. *Quanta Ecclesiae*, 1 Apr. 1568, de resignationibus etiam ad permutationes mala fide et fraudulenter factas, non ad alias extendit [9]. Gregor. XIII, Const. *Humano vix iudicio* 5 Ian. 1584, legem de publicatione resignationis beneficii permutationi quoque beneficiorum applicandam esse decrevit. Quam Gregorii XIII ordinationem Benedictus XIV, in Const. *Ecclesiastica* 25 Ian. 1746, confirmat novisque abusibus ad eam eludendam occurrit. Multiplicatis officiis ecclesiasticis quae ad *nutum* conferri possunt, permutatio officiorum ex consensu reciproco partium nunc rarius occurrit.

Art. 1. — De subiecto permutationis

335. Uterque beneficiarius ut capax sit tanquam subiectum activum ad permutationem officii faciendam, habere debet *ius* in officio quod permutare vult. Nam si vel unus ex permutantibus beneficiariis nullum ius in suo officio habeat, etiam nullum

[6] Cfr. c. 9, Conc. Nemaus. (a. 1095).

[7] *Schmalzgr.*, l. c. n. 79.

[8] Cfr. quoque cap. 7, X. h. t. 19, iunct. *Schmalzgr.*, l. c. n. 43; *Reiffenstuel*, l. I, t. 9, n. 86; *Hinschius*, l. c. t. III, p. 285, not. 9.

[9] *Benedict. XIV*, De Syn. dioec. l. XIII, cap. 24 n. 8 sq.

ius in alterum transferre potest, atque consequenter nulla et irrita est permutatio [10]. Neque quidquam prodest, quod beneficiarius permutans *sine iure* in beneficio id faciat cum approbatione competentis Superioris ecclesiastici. Quamvis enim ille Superior in beneficiarios permutantes vere et proprie transferat titulos officiorum permutatorum, tamen id non facit *absolute* et *libere*, sed *causa permutationis;* ergo cum permutatio sit irrita, Superior non habet voluntatem transferendi *titulum* officii [11].

336. Unusquisque ex beneficiariis permutantibus etiam *capax* sit necesse est, cui tanquam subiecto passivo officium *alterius concedi possit.* Quare omnes qualitates habere debet, quae sive ex iure communi sive ex lege fundationis sive ex statutis particularibus ad novum illud officium valide et licite acquirendum sunt necessariae [12].

337. Quamvis negotium permutationis officiorum *praevio tractatu* sive pacto conditionato possit et debeat necessario praeparari [13], tamen ex *illo solo* etiam post *admissionem* per competentem Superiorem ecclesiasticum nequaquam absolvitur. Accedere enim debet *resignatio* [14] uniuscuiusque permutantis beneficiarii in manu illius *Superioris* ecclesiastici [15], qui ad *concedendum titulum* officii permutandi competens est. Nam officia ecclesiastica iuxta primam regulam R. I. in Sext. *sine institutione canonica* obtineri non possunt, eaque permutantes beneficiarii *sibi mutuo* dare nequeunt; ergo necessario requiritur interventio competentis Superioris ecclesiastici, ut institutione canonica in beneficiarios permutantes officia resignata *rite transferantur.* Praeterea beneficiarii de bonis et reditibus beneficialibus arbitrarie disponere nequeunt; sed huiusmodi arbitraria dispositio videretur esse permissa, si *meris pactionibus privatis* absque interventione auctoritatis ecclesiasticae permutationes officiorum essent admissae. Denique Ecclesia simpliciter reprobat *pactiones* [16] circa officia ecclesiastica (cfr. cap. 5, 8, X. de pactis I, 35); quodsi exclusa auctoritate ecclesiastica fit permutatio officiorum, vera habetur pactio, quae vitatur si beneficia libere *resignantur in manus competentis Superioris ecclesiastici,* adiecta conditione ut officia resignata permutantibus conferantur [17*]. Quam conditionem [18] adiectam Ecclesia non reprobat, sed Praelatis sancte servandam esse praescribit [19].

[10] Reg. Canc. Apost. 40; cap. 6, X. de except. II, 25; *Pirhing,* h. t. 19, n. 14, 22; *Schmalzgr.,* l. c. n. 39. 83 sq.; *Riganti,* l. c. Reg. 40, Canc. Apost. n. 12, 13.

[11] *Pirhing,* l. c. n. 14; *Riganti,* l. c. n. 43.

[12] *Leuren.,* l. c. q. 835 sq.

[13] *Schmalzgr.,* l. c. n. 63, 64; *Pirhing,* l. c. n. 21; *Riganti,* l. c. n. 66, 76, 77; *Zech,* l. c. h. tit. not. 10.

[14] Cap. unic. de rer. permut. III, 5, in Clem.; *Pirhing,* l. c. n. 17.

[15] *Schmalzgr.,* l. c. n. 61, 62.

[16] Cfr. cap. 8, X. de pactis I, 35, et generale principium can. 147.

[17*] Aliter concipit hoc negotium iuridicum *Sosio D'Angelo;* cfr. Eph. theol. Lov., 1926, 360. Ex novo iure in permutatione non datur, secundum eum, ulla renuntiatio; proinde nec beneficia *vere* vacabunt nec erunt necessariae *novae* collationes. Permutatio enim ex iure Codicis concipi debet velut negotium iuridicum *sui generis,* in quo praeviae pactioni conditionatae inter utrumque beneficiarium accedit consensus Ordinarii loci; ex hoc consensu oritur veluti *prorogatio prioris collationis* in diversis personis. Huic opinioni favet *Vermeersch,* o. c., II, n. 810; *Matth. C. a Coronata,* o. c., II, n. 1021, not. 7, existimat posse dici quatuor illos actus, quos requirebant antiqui auctores, implicite contineri nunc in consensu Ordinarii loci; concedit tamen duas collationes, quae nunc in permutatione occurrunt, posse considerari veluti collationes speciales, seu veluti prorogationes collationum antiquarum de persona in personam, ita ut beneficia permutata non vacent occasione permutationis, et persona novi beneficiarii succedat personae beneficiarii antiqui permutantis in omnibus iuribus, ipsa praecedentia non exclusa.

[18] Cit. cap. unic. h. t. in Clem.; *Schmalzgr.,* l. c. n. 79 sq., l. I, t. 9, n. 48; *Hinschius,* vero l. c. p. 291 sq., rem aliter explicat. Ceteroquin vel ipsi veteres auctores inter se non conveniunt; nam conditionem illam modo dicunt *suspensivam,* modo *resolutivam,* modo tantum *modum* sive onus adiectum. Cfr. v. g. *Reiffenstuel,* l. I, t. 9, n. 146, ubi cum *Schmalzgr.* l. c. n. 48, conditionem illam videtur habere suspensivam. At *Pirhing,* l. III, t. 19, n. 16, aliique, v. g. *Friedberg-Ruffini,* l. c. p. 528, defendunt conditionem in permutatione adiectam esse *resolutivam.* Denique *Schmalzgr.* h. t. n. 79 loquitur de renuntiatione *sub modo,* n. 81 de resignatione, *si* non *suspensiva,* saltem *resolutiva,* sed l. I, 9, n. 48, 50, in permutatione tantum videtur admittere conditionem *suspensivam.*

[19] Cum quaestione notae praecedentis etiam illa controversia coniuncta est utrum *admissio* mutuae resignationis sit *simul* tacita illorum beneficiorum collatio, ut putant Gonzalez, Lotter aliique, an *collatio* beneficiorum resignatorum sit actus omnino *distinctus* ab *admissione resignationis* mutuae, quemadmodum tenet *Leuren.,* l. c. q. 816, cum Garcia aliisque; nam beneficia clericis permutantibus concedi non possunt, *antequam vere vacent,* sed per solam *admissionem resignationis* utriusque partis *vacant;* ergo collatio debet esse actus distinctus, qui saltem natura est posterior admissione resignationis: porro admissio resignationis et collatio beneficiorum frequenter ipso tempore longe distant, ita ut una

338. Exinde concluditur illos tantum beneficiarios esse subiecta habilia ad permutationem, qui ad resignationem officiorum in permutationem requisitam sunt *capaces*. Etenim si quis ad resignationem illam plene *inhabilis* est, nequit inire tractatum illum praevium, quo sese obligat ad dimittendum officium, permutationis causa, in manus competentis Superioris ecclesiastici.

339. Imprimis autem subiectis *activis* in permutatione adnumerandi sunt *omnes* illi *Superiores* ecclesiastici, qui tractatum praevium beneficiariorum permutantium *ratum* habent, reciprocam *resignationem acceptant* et tandem *titulum* officii, permutatione quaesiti, unicuique actu *concedunt*.

Qua in re competens est:

a) *Romanus Pontifex* in officiis maioribus et exemptis, aut ipsius collationi reservatis; in aliis autem officiis cum inferioribus Praelatis habet concurrentem iurisdictionem.

b) *Ordinarius loci,* in quo unumquodque beneficium situm est, excluso Vicario Capitulari et Vicario Generali, nisi hic sit munitus peculiari mandato (can. 1487, § 1). Quare, si beneficia pertinent ad diversas dioeceses, duplicis Ordinarii consensus requiritur.

Art. 2. — De obiecto permutationis

340. *Obiectum* permutationis officiorum possunt esse ordinarie *omnia et sola* beneficia ecclesiastica [20] vera, non ficta, in quibus [21] beneficiarii permutantes habent certum ius quaesitum, sive possessio iam sit capta vel non, sive titulata sint vel mere manualia vel commendata [22]. Iura enim permutationem officiorum sine distinctione *permittunt;* ergo neque nos debemus distinguere, neque ullum excludendum est officium, nisi speciali prohibitione reperiatur exceptum [23].

Quare etiam unum officium ecclesiasticum cum pluribus vel plura cum uno permutari possunt, dummodo plura illa officia sint compatibilia; secus id fieri non posset, nisi obtineretur dispensatio pontificia [24]. Nulla quoque existit prohibitio quominus officia, quae tum quoad obligationes spirituales tum quoad reditus sunt inaequalia, permutentur. Nunquam autem inaequalitas *spiritualis* per reditus *temporales* in permutatione compensari potest [25]. Immo vel compensatio quoad *temporalia,* quamvis per se simonia careat, tamen ab inferioribus Praelatis admitti nequit et ab ipso Romano Pontifice ordinarie permitti non solet, sive compensatio fiat reservatione fructuum sive praestatione pecuniae seu cuiusvis rei pretio aestimabilis (can. 1488, § 1). Neque a permutatione cum tertia persona excluditur officium, in quod gratia exspectativae data est, dummodo fraus in permutatione absit [26].

Art. 3. — De conditionibus permutationis

341. Permutatio officiorum ecclesiasticorum, ut legitime fiat, imprimis requirit iustam *causam* necessitatis vel utilitatis, quae saltem indirecte in *Ecclesiam* redundat neque ad solum commodum privatum beneficiariorum permutantium limitatur (can. 1487) [27]. Qua iusta causa non interveniente *nulla* et *irrita* est permutatio. Porro causa iusta non solum debet obiective *existere*, sed etiam a beneficiariis permutantibus est *alleganda* et a competente Superiore ecclesiastico *examinanda* et *approbanda,* ut authentice de ipsius sufficientia et iustitia constet [28].

habeatur, sed nondum altera, v. g. si Papa Romae resignationem admittit et uni clerico permutanti et praesenti statim beneficium confert, absenti vero concedit mandatum de providendo.

[20] Quare cum iure decimandi vel similibus iuribus ecclesiasticis nequit commutari beneficium. Cfr. *Leuren.*, l. c. q. 821; *Pirhing*, cit. tit. Decret. n. 29, 30; *Reiffenstuel*, ibid. n. 100.

[21] Hinc officia in quae habetur tantum *ius ad rem*, v. g. per praesentationem, i. e. ius mere personale, quod personam non egreditur, permutari nequeunt. Cfr. *Riganti*, l. c. n. 18 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 48, 83 sq.

[22] *Pirhing*, l. c. n. 29; *Schmalzgr.*, l. c. n. 44 sq.

[23] *Suarez*, De simon. l. IV, cap. 34; *Pirhing*, l. c. n. 28.

[24] *Schmalzgr.*, l. c. n. 54. Si in can. 1487, § 1 est sermo de *duorum* beneficiorum permutatione, attento can. sequenti, § 2, significatur permutatio inter *duos* beneficiarios.

[25] *Schmalzgr.*, l. c. n. 55, 56.

[26] Cap. unic. h. t. in Sext.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 73 sq.

[27] Cfr. Pii V Const. *Quanta Ecclesiae* § 3; Conc. prov. Neogranat. (a. 1868), in Collect. Lac. t. VI, col 487, ubi exigitur *iuramentum* quod simonia non intercesserit; *Schmalzgr.*, l. c. n. 76, 77.

[28] Pii V cit. Const. *Quanta Ecclesiae; Schmalzgr.*, l. c. n. 78.

Unusquisque ex beneficiariis permutantibus, postquam tractatu praevio, absque simonia, dolo vel vi inito, sese valide obligavit, suum officium *resignare* debet in manus illius Ordinarii, cui ipsum officium est subiectum, sive unus idemque sit Ordinarius utriusque permutantis clerici sive diversus [29]. Quae resignatio, cum fiat sub expressa declaratione clericorum resignantium se id facere *permutationis causa, vere est conditionata* ideoque effectum non consequitur, si altera pars aut non possit aut nolit officium resignare. Quare conditione *non verificata*, pars diligentior absque *ulla* nova et *formali* collatione officium suum, nunquam absolute dimissum neque *simpliciter* vacans, denuo recuperare potest [30].

342. In permutatione facienda competens Superior ecclesiasticus et omnino debet intervenire et imprimis tractatum praevium permutantium, *conditionate* initum, post causae cognitionem *approbare* [31].

Quodsi beneficiarii permutantes sola privata auctoritate negotium transigerent, nulla et irrita esset permutatio, et attento canone 727, § 2, committeretur simonia iuris ecclesiastici, non divini [32]. Sed vix in praxi est hodie possibilis illa permutatio, privata dumtaxat pactione facta.

Porro auctoritas Superioris ecclesiastici requiritur in *acceptanda* renuntiatione a permutantibus beneficiariis facta et in nova *collatione* officiorum resignatorum, quae solis permutantibus beneficiariis, non *aliis* clericis, *valide* fieri potest. Quae nova collatio, cum examen causae et personarum iam praecesserit,

[29] Cap. unic. h. t. in Sext.; *Riganti*, l. c. n. 5 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 844 sq.

[30] *Schmalzgr.*, h. t. 19, n. 80 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 881; *Riganti*, l. c. n. 40 sq. aliique, v. g. Wiestner, quibus Pirhing, l. c. n. 16 sq. aliique contradicunt, eo quod beneficium non possit conferri, nisi sit *vacans*, et vacatio sive iuris dimissio inducatur per *acceptatam resignationem* et vacatione sive iuris dimissione secuta, requiratur nova tituli collatio. Quae ratio unica adversariorum non concludit. Nam resignatio in casu *permutationis* essentialiter est *conditionata* et *mutua* ideoque *non* inducit vacationem sive iuris dimissionem, nisi *post* verificatam *utrinque conditionem*, i. e. resignationem alterius *pariter acceptatam* a competente Superiore. Cfr. supra h. tit. not. 18.

[31] *Schmalzgr.*, l. c. n. 63, 64.

[32] *Schmalzgr.*, l. c. n. 41, 42, 43; *Reiffenstuel*, l. I, t. 9, n. 86. Cfr. quoque *D'Annibale*, in Const. *Apost. Sed.* comment. n. 130.

quamprimum fieri debet, neque ordinaria iuris tempora sunt exspectanda.

343. Scholion. Quae dicta sunt ex canonistarum doctrina de actibus sive beneficiariorum permutantium sive Superioris admittentis seu approbantis permutationem, mirifice serviunt ad explicandam indolem negotii iuridici permutationis. Tamen, attento canone 1487, illi diversi actus videntur implicite contineri in simplici actu, quo beneficiarii, qui praevio tractatu convenerunt de permutatione, petitionem permutationis praesentant Superiori, et in actu quo Superior permutationem admittens illi dat suum consensum. Quem consensum ex § 2 cit. canonis debet Ordinarius intra mensem aut praestare aut denegare. Nam explicatio iuridica negotii permutationis non videtur confundenda cum actibus realibus quibus ipsa perficitur: porro citatus canon alios actus non memorat nisi petitionem consensus eiusque praestationem.

344. Praeter interventionem competentis Superioris ecclesiastici omnino requiritur *consensus* illorum, qui forte ius quoddam eligendi vel praesentandi vel conferendi in officiis permutandis habent, ne ipsis praeiudicium quoddam generetur; secus universum permutationis negotium esset invalidum (can. 1487). 1487).

Art. 4. — De effectibus permutationis

345. Complexum negotium permutationis officiorum ecclesiasticorum, quod auspicatur a pactione conditionata partium, primo loco in utroque paciscente illam producit conditionatam obligationem, vi cuius unusquisque *exspectare* tenetur admissionem vel reiectionem pactionis initae per competentem Superiorem ecclesiasticum factam. Etenim pactio illa *absolute* non fit, sed refertur in futurum consensum Superioris; ergo quamvis ante ratihabitionem auctoritatis ecclesiasticae vim *absolutam* non habeat, tamen ne sit plane illusoria, saltem arbitrariam revocationem, invita altera parte, excludere debet [33].

346. Postquam permutatio partium est admissa, negotium conditionatum iam in *absolutum* [34] est transformatum, atque in-

[33] *Schmalzgr.*, l. c. n. 63, 64; *Suarez*, l. c. l. IV, de simon. cap. 32, n. 5, 6, 7, 8; *Zech*, l. c. h. tit. not. 10.

[34] *Suarez*, l. c. n. 7; *Riganti*, l. c. n. 66.

de oritur in unoquoque permutante beneficium *obligatio* omnes illos actus ponendi, quibus scopus permutationis initae, i. e. permutatio *actualis* officiorum utriusque partis contrahentis obtinetur. Quare cum medium huiusmodi non sit reciproca rerum permutandarum *traditio* per permutantes facta, uti accidit in ordinariis contractibus permutationis, stricta exurgit obligatio in unoquoque contrahente ad *resignationem* sui officii in manus competentis Superioris ecclesiastici faciendam [35]. Quae resignatio, cum tantum fiat permutationis causa, *non est absoluta*, sed tantum in ordine ad effectum permutationis [36]; immo per resignationem *absolutam* periclitaretur scopus principalis permutationis, i. e. actualis translationis officii in alteram partem contrahentem. Nam officium absolute resignatum, in rigore iuris, a Superiore ecclesiastico etiam tertiae personae concedi posset, *nisi* saltem *nunc* obstaret expressa *iuris* prohibitio.

347. Resignatione utriusque partis permutantis v. g. ab Episcopo acceptata, nequaquam ipso facto acceptationis iam producitur tacita et reciproca officiorum *collatio* [37], sed nova et distincta requiritur collatio utriusque officii per Superiorem ecclesiasticum alias ad collationem competentem, ut officia resignata actu obtineantur [38]. *Postquam* illa collatio rite facta est, profecto uterque titulum officii a se resignati absolute amisit [39].

Confer tamen quae in praecedenti Scholio n. 343 dicta sunt.

[35] *Schmalzgr.*, l. c. n. 79, 80.

[36] *Schmalzgr.*, l. c. n. 81, 82, et l. I, t. 9, n. 47 sq. de effectibus renuntiationis.

[37] *Reiffenstuel*, l. c. n. 97.

[38] Gregor. XIII, Const. *Humano vix iudicio* § 7; *Riganti*, l. c. n. 66, 72 sq.; *Suarez*, l. c. n. 7.

[39] *Schmalzgr.*, h. t. 19, n. 82.

CAPUT XV

De translatione magistratuum ecclesiasticorum

348. **Fontes:** Decret. Grat. C. VII, q. 1; C. XXI, q. 2. — Compl. III, l. I, t. 5, de transl. Episc. et elect. — Decretal. Greg. IX, l. I, tit. 7, de transl. — Leon. X Const. *Supernae dispositionis* publ. in Sess. IX, 5 Maii 1514, Conc. Later. V; S. C. Ep. et Reg. 14 Dec. 1624, approb. ab Urban. VIII. 20 Mart. 1625; Benedict. XIV Const. *Ad Apostolicae servitutis* 17 Oct. 1740.

Scriptores: Comment. iur. Decret. in h. t. — *Devoti*, Inst. can. l. I, t. 8, sect. 2, de translat.; *Phillips*, l. c. t. V, §§ 225 sq., *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 16, n. 5 sq.; *Garcia*, De benef. P. XI, cap. 5, 6, 7; *Leuren.*, l. c. P. III, q. 149 sq., 416, 736; *Riganti*, l. c. Reg. Canc. Apost. 2, § 3, n. 14 sq., 27 sq.; *Bouix*, De Episcop. t. I, p. 360 sq.; *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 2, cap. 60 sq.; *Bianchi*, Della potestà e della polizia della Chiesa, t. V, P. I, p. 387 sq.

Praenotiones

349. Translatio cum in genere denotet *revocationem* ab uno officio ecclesiastico et *promotionem* ad aliud, ratione termini *ad quem* est *provisio canonica*, ratione termini *a quo amissioni* officii ecclesiastici est adnumeranda. Maxime vero *translatio Episcopi* nisi fiat ad Sedem Romanam, incipit ab *amissione* prioris ecclesiae, ne Episcopus translatus *simul duas ecclesias* teneat. Nam Romanus Pontifex his fere verbis translationem perficit: *A vinculo, quo tenetur..., absolvimus... et ad eccles... transferimus et ei licentiam tribuimus transeundi*. Quare translatio recte adnumeratur inter modos amissionis officiorum ecclesiasticorum.

I. **Definitio.** *Translatio* est magistratus sive beneficiarii ecclesiastici de *uno* officio in *aliud* ex competentis Superioris ecclesiastici auctoritate ob causam iustam necessitatis vel utilitatis Ecclesiae canonice facta mutatio. Quae mutatio implicite continet *revocationem* ab uno officio et *promotionem* ad aliud. Rubrica h. t. in Decretalibus insinuabat in nigro potissimum agi de translatione *Episcoporum*. Immo *verbum translationis* simpliciter et sensu restricto adhibitum in iure Decretalium denotabat assumptionem *Episcopi* ab una ecclesia cathedrali ad aliam; at

profecto etiam admittebatur quod *alii* magistratus ecclesiastici per translationem ab uno officio ad aliud assumerentur [1].

II. **Divisio.** Translatio dividitur:

a) in *liberam*, quae sponte acceptatur a translato, et in *coactam*, quae invito imponitur sive ob *legitimam* causam et *absque* ulla culpa sive in poenam propter culpam.

b) in *honorificam*, si fiat ab officio minore ad maius propter praeclara merita et utilitatem vel necessitatem Ecclesiae, et in *poenalem*, si fiat in poenam delicti ab officio maiore ad minus, v. g. ad vitandam privationem beneficii hucusque retenti.

Art. 1. — Principia fundamentalia de translatione

350. Episcopi translatio in aliam ecclesiam cathedralem, propter *ambitum* et *avaritiam* facta, iam ex perversis illis *motivis* et funestis sequelis evidenter *iure divino* est prohibita. Quare quamvis huiusmodi translatio *valida* sit, tamen ne annuente quidem Romano Pontifice licita esse potest. Quod principium manifeste etiam translationibus aliorum magistratuum ecclesiasticorum est applicandum [2].

Iuri quoque *divino* repugnat translatio, si *propria* auctoritate perficiatur, sive spectetur ut *transitus* ad novam ecclesiam, sive ut *discessio* ab ecclesia ante obtenta, salvo iure Romani Pontificis libere acceptandi electionem de se factam vel resignandi dignitatem pontificiam [3]. Etenim *nominatio* Episcoporum *privato* arbitrio non fit iureque communi Romano Pontifici est reservata, ut omnis arbitraria et haereditaria successio sit exclusa. *Concessio* vero *iurisdictionis* episcopalis aliter haberi non potest, nisi per missionem canonicam Romani Pontificis. Quae missio canonica restricta fuit ad priorem dioecesim neque ad

[1] Cfr. *Schmalzgr.*, h. t. 7, n. 1; *Pirhing*, h. t. 7, prooem. n. 1; *Garcia* l. c. cap. 5; *Hinschius*, t. III, p. 313.

[2] Conc. Sardic. a. 343, c. 1: « *Unde apparet avaritiae ardore eos inflammari et ambitioni servire* ». Conc. Nemaus. a. 1096, c. 9: « *Quodsi* (sacerdotes) *ambitionis vel cupiditatis causa ad aliam ditiorem migraverint ecclesiam utramque amittant* ». Cfr. quoque. c. 13, Conc. Claromont. a. 1095; *Bouix*, l. c. p. 374 sq.

[3] Cfr. cap. 1, de renunt. I, 7, in Sext.; *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. VII, l. 1, cap. 16, n. 10.

novam arbitrarie potest extendi, ubi optimo iure ilico servatur principium: *Extra territorium ius dicenti non paretur impune.* Praeterea *arbitraria discessio Episcopi* est violatio gravissimi *mandati* Romani Pontificis, quod ex lege divina, quamdiu a Romano Pontifice non fuerit revocatum, religiose servandum est. Nam unicuique Episcopo non tantum per concessionem, sed per verum *praeceptum*: *Pasce oves tibi commissas*, iurisdictio iniungitur.

Porro Episcopi spontanea *acceptatione* suae dignitatis *ex quasi contractu* obligati sunt ad curam pastoralem in suis dioecesibus gerendam et ad principalia officia etiam sollemni *promissione* et *iuramento* sese obstringunt. Qui quasi contractus non immerito *matrimonium* quoddam *spirituale* nuncupatur. At certe pastor spiritualis deest officio suo ex iure divino constituto, si temere gregem deserat, curam abiciat, pactum atque iuramentum violet.

Denique illa discessio est species quaedam *resignationis;* at resignatio Episcopi ex natura rei requirit *acceptationem* competentis Superioris ecclesiastici.

Memoratae rationes solum cum debita proportione valent pro aliis magistratibus.

351. Quamvis transitus Episcopi, *proprio arbitratu* factus, in thesi recte dicatur *iure divino* vel a Christo prohibitus, tamen talis prohibitio *non existit* in *hypothesi* necessitatis vel utilitatis Ecclesiae et *licentiae* datae a Romano Pontifice, ad quem iudicium spectat de causis.

Quare vinculum vel matrimonium illud spirituale inter Episcopum et suam ecclesiam atque comparatio cum matrimonio carnali non nimis sunt urgenda [4], ne quis ad plane falsas deducatur conclusiones propter comparationem natura sua in non paucis claudicantem.

Profecto matrimonium illud spirituale *aliqua* ratione potest dici *fortius* carnali, quia est *dignius*, utpote *natura* sua spirituale,

[4] *Santi*, h. t. n. 3 sq. aliique auctores huic quaestioni nimium videntur tribuere momentum. Cfr. *Suarez*, De virtute et statu relig. tract. VII, l. 1, cap. 16, ubi solide probat vinculum, quo Episcopus suae ecclesiae alligatur, non esse iure *divino indissolubile*. Quare *S. Alphons*. Theologia mor. l. IV, n. 104 sq. nimis rigidam nec satis probatam tenet sententiam.

non tantum *per elevationem*, ut factum est in matrimonio carnali; porro *efficacius*, quatenus consummatur consecratione, quae imprimit *characterem* indelebilem, qui in matrimonio carnali omnino deest; denique *secundum quid minus solubile*, cum ad solvendum matrimonium spirituale semper requiratur *licentia* competentis *Superioris* ecclesiastici, matrimonium vero carnale *mutuo consensu* coniugum quoad *thorum* et *cohabitationem* separari possit.

At matrimonium carnale consummatum est iure divino adeo firmum, ut *absolute*, non tantum conditionate, ratione *vinculi* a nulla auctoritate humana etiam pontificia valide solvi possit. Item matrimonium *ratum* christianorum a Romano Pontifice absque *iusta et proportionata* causa ne *valide* quidem solvi potest.

Unio autem inter Episcopum et suam ecclesiam *non* nititur *iure divino*, sed ultimatim *mandato* Romano Pontificis, i. e. *iure humano*. Quod mandatum Romanus Pontifex pro plenitudine suae potestatis divinitus acceptae etiam sine causa *valide* revocare potest; unde consequenter vinculum iure humano constitutum dissolvitur. Quare partes historicae et dispositivae cap. 1, 2, 4, X. h. t. 7, aptam recipiunt explicationem [5].

352. Vinculum, quo *inferiores* beneficiarii cum suis beneficiis uniuntur, ex natura rei est minus perfectum et solo iure ecclesiastico constitutum. Quare generatim propter necessitatem vel utilitatem Ecclesiae beneficiarii, etiam *inviti*, ad officium maius vel saltem *aequale* a competente Superiore ecclesiastico transferri possunt. In iustam quoque *poenam delicti* translatio ad officium *minus*, pariter invito beneficiario, servata forma canonica imponi non prohibetur. Quae principia maxime in translatione parochorum sunt practici momenti.

Art. 2. — *Notae historicae de translatione* [6].

353. Ex sententia Innocentii III, (cfr. cap. 4, X. h. t. 7) foedus coniugii spiritualis, quod est inter Episcopum et suam ecclesiam intelligitur in electione initiatum, in confirmatione ratum, in con-

[5] *Suarez*, l. c.; *Schmalzgr.*, h. t. 7, n. 2; *Pirhing*, h. t. n. 7; *Bouix*, l. c. p. 360 sq.

[6] *Thomassin.*, l. c.; *Bianchi*, l. c.; *Bouix*, l. c. p. 374 sq.; *Phillips*, l. c.

secratione consummatum. Hinc translationes aut potius transmigrationes Episcoporum de una ecclesia in aliam semper visae sunt SS. Patribus atque Rom. Pontificibus habere speciem quandam adulterii spiritualis [7].

Falso igitur *Berardi* tribuit Pseudo-Isidoro introductionem huius terminologiae de matrimonio spirituali inter Episcopum et ecclesiam et inepte in Decretalibus Innocentii III eiusdem vocis usum derivat ex scholastico scribendi modo secretarii illius Romani Pontificis. Hinc mirum non est quod illae transmigrationes Episcoporum, quae iam in antiqua Ecclesia haud raro occurrunt, de se fuerint *vetitae* [8], etiamsi nequaquam fierent ex mero privato arbitrio, sed per *electionem* cleri et postulationem populi [9]. Cuius prohibitionis praecipua causa fuit fundata suspicio *ambitionis* et *avaritiae*.

At postquam, saltem in Ecclesia orientali, mitior quaedam praxis iam inde ex saeculo quarto introduci coepta est [10], Ecclesia non amplius eo processit, ut translationes Episcoporum absolute et semper prohiberet. Illae enim permissae fuerunt, quoties necessitas vel utilitas Ecclesiae id postularet [11]. Qua de re in antiqua Ecclesia iudicium fuit penes Concilium provinciale [12].

Et profecto primis iam saeculis translationes Episcoporum referuntur, e quibus certe non omnes arbitrariis transmigrationibus adnumerari possunt, v. g. translatio S. Gregorii Nazianzeni [13].

Quae disciplina, quod ex proportionata causa cum *appro-*

[7] Innoc. I, (a. 402), in Conc. Roman. c. 13; *Hefele*, l. c. t. I, p. 87.

[8] Cfr. c. 14 Apost.; c. 15, Conc. Nicaen (a. 325 = c. 19, C. VII, q. 1; *Hefele*, l. c. t. I, p. 419 sq.; c. 1, 2, Conc. Sardic. (a. 343) = cap. 1, X. de cleric. non resid. III, 4, et cap. 2, X. de elect. I, 6; *Hefele*, l. c. p. 558 sq.; c. 21, Conc. Antioch. (a. 341); c. 30 sq. C. VII, q. 1; *Socrates*, Histor. eccles. l. VII, cap. 36; *Theodoret.*, Histor. eccl. l. I, cap. 19.

[9] Cfr. v. g. cit. c. 15, Conc. Nicaen. et c. 21, Conc. Antioch.

[10] *Hefele*, l. c. p. 419.

[11] Cfr. c. 14 Apost. et *Hefele*, l. c. p. 804, not. 1; *Hinschius*, l. c. p. 305 sq.

[12] Cfr. c. 18 Conc. Antioch.; c. 27, stat. Eccles. antiq. = c. 37, C. VIII, q. 1.

[13] *Hefele*, l. c. p. 419; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II, col. 307 sq.; c. 44, C. VII, q. 1, (S. Greg. M. a. 592).

batione Concilii provincialis[14] fierent translationes Episcoporum, saltem ex saeculo nono immutari coepta est, atque ius transferendi Episcopos magis expresse et generaliter Sedi Apostolicae fuit reservatum[15]. Quae praxis iam saeculo undecimo et multo magis saeculo duodecimo fuit adeo recepta, ut Innocentius III suis Decretalibus illam potius sollemniter confirmaret quam denuo introduceret[16]. Quare hoc ius illuc rediit unde dimanaverat, atque ex ipso iure Decretalium ipsius exercitium tanto rigore Sedi Apostolicae fuit reservatum, ut ne Legato quidem a latere concederetur[17].

Ius Decretalium de translatione Episcoporum saeculis subsequentibus vix iam fuit mutatum. Nam quae pseudopapa Alexander in Concilio Pisano (a. 1409) promisit, sc. se non facturum esse translationes de *invitis*, nisi parte vocata et audita et *de consensu maioris partis* Cardinalium et ex iustis et rationabilibus causis, ea vim legis nec habuerunt nec praerogativas Sedis Apostolicae limitare potuerunt[18]. Neque *decreto Conc. Constantiensis* (Sess. XXXIX, cap. 4) 9 Oct. 1417, ex sese maior auctoritas est tribuenda. At Leo X in Conc. Later. V, l. c. simile quoddam statutum publicavit cum innovatione cit. decreti Constantiensis[19], postea in praxi ecclesiastica cum pleno rigore non recepti. *Concilium Tridentinum* nihil novi iuris de translatione Episcoporum constituit. Quare unice curandum fuit ut praxis sacris canonibus esset conformis. S. R. Bellarminus, ut hic scopus efficacius obtineretur, singularem conscripsit tractatum de officio primario Romani Pontificis et Clem. VIII exhibuit. Cfr. *Benedict. XIV*, de

[14] Cfr. c. 12 Conc. Tolet. XVI, a. 693; c. 37, C. VII, q. 1; *Zech*, Hierarchia eccl. § 241; *Hinschius*, l. c. p. 305 sq.

[15] *Pseudo-Isidorus* sine dubio tradit translationes absque licentia Rom. Pontificis fieri non posse; *Hinschius* autem, tom. III, p. 307, *Pseudo-Isidori* auctoritatem in nova illa disciplina formanda saltem exaggerat, nec solidis argumentis probat Hadrianum II, (a. 871), et Ioannem VIII (a. 876) in admittendis translationibus Episcoporum *Pseudo-Isidori Decretalibus* fuisse adactos. Multo minus *gesta* regum, ab eodem *Hinschius* allegata, sunt *iuris* decreta, Cfr. *Hincmar. Rem.*, epist. 31, de translationib. Episcopor. cap. 6 apud *Migne*, P. L. CXXVI, 213.

[16] Cap. 1 sq., X. h. t. 7; *Hinschius*, l. c. p. 308 sq.

[17] Cap. 1, X. h. t.; cap. 3, X. de offic. legat. I, 30.

[18] *Hefele*, l. c. t. VI, p. 1034 sq.

[19] *Hefele*, l. c. t. VII, p. 603.

Synod. dioec. l. XIII, cap. 16, n. sq. Quod Benedictus XIV, Const. *Ad Apostolicae servitutis* 17 Oct. 1740, de particulari Congregatione ordinaverat, nostra aetate non iam est practici momenti; etenim negotia illius Congregationis denuo a Congregatione Consistoriali expediuntur.

Praesertim translationes a sedibus episcopalibus ad sedes archiepiscopales, ex praxi iamdiu observata, sunt faciles et frequentes.

354. Quae primis saeculis contra translationes *Episcoporum* sunt statuta, servata proportione etiam inferioribus magistratibus ecclesiasticis fuerunt applicanda. Nam ex iure antiquo unusquisque clericus *vi ordinationis* censebatur incardinatus suae ecclesiae, a qua in aliam non fuit transeundum[20], nisi in casibus a iure exceptis[21].

At cum suprema lex in hac re sit necessitas vel utilitas Ecclesiae, inde saltem *ex saeculo quinto* clerici ex concessione Episcoporum in aliam ecclesiam transmigrare non amplius fuerunt prohibiti[22]. Quae norma, salvis antiquis prohibitionibus contra arbitrarias transmigrationes, ambitionis vel cupiditatis causa factas[23], etiam in iure Decretalium approbata est[24].

Cum praesertim tempore magni schismatis occidentalis non raro etiam *inviti* Praelati vel beneficiarii transferrentur, graves querelae contra istas translationes coactas motae sunt. Quibus querelis Concilium Constantiense Sess. XXXIX (9 Oct. 1417) cap. 4, medelam afferre studuit, cuius decretum postea Concilium Lateranense V, l. c. denuo inculcavit.

Quae coactae translationes invitorum beneficiariorum si factae sunt ad officia *minora* et tenuiora, tanquam mitior quaedam forma *poenae* privationis sive remotionis praesertim parochorum in recentiore praxi admissae erant[25].

Immo nostro tempore, cum in Gallia ineunte ultimo saeculo propter iniustas leges civiles introducti essent parochi ad

[20] Cfr. c. 13, 15, Apost.; c. 2, 21, Conc. Arelat. (a. 314); *Hefele*, l. c. t. I, p. 205 sq.; cit. c. 15, Conc. Nicaen. (a. 325).

[21] Cfr. c. 5, 20, Conc. Chalced. (a. 451); *Hefele*, l. c. t. II, p. 510, 523.

[22] Cfr. c. 27, stat. Eccles. antiq.; c. 5, Conc. Epaon. (a. 517).

[23] Cfr. c. 20, Conc. Remen. (a. 813); c. 9, Conc. Nemaus. (a. 1096).

[24] Cap. 5, i. f. X. de rer. permut. III, 19; *Hinschius*, l. c. p. 312 sq.

[25] Caus. select. S. C. C. ed. *Lingen et Reuss*, n. 488 sq.; *Aichner*, Compend. iur. eccl. §§ 96, 220; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 581, 638.

nutum Episcoporum amovibiles, translationes invitorum parochorum ob *causas necessitatis* vel *utilitatis* Ecclesiae, etiam nullo interveniente delicto, in forma prudenti et paterna ad aequale vel maius officium Episcopis fuerunt permissae [26].

Art. 3. — Disciplina vigens de translatione

§ 1. De potestate transferendi Episcopos aliosque magistratus ecclesiasticos

355. I. Translatio *Episcopi* cuiuscumque etiam titularis [27] atque saltem confirmati, etsi nondum consecrati, de una ecclesia cathedrali in aliam ex iure communi nunc vigenti, cum sit causa maior, sola auctoritate Romani Pontificis fieri potest (can. 193, 329, 332) neque ulla ratione Patriarchis vel Primatibus vel Metropolitis [28], immo neque ipsis Legatis a latere competit.

Romano Pontifici etiam reservata est translatio aliorum Praelatorum, qui Sedi Apostolicae *immediate* sunt subiecti et omnium beneficiorum consistorialium.

II. Reliquorum beneficiariorum sive magistratuum ecclesiasticorum translatio facienda est per auctoritatem illius Superioris, qui ius habet tum acceptandi renuntiationem, tum removendi a primo officio et promovendi ad alterum, cui proinde tum beneficium derelinquendum tum translatione acquirendum proxime est subiectum. Quare si beneficia illa in diversis dioecesibus sita sint, consensus utriusque Ordinarii requiritur. Nam nemo, inconsulto suo Ordinario, beneficium derelinquere atque in aliena dioecesi absque provisione canonica Ordinarii loci beneficium acquirere valet (can. 193, § 1). Quare quicumque clericum pro suo iure elegerunt, postulaverunt ad beneficium ab ipso possessum, non inde acquirunt ullam potestatem eum ad aliud officium transferendi (can. 195). Quae potestas Episcoporum

[26] *Duballet*, Traité des paroisses I, p. 256 sq.

[27] Act. S. Sed., II, p. 598; *Reiffenstuel*, l. c. l. I, t. 5, n. 40 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. 7, n. 2, 3. Cfr. de singulari privilegio Archiepiscopo Salisburgensi concesso: *Zech*, Hierarch. eccles. § 241, iunct. *Ginzel*, Kirchenr. t. II, p. 218.

[28] Synod. Mont. Libani l. c.; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 212 sq. n. 12.

transferendi cum sit ordinaria, etiam in Vicarium capitularem transit, salvis limitationibus, quae ex natura provisionis faciendae oriuntur [29].

§ II. De causis et modis transferendi Episcopos aliosque magistratus ecclesiasticos

356. Translationes *Episcoporum* [30] atque etiam aliorum magistratuum ecclesiasticorum *licite* fieri non possunt, nisi ex iusta et proportionata causa *necessitatis* vel *utilitatis Ecclesiae.* Quibus de causis in translatione Episcopi Romanus Pontifex fert *iudicium* authenticum, cui omnino standum est. Neque *valor* translationis a Romano Pontifice factae propter solum defectum causae impugnationi est obnoxius, quoniam Romanus Pontifex saltem scientem et volentem Episcopum etiam *sine* causa *valide* transferre potest [31].

Cum vinculum inter beneficiarios inferiores et beneficia sit minus arctum neque verum matrimonium spirituale dici possit, ratio autem boni communis exigat, ut per gradus maiora officia ecclesiastica iis concedantur, qui in inferioribus fuerunt probati, translatio inferioris beneficiarii scientis et volentis multo facilius pro prudenti iudicio Episcopi licite et valide fieri potest ex quavis iusta causa (can. 193, § 2).

357. Quodsi translatio fiat per viam *ordinariam*, observanda sunt *iura* eorum, quibus sive ex iure communi sive ex speciali privilegio potestas competit in *nominatione* clerici providendi [32], salvis tamen praerogativis Sedis Apostolicae [33].

Porro cum translatio vera sit *provisio* canonica de novo beneficio, leges ecclesiasticae de collatione libera, de electione, postulatione, praesentatione, item conditiones speciales instrumenti fundationis et iuris particularis sedulo sunt attendendae.

[29] *Schmalzgr.*, l. c. n. 5; *Pirhing*, l. c.

[30] Cap. 2, 3, 4, X. h. t. 7; *Reiffenstuel*, h. t. 7, n. 10, 11.

[31] Cfr. Benedict. XIV Const. *Ad Apostolicae* iunct. *Bangen*, D. Röm. Curie, p. 85; Act. S. Sed., IX, p. 274 sq.; *Bouix*, l. c. p. 366 sq.; *Suarez*, l. c.

[32] Convent. Gall. a. 1801, art. 5.

[33] Hinc, si Romanus Pontifex non obstante concordato pro suprema et plena *sua potestate* solus efficeret translationem, indubitanter valida esset provisio; at *de facto* extraordinaria illa via uti non *solet*.

Ordinarie translationes, praesertim Episcoporum, fiunt a *minore* ad *maiorem* ecclesiam. Quare ut Episcopus transferatur ad aliam sedem episcopalem, aut Archiepiscopus ad simplicem ecclesiam cathedralem, causae omnino speciales requiruntur [34]. Cui principio non obstat quominus Archiepiscopus, qui ob iustam causam dignitati archiepiscopali renuntiaverat, denuo provideatur de Episcopatu vacante, nisi renuntiatio facta sit in fraudem ad obtinendam *locupletiorem* ecclesiam episcopalem [35].

358. Quamvis *Romanus Pontifex* ex plenitudine suae potestatis Episcopum confirmatum aut multo magis iam consecratum, etiam *invitum*, a vinculo prioris ecclesiae cathedralis *absolvere* et in aliam sedem episcopalem *transferre* valeat [36], tamen ex ordinaria praxi recepta translationes Episcoporum sive confirmatorum sive iam consecratorum non fiunt, nisi *praevio consensu* Episcopi transferendi [37]. Cfr. quoque Conc. Trid. Sess. XXIII. cap. 2 de ref.

At *Episcopi* cum inferiores beneficiarios invitos suis beneficiis privare non possint, nisi propter *causas in iure expressas et forma canonica* servata, etiam *generatim* invitos beneficiarios in alia officia, utut aequalia vel maiora, *transferre* nequeunt, nisi adsit eadem fere causa et idem fere modus servetur ac in privatione (can. 193, § 2). Salva tamen manet Episcopis facultas ob bonum animarum transferendi parochos ab una in aliam paroeciam ad normam can. 2162 et sq.

§ III. De effectibus translationis

359. Codex quoad translationem Episcoporum ius praecedens non leviter immutavit. Certe etiam iure Codicis translatio fit per *revocationem* ideoque *amissionem* prioris ecclesiae, quam subsequitur *promotio* ad novam ecclesiam, ne Episcopus translatus simul duas ecclesias teneat, quod parum cohaeret cum comparatione matrimonii spiritualis. Cuius consequentia esset quod prior ecclesia vacet a momento decretae translationis seu eius in Consistorio publicationis et Episcopus translatus novam ecclesiam obtineat postquam eius possessionem legitime capiat. Atque hoc praecise erat ius praecedens. Codex, can. 430, § 3, admittit quod ab habita notitia translationis Episcopus translatus priorem dioecesim amittat, vult tamen ut in ea maneat cum potestate Vicarii Capitularis, cessante qualibet Vicarii Generalis potestate, donec intra quatuor menses novae dioecesis possessionem capiat, tumque dioecesis *a qua plene* vacet, ita ut procedi debeat ad normam iuris ad Vicarii Capitularis designationem.

In aliis officiis seu beneficiis inferioribus valet lex generalis iam ante Codicem vigens, videlicet in translatione prius officium vacat cum clericus alterius possessionem canonice capit, nisi aliud a iure cautum sit vel a legitimo Superiore praescriptum. Consequenter reditus prioris officii translatus percipit, donec aliud occupaverit (can. 194).

[34] Cfr. cap. 1, 4, X. h. t. 7; cap. 9, X. de renunt. I, 9.

[35] Cfr. cap. 3, X. h. t. 7; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 16, n. 5.

[36] Qua in controversia si attendantur discrimina inter *absolutionem* ab una ecclesia et *provisionem* de nova ecclesia, inter translationem *licitam* ex iusta et proportionata causa et mere *validam*, denique inter Episcopum *absolute* invitum et *antecedenter* invitum, sed ob praeceptum et metum poenarum postea vere *volentem*, facile intelligitur quid diversis opinionibus sit concedendum vel negandum. Cfr. *Schmalzgr.*, l. c. n. 6; *Reiffenstuel*, l. c. n. 19 sq.

[37] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 16, n. 13.

CAPUT XVI

De ablatione vel privatione officii seu beneficii ecclesiastici

360. Notio et divisio. Cum in renuntiatione, permutatione et translatione plerumque ex *libera* voluntate *beneficiarii* amissio officii ecclesiastici inducatur, alii adsunt casus in quibus amissio et consequens officii seu beneficii vacatio est *coacta* seu *necessaria*, quae *independenter* ab *expresso consensu* beneficiarii iuris ministerio vel speciali mandato competentis Praelati ecclesiastici efficitur.

361. Distinguitur ergo: I. Ablatio seu privatio, quae fit ipsa iuris dispositione sine iudicis seu Superioris ministerio et privatio quae fit ex facto legitimi Superioris (can. 192, § 1).

II. Privatio, quae sive a iure sive ab homine decernitur in

veram poenam ob factum criminosum, et privatio oeconomica seu administrativa, quae proprie et necessario non decernitur in poenam sed ob aliam iustam causam a iure admissam, et proprio nomine dicitur *amotio* seu *remotio*.

A) **De privatione in poenam delicti.** Ex generali principio can. 2299, § 1 privatio beneficii *inamovibilis* est poena quae decerni non potest nisi in casibus iure expressis; multo minus incurritur tanquam poena latae sententiae iuris ministerio, nisi id expresse in iure contineatur (can. 2217, § 1, n. 2). Eam autem nequit decernere Ordinarius, nisi mediante processu ad normam iuris (can. 192, § 2). Ille modus procedendi est specialis, si agatur de clerico non residente aut de concubinario vel de parocho in adimplendis paroecialibus officiis negligente (can. 2168 - 2185); in ceteris casibus norma traditur in tit. 19 l. IV de iudicio criminali (can. 1933 sq.).

Etiam beneficium amovibile potest auferri in poenam delicti, quae poena decerni potest etiam in casibus in iure non expressis, ideoque privatio quoad beneficia amovibilia est poena arbitraria, quae ab Ordinario adhiberi potest, quando delicti punitio relinquitur prudenti iudicis arbitrio determinanda. Quodsi haec poena infligatur per sententiam iudicialem, canonum praescripta circa sententiae iudicialis pronuntiationem servari debent; sin vero ad modum praecepti particularis infligatur, scripto aut coram duobus testibus oportet irrogari, indicatis poenae causis (can. 2225).

Pro privatione in poenam valet principium can. 2299, § 3 quod clericus nequit privari beneficio aut pensione cuius titulo ordinatus sit, nisi aliunde eius honestae sustentationi provideatur, excepto casu depositionis. In privatione per sententiam iudicialem decreta, est locus appellationi ad ordinaria gradus superioris tribunalia: porro sententia privationis beneficii inamovibilis reservatur tribunali collegiali trium iudicum (can. 1576, § 1, n. 1).

362. Scholion. Licet agere de delictis quae privationem beneficii inducunt pertineat ad ius poenale, brevis recensio delictorum, quae illam poenam adnexam habent, etiam hoc loco utilis est, ut simul habeantur collecti casus in plures canones sparsi.

a) Delicta quae privationem beneficii ipso facto inducunt in Codice numerantur dumtaxat tria: 1°) Clerici, qui assecutus

pacificam possessionem secundi beneficii cum priore incompatibilis praesumpserit prius quoque beneficium retinere (can. 2396). — 2°) Cardinalis, qui in recipiendo birreto rubro recusaverit praestare iuramentum, se intra annum Summum Pontificem aditurum (can. 2397). — 3°) Ad Episcopatum promotus, qui consecrationem intra sex menses non receperit (can. 2398).

Praeterea privatio cuiusvis beneficii est sequela iuridica poenae qua quis aut est declaratus *excommunicatus vitandus* aut fuit *depositus* vel *degradatus*.

b) Delicta quae adnexam habent privationem ferendae sententiae. Haec duplici modo statuitur iure Codicis: aliis delictis imponi *iubetur;* aliis vero decernitur imponi *posse* (cfr. can. 2223, §§ 2, 3).

Imponi *iubetur*: 1°) Apostatis, haereticis, schismaticis nisi moniti resipuerint (can. 2314, § 1, n. 2) — 2°) Conspirantibus contra auctoritatem R. Pontificis eiusve Legati vel proprii Ordinarii (can. 2331, § 2). — 3°) Iniuria reali afficientibus S. R. E. Cardinales vel Legatos R. Pontificis (can. 2343, § 2, n. 3). — 4°) Iis, qui in seipsos manus intulerunt, quoad officium curatum (can. 2350, § 2). — 5°) Clericis delinquentibus contra V, VI et VII decalogi praeceptum, modis can. 2354 enumeratis, itemque modis can. 2359 enumeratis ac confessariis sollicitantibus ad turpia (can. 2368, § 1). — 6°) Clericis concubinariis ad normam can. 2176 sq. ac clericis non residentibus ad normam can. 2168 et seq. — 7°) Usurpantibus vel detinentibus bona aut iura Ecclesiae Romanae aut in proprios usus convertentibus bona ecclesiastica cuiusvis generis (can. 2345, 2346). — 8°) Canonico theologo et poenitentiario in suis muneribus obeundis post monitionem negligentibus, si negligentia post annum et dimidium perduraverit (can. 2384). — 9°) Delicto admisso in custodiendis vel conscribendis libris paroecialibus (can. 2406). — 10°) Delicto patrato in exigendis modo indebito taxis, si clericus in ipso fuerit recidivus (can. 2408). — 11°) Perseverantibus contumaciter per septem menses in censura suspensionis (can. 2340, § 2).

Imponi *permittitur* tanquam poena proportionata: 1°) In falsarios litterarum Apostolicarum (can. 2360, § 2). — 2°) In subtrahentes, celantes, immutantes documenta Curiae episcopalis (can. 2405). — 3°) In iniuriam aut laesionem famae alienae pro gravitate laesionis (can. 2355). — 4°) In nomen dan-

tes sectae massonicae et similibus et in impedientes exercitium iurisdictionis ecclesiasticae per recursum ad potestatem laicalem (can. 2336, § 1). — 5°) In quaestum facientes ex eleemosynis missarum (can. 2324). — 6°) In delinquentes contra sextum, maxime in clericos curatos (can. 2359, § 3). — 7°) In propria auctoritate officium vel beneficium occupantes aut in regimen seu administrationem se intromittentes ante receptas litteras confirmationis vel institutionis (can. 2394). — 8°) In negligentes intra praefixum terminum fidei professionem, qua tenentur (can. 2403).

363. B) **De privatione seu remotione administrativa.** Haec decerni potest: 1°) in *parochos inamovibiles* ob causas et servata forma can. 2147 sq.;

2°) in habentem officium vel beneficium *amovibile* decerni potest ex qualibet iusta causa, prudenti Ordinarii arbitrio diiudicanda, etiam citra verum delictum, quin ad determinatam formam processus servandam Ordinarius adigatur, sed servata naturali aequitate (can. 192, § 3);

3°) in parochum amovibilem, sed dumtaxat servatis regulis traditis can. 2157 sq.

Ab ista remotione administrativa non datur vera et propria appellatio ad tribunal superioris gradus, sed tantum recursus *in devolutivo* ad Sedem Apostolicam (can. 192, § 3; can. 2146).

TITULUS V

De potestate ordinaria et delegata (can. 196-210)

364. Connexio materiae. Clerici iam ex sola ratione clericatus ut dictum est (can. 118), illud ius obtinent, ut ipsi soli ex iuris communis dispositione sint habiles ad ecclesiasticam iurisdictionem obtinendam, quae ipsis conceditur per missionem canonicam (can. 109) seu deputationem legitimi Superioris ecclesiastici. Illa deputatio duplici ratione fieri potest, sc. vel concessione officii ecclesiastici quod constituitur complexu iurium seu potestatum, vel per particularem concessionem seu commissionem; in primo casu datur potestas *ordinaria*, in altero *delegata*. Hinc convenienter ante disputationem de singulis officiis ecclesiasticis praemittuntur notiones de potestate ordinaria et delegata aliaeque divisiones potestatis.

CAPUT I

§ I. Iurisdictionis variae species

365. Iurisdictio fori interni et externi. Haec prima divisio iurisdictionis praeponitur illi quam enuntiat rubrica tituli; utraque enim potestas, sive ordinaria sive delegata, exerceri potest sive in externo sive in interno foro cum distinctis effectibus.

Iurisdictio *fori externi* illa est quae primario et directe refertur ad bonum publicum, sive *commune* fidelium sive Ecclesiae, ordinat relationes sociales membrorum Ecclesiae atque exercetur publice in facie Ecclesiae et cum effectibus iuridicis et socialibus. Cfr. *Benedictum XIV*, De Syn. dioec. l. XII, cap. 1, n. 7. — Iurisdictio *fori interni* (forum conscientiae), est illa quae *primario* et *directe* bonum *privatum* fidelium respicit, ordinat relationes illorum morales ad Deum (forum *poli*, cfr. c. 43, C. XVII, q. 4), non relationes sociales ad Ecclesiam ut societatem visibilem (forum *fori*) atque per se et ordinarie exercetur in occulto cum effectu coram Deo, non publice in facie Ecclesiae cum effectibus iuridicis et socialibus.

Fori interni iurisdictio subdividitur in iurisdictionem fori interni *sacramentalis*, quae in solo iudicio sacramenti poenitentiae exercetur et in iurisdictionem fori interni *extra-sacramentalis* quae extra sacramentum poenitentiae exercetur. Quae distinctio nonnunquam provenit ex iure divino, velut iurisdictio ad absolvenda peccata, quae iure divino in solo sacramento poenitentiae exerceri potest; saepe provenit ex iure ecclesiastico, v. gr. quod potestas delegata ad dispensandum vel absolvendum a poenis vel ab alio vinculo, puta voti, iuramenti, in solo actu confessionis exerceri a delegato possit; id utique pendet a voluntate Superioris, qui talem facultatem, tametsi voluerit restrictam ad solum forum internum, potuisset tamen concedere ut in foro interno extra-sacramentali exerceretur.

366. Iurisdictio ordinaria et delegata. Iurisdictio *ordinaria* ea est, quae ipso *iure adnexa est officio; delegata* vero *quae commissa est personae* (can. 197, § 1). Quae divisio ponitur ut adaequata partitio iurisdictionis in duo membra opposita, excluso quolibet membro intermedio alicuius iurisdictionis, quae non sit reducenda ad ordinariam vel delegatam. Quare antiquae disputationes de iurisdictione quadam intermedia (iurisdictio *mandata* vel *quasi-ordinaria*) manent antiquatae; multo magis reicienda est partitio quadrimembris inducta ab *Hinschius*, t. I, p. 184 sq., in *quatuor* membra *coordinata* seu quatuor species iurisdictionis (*ordinaria, quasi-ordinaria, iure delegata, specialiter ab homine delegata*), quamvis illa nomina passim a canonistis usurparentur.

Duo, ex notione data, ad iurisdictionem ordinariam requiruntur; primo loco quod habetur tanquam *adnexa officio*, ita ut in particularem personam descendat *mediante officio* quod illi personae tribuitur, ac recepto officio intelligatur recepta iurisdictio, quin alius actus Superioris concedentis requiratur, praeter illum actum quo conceditur officium. Ita iurisdictio habetur vi officii, non vi commissionis ab homine factae. Officium autem debet esse stricte tale, seu munus sacrum stabile in perpetuum erectum; nam etiam delegatus recte dici potest exercere *officium delegati* (cfr. rubricam iuris Decret. I, 29); sed hoc officium delegati non distinguitur ab ipsa commissione ab homine facta; e contra officium in perpetuum erectum non dependet quoad perseverantiam a persona, quae ipso fungitur, sed ea quavis ratione deficiente, officium ipsum vacat et alteri est concedendum. Talia sunt officia, quae in ipso Codice ordinata serie in libro II proponuntur et alia quae ad normas Codicis sint legitime erecta ac iuridica persona donata. At non requiritur necessario, ut officium in perpetuum erectum etiam titulo perpetuo sit concessum; nam etiam officium *commissum* est titulus sufficiens ad habendam iurisdictionem ordinariam, velut Officium Legati, Officium Vicarii Generalis, Administratoris dioecesis vacantis, vicarii oeconomi vacantis paroeciae: officium ipsum est commissum, potestas non est commissa, sed habetur vi officii. At potestas iure facta simplici confessario, v. gr. ad dispensandum, non est ordinaria, quia confessarius, qua talis, officium stricte dictum non habet.

Alterum quod requiritur est, ut adnexio iurisdictionis illi officio ab ipso *iure* sit facta, non per actum hominis talem potestatem concedentis, tametsi illam determinatae personae concedat, quia tale habet officium: est autem adnexa officio *a iure*, si ex dispositione iuris, *antecedenter* ad personas quibus officium conceditur, illa potestas cum officio cohaerere intelligitur modo *permanenti*: quare sicut officium stricte tale saltem perpetuitate obiectiva gaudet, ita cum tali officio illa potestas *perpetuo seu permanenter* intelligitur cohaerere, licet contraria iuris dispositione illa adnexio mutari possit. Atque inde patet ex iure Codicis non esse necessarium ad conceptum potestatis ordinariae, ut *ex ipsa natura* officii cum ipso cohaereat, nam v. gr. potestas dispensandi in lege pontificia cum nullo officio infra Rom. Pontificem cohaerere potest ex natura talis officii: sufficit quod officio adnectatur per ipsam iuris dispositionem, licet diversam ab ea, qua natura et constitutiva officii definiuntur. Quare licet canone 81 definiatur a generalibus Ecclesiae legibus non posse dispensari ab Ordinariis locorum, ideoque hanc potestatem dispensandi non pertinere ad naturam seu constitutiva officii Ordinarii, nihilominus potestas quae eodem canone ipsis tribuitur in casu urgenti est potestas ordinaria, quia eorum officio adnectitur ex antecedente iuris dispositione; atque idem dicatur de aliis facultatibus dispensandi iure Codicis certis officiis adnexis et in natura talium officiorum evidenter non comprehensis, v. gr. quoad dispensationes matrimoniales.

Quodsi a iure quidem adnexa est aliqua potestas determi-

nato officio, sed officium obtinenti iniungitur ut ea in re procedat tanquam delegatus Superioris, tunc clarum est eam potestatem, licet officio iure adnexam, delegatam, non ordinariam esse dicendam. Talis modi concedendi iurisdictionem plura exempla suppetunt in Conc. Trident. (v. gr. Sess. VI, c. 3 de ref. Sess. XXII, c. 5, 6 de ref.) nec ille modus est exclusus a futuris legibus pontificiis.

Iurisdictio *ordinaria* subdividitur in *propriam* et *vicariam*. *Propria* est quae a Superiore principaliter obtinetur et proprio nomine exercetur; *vicaria* quae exercetur quidem vi officii, sed vice et nomine alterius, cuius praeclarum exemplum habetur in officio Vicarii Generalis. (Cfr. *Verm.-Cr.* Epitome, I n. 315). Confer de hac re fuse disputantem *Maroto* Inst. can. n. 699 sq.

Nonnunquam illa distinctio inter potestatem propriam et vicariam generaliore modo applicatur universae potestati ecclesiasticae; in qua, *propria* vocatur potestas, quae *connaturaliter* sequitur existentiam Ecclesiae ut verae societatis perfectae, atque ab Ecclesia exercetur *nomine proprio* et in *foro suo*. Qua potestate utitur Ecclesia, si fideles indignos per excommunicationem a suo coetu expellit vel parochos negligentes suis officiis privat. *Vicaria* dicitur illa, quae Ecclesiae concessa est vi *specialis commissionis* atque exercetur ab illa in *foro Dei*: vi huius vicariae potestatis infallibiliter declarat verbum Dei, remittit peccata, concedit indulgentias, solvit vota, iuramenta, matrimonia rata. (*Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. VI, 1. 6, cap. 9. tract. V, 1. 2, cap. 30, 31).

367. Qui veniant nomine Ordinarii. Profecto appellatio Ordinarii venit a iurisdictione ordinaria, quo sensu omnes qui illa iurisdictione pollent essent dicendi Ordinarii; sed in iure hoc vocabulum reservatur iis, qui ordinariam habent iurisdictionem tam interni quam externi fori, quo sensu Ordinarii sunt, praeter Rom. Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius* eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus; hi qui praedictis deficientibus interim succedunt in regimine sive *ex praescripto iuris* (ut Capitulum cathedrale, abbatiale seu praelatitium, vel coetus Consultorum dioecesanorum, ubi Capitulum deficit, antequam legitime eligatur Vicarius Capitularis, et ipse Vicarius Capitularis postquam legitime electus fuerit;

itemque Provicarius et Propraefectus in Vicariatu vel Praefectura Apostolica vacante), sive ex *probatis constitutionibus*, si ab iis *determinetur* ad quem devolvatur regimen Abbatiae vel Praelaturae *nullius* vacantis. Tandem sub appellatione Ordinarii veniunt Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis (can. 198, § 1), non Superiores locales, tametsi potestate fori externi sint praediti.

Ex iis qui veniunt nomine Ordinarii, dicuntur *Ordinarii loci* vel *locorum* omnes ii, qui primario et directe habent iurisdictionem in loco seu territorio et inde in personas loci seu territorii, quales sunt omnes enumerati praeter Superiores religiosos, quorum iudisdictio directe fertur in personas, non primario in locum.

CAPUT II

De jurisdictione delegata in specie

368. I. Definitio. Sensu stricto et specifico, ut ex praemissis apparet, delegatio intelligitur *concessio iurisdictionis vi commissionis, nomine iureque alieno* exercendae. Quare delegatus (iudex delegatus) sensu stricto est, qui iurisdictionem habet non vi officii, suo nomine et iure proprio, sed *vi commissionis* sive a iure sive ab homine factae nomine alieno. Inde patet differentia delegati ab *Ordinario*, qui vi officii ex *iure proprio* suam iurisdictionem habet; a *Vicario* Generali, qui licet vices Episcopi agat, tamen ordinariam possidet iurisdictionem, utpote vi officii ex iure proprio obtentam; ab *executore*, qui merum exercet *ministerium* atque iurisdictione proprie dicta caret.

Neque confundenda est iurisdictio *derivata* cum iurisdictione *delegata*. Quamvis enim *omnis* iurisdictio *delegata* in Ecclesia sit *derivata*, tamen non omnis derivata iurisdictio ecclestica est delegata. Nam R. Pontifex, in quem immediate *a Deo derivatur* ordinaria iurisdictio primatus, certe est fons omnis iurisdictionis ecclesiasticae. *Officium* vero Episcoporum ab ipso Deo est *institutum* et nequaquam in meram delegationem pontificiam commutari potest; nihilominus iurisdictio in Episcopos immediate a R. Pontifice, *non a Deo derivatur*. Multo magis gradibus intermediis inter R. Pontificem et collegium Episco-

porum R. Pontifex partem suae supremae et plenae potestatis dare potest [1].

II. **Divisio.** Delegati dividuntur:

a) in delegatos *a iure*, qui ex ipsa *legis* ecclesiasticae dispositione *commissionem* accipiunt, velut in multis casibus Episcopi obtinebant ex decretis Tridentini [2], et in delegatos ab *homine*, qui a *magistratibus ecclesiasticis* ordinaria iurisdictione instructis commissionem obtinent, et subdividuntur in delegatos a *principe*, i. e. a R. Pontifice et in delegatos inferiorum Prelatorum, v. g. Episcopi [3];

b) in delegatos *speciales*, quibus una vel altera *causa* particularis committitur, et in delegatos *universales* sive ad universalitatem causarum, qui aut ad *omnes* species causarum in certo *genere*, v. g. in cura paroeciali vel episcopali, aut saltem ad omnes causas in certa *specie* contentas, v. g. ad causas matrimoniales, *specialiter* delegantur [4];

---

[1] *Granderath*, Const. dogm. Conc. Vatic. p. 132 sq., 194 sq., 229, not. 2, p. 222 sq.; *Scherer*, l. c. t. I, p. 415.

[2] Cfr. v. g. Sess. VI, cap. 3, de ref., Sess. XXII, cap. 5, 6, de ref., « *tanquam Sed. Apost. Delegati* » sc. in exemptos, Sess. XXII, cap. 8, 10, de ref., Sess. XXV, cap. 9, 14, de ref., « *etiam tanquam Sed. Apost. Delegati* »; cap. unic. de suppl. I, 5, in Clem.; cap. 2, de stat. monach. III, 10, in Clem.; cap. 2, de relig. dom. III, 11, in Clem. Quae verba Concilii Trident., « *etiam* tanquam Sedis Apostolicae Delegati » iam ab antiquis scriptoribus nequaquam ad solam *cumulationem* ordinariae iurisdictionis episcopalis et delegatae potestatis Sed. Apost. *in proprios subditos* fuerunt restricta, sed etiam de *delegatione* pontificia in *exemptos* recte sunt explicata. Cfr. v. g. *Fagnan*, apud *Bouix*, De parochis p. 279 sq., ubi doctrinam Fagnani communiter a doctoribus teneri docet. Utrum iure Codicis nonnullae facultates, quae conceduntur ut adnexae alicui officio et simul cum officio haberi intelliguntur, sint semper dicendae ordinariae vel nonnullae saltem possint et debeant dici delegatae a iure, inter novi iuris interpretes controvertitur. Cfr. *Fuster* in « Razón y Fe » vol. 62, p. 364 sq., vol. 64, p. 91, qui rem profunde et solide tractat. Partim potest esse quaestio de nomine; in praxi vero non est magnum discrimen, sive unum sive aliud dicatur; nec est oblivioni danda divisio potestatis *ordinariae* in *propriam* et *vicariam*.

[3] *Reiffenstuel*, l. I, t. 29, n. 47 sq., 57 sq.; *Scherer*, l. c. § 75, not. 14.

[4] *Schmalzgr.*, l. I, t. 29, n. 2, 4. Cfr. de duplici sensu delegationis *specialis*, i. e. aut ad unam vel alteram causam *specialem* aut ad *omnes* causas alicuius *speciei:* Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 7, de ref.; *Gennari*, Consultazioni, t. I, p. 186 sq.

c) in delegatos *iudices*, qui ad *solas* cognoscendas vel definiendas causas *vere iudiciales* deputantur, et in delegatos *magistratus*, quibus tota iurisdictio committitur ad certa negotia plene expedienda etiam per exercitium potestatis iudiciariae, et in delegatos *simplices* ad causas iurisdictionis *voluntariae* sive non iudicialis [5];

d) in delegatos *personales*, quorum delegatio fit *ratione personae* atque cum persona expirat, et in delegatos *reales*, quibus iurisdictio delegatur ratione *officii* sive dignitatis [6].

e) in delegatos *principales* sive immediatos et in *subdelegatos* sive mediatos; illi primi ab Ordinariis, posteriores nonnisi a delegatis principalibus [7] iurisdictionem accipiunt.

III. **Notae historicae.** Cum Superiores ecclesiastici vix unquam omnia negotia ecclesiastica per se ipsos expedire possint, atque ipsa ratio naturalis suadet illam regulam: *Potest quis per alium quod potest facere per se ipsum*, inde a primis temporibus religionis christianae vestigia delegationum reperiuntur [8].

Maxime vero *Romani Pontifices* pro sua universali iurisdictione mox sibi delegatos vel vicarios constituere coeperunt [9]. Quae delegationes multum auctae sunt inde a saec. quinto [10]. Nequaquam autem existimandum est Rom. Pontifices in illis delegationibus serviliter imitatos esse sanctiones legum Romanarum. Illud vero concedi potest, cum ex saeculo duodecimo incredibili plane numero fierent delegationes pontificiae, simulque studia legitima et canonica refloscere coepissent, leges Romanas in excolenda theoria canonica de delegationibus vim suam exercuisse [11].

Quae perfectior legislatio canonica de delegatione praesertim reperiebatur l. I de rescriptis et l. I de off. et pot. iud. deleg.

---

[5] *Reiffenstuel*, l. c. t. 30, n. 3; *Pirhing*, l. I, t. 29, prooem.; *Scherer*, l. c. p. 416.

[6] Cfr. cap. 14; X. h. t. 29; *Reiffenstuel*, l. I, t. 26, n. 29.

[7] Cfr. cap. 28, § 1, X. h. t. 29; *Reiffenstuel*, l. c. n. 62 sq.

[8] Tit. I, 5; *Devoti*, Ius eccl. univer. l. I, t. 29, §§ 4, 5, 6.

[9] Cfr. c. 5 Conc. Sardic. (a. 343), iunct. *Hefele*, l. c. t. I, p. 568 sq.; *Thomassin.*, l. c.; *Phillips*, l. c. t. VI, §§ 341 sq.

[10] S. Leo in c. 5, (a. 446?) Hormisdas in c. 6, (a. 517), C. XXV, q. 2; Gelasius in c. 10, D. 54 (a. 494-495); S. Gregor. in c. 1, D. 94, (a. 591).

[11] *Scherer*, l. c. p. 416; *Devoti*, l. c.

Unde colligitur delegationes non solum ad causas *iudiciales* [12], sed etiam ad *alias* causas ecclesiasticas fuisse concessas. Cfr. cap. 4, X. de off. vicar. I, 28. Cum paulatim multum crevisset numerus illorum, qui ab ordinaria iurisdictione Episcoporum fuerunt exempti, Episcopi in certis casibus practicis atque urgentioribus constituti sunt *Delegati* Sedis Apostolicae. Quo statuto salva mansit praerogativa R. Pontificis atque exemptio, simulque consultum fuit vigori ecclesiasticae disciplinae [13].

Qua in re Concilium Tridentinum, vestigia iuris Decretalium secutum, non leviter auxerat casus, quibus Episcopi « *tanquam Apostolicae Sedis Delegati* » [14] vel **etiam** « *tanquam Apostolicae Sedis Delegati* » [15] procedere possent. Quibus casibus postea alii accesserunt [16]. Nostra vero aetate, praesertim in terris missionum S. C. de P. F. subiectis, ubi ius commune nondum perfecte viget, neque ordinaria hierarchia ecclesiastica existit, delegationum iurisdictionis ecclesiasticae frequentissimus est usus, praesertim per concessionem amplissimarum facultatum Vicariis et Praefectis Apostolicis factam.

§ I. De potestate delegandi et subdelegandi

369. Delegare *possunt* valide omnes qui habent *ordinariam* potestatem iurisdictionis, nisi ex natura rei vel iuris communis dispositione vel speciali ordinatione R. Pontificis expresse pro-

[12] Cfr. passim. capita l. I, t. 29, de off. et p. i. d.

[13] Cfr. Lucium III, a. 1184, in cap. 9, X. de haeret. V, 7, et alios text. iur. Decret. supra h. tit. not. 2 citatos.

[14] Sess. V, cap. 1, 2, d. r., S. VI, cap. 3, d. r., S. VII, cap. 6, 8, 14, d. r., S. XIII, cp. 5, d. r., S. XIV, cp. 4, d. r., S. XXII, cp. 5, 6, d. r., XXIV, cp. 9, 11, 14, d. r., S. XXV, cp. 8, 9, d. reg., S. XXV, cp. 9, d. r.

[15] S. V, cp. 2, d. r., S. VI, cp. 2, 4, d. r., S. XXI, cp. 3, 4, 5, 6, 7, 8, d. r., S. XXII, decret. de observ., cp. 3, 8, 10, d. r., S. XXIV, cp. 10, S. XXV, cp. 9, 14, d. r., S. XXV, cp. 5, d. reg. Cfr. S. C. C. in caus. Tarrac. 1588, in caus. Zamor. 1589, in caus. Ianuen. 1597, apud. *Richt.*, ed. Conc. Trid. p. 166, n. 2.

[16] Cfr. v. g. Innoc. X. Const. *Ut in parvis* 10 Febr. 1654; decret. S. C. C. de freq. com. 12 Febr. 1679; decret. S. C. Indic. 24 Aug. 1864.

hibeantur a delegando quodam negotio, utpote solis ordinariis magistratibus reservato (can. 199, § 1) [17]. Potestas vero delegandi, cum a lege data non sit ut quis malitiose ipse sese exoneret, quoad usum, saltem licitum, ex gravi causa pro *prudenti* arbitrio ordinarii magistratus est exercenda. (Cfr. cap. 3, 28 summ. X. I, 29). At licet ordinariam habens potestatem possit eam etiam ex toto delegare (can. 199, § 1), non tamen videtur posse, inconsulto competente Superiore ecclesiastico, *totam suam iurisdictionem* alteri *delegare in perpetuum* seu in tempus indefinitum. Eo enim in casu potius renuntiaret officio suo novumque constitueret magistratum ecclesiasticum. Id vero independenter a consensu competentis Superioris ecclesiastici fieri nequit [18].

Quare, praesertim *R. Pontifex*, non potest sibi substituere *Vicarium* cum tota plenitudine potestatis pontificiae; nam quamvis suae dignitati *renuntiare* valeat, tamen nequit efficere, ut *retenta* penes se dignitate papali simul alter in Ecclesia existat Papa. Imprimis vero praerogativa *infallibilitatis* a R. Pontifice nulla ratione Vicario cuidam delegari [19] potest. Hinc Vicarius R. Pontificis nunquam habebit plenitudinem potestatis pontificiae.

Exceptio in iure fit can. 401, § 1 de canonico poenitentiario, qui potestatem suam ordinariam ad confessiones audiendas alteri delegare non potest; idemque Comm. I. C. declaravit de iurisdictione parochi, 16 Octobris 1919 (A. A. S. XI, 477).

370. *Subdelegare possunt omnes delegati Rom. Pontificis*, sive ad actum, sive etiam habitualiter ad actus occurrentes, nisi negotium *personali* industriae delegati fuerit reservatum [20], aut subdelegatio fuerit prohibita.

Industria personae censetur electa: I. Si causa adeo gravis sit, ut per subdelegatum commode terminari non possit (cfr. cap. 3 i. f. X. h. t. 29).

II. Si expressis verbis delegato iniungatur, ut ipse personaliter negotium expediat, quo in casu iure praecedenti subde-

[17] R. I, 68, in Sext. iunct. R. I, 67, 72, in Sext. et *Reiffenstuel*, in cit. R. I, 68, 67, 72; cap. 7, de off. ordinar. I, 16, in Sext.

[18] *Reiffenstuel*, l. I, t. 29, n. 55 sq., 74 seq.; *Gasparri*, De sacr. ordin. n. 949, 958.

[19] *Granderath*, l. c. p. 188 sq.

[20] Cfr. cap. 3, 28, § 1, cap. 43, pr. § 1, X. h. t. 29; cap. 62, i. f. X. de appell. II, 28; *Reiffenstuel*, l. c. n. 57 sq.

legatio non erat prohibita, si partes consentirent, praeterquam si inquisitionem fieri, vel ecclesiis de Praelatis vel aliis ministris provideri, R. Pontifex mandaret [21].

III. Si nudum *ministerium* exequendum alicui committatur [22].

371, *Delegati ab Ordinariis infra R. Pontificem subdelegare regulariter non valent* [23], nisi:

I. Delegati fuerunt ad *universalitatem* causarum; eo enim in casu ad Ordinarios proxime accedunt, ideoque ex doctrina et praxi communiter recepta, quibus accessit expressa iuris sanctio (can. 199, § 3) ad unam alteramve causam particularem etiam *definiendam* subdelegare non prohibentur [24];

II. Nisi *speciali* concessione ab illo inferiore Ordinario facta sit *potestas subdelegandi* [25]; nam in tali casu res censetur quasi ab ipso Ordinario commissa (can. 199, § 4);

III. Nisi subdelegatio restringatur ad *incidentem* quendam articulum saltem *non iurisdictionalem,* et ad causam *cognoscendam* vel *definiendam* non extendatur (can. 199, § 4)2[26].

Nulla subdelegata potestas valet iterum subdelegari, nisi expresse concessum fuerit (can. 199, § 5).

§ II. De subiecto passivo delegationis vel subdelegationis

372. Delegari vel subdelegari generatim possunt omnes, qui *habiles* sunt ad iurisdictionem ecclesiasticam accipiendam *neque* iure naturae vel lege ecclesiastica *prohibentur* [27]. Regulariter qui ab officio iudicis ordinarii prohibetur, is etiam officio iudicis delegati fungi nequit [28].

Quare delegari *non possunt surdo-muti, perpetuo amentes,*

[21] Cfr. cap. 43, § 1, X. h. t. 29, iunct. cap. 12, h. t. in Sext.

[22] Cfr. cap. 43, § 2, X. h. t. 29. Cfr. quoque cap. 12 de off. et pot. iud. del. I, 14, in Sext.; S. Poenit. 27 Apr. 1886.

[23] Cfr. cap. 62, i. f. X. de appell. II, 28. « *Cum nonnisi delegatus a principe causam alii valeat delegare* ».

[24] *Reiffenstuel,* l. c. n. 57 sq.

[25] *Reiffenstuel,* l. c.

[26] Cap. 62, X. de appellat. II, 28; cap. 27, pr. X. h. t. 29; *Reiffenstuel,* l. c. n. 64 sq.

[27] Cap. 3, X. h. t. 29; *Reiffenstuel,* l. c. n. 66 sq.

[28] *Schmalzgr.,* l. I, t. 32, n. 3 sq.

infantes et *impuberes, scientia* requisita *carentes, infames* et *excommunicati* [29], *feminae* [30], *laici* in causis ecclesiasticis maxime spiritualibus, salva tamen auctoritate Romani Pontificis. Cfr. cap. 2, X. de iud. II, 1. Iure praecedenti *minores* 18 annis, etsi iam essent puberes, non poterant delegari nisi a Romano Pontifice; maiores vero 20 annis a quocunque delegari non prohibebantur, sed maiores 18 annis tunc solum delegati esse poterant, cum *consensus* partium interveniret [31]. At iure Codicis nihil in particulari est determinatum de aetate iudicis delegati.

Subditus delegantis etiam invitus compelli potest ad acceptandam delegationem, ne potestas delegandi Ordinarii vel delegati Sedis Apostolicae sit inutilis. Qua in coactione delegans debet deferre dignitati et personae delegandae.

Non subdito Ordinarius potest delegare causam ad se spectantem, dummodo ille libere delegationem acceptet; etenim non subditus invitus ad acceptandam delegationem compelli nequit [32]. Delegatus a Romano Pontifice vel a Legato Sedis Apostolicae ex iure ante Codicem vigente debebat esse constitutus in *dignitate* ecclesiastica, vel *personatum* obtinere, vel esse *canonicus* alicuius ecclesiae *cathedralis,* vel Officialis sive Vicarius generalis vel Prior conventualis [33]. Cui iuri ordinario R. Pontifex non adstringebatur oboedire ideoque de plenitudine suae potestatis etiam alios clericos atque adeo *laicos* delegare valebat. Illud autem praecedens ius in Codice non fuit relatum.

§ III. De forma delegationis

373. Delegatio potest fieri aut *a iure,* si quis immediate ex commissione *iuris* communis iurisdictionem ecclesiasticam accipit, aut ab *homine,* si immediate ex magistratus ordinarii commissione iurisdictio ecclesiastica in aliquem derivatur.

[29] Cap. 24, X. de sent. et re II. 27; *Suarez,* De cens. disp. 14, sect. 1, disp. 16, sect. 1; *Kober,* D. Kirchenbann p. 539 sq., 415 sq.

[30] Correctores Romani ad c. 7, C. II, q. 5.

[31] Cap. 41, X. h. t. 29.

[32] Cap. 28, pr. X. h. t. 29; cap. 11, X. de off. iud. ord. I, 31.

[33] Cap. 11, de rescr. I, 3, in Sext.; cap. 2, de rescr. I, 2, in Clem.; Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 10, de ref.; Benedict. XIV, Const. *Quamvis paternae* 26 Aug. 1741, De Synod. dioec. I, IV, cap. 5; Decis. S. C. C. in ed. *Richt.,* Conc. Trid. p. 457 sq.

Qua in re ex *natura* rei [34] nihil obstat quominus iurisdictio delegata etiam cum iurisdictione ordinaria *cumuletur*, atque de facto huiusmodi cumulatio habebatur in Episcopis, si *etiam* tanquam Delegati Sedis Apostolicae, ut saepe factum est ex iure Tridentino, procedere poterant. Quae cumulatio efficiebat ut Episcopus, si derelicta potestate sua ordinaria procedebat tanquam delegatus Sedis Apostolicae, uteretur potestate magis *efficaci et independenti*, v. g. a consensu Capituli; at appellatio ab huiusmodi sententia Episcopi, licet in rigore iuris apud Sedem Apostolicam erat interponenda, tamen necessario Apostolicae Sedi praesentanda non erat, sed in secunda instantia apud *Metropolitam* interponi poterat. Cfr. decis. S. C. C. cit. not. 15 h. tit.

Plures delegati quoad *eandem* causam constitui possunt Immo antiqua fuit praxis Sedis Apostolicae ut causarum cognitiones libentius duobus quam uni, tribus quam duobus delegaret. Cfr. cap. 21 pr. X. h. t. 29.

Quodsi revera plures ad eandem causam delegantur, id fieri potest aut *collegialiter*, aut in *solidum*, aut *successive*. In prima, sive simplici delegatione, omnes deputantur ad instar *collegii*, in quo omnes et singuli *simul* procedere debent pro actorum validitate, atque per maioritatem votorum causam definiunt, nisi in mandato aliud cautum sit (can. 205, § 3). Cfr. cap. 16, 21, 22, 42, X. h. t. 29. In altero casu omnes et singuli delegati ita perfecte constituuntur, ut praeventioni sit locus, et qui praeventione negotium occupavit causam cognoscere et definire potest, penitus exclusis aliis, nisi aut posthac impediatur aut in negotio ulterius procedere nolit, quo in casu, non obstante praeventione, succedit alius ex designatis in solidum (id., § 2). Cfr. cap. 8 h. t. I, 14 in Sext. Denique in tertio casu complures quidem delegati deputantur, sed nullus per se solus procedere valet, nisi prius canonice constet de impleta conditione, quod ceteri delegati nequiverint vel noluerint interesse [35], nam ius expediendi negotium privative pertinet ad eum cuius mandatum anterius est nec posteriore rescripto expresse abrogatum fuit (can. 206).

Si pluribus pro eodem negotio delegatis, dubitetur utrum

---

[34] Pars decisa in cap. 4, X. de renunt. I, 9, « *auctoritate nostra* ». Cfr. supra h. tit. not. 2.

[35] Cap. 21, § 1, X. h. t.; cap. 13, X. de rescr. I, 3.

delegatio facta fuerit in solidum an collegialiter, praesumitur facta in solidum in re voluntaria, collegialiter in re iudiciali (can. 205, § 1).

§ IV. De exercitio iurisdictionis sive ordinariae sive delegatae

374. I. **De interpretatione iurisdictionis.** Potestas iurisdictionis *ordinaria* et ad universitatem negotiorum delegata late interpretanda est; *alia* quaelibet stricte (can. 200, § 1); qui enim habet iurisdictionem ordinariam, eam possidet vi officii, non alieno beneficio, nec proinde in eius exercitio alterius iuri derogat; iurisdictio vero ad universitatem negotiorum proxime accedit ad iurisdictionem ordinariam et eius conditionem in hac parte sequitur. At iurisdictio delegata ad causam specialem iurisdictioni ordinariae derogat, ad quam pertineret actum ponere, ideoque stricte standum est limitibus delegationis. Nihilominus, cui delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa sine quibus eadem exerceri non potest (cit. can.), modo contineantur intra limites potestatis delegantis, a quo certe concedi non possunt, quae ipse per se facere non potest. Quare qui recepit potestatem absolvendi haereticum, potest eius abiurationem recipere, tametsi haec dicatur facienda coram delegato Ordinarii (*Verm.-Cr.*, Epitome I, n. 319).

Ei, qui delegatum se asserit, incumbit onus probandae delegationis (can. 200, § 2); delegatio est res facti, facta autem regulariter non praesumuntur, sed probari debent, quae probatio, si agatur de delegato a Rom. Pontifice, ex iure praecedenti debebat fieri per exhibitionem rescripti Pontificii [36]. Generatim vero sufficit probatio legitima, salvo iure partis interesse habentis exigendi authenticum instrumentum.

375. II. **Usus iurisdictionis.** *a*) Quaevis potestas iurisdictionis, sive ordinaria sive delegata, non potest valide exerceri nisi in subditos; ordinaria in subditos proprios, delegata in subditos delegantis (can. 201, § 1); nam iurisdictio est relatio inter Superiorem et subditum, ideoque non sufficit habere iurisdictionem in causam, nisi insuper habeatur directe in personam. Quae iurisdictio in personam non est tamen necesse ut habeatur permanenti modo et veluti habitualiter, sed subiectio personae pot-

---

[36] Cap. 31, X. de offic. deleg. I, 29; *Schmalzgr.*, h. t. n. 24 sq.

est provenire ex particulari facto, v. gr. contractu, delicto (can. 1565 sq.) et esse restricta ad causam ex illo facto ortam, itemque peregrinus in nonnullis rebus subicitur iurisdictioni illius, qui praeest territorio ubi peregrinatur.

b) Iurisdictio tam ordinaria quam delegata potest esse *iudicialis* seu contentiosa et *voluntaria*. Prima illa est, quae versatur circa controversias disceptationem in stricta forma iudiciali requirentes atque etiam in invitos exercetur, praesertim in causis criminalibus. *Voluntaria* exercetur ad postulationem fidelium circa illa obiecta, de quibus Superior ecclesiasticus, pro prudenti suo arbitrio atque exclusis formis iudicialibus et appellationis remediis, disponit. Ad istam iurisdictionem voluntariam revocatur iurisdictio *gratiosa*, qua indulgentiae, privilegia aliique favores conceduntur. Immo iurisdictio voluntaria, quatenus simpliciter opponitur potestati *iudiciali*, sensu valde largo comprehendit etiam potestatem *legiferam* et *gubernativam*, qua leges conduntur, vel magistratus constituuntur, vel leges latae applicantur, ipsam quoque *punitionem* non excludit, saltem si correctionis paternae limites non excedat.

Quoad *usum* utriusque potestatis est magnum discrimen; nam potestas *iudicialis*, tam ordinaria quam delegata, nequit exerceri in proprium commodum — nemo quippe iudex in causa propria [37] — nec extra proprium territorium [38], salvis specialibus exceptionibus in iure factis: v. gr. canonicus poenitentiarius potest absolvere dioecesanos extra territorium (can. 401, § 1); qui ordinariam habet absolvendi potestatem, potest absolvere subditos ubique terrarum (can. 881, § 2); item iudex a territorio vi expulsus vel a iurisdictione ibidem exercenda impeditus, potest extra territorium iurisdictionem exercere et sententiam ferre, certiore tamen hac de re facto loci Ordinario (can. 1637). — At voluntaria potestas etiam in proprium commodum exerceri potest, nempe dispensando vel concedendo, idque sive directe sive indirecte: *indirecte*, si Episcopus in sua dioecesi dispensat ab aliquo ieiunio, ipse quoque ea dispensatione uti potest; *directe*, ut si ex iusta causa utitur sua potestate dispensandi se ipsum, v. c. a ieiunio, ab horis canonicis. Opus autem est ut non obstet

---

[37] L. 10, D. de iurisd. 2, 1.

[38] L. 20, D. iurisd. 2, 1, « Extra territorium ius dicenti impune non paretur ».

aut rei natura, v. gr. quod quis se ipsum absolvat a censuris, aut lex, v. gr. quod quis sibi ipse beneficium conferat (can. 1437). Praeterea *voluntaria* potestas exerceri valet extra territorium, aut in subditum extra territorium existentem, nisi quoad potestatem delegatam delegans limitationem apposuerit (cfr. v. g. limitationem additam in formulis S. C. de P. F.).

c) *De iurisdictione ratione fori.* Actus potestatis concessae pro *foro externo* valet etiam *pro interno*, ita ut qui in foro externo coram Ecclesia ligatus aut solutus fuit, etiam apud Deum ligatus aut solutus maneat; at non e converso, nam potest esse solutus aut ligatus apud Deum qui nondum sit talis in foro externo et sociali Ecclesiae (can. 202, § 1). Ut autem sciatur an aliqua potestas pro utroque foro sit concessa vel solum pro foro interno atque adeo pro solo foro sacramentali, valet principium eodem can. 202, §§ 2 et 3 expressum, sc. restrictio potestatis ad solum forum internum vel ad solum forum internum sacramentale debet esse expresse facta, et in defectu talis explicitae restrictionis potestas, sine expressione fori facta, intelligitur data pro utroque foro, et data pro foro interno exerceri potest etiam in foro interno extra-sacramentali, nisi aliud rei natura exigit, velut si ageretur de peccatis absolvendis (cfr. exempli causa can. 1043 sq.).

d) *Ambitus exercitii potestatis delegatae* breviter describitur can. 203, sc. qui delegationis fines excedit, nihil agit; modus autem utendi potestate delegata profecto a delegante praescribi potest, sed, si ille modus non apponatur tanquam conditio, delegatus aliter utens recepta potestate, delegationis fines non excedit et valide agit, quamvis plerumque illicite.

e) *Recursus ad Superiorem* (can. 204). Simplex recursus ad Superiorem altiorem non tollit iurisdictionem inferioris, quando agitur de exercitio iurisdictionis voluntariae; ideoque inferior valide concederet dispensationem aut gratiam, non obstante supplici libello iam ad altiorem Superiorem porrecto. Sed inferior non debet se immiscere rei iam ad Superiorem delatae, nisi adsit gravis et urgens causa et monito statim Superiore; cuius prohibitionis practica applicatio fit quoad matrimoniales dispensationes can. 1048.

376. De iurisdictionis cessatione (can. 207, 208). Iurisdictio ordinaria *cessat* cum officio cui adnectitur ad normam canonis 183, ideoque non extinguitur resoluto iure concedentis officium,

nisi ius aliter caveat, ut decernit v. gr. de Vicario Generali (can. 371), aut in concessione officii habeatur clausula *ad beneplacitum nostrum* aut alia aequipollens. Iurisdictio non cessat, sed *silet*, cum interposita fuerit appellatio, si haec effectum habeat in *suspensivo*, non in *devolutivo* tantum.

377. Iurisdictio *delegata* cessat seu extinguitur sequentibus modis:

1°) Expleto mandato seu finito negotio, ad quod delegatio facta est; v. gr. in re iudiciali prolata sententia, sive iusta sive iniusta, salvo iure quod can. 1878 fit iudici, qui sententiam tulit, corrigendi certos errores in sententia proferenda commissos.

2°) Elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa est, nisi forte relate ad tempus causa non amplius sit integra, v. gr. coepta iam est confessio, quae apud eundem confessarium omnino explenda est; atque idem valet de causa fori externi. Immo, quod iam concedi solitum erat in formulis facultatum pro foro interno, nunc vi canonis 207, § 2 factum est ius commune, ut, potestate pro foro interno concessa, validus habeatur actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto numero casuum.

3°) Cessante causa finali delegationis, cessante videlicet totaliter et, si plures fuerunt, omnes debuerunt cessare, velut si iurisdictio data est ab absolvendum Sempronium ut Caiam duceret et Caia decesserit.

4°) Revocatione delegantis delegato directe intimata. Quam revocationem Ordinarius, qui delegavit, semper fecere potest valide, etiam re non amplius integra, et si iusta causa subsit, etiam licite. At delegatus a Rom. Pontifice, qui causam sibi commissam in totum subdelegavit, commissionem a se factam revocare non poterat, si subdelegatus sua iurisdictione iam uti coeperat; nam per subdelegationem in *totum* factam prior delegatus iurisdictionem acceptam abdicavit et efficaciter transmisit in subdelegatum, cum iam hic iurisdictione coepit uti, quae efficax translatio non verificatur, causa nondum a subdelegato coepta [39].

5°) Renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata.

[39] Ita erat statutum iure Decretalium cap. 37, X. de officio deleg. I, 29, iunct. cap. 6, eod. I, 14, in 6°, iuxta quod videtur ius Codicis interpretandum. Cfr. *Wernz*, Ius Decret. II, n. 561; *Rosset*, De matrim. n. 2469.

6°) Resoluto iure delegantis, generatim potestas delegati non cessat. Cessat vero: *a*) si in rescripto delegationis id expresse aut clausulis sufficienter id declarantibus constitutum fuerit; *b*) si agatur de delegatione ad concedendam gratiam peculiaribus personis in rescripto delegationis expresis et res adhuc integra sit.

7°) Cum plures sunt collegialiter delegati, si unus deficiat, aliorum quoque delegatio expirat, nisi aliud ex tenore delegationis constet [40].

CAPUT III

De iurisdictione quae habetur supplente Ecclesia
(can. 209)

378. Unus casus delegationis *extraordinariae* et per *accidens* factae est ille, in quo dicitur actum esse validum, tametsi positum a non habente iurisdictionem, quia Ecclesia necessariam et non habitam iurisdictionem supplet. Supplet autem Ecclesia aliquando in *certo defectu* potestatis, aliquando in *dubia* iurisdictione. Illud porro notandum est, ex eo quod Ecclesia in certo casu suppleat, non ilico inferri actum *licite* poni per eum qui potestate caret, innixum in Ecclesiae suppletione, aut ab eo *licite* peti a fidelibus defectum cognoscentibus: suppletio se refert ad *valorem* actus; at non semper licitum est procedere ad ponendum actum ex eo quod per Ecclesiae suppletionem is fiat validus.

379. Notio. Si dicitur Ecclesia supplere, id intelligitur de Ecclesiae Superioribus seu potius de eius summo principe Rom. Pontifice, unde omnis iurisdictio procedit et a quo derivatur ius commune; suppletur *a iure*, i. e. a iure communi seu a iuris communis auctore. Suppleri autem iurisdictio dicitur de eo, qui illam *habitualiter* non possidet, sed nihilominus quoties causam agit, in qua requiritur iuridica potestas, in singulis casibus *in ipso actu* eam suppeditatam accipit; sed, actu expleto seu transacta causa, eam non amplius retinet, sed iterum, ut antea,

[40] Ita etiam cap. 42, X. de officio deleg. I, 29. Ubi doctorum doctrina ex generali principio faciebat exceptionem de casu, in quo res iam inchoata fuisset vivente illo delegato; tunc enim delegatio firmabatur in ceteris de collegio.

potestate destitutus est. Ius ipsum confert iurisdictionem extraordinarie *ad singulos actus*, et hoc *propter bonum commune*[1].

Quare inter iurisdictionem, quae vere iam habetur cum actus est ponendus et eam, quae exercetur supplente Ecclesia, hoc est discrimen: ille, qui habet iurisdictionem, *ante actionem susceptam* (v. gr. ante confessionem), facultate valide agendi pollet, ut plurimum habitualiter; qui tantum supplente Ecclesia valide absolvit, in singulis dumtaxat causis *consequenter ad causam susceptam* potestate donatur. Quare si *ante actionem susceptam* iurisdictio iam *probabiliter* habeatur, et Ecclesia in tali casu dicitur supplere, tantum hypothetice supplet Ecclesia, i. e. pro casu in quo putata et probabilis iurisdictio obiective non adsit.

380. Quibus in casibus Ecclesia supplet. Ecclesia iurisdictionem supplet: 1°) in errore communi; 2°) in dubio positivo et probabili; ideoque aliquando in certo defectu iurisdictionis, aliquando in dubia iurisdictione. Supplet autem pro foro tum externo tum interno: ratio vero est bonum commune.

Iurisdictio semper innititur aliquo titulo; titulus autem est causa, ex qua iurisdictio acquiritur. Quare titulus iurisdictionis *ordinariae* est legitima et efficax concessio officii, cui illa iurisdictio sit adnexa; titulus iurisdictionis *delegatae* est legitima et efficax delegatio. Cui deficit titulus, vel quia nunquam eum habuit, vel quia titulum habitum amisit, iurisdictione destituitur. Titulus autem potest esse *verus* et *apparens* seu *fictus*. Titulus *verus* est titulus antea descriptus, qui unice reipsa tituli nomen meretur. *Apparens*: dicitur *coloratus* ille qui dumtaxat colorem seu speciem veritatis habet, cum videlicet positus est actus quo titulus confertur, sed ille actus vitio occulto laboravit sive ex parte conferentis, sive ex parte accipientis, sive ex parte ipsius actus collationis: dicitur vero *existimatus* seu *putatus*, si nullus titulus, ne invalidus quidem existit, putatur tamen adesse, v. g. quia antea habitus sed amissus, amissio autem non est notoria, vel quia nunquam habitus est, sed adest v. gr. simplex possessio officii usurpata, sed non notorie, quo sensu etiam in intruso potest verificari titulus existimatus seu putatus[2], quando intrusio notoria non est respectu ignorantium.

---

[1] *Lehmkuhl*, Theol. moralis II, 387.

[2] Cfr. exempla allegata a *D'Annibale*, Summ. I. n. 79, not. 72 et apud *Schmalzgrueber*, Libr. II, tit. I, n. 22.

381. I. De casu erroris communis. *Errorem communem* ita declarat *D'Annibale* (Summ. I, 79, not. 72): « Error communis est, si eo loco, ubi aliquis iurisdictionem exercet (v. c. ubi parochum agit), ea praeditus esse publice existimetur; seu facti error versetur, seu iuris; dummodo error iuris sit probabilis». Sed quando poterit dici aliquem in determinato loco, ubi iurisdictionem exercet, *publice existimari* praeditum iurisdictione?

Ante omnia tenendum est, errorem in hac materia non vocari communem aut paucorum secundum quod multi aut pauci eum adierint, qui legitima potestate destitutus est, sed posse verificari hypothesim erroris communis etiam in casu quo pauci, immo unus dumtaxat eum adierit, ideoque unus dumtaxat practice erraverit[3]; non consideratur existimatio eorum qui ministrum adierunt, sed existimatio fidelium in loco. Ni ita esset, Ecclesia in bonum fidelium non suppleret iurisdictionem, nisi postquam iam *multi* fideles, immo *communiter* fideles loci, detrimentum actus valore carentis passi essent, et remedium adhiberetur saepe ab Ecclesia, quando iam nulli applicari potest. At fideles qui non adeunt ministrum potestate destitutum, qui ne cogitarunt quidem de ipso adeundo, cum plerumque illius ministri ne existentiam quidem noverint, multo minus factum quod ipse versetur in exercitio iurisdictionis reipsa non habitae, qua ratione dici possunt errare in iudicando eum praeditum iurisdictione qua destitutus est? Hinc apparet ad definiendum errorem communem parum practica videri criteria a nonnullis auctoribus adducta de numero eorum, qui in loco in errore versantur, v. gr. quod debent esse *omnes* vel *fere omnes illius loci fideles*, vel *plerique fideles illius loci;* quae circumstantia certe in magnis urbibus nunquam verificaretur[4]. Ergo potius dicendum est, tunc haberi errorem communem in sensu canonis,

---

[3] Ita declarabant errorem *communem* v. gr. Tanquerey (De Poenit. 1904, n. 307); *Noldin*, De Sacrament. (1904, n. 354). Generatim asserebant Doctores oportere ut error non esset paucorum, sed *communis populi;* sed hic praecise est difficultas, in explicando videlicet quando error erit communis populi, si unus vel pauci adeunt iurisdictione destitutum.

[4] Rectius iam Bucceroni (Casus conscient. 1895, p. 464); « ad errorem communem hic non requiritur error communis de facto..., sed *error communis de iure tantum*..., talis nempe rerum status, ut error *per se sequatur multorum* adeoque possint multi non habenti iurisdictionem

cum datur factum publicum quod *per se* natum est inducere in errorem, non unum vel alterum, sed *quoslibet promiscue*, ita ut potius *per accidens sit*, quod unus vel alter ob peculiares ipsius circumstantias in errorem non inducatur, sed defectum noscat potestatis [5*].

Talem errorem communem se solo sufficere ad hoc ut Ecclesia, ipso intercedente, iurisdictionem suppleat, satis communiter negabant cum theologi tum canonistae, requirentes praeterea existentiam *tituli colorati* [6], quamvis dum rem explicabant per casus practicos, saepe exempla allegata erant exempla tituli *existimati;* unde in praxi fundamentum dumtaxat quaerebant erroris communis, ut hic vere communis dici posset, cum omnino admitterent suppletionem Ecclesiae non pendere ab hoc quod multi vel pauci errarent adeundo ministrum iurisdictione destitutum [7]. Non deerant tamen theologi et praesertim canonistae, qui necessitatem tituli colorati reicerent expresse [8]. Controversiam ergo ante Codicem existentem decidit ius novum in favorem

---

confiteri ». Consonat *Creusen*, Epitome I, n. 322, 4, ubi posito *publico fundamento erroris* agnoscit dari *interpretative* communem errorem, quia videlicet per se errabunt quotquot accedent. Cfr. *Bouix*, De iudic. I, p. 131 sq., ubi crisi subicit assertionem *Schmalzgrueber*, asserentis oportere ut error non sit *crassus* aut *supinus*.

[5*] Paulo aliter Vermeersch, secundum quem *fundamentum* erroris debet esse publicum seu *notum multis;* cfr. Theol. Mor. III³ n. 421. Toso exigit ut fundamentum erroris sit *publicum, permanens* seu *stabile* et aptum ad fallendum *virum prudentem;* cfr. Ius Pont. XVIII (1938), 167.

[6] Canonistae doctrinam de suppleta ab Ecclesia iurisdictione in casu erroris communis deducebant ex L. 3, D. de officio Praetor. I, 14, ubi *humanius* sustinentur actus servi, qui ob conditionem servilem ignoratam invalide renuntiatus fuerat praetor, in quo casu certe intercedebat titulus coloratus; quam legem Romanam ab Ecclesia receptam putabant can. 1, C. III, q. 7, cum dicto Gratiani et argumento deducto ex cap. 24, X. de sent. et re iudic. II, 27; theologi vero illam rationem a canonistis mutuati sunt.

[7] Fatendum est quoad iurisdictionem fori externi, praesertim ordinariam, difficilius in praxi accidere posse ut, praeciso titulo colorato, verificetur casus erroris communis; facilius id accidit quoad iurisdictionem fori interni, de qua praesertim verificatur quod dicit *D'Annibale*, l. c. n. 79, not. 73, « quod titulus nec exhiberi vulgo nec peti soleat ».

[8] *Ojetti*, Synopsis v. iurisdictio; *Pontius*, De matr. l. 5, cap. 20, n. 3; *Diana*. p. 3, tract. 4, resp. 122; *Gobat*, tr. 2, c. 3, n. 42; *Wiestn.*, libr. II, tit. 1, n. 8; *Ballerini-Palmieri*, IV, n. 402; *Leuren.*, l. 2, tit. I, p. 30.

sententiae mitioris, statuendo ut in bonum fidelium valeant acta ab eo posita qui iurisdictione destituitur, etiam sine titulo colorato, modo agatur de rebus quas Ecclesia supplere possit: quare cum Ecclesia non habeat potestatem ad supplendum defectum sacerdotii iure divino requisiti ad absolvendum a peccatis, ille qui communi errore putatur parochus et non fuit ordinatus sacerdos, nunquam valide absolvet. Stante errore communi, etiam cum illis paucis qui non errant, sed cognoscunt iurisdictionem deesse exercenti eam, potest *valide* exerceri illa [9], nisi valori obstet defectus dispositionis in eo qui accedit; quia ab Ecclesia suppletur, non singulorum, sed publicae utilitatis causa.

382. II. De casu dubiae iurisdictionis. Dubium, quod circa existentiam iurisdictionis in ministro habeatur, potest esse: 1°) Dubium *negativum* et *positivum*. *Negativum* habetur, cum ad affirmandam iurisdictionem nulla ratio afferri potest, tametsi certa ratio ad eam negandam non habeatur. *Positivum* est, si adest ratio ad iurisdictionem affirmandam; quae ratio si est gravis seu probabilis, dubium habetur positivum et probabile. 2°) Dubium potest versari vel circa ius, vel circa factum, *dubium iuris, dubium facti*: v. gr. dubium iuris habetur in eo qui non recordatur an aliqua censura vel peccatum sit reservatum, pro quibus facultatem non habet; dubium facti adest in eo, qui non recordatur certum tempus datae sibi facultatis atque adeo dubitat an illud iam elapsum sit. Cfr. *Suarez*, De poenit. disp. 26, sect. 6, n. 1; *Lugo*, De poenit. disp. 19, n. 28; *Ballerini-Palmieri*, V, n. 94.

In casu dubii *de iure* positivi et probabilis, saltem probabilitate *publica*, Ecclesiam supplere iurisdictionem, satis communiter iam ante Codicem tenebant theologi et canonistae; id autem frequentissime negabant de probabili dubio *facti* [10]; quamvis iam

---

[9] *D'Annibale*, l. c. not. 76; *Pirhing*, l. II, tit. I, n. 86; *Wiestn*, l. c. n. 86; *Leuren.*, l. c. q. 29.

[10] Cfr. tamen *Castillon*, in Nouvelle Rev. Theolog. vol. 44, pag. 534 sq., 673 sq., 718 sq., ubi diligenti et accuratae crisi subicit theologorum sententias, ac ostendit tum saepe casum propositum versari in dubio facti, tum rationes allegatas pro casu probabilitatis iuris eandem vim retinere pro probabilitate facti, nec satis videri cur vis tributa probabilitati *publicae* non debeat obtinere etiam in probabilitate *privata*, sed vera. E sua parte iam *D'Annibale*, in 3ª edit. Summulae I, 80, n. 78, doctrinam extendebat ad probabilitatem facti, *secus ac olim censuerat*.

optime notavit *Lehmkuhl*, l. c. II, n. 388, not. 1, qui eandem sententiam sequitur, doctrinam ita restrictam tandem aliquando reduci ad casum erroris communis cum titulo colorato.

Ergo ex iure Codicis, excluso dubio *negativo* in quo, cum Ecclesia non suppleat, valor actus pendet a rei veritate, quae ignoratur, in dubio positivo et probabili, sive probabilitate publica sive privata, sive dubium sit iuris sive facti, Ecclesia iurisdictionem certo supplet in bonum fidelium, pro casu in quo illud dubium coniungatur cum obiectivo defectu iurisdictionis; per quam Codicis praescriptionem praecedentes controversiae manent antiquatae.

Ut iam supra notatum est quaestio de *valore* actus, non est confundenda cum quaestione de *liceitate* ex parte ministri sese ingerendi in positionem actus, certo aut probabiliter valore destituti, propterea quod ab Ecclesia defectus iurisdictionis suppleatur; qua de re consulendi sunt moralistae, immutata tamen eorum doctrina propter controversias in mitiorem sensum a Codice decisas. Quare:

1°) In *dubio negativo* tantum licet actum iurisdictionis ponere, et quidem *sub conditione*, si gravis adsit necessitas: ex caritate namque licet alium iuvare quantum potest fieri; sed quoniam actus dubii valoris manent, Ecclesia in hoc casu non supplente, per se monendus est subditus ut sibi consulat et, cessante necessitate, novo actu certum reddat effectum dubium prioris actus.

2°) In dubio *positivo et probabili* sive *iuris* sive *facti*, licet uti iurisdictione quae ab Ecclesia suppletur, etiam sine gravi causa et sine subditi monitione; eo enim in casu iurisdictio certo habetur, sive antecedenter accepta, sive saltem ab Ecclesia suppleta. Favor in hoc casu ex principiis probabilismi tam in favorem iudicis, quam in favorem fidelium ab Ecclesia factus esse censendus est. Practice sufficit ministro ut in legitimo exercitio suae potestatis versetur [11].

3°) In casu *erroris communis*, vere exerceretur a ministro potestas, qua habitualiter certo caret; quare non licet se intrudere, nisi gravis adsit fidelium necessitas, qua existente, actus etiam

---

[11] Cfr. *Verm.-Cr.*, Epitome I, n. 322, 7; *Maroto*, Instit. I, n. 731; *De Mester*, Comp. I, n. 482, I.

licitus videtur, quippe ab Ecclesia suppletur iurisdictio in bonum fidelium, quod bonum, ab Ecclesia intentum, fideli in gravi necessitate constituto offerre licitum est. Cum autem actus sit *certo* validus, fidelis qui eo utitur, monendus non est [12].

4°) Respectu vero fidelium, qui cognoscunt defectum tituli in ministro, illa scientia non impedit in ministro *validum* usum potestatis, quae ab Ecclesia suppletur; ius enim attendit ad errorem communem et ad communiter contingentia, non ad unius aut alterius errorem: porro sicut particularis error non sufficit ad dandum valorem actui ministri, ita nec scientia alicuius particularis impedit quominus valeant actus, etiam in eius favorem positi. At fideles talem ministrum, titulo potestatis destitutum, *licite* non adeunt, ubi *iusta ratio* non adest urgentis necessitatis aut verae difficultatis alium adeundi.

Scholion — De delegatione potestatis ordinis

383. Cum ad potestatem ordinis referatur potestas respiciens sacramenta, sacramentalia et functiones liturgicas, illa sola potestas circa haec tria proprie venit nomine potestatis ordinis, quae *a Christo* vel *ab Ecclesia alicui ordinum gradui ita est adnexa*, ut sine ulteriore missione vel permissione valide semper et ubique exerceatur.

Inde apparet potestatem *ordinis* sensu ecclesiastico esse duplicem; aliam iuris *divini*, aliam *ex institutione Ecclesiae*. Iuris divini est illa, quae cohaeret cum ordinibus hierarchicis, seu veri sacramenti rationem habentibus, et obtinetur vi ipsius ritus ordinationis a Christo instituti. Iuris humani illa est, quae cohaeret cum ordinibus ab Ecclesia institutis et pariter ex ordinatione Ecclesiae acquiritur vi ritus substantialis ordinationis ab Ecclesia instituti. At etiam ex institutione Ecclesiae aliqua potestas circa functiones sacras, in cultu Dei publico frequentari solitas, v. gr. potestas certas consecrationes vel benedictiones peragendi, fuit adnexa ipsis ordinibus hierarchicis et veri sacramenti rationem habentibus, quam Ecclesia non *vult* concedere nisi per *validam* ordinationem, tametsi *absque* ulla ordinatione concedere *possit* et nonnunquam extraordinarie soleat.

Potestas ordinis iuris humani, seu ex institutione Ecclesiae,

---

[12] Cfr. *Verm.-Cr.*, l. c.; *De Mester*, l. c.

cum directe nitatur *concessione* Ecclesiae, quae concessio exercitium est iurisdictionis, potest a competente Superiore *delegari*, idque duplici ratione, vel per concessionem officii, cui Ecclesia illam adnexuit independenter ab ordine, cui de regula generali cohaerere debet, (v. gr. in Vicario vel Praefecto Apostolico potestas consecrandi calices, confirmandi, conferendi ordines minores ad normam can. 294, § 2), vel per specialem commissionem determinatae personae factam. Hanc delegationem respicit can. 210, in quo edicitur illam potestatem ordinis, quae habetur per delegationem, non posse subdelegari, nisi id expresse iure vel indulto fuerit concessum. Quare sacerdos a Rom. Pontifice delegatus ad consecrandum calicem, conferendam confirmationem aut ordines minores, invalide omnino eam facultatem, tametsi a R. Pontifice acceptam etiam ut officio suo cohaerentem, alteri sacerdoti delegaret, et actus, ex tali delegatione positus, esset prorsus nullus: neque huic casui potest applicari canon praecedens de potestate ab Ecclesia suppleta, cum ille canon unice referatur ad iurisdictionem.

TITULUS VI

De reductione clericorum ad statum laicalem
(can. 211-214)

384. Fontes: Decret. Grat. passim v. gr. c. 5, D. 84; c. 1, 2, D. 68; c. 1, D. 34; c 2, D. 58; c. 10, C. XI, q. 3; C. I, q. 1. 7; C. XXIV, q. 1, ubi tamen Gratianus minus clare de reordinationibus agit. — Cpl. III, l. I, t. 12, de sacr. non iter.; Cpl. V, l. I, t. 9, de s. n. it. — Decretal. Bonifacii VIII, l. V, tit. 9, de poenis. — Conc. Trid. Sess. XXIII, doctr. de sacr. ord. — Decretal. Clem. Pap. VIII, ed. *Sentis*, p. 14 sq. — Collect. S. C. de Prop. F. n. 1183 sq. praesertim de reiteratione *conditionata* sacrae ordinat.

Scriptores: Comment. iur. Decretal. in cit. tit. — *S. Raymundus*, Summa, l. I, tit. 7, de apost. § 5, l. III, tit. 24, de sacram. iterat. — *Devoti*, Inst. can. l. I, tit. 8, sect. 4, de depos. et degrad.; *Phillips*, t. I p. 314 sq. — *Kober*, D. Depos. u. Degrad.; *Gasparri*, De sacr. ordinat. n. 1137 sq.; *Many*, De sacra ordin. n. 18 sq.; *Thomassin.*, P. II, l. 1, cap. 11 sq.; *Kraus*, Real-Encyklop. v. Laisirung. d. Geistl.; *Card. Hergenroether*, Photius t. II, p. 321 sq., ubi ex professo et solide disserit de reordinationibus antiquae Ecclesiae; *Michael*, in Act. theol. Oenip. t. XVII, p. 193, contra falsas assertiones *Doellinger; Maroto*, Inst. I, n. 732 sq.; *Verm.-Cr.*, Epit. I, n. 324 ss.; *Matth. C. a Coronata*, Inst. i. c., I, n. 295 ss.; *Cappello*, Summa i. c., I, n. 249 ss.

Praenotiones

385. Notio et divisio. Amissio ordinis *interna* et *proprie dicta* est ablatio *ipsius potestatis* ordinis in se spectatae. Praeterea habetur altera amissio ordinis *impropria* et *externa*, quae per sanctiones canonicas in clericis ordinatis inducta *manente* ipsa *potestate* ordinis, tantum aufert *licitum usum* vel exercitium potestatis ordinis et aliqua *iura* atque *officia*.

Porro etiam illa *impropria* et *extrinseca* amissio ordinis sive status clericalis potest esse *totalis* vel tantum *partialis, privato* arbitrio facta aut *publica* Ecclesiae auctoritate interveniente, sive per formalem *approbationem* sive per gratiosam *dispensationem* sive per *sententiam condemnatoriam* sive per *iuris dispositionem*. Quae reductio extrinseca ad statum laicalem per gratiosam *dispensationem* in se *libera* est et tantum volenti indulgetur, at per sententiam condemnatoriam vel sanctionem iuris etiam *invito* in poenam delicti infligi potest. Cfr. de clericis minoribus, qui facti sunt vere vel interpretative bigami: Cap. unic. de bigam. I, 12 in Sext. et Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 17; *Passerin.*, Comment. in h. cap. unic., De elect. canon. cap. 27, pag. 555 sq.

Reordinatio est aut *absoluta* aut *conditionata;* illa ut rite fieri possit, necessario supponit priorem ordinationem *certo* fuisse invalidam; altera fit, si prudens vereque probabile *dubium* de valore prioris ordinationis existat.

Art. 1. — Principia fundamentalia

386. Ipsa *potestas ordinis iure divino* constituta et ab *indelebili* charactere *dependens in hac vita* nunquam amittitur neque ab ulla potestate humana, etiam Romani Pontificis, quoad *validum* usum auferri vel limitari potest, dummodo in actu potestatis ordinis exercendo *aliae* conditiones iure divino requisitae serventur. Hinc quicunque clericus saltem ordinem hierarchicum cum indelebili charactere valide recepit, neque *libera sua voluntate privatoque arbitrio* neque ex *dispensatione* Ecclesiae neque in iustam *poenam* delicti commissi neque iuris dispositione, *vere* et *interne* ex statu clericali expelli et ad statum laicalem reduci *potest*.

Quare clericus, etiam maiorum ordinum, forte depositus et degradatus, si ab Ecclesia restituatur, ex antiquissima et probata praxi *nova ordinatione* opus non habet [1].

Porro Romanus Pontifex *actum* potestatis ordinis, qui ex iure divino characteri sacramentali est exclusive adnexus, *directe* per exercitium suae potestatis *iurisdictionis convalidare* nequit, et ideo si quis v. g. *invalide* ordinatus est sacerdos, *nova ordinatio* fieri debet. At cum exercitium *licitum* potestatis ordinis, etiam iuris divini, subiectum sit *iurisdictioni* Ecclesiae, profecto Ecclesia suis legibus usum licitum potestatis ordinis determinare et illicitae receptioni vel exercitationi ordinum poenas canonicas statuere aut saltem effectus mere ecclesiasticos denegare potest.

387. Aliud iudicium ferendum est de potestate ordinis, quae ex *institutione ecclesiastica* [2] repetit originem. Huiusmodi enim potestas ab eadem Ecclesia, quae illam instituit, ita auferri et limitari *potest,* ut non solum illicitus, sed *sublata potentia,* etiam invalidus sit usus.

Romani Pontifices in sententia eorum, qui *tantum* tres ordines hierarchicos vera sacramenta esse tenent, absolute potestatem per sacras ordinationes *infra* diaconatum collatam auferre vel limitare *possent;* attamen, stante controversia, ob periculum violandi ius divinum, de facto illa potestate non utuntur. Ideo nullo in casu ordines illi inferiores, semel valide collati, per *veram reordinationem* iterum conferuntur [3]. Consequenter quicunque aliquo gradu etiam *inferiori* statui clericali adscriptus est, saltem *de facto* nunquam per absolutam et internam ablationem ordinis iterum ad eum statum laicalem reducitur, in quo *ante* ordinationem fuerat constitutus, sed omnis reductio ad statum laicalem, ut in ordinibus *hierarchicis,* ad effectus externos et canonicos restringitur [4].

388. Quodsi potestas ordinis in aliquo subiecto sit *incompleta* et conditionata, et tantum fiat completa et efficax per ac-

[1] *Suarez,* l. c. disp. 30, sect. 2, n. 10; *Kober,* l. c. in font. p. 33 sq., 203 sq., 630 sq. et praesertim p. 100 sq., 284 sq.

[2] *Gasparri,* l. c. n. 1143.

[3] *Kober,* l. c. p. 100 sq.

[4] C. 9, X. de consecr. eccles. III, 40 (de directa reconciliatione ecclesiarum).

cedentem commissionem Sedis Apostolicae, sive ordinario sive extraordinario modo saltem ad instar conditionis essentialis datam, profecto huiusmodi potestas *efficax* a Romano Pontifice auferri vel limitari multiplici ratione potest, v. g. potestas presbyteri administrandi sacramentum *confirmationis* vel *benedicendi* oleum infirmorum vel *consecrandi* calices, vel facultas Abbatis *conferendi ordines minores.* Nam commissio illa essentialiter requisita est actus *iurisdictionis,* qui retractationi vel limitationi est obnoxius [5].

Art. 2. — Notae historicae

389. Primis Ecclesiae saeculis clerici *etiam minores,* cum ad determinatum officium ecclesiasticum ordinarentur, a statu clericali absque delicto, gravibus poenis obnoxio, pro *libero suo arbitrio* deficere non potuerunt, licet in *minoribus* ordinibus constituti a nuptiis celebrandis non prohiberentur [6].

Cuius disciplinae antiquissimum vestigium habetur in can. 6, Conc. Caesaraugust. (a. 380), ubi decernitur clericos ne sub obtentu quidem *professionis monasticae* posse desciscere ab officio et functionibus clericorum. Concilium vero oecumenicum Chalcedonense (a. 451) c. 7 = c. 3 XX, q. 3 eandem disciplinam hisce verbis ratam habuit: « *Qui semel in clero deputati sunt aut monachorum vitam elegerunt, statuimus* neque ad **militiam**

[5] *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. VII, cap. 9, n. 1 sq. de sublata facultate valide administrandi sacramentum confirmationis per presbyteros Ecclesiae *orientalis* in Bulgaria, in insula Cypro, in Italia et insulis adiacentibus aliisque regionibus. Cfr. epist. Nicol. M. ad Hincmar. a. 867; Innoc. IV, Const. *Sub. catholicae professione* 6 Mart. 1254, n. 4; Instr. Clem. VIII, 31 Aug. 1595, et S. C. Inq. 3 Iul. 1853, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 664, cum nota et n. 674; *Suarez,* De fide, disp. 21, sect. 5, n. 11, ubi docet potestatem valide conficiendi sacramentalia, v. g. benedicendi aquam, consecrandi ecclesiam non cessare in haeretico sacerdote vel Episcopo, dummodo debitum ritum servet, eo quod qui valide administret sacramenta, a fortiori (?) valide conficiat sacramentalia. (At sacramenta sunt instituta a *Christo* et *nomine* Christi valide administrantur; sacramentalia vero nituntur *institutione Ecclesiae* eiusque nomine conficiuntur, non nomine Christi et independenter a potestate Ecclesiae; hinc ratio Suaresii vim suam solummodo habet, si probetur defectus *voluntatis* in Ecclesia auferendi illam potestatem conficiendi sacramentalia).

[6] Cfr. c. 3, Conc. Hispal. II, (a. 619) = c. 2, C. XXI, q. 2; *Thomassin.,* l. c. P. II, l. 1, cap. 11, 12, 13, 14; *Kober,* l. c. p. 96, 109.

neque ad **dignitatem** venire **aliquam mundanam,** *aut hoc tentantes* et non *agentes poenitentiam, ita ut redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegerunt, anathematizari* » [7].

Quae disciplina etiam post saeculum *quintum* non fuit immutata, ut constat vel ex ipsis legibus Imperatoris Iustiniani (cfr. v. g. Novell. 123, cap. 15) et Gregorii M. epistolis (cfr. v. g. l. III, epist. 24) aliisque documentis [8].

Neque minore rigore inde ex saeculo octavo et nono Praelati ecclesiastici insistebant canonibus Conc. Chalced. (a. 451) [9].

Immo subsequentibus quoque saeculis decreta Conciliorum et Rom. Pontificum clericis liberam facultatem ad vitam laicalem nondum admittunt. Hinc Leo IX c. 8. Conc. Remens. (a. 1049) statuit: « *Ne quis monachus vel clericus a suo gradu apostataret* ». Simile decretum condidit Nicolaus II in Concilio Romano a. 1059; atque Concilium Rothomag. (a. 1072) c. 11, clericos tonsuratos, « *qui coronas benedictas habuerunt et reliquerunt* », usque ad dignam satisfactionem excommunicare iussit. Saeculo quoque duodecimo antiquae disciplinae sanctiones non desunt, velut in can. 10 Conc. Tolosani (a. 1119), cuius vestigia etiam in Decretalibus Greg. IX reperiuntur. Cfr. Alex. III, cap. 1 et Innoc. III, cap. 3, X. de apost. V. 9. Quare mirum non est quod vel ipse *S. Raymundus* in Summa l. c. post Decretales Gregorii IX publicata ad quaestionem: « *Quid si aliquis accepit primam tonsuram tantum, numquid eam potest deserere*? » responderit: « *Credo quod non* ». At benignioris disciplinae tunc iam inchoatae *S. Raimundus* l. c. testis est. Hinc ex saeculo decimo tertio paulatim ea introducta est disciplina, ut clericus tonsuratus vel minorum ordinum non amplius cogeretur permanere in statu clericali.

A Concilio quoque Tridentino prisca illa canonum disciplina, qua nefas fuit clericatum per primam tonsuram vel ordines quoque minores susceptum abdicare, non est innovata et in usum revocata.

[7] Cfr. c. 82, (83), Apost. c. 7, Conc. Andegav. (a. 453); c. 5, Conc. Turon. (a. 461); *Hefele*, l. c. t. II, p. 511 sq.; *Thomassin.*, l. c. cap. 11; *Kober*, l. c.

[8] Cfr. quoque cit. c. 3, Conc. Hispal. II, (a. 619); c. 6, Conc. Tolet. VI, (a. 638).

[9] Cap. 23, 26, Synod. Aquisgr. (a. 789); cap. 24, Synod. Francof. (a. 795); *Thomassin.*, l. c. cap. 12, 13.

Patres Concilii Tridentini ad vitandas frequentes defectiones inferiorum clericorum a statu clericali potius approbarunt praxim iam ex saeculo decimo quarto a Conciliis particularibus inculcatam, sc. ne cuiquam prima tonsura conferretur, de quo non esset verisimile quod ad ordines sacros vellet promoveri. Cfr. Sess. XXIII, cap. 11, de ref. Cui statuto alia salutaria decreta accesserunt. Nunquam vero Romani Pontifices in *iuris communis* sanctionibus adoptarunt rigorem a Navarro et nonnullis Episcopis commendatum, ne quis ad primam tonsuram et ordines minores promoveretur, nisi *iurasset se velle* legitimo tempore ad *maiores* ordines ascendere.

Quare si iam Innocentius III, cap. 7, X. de cler. coniug. III, 3 rescripsit clericum coniugatum minorum ordinum, qui beneficio ecclesiastico careret, *non esse molestandum*, quod non deferret tonsuram, id multo magis nunc tenendum est, si clerici inferiores dimisso beneficio ecclesiastico vitam agunt laicorum [10].

390. Quodsi Ecclesia antiquis temporibus *liberum* et *arbitrarium* reditum ad vitam *laicalem* vel ipsis clericis *inferioribus* interdixit, nequaquam impedivit quominus clerici minorum, immo etiam maiorum ordinum, ob gravia delicta vere *deponerentur* [11]. Quae depositio imprimis illud effecit, ut clericus depositus ab omnibus *functionibus* potestatis *ordinis* et iurisdictionis, iuribus quoque *honorificis* quoad *sedem* et titulum etc. atque *reditibus* ecclesiasticis penitus privaretur. Quodsi clerici depositi sua potestate *ordinis uterentur*, Ecclesia huiusmodi actus, de facto et illicite positos, regulariter non habuit invalidos. Porro depositio *completa* ex iure antiquo clericum depositum non solum a gradu suo ita deiecit, ut novus clericus in eius lo-

[10] *Thomassin*, l. c. cap. 14. Cfr. S. C. Immun., quae 22 Aug. 1843 clerico regulari minorum ordinum *post sollemnem professionem saecularizato* omnino denegavit facultatem sese adscribendi inter milites Status pontificii. Cfr. Acta S. Sed., II, p. 114 sq. Quare *Scherer*, l. c. t. I, p. 378, not. 27, istum casum non recte proponit; nam petitio non a qualicunque *saecularizato clerico minorum ordinum* fuit proposita, sed *a saecularizato professo votorum sollemnium et simul clerico minore*. Multo minus probanda est solutio huius casus, quam *Scherer* l. c. insinuat, quasi ille clericus professus *sine ullis ambagibus*, i. e. absque licentia rite obtenta potuisset transire ad statum militarem.

[11] *Tertullianus*, De baptismo cap. 17; *S. Cyprianus*, in epist. 65, ad Episc. Rogatianum; *Gober*, D. Deposit. p. 1 sq.

cum esset ordinandus, sed etiam in *perpetuum* ad novum ordinem vel officium ecclesiasticum acquirendum reddidit *inhabilem* atque ne *restaurationem* quidem in *pristino gradu admisit*[12], nisi forte ex misericordia rigor iuris aliquantulum fuisset temperatus[13].

Denique clericus sententia depositionis perculsus ex *albo clericorum* fuit *deletus* et simpliciter ad *communionem laicalem*[14] reductus. Cui rigori antiquae disciplinae interdum *accessit*, quod clericus, enormium criminum reus, *post* depositionem non ilico vel ad solam *communionem laicam* admitteretur, nisi prius *poenitentiae* fuisset subiectus. Quae eiectio e clero cum paulatim fieret cum aliqua sollemnitate atque diffamatione delinquentis, viam paraverat ad poenam *degradationis clericorum* ab *ordinibus* receptis, quatenus illa a simplici depositione distinguitur. At de historia et disciplina vigente degradationis magis ex professo in iure criminali est agendum[15].

391. Ecclesia quamvis inde a primis temporibus religionis christianae indignos clericos *deponeret* et ad statum *laicalem* vel saltem ad gradum inferiorem ordinis reduceret, nunquam eo processit, ut huiusmodi clericis, saltem ordinum hierarchicorum, ipsam *potestatem ordinis* sive totaliter sive partialiter in se vere et proprie diceret esse *ablatam;* obstabat enim doctrina *de charactere indelebili* in sacra ordinatione impresso. Consequenter Ecclesia universalis, ut « *rebaptizationes* » ita etiam « *reordinationes* » clericorum *valide* ordinatorum semper illicitas et invalidas habuit[16]. Quae reprobatio reordinationum sese imprimis extendit ad reiterationem ordinationis clerici, *olim rite* i. e. licite et valide ordinati, etsi postea *depositi*, praeterea ad illas reordinationes quae factae sunt propter *valorem* prioris ordinationis plane perperam negatum, v. g. eo quod clerici ab Episcopo valide quidem consecrato, sed haeretico, schismatico, excommunicato ordinati essent[17].

Inde quoque denuo facile intelligitur, quare Ecclesia constanti sua praxi non vocaverit in dubium *valorem* actuum potestatis *ordinis*, quos posuerunt clerici valide ordinati ideoque nullius *reordinationis* capaces[18].

Art. 3. — Disciplina Codicis

A) CLERICI MINORES

392. 1°) Clericus *minor* tantum *prima tonsura* vel ordinibus *minoribus* initiatus, praemonito Ordinario, *libere* et absque *delicto* vel *indulto* tonsuram et habitum clericalem in *perpetuum* dimittere et ad statum laicalem et saecularem redire vel etiam matrimonium contrahere potest.

2°) Ipso invito potest reduci ad statum laicalem *decreto Ordinarii*, qui ad tale decretum dandum debet habere iustam causam. Quae semper ad hoc reduci debet, quod Ordinarius, omnibus perpensis, prudenter iudicet clericum non posse cum decore status clericalis ad ordines sacros promoveri.

3°) Praeterea nihil per se obstaret quominus clericus mi-

---

[12] Cfr. c. 1, 2, Conc. Ancyr. (a. 314); c. 1, Conc. Neocaesar. (a. 314-325); *Kober*, l. c. p. 5 sq.

[13] *Hefele*, l. c. t. I, p. 353, de indulgentia a Patribus Conc. Nicaeni (a. 325) Meletio concessa; *Kober*, l. c.

[14] *S. Cyprianus*, in epist. 52; *Innoc. I*, (a. 414), in epist. ad Episc. Maced. cap. 4; *Kober*, l. c. p. 56 sq. Quae *communio laica* a *Bellarmino*, De eucharist. l. IV, cap. 24, falso explicatur de denegata clericis communione sub *utraque specie*: ex altera parte etiam distinguenda est a *communione peregrina* clericorum, vi cuius clerici in iustam poenam tantum eam acceperunt congruam sustentationem illis clericis peregrinis concessam, qui ob defectum litterarum testimonialium a sacra liturgia et communione eucharistica fuerunt exclusi. Cfr. *Kober*, D. Suspens. p. 8 sq.

[15] *Thesaurus*, De poenis eccl. P. I, cap. 27; *Kober*, D. Deposit. p. 130 sq.; *Hollweck*, l. c. §§ 91, 92, 93.

[16] Cfr. c. 38, Conc. Carthagin. III, (a. 397); Conc. Roman. (a. 313), apud *Hefele*, l. c. t. I, p. 199.

[17] *Kober*, l. c. p. 93 sq.; *Card. Hergenroether*, l. c.; *Michael*, l. c. Usque ad saeculum decimum tertium, si sacramentum quoddam ob dubium valorem fuit repetendum, *conditio* in repetitione sacramenti *explicite* apponi non solebat. Quare mirum non est quod *forma conditionata* administrationis sacramenti, a. 745, prima vice a S. Bonifacio commemoretur. Postea Alexander III primus fuit, qui cap. 2, X. de bapt. III, 42 expresse praescriberet formam conditionatam. Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VII, cap. 6, n. 1 sq.; *Card. Hergenroether*, Photius t. II, p. 323; *Innoc. I*, l. c. cap. 5, (a. 414); *Gelasius*, in epist. ad Euphem. cap. 6, (a. 492); *Anast. II*, in epist. ad Anastasium Imperat. cap. 7, (a. 496), iunct. *Thiel*, Epist. Rom. Pont. t. I, p. 620, not. 30, ubi refutat dicta Gratiani ante c. 9, D. 19, et c. 97, C. I, q. 1.

[18] *Kober*, l. c. p. 104 sq.

nor propter delicta in iure statuta per poenam *degradationis* a prima tonsura vel ordinibus minoribus e statu clericali sollemniter eiceretur [19]; sed stante maiori facilitate, quam Codex suppeditat, dispendiose recurreretur ad tale sollemne medium.

4°) Ex ipsa iuris dispositione, sine interventu Superioris rem decernentis, reducitur ad laicalem statum ob causas in iure expressas, videlicet: *a*) ob contractum matrimonium, nisi fuerit nullum ex impedimento vis et metus (can. 132, § 2); *b*) ob indebitam habitus et tonsurae dimissionem, si ab Ordinario monitus, intra mensem a monitione facta, sese non emendaverit (can. 136, § 3); *c*) ob militiam sponte susceptam contra iuris praescripta (can. 141, § 2); *d*) ob dimissionem a religione eius qui votis religionis est ligatus (can. 648, can. 669, § 2).

393. *Regressus clerici minoris* ad statum clericalem fieri nequit sine expressa licentia Ordinarii illius dioecesis, cui per ordinationem incardinatus fuerat, quae licentia ex natura rei dari non debet nisi remotis causis ob quas ad laicalem statum reductus fuerat et praeterea praemitti debet congruum tempus experimenti ab Ordinario designandum et diligens examen de vita et moribus (can. 212, § 1) [20*].

---

[19] Cap. 1, 3, 7, 8, X. de cler. coniug. III, 3; cap. unic. de bigam. I, 12, in Sext.; cap. unic. de vita et honest. III, 1, in Sext.; cap. 1, de vita et honest. III, 1, in Clem.; S. C. Immunit. 20 Sept. 1860, in Act. S. Sed., III, n. 433; Pontif. Rom. P. III, *Degradatio a prima tonsura; Degradat. ab ord. acolyth.; Thesaurus,* De poenis eccl. v. Apostasia; *Schmalzgr.,* l. c. l. V, t. 9, de apost. n. 27 sq.; *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. XII, cap. 6; *Devoti,* Inst. canon. l. I, t. 2, §§ 36, 37, t. 8; *Kober,* D. Depos. p. 246; *Hollweck,* l. c. n. 93. Quare *Hinschius,* l. c. t. V, p. 905, nimis rigidam falsamque defendit sententiam, si putat etiam a clericis primae tonsurae et minorum ordinum posse committi delictum apostasiae ab ordine. Cfr. *Scherer,* l. c. t. I, t. 313, not. 10.

[20*] Recte animadvertit Creusen (Epit. I, n. 326) de eo, qui post receptos ordines minores ad statum laicalem redierit et dein religionem clericalem ingredi velit, oportere ut ante ingressum in novitiatum petat ab Ordinario dioecesis, cui antea incardinatus fuerat, remotionem canonici impedimenti quod pro ordinibus maioribus suscipiendis ex c. 212 § 1 proveniret. Ex analogia, ait C. a Coronata, (Inst. i. c. I, n. 301) « si agatur de clerico minori Ordini religioso incardinato seu adscripto, videtur necessaria licentia Ordinarii Ordinis a quo discessit clericus laicizatus ». Quod hoc loco dicitur de clerico minori, Ordini religioso adscripto, videtur eadem ratione applicari posse clerico minori, Congregationi religiosae votorum perpetuorum adscripto.

Cum collatio *primae tonsurae ordinem* non concedat, per se reiterari posset (cfr. cap. 6, X. de vita et honest. III, 1); attamen quoniam fit per modum *consecrationis,* de facto *ritus* ille ab Episcopo non reiteratur, si quis ad vitam clericalem *redeat,* sed tantum *a tonsore* renovatur corona clerici [21]. A fortiori *ordines minores* tali clerico redeunti, post reassumptum habitum clericalem, non denuo conferuntur. Immo si clericus post *realem* degradationem ad suum gradum restituatur, non iterum ordinatur, sed per caeremoniam mere accidentalem *insignia* in degradatione sibi detracta *seriatim, singillatim et sollemniter coram altari* denuo recipit [22].

B) CLERICI MAIORES

394. *Quoad clericos maiores. Subdiaconatus* ordo iuxta probabiliorem sententiam verum sacramentum non est neque characterem indelebilem imprimit: attamen eam inducit stabilitatem in statu ecclesiastico, ut subdiacono omnis reditus ad statum laicalem vel matrimonialem sit penitus prohibitus atque interclusus [23].

Quare reductio subdiaconi ad statum laicalem fieri nequit, nisi per *dispensationem* Sedis Apostolicae, aut in casu certorum criminum commissorum per sententiam *degradationis realis* legitime latam et executioni mandatam, aut tandem per *degradationem* mere *verbalem* seu *edictalem,* quae iure Codicis (can. 2305) aequiparatur *reali* quoad effectus iuridicos. Transitus quoque ad nuptias subdiacono non est permissus absque dispensatione apostolica. Quae dispensatio non conceditur, nisi cum reductione ad statum laicalem et omnimoda prohibitione functionum ordinis subdiaconatus [24].

---

[21] *Gasparri,* l. c. n. 1143; *Scherer,* l. c. p. 314, not. 11; *Thomassin.,* l. c. cap. 11, n. 8, cap. 13, n. 11.

[22] Cfr. Pont. Rom.; *Kober,* D. Deposit. p. 285 sq.; *Hinschius,* l. c. t. V, p. 566, n. 1.

[23] *Zech,* Hierarchia eccles. § 126; cap. 27, X. de V. S., V. 40; *Kober,* l. c. p. 232 sq.: Pontif. Rom. tit. *Degradationis forma.*

[24] *Roskovány,* Coelibatus et breviar. t. III, p. 179 sq.; S. C. Inq. 20 Febr. 1888, in Actis S. Sed. XX p. 543 sq. Quare dispensatus ab impedimento ordinis sacri in matrimonio iam contracto aut ad matrimonium

Quae de stabilitate status subdiaconorum ordinata sunt, a fortiori valent de *diaconis, presbyteris, Episcopis*, quibus indubitanter character indelebilis in valida ordinatione imprimitur. Quare qui semel rite ordinatus est diaconus vel presbyter vel Episcopus, is iterum laicus fieri non potest, nisi extrinseca illa ratione supra de subdiaconis exposita [25].

At licet etiam Episcopi et presbyteri per realem degradationem ad statum laicalem reduci possint, tamen *presbyteris* dispensatio apostolica ad contrahendum *matrimonium* concedi non solet; nullum vero existit exemplum, quod *Episcopo consecrato* a Sede Apostolica transitus ad nuptias fuerit concessus. Pius VII principi Tayllerand, qui ante revolutionem gallicam fuerat Episcopus Augustodunensis, in Brevi *Gravissimas* 29 Iun. 1802 reductionem ad simplicem communionem laicalem ita indulsit, ut *interdicto exercitio cuiusvis functionis*, sive *episcopalis* sive *ecclesiasticae*, in *veste laicali* incedere et *saecularia officia* gerere potuerit. Quo indulto Pii VII licentia celebrandi matrimonium non fuit concessa [26].

Decreto vel *sententia* Superioris ecclesiastici fit reductio ad statum laicalem illius clerici maioris, qui metu gravi coactus sacrum ordinem recepit, nec postea sive expresse sive tacite per exercitium ordinis recepti, ordinationem metu gravi extortam ratam habuit. Quod decretum vel sententia nequit dari [27*], nisi

---

iam contrahendum eo ipso manet redactus ad statum laicalem, quin necessarius ad hoc sit specialis actus Superioris ecclesiastici. Cfr. *Maroto*, o. c. I, n. 734.

[25] Conc. Trid. Sess. XXIII, vera et cathol. doct. cap. 4, et can. 4; Pontif. Roman. l. c.; *Roskovány*, l. c.; *Kober*, l. c.; Act. S. Sed. I, p. 334 sq.; S. C. Inq. 22 Dec. 1875, apud *De Angelis*, l. IV, tit. 6, n. 3; *Gasparri*, l. c. n. 1149.

[26] Pontif. Rom. P. III. Degradatio ab ordine pontificali; *Kober*, l. c. p. 237 sq.; *Roskovány*, l. c. t. III, p. 187 sq.

[27*] Cfr. regulas servandas in processibus super nullitate sacrae ordinationis vel onerum sacris ordinibus inhaerentium in AAS. XXIII, 457 vel Per. XXI, 109. Nunc difficilius probabitur coactio in sacris ordinibus suscipiendis habita, cum ordinandi, ante admissionem ad singulos ordines maiores, debeant propria manu scribere declarationem eamque iuramento firmare, qua fateantur « se omnimoda libertate ad sacrum ordinem accedere riteque perspecta habere omnia onera eidem adnexa ». Cfr. AAS. XXIII, 125; Per. XX, 245.

tea probentur, ad normam can. 1993-1998, tum coactio passa tum defectus ratihabitionis [28*].

Quo in casu reductio ad statum laicalem fit sine ullis coelibatus aut horarum canonicarum obligationibus (can. 214).

395. *Regressus* clerici maioris ad statum clericalem per veram *reordinationem* subdiaconi, et praesertim diaconi, presbyteri vel Episcopi valide ordinati, nulla ratione est permissa. Quodsi subdiaconus, diaconus, presbyter, Episcopus, qui iuste et rite degradati fuerunt, per sollemnem recuperationem insignium proprii gradus restituantur, huiusmodi recuperatio non est repetitio ritus substantialis novae consecrationis vel ordinationis, sed habet vim merae caeremoniae accidentalis [29].

Effectus reductionis ad statum laicalem. Quicumque clericus ad statum laicalem redactus ipso iure amittit officia, beneficia, iura ac privilegia clericalia ac vetatur in habitu clericali incedere ac tonsuram deferre; obligationibus status clericalis non amplius tenetur, excepta obligatione coelibatus, si agatur de clerico maiore, qui ad statum laicalem redactus sit aliter quam per sententiam seu decretum reductionis, datum in casu ordinationis per metum extortae, quo in casu etiam libertas a coelibatus obligatione obtinetur (can. 213, 214).

SECTIO II

DE CLERICIS IN SPECIE

Canones praeliminares - Divisio territorialis Ecclesiae (can. 215-219)

396. Notio: Divisio territorialis in Ecclesia unice fit in ordine ad conveniens regimen fidelium, qui praeter supremum

---

[28*] Si quis remoto metu, pergit sponte in exercitio ordinis sacri suscepti, videtur velle suam ordinationem ratam habere; id tamen non necessario consequitur, cum possit fieri, prout recte notat Creusen, (l c. n. 328), « ut etiam tunc ita egerit, quia nescivit se libertatem vindicare posse ». In hoc casu deesset adhuc voluntas se subiciendi per talem actum obligationibus clericalibus; haec autem voluntas expresse exigitur in c. 214 § 1, cum, stante metu gravi in ordinibus sacris suscipiendis, illae obligationes clericales non fuerint contractae.

[29] *Kober*, l. c. p. 93 sq., 285 sq.

Pastorem debent habere alios immediatos pastores, a quibus cum subordinatione ad Romanum Pontificem convenienter regantur ad normam iuris communis. Nam quamvis essentialiter et pro omni tempore divisio territorialis non sit requisita ad hoc ut institutio divina regiminis ecclesiastici in praxim deducatur, et origine tenus prior sit organizatio personalis quam territorialis, cum ius divinum nihil statuerit de modo, quo singulis Episcopis diversae portiones gregis Christi regendae adsignarentur, convenientissimus tamen modus illius designationis est per assignationem potestatis in determinato territorio exercendae, salvis exceptionibus, quas idem prudens regimen exigat, de iurisdictione directe in certas personas independenter a determinato territorio habenda.

397. Divisio fundamentalis est in territoria, cui praesit Praelatus cum iurisdictione episcopali. Huiusmodi territoria vocantur dioeceses, abbatiae vel praelaturae nullius, vicariatus apostolici, praefecturae apostolicae. Vicariatus apstolici et praefecturae apostolicae pertinent ad loca missionum, ubi potius dilatandae Ecclesiae ac paganis seu gentilibus in ipsam adducendis est incumbendum a missionariis. Hi suam operam praestant sub ductu et regimine Vicarii aut Praefecti apostolici, cui ad hoc datur potestas episcopalis fortasse aucta pluribus facultatibus extraordinariis, quas exigit aut conditio loci, aut difficultates cum conversione connexae aut distantia loci a Romana Curia et supremo Pastore vel difficultas ad eum recurrendi: atque idem obtinet ubi non paganorum seu gentilium regio est, sed acatholicorum sive haereticorum sive schismaticorum, dum ibi fas non est introducere ordinariam hierarchiam pro illius regionis regimine aut eversam restaurare, ubi fortasse catholici adhuc sunt pauci et Ecclesia non permittitur explicare suum ordinatum regimen.

Abbatiae seu praelaturae nullius habentur etiam in locis ubi ordinaria hierarchia ecclesiastica est constituta, in quibus ob rationes speciales praesertim historicas, pars territorii manet separata a territoriis dioecesium vicinarum, et idcirco dicitur territorium *nullius*, i. e. nullius *dioecesis*, quae divisio in dioeceses est modus normalis dividendi territorium in ordine ad regimen fidelium. Et pariter Praelatis saecularibus vel regularibus, qui iis territoriis praesunt (Abbates seu Praelati nullius), conceditur iurisdictio similis iurisdictioni episcopali, exercenda in fideles illius territorii separati.

Dioeceses, vicariatus, praefecturae, et praelaturae nullius conveniunt in hoc quod sunt peculiares et distinctae diciones cum proprio pastorali regimine; adest peculiaris populus regendus, determinatus per limites territorii, proprius Praelatus et proprius clerus. Differunt tamen in hoc quod abbatiis seu praelaturis nullius non praeest *per se* Praelatus charactere episcopali insignitus, sed Praelatus inferior. Vicariatus vero vel praefectura prae se ferunt aliquid inchoatum ac praeparatorium in ordine ad introductionem ordinarii regiminis ecclesiastici, et idcirco Praelati in ipsis constituti nomen habent Vicarii, qui vice et nomine Pontificis illa territoria regunt.

Hinc explicatur quod Codex can. 215, § 2 sub nomine *dioecesis* statuat in iure venire quoque abbatiam seu praelaturam nullius, non vicariatum aut praefecturam apostolicam; sub nomine vero Episcopi intelligi etiam Abbatem vel Praelatum nullius, nisi ex natura rei vel sermonis contextu aliud constet. Ex natura rei nomine Episcopi non intelliguntur Praelati et Abbates nullius in iis quae requirunt characterem episcopalem.

398. *Provinciae ecclesiasticae* sunt diciones territoriales pluribus dioecesibus constantes, in quibus una sedes episcopalis, cui praeest Episcopus cum titulo Metropolitae vel Archiepiscopi, habet alias dioeceses seu sedes episcopales, quae dicuntur suffraganeae, sibi subordinatas propter altiorem gradum iurisdictionis Metropolitae in Suffraganeos proprios. Atque tunc in aliqua regione dicitur hierarchia ecclesiastica iuris communis normaliter constituta, cum illa regio in varias provincias ecclesiasticas est divisa, aut saltem in ea erecta est sedes metropolitica cum aliquot sedibus episcopalibus illi Metropolitae subordinatis. Quae erectio unius aut plurium provinciarum non necessario efficit, ut territoria in quibus eriguntur non amplius sint loca missionum.

Potestas competens. Est sola potestas suprema ecclesiastica. Proinde Rom. Pontifici omnino reservatum est provincias ecclesiasticas, dioeceses, abbatias vel praelaturas nullius, vicariatus apostolicos, praefecturas apostolicas erigere, aliter circumscribere, dividere, unire, supprimere. Ex natura rei haec pertinent ad universale regimen Ecclesiae Rom. Pontifici concredi-

tum; nec proinde alteri competunt, nisi Rom. Pontifex aliquam partem suae potestatis in hac re velit aliis communicare, concedendo quendam interventum in praedicta divisione territoriali Ecclesiae (can. 215, § 1).

399. *Subdivisio territorialis dioecesium.* Territorium cuiusvis dioecesis in distinctas partes territoriales dividendum est: unicuique autem sua peculiaris ecclesia cum populo determinato est assignanda suusque peculiaris rector tanquam proprius eiusdem pastor est praeficiendus, pro necessaria animarum cura. Hae partes territorii dioecesani proprio nomine dicuntur *paroeciae* (can. 216, § 1,).

Pari modo, ubi *commode* fieri potest, vicariatus apostolici et praefecturae apostolicae sunt dividendae in partes territoriales suis limitibus circumscriptas. Huiusmodi partes, si peculiaris rector pro singulis fuerit assignatus, dicuntur *quasi-paroeciae* (cit. can. 216, § 3) [1].

Paroeciae personales non possunt constitui sine speciali indulto apostolico. Personales autem sunt paroeciae illae, in quibus parochiani non manent determinati quoad subiectionem ad determinatum parochum per domicilium aut quasi-domicilium in territorio cui parochus praesit, sed per titulum aliquem personalem, v. gr. ex lingua aut natione, aut ex pertinentia ad determinatas familias, quo in casu paroecia dicitur *familiaris* seu *gentilitia*, aut ex diversitate ritus, aut etiam ex diversitate professionis, prout accidit in paroeciis castrensibus pro militibus (cit. can. 216, § 4).

400. *Vicariatus foranei*, qui etiam dicuntur *decanatus*, archipresbyteratus, sunt districtus territorii dioecesani pluribus paroeciis constantes. Cuilibet districtui praeest sacerdos sub nomine vicarii foranei aut alio simili, v. gr. decani.

---

[1] Cfr. declarationem seu decisionem S. C. Consistorialis, 1 Aug. 1919, (AAS. XI, 346), circa quasi-paroecias et missiones existentes in pluribus dioecesibus, quae ante Const. « *Sapienti consilio* », iurisdictioni S. C. de Propag. Fide subiciebantur, postea vero in ius commune traductae sunt. Qua decisione etiam divisio dioecesis in paroecias et quasi-paroecias ad ius commune decernitur ordinanda.

De prudenti modo procedendi ad divisionem vicariatuum et praefecturarum apostolicarum, cfr. Instructionem S. C. de P. F. 25 Iulii 1920, in A. A. S. XII, 331 sq.

Huiusmodi distributionem territorii dioecesani in vicariatus foraneos Codex imponit Episcopis pro faciliori et meliori vigilantia circa exercitium curae animarum. Quodsi Episcopo aut impossibilis executionis videatur aut saltem inopportuna censeatur, Sancta Sedes est consulenda, nisi iam ab eadem fuerit provisum (can. 217).

TITULUS VII

De suprema potestate deque iis qui eiusdem sunt ecclesiastico iure participes

401. Sectionem hanc secundam partis primae libri II de personis Codex partitur in duos titulos: De suprema potestate ac de iis qui ex ea participant. — De potestate episcopali deque iis qui eiusdem sunt participes. — Institutio divina ad regimen Ecclesiae his duobus absolvitur, institutione Primatus et institutione potestatis episcopalis: quicumque ergo gradus potestatis supra et infra episcopalis ex institutione Ecclesiae provenit, seu ex potestate plena et suprema Romano Pontifici facta ea disponendi quae ad conveniens Ecclesiae regimen sint necessaria, salva divina episcopatus institutione. Ergo potestas supra episcopalis provenit ex potestate suprema Rom. Pontificis et est eius quaedam participatio; potestas vero infra episcopalis est quaedam derivatio facta ex potestate episcopali et ad adiuvandum eius exercitium ordinata.

A Codice sub rubrica « de suprema potestate et de iis qui eiusdem sunt ecclesiastico iure participes », enumerantur in diversis capitulis huius tituli, praeter Romanum Pontificem in quo residet suprema potestas, Concilium oecumenicum, Cardinales, Curia Romana, Legati Pontificis, Patriarchae, Primates et Metropolitae, Concilia plenaria et provincialia, Vicarii et Praefecti Apostolici, Administratores Apostolici, Praelati *nullius*. Hi omnes, ut respectivis locis erit exponendum, iurisdictionem aliquam a Rom. Pontifice derivatam exercent, quae in suprema ipsius potestate fundamentum habet et ab eadem suprema potestate tanquam ab immediato fonte derivatur. Vel ipsa Concilii oecumenici potestas, quae vere est suprema (can. 228, § 1), potest dici participata iure ecclesiastico ex suprema potestate Romani

Pontificis, in quantum iure ecclesiastico plures sunt, qui in Concilio oecumenico suffragio deliberativo gaudent, et in quantum vel ipsi Episcopi, eam iurisdictionem universalem, quam in Concilio oecumenico exercent, derivatam habent a Romano Pontifice eique subordinatam.

CAPUT I

De Romano Pontifice

402. Fontes: Decret. Grat. Dist. 21, 22; c. 1, D. 23; c. 2, D. 79; c. 1, D. 96. — Cpl. I, l. I, t. 23, de off. et potest. Praelati et iud. ordin.; cpl. II, l. I, t. 14, de off. iud. ord. cpl. III, l. I, t. 20; cpl. IV, l. I, t. 13, ead. rubr.; cpl. V, l. I, t. 16, de off. et pot. iud. ord. — Decretal. Gregor. IX, l. I, tit. 31, de off. iud. ord.; Decretal. Bonif. VIII, l. I, t. 16, de off. ordinar.; Const. Clem. V, l. I, t. 9, de off. iud. ord.; Extravg. com. l. I, t. 7, de off. iud. ord. — Conc. Later. IV, a 1215, cap. 5, = cap. 23, X, de privileg. V, 33; Conc. Lugd. II, a. 1274, prof. Mich. Palaeol.; Conc. Flor. a. 1439, decret. union.; Conc. Trid Sess. XXV, cap. 21, de ref. — Decret. Clem. Pap. VIII, l. I, t. 14, de off. ord. ed. *Sentis*, p. 25 sq. — Innoc. XI Breve 11 Apr. 1682; Alex. VIII Const. « *Inter multiplices* » 4 Aug. 1690; Pii VI Const. « *Super soliditate* » 28 Nov. 1786, Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794; Pii IX Encycl. « *Quanta cura* » Syllab. § 5, 8, Dec. 1864. — Conc. Vatic. Sess. IV, Const. « *Pastor aeternus* »; Leon. XIII Encycl. « *Immortale Dei* » 1 Nov. 1885.

Scriptores: Comment. iur. Decr. in h. t. et tit. 2, 6, et in prooem. — *S. Raymund.*, Summa l. III, t. 27, de differentiis officior. § 1 *de Papa* — *Roccaberti*, Bibliotheca maxima pontificia; *Roskovány*, De primatu Rom. Pont.; Rom. Pontifex tanq. Primas Ecclesiae et princeps civilis. — *Zech*, Hierarch. eccles. tit. 15, de Sum. Pont.; *Devoti*, Inst. can. 1, l. t. de hierarch. iurisd. sect. 1, de Summ. Pont.; *Saegmueller*, Lehrb. §§ 86 sq.; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 338 sq.; *Bellarminus*, Disp. de controv. christian. fidei t. I, controv. tert. de S. Pontifice; *Palmieri*, De Rom. Pont.; *Billot*, De Ecclesia Christi t. I, p. 528; *Wilmers*, De Christi Eccl. p. 146 sq.; *Bouix*, De Papa; *Ferraris*, l. c. v. Papa; *Phillips*, l. c. t. IV, — *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 1, cap. 1, P. II, l. 2, cap. 1 sq. — *Maroto*, Inst. II, n. 775 sq.; *Ferreres*, Inst. I, 388 sq.

Art. 1. — De institutione primatus Romani Pontificis

§ I. De apostolici primatus in B. Petro institutione

403. Iuxta evangelii testimonia, a Christo Domino primatus iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe B. Petro Apostolo promissus atque collatus fuit.

Quare constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertunt quicumque *negant* solum Petrum prae ceteris Apostolis, sive seorsim singulis sive omnibus simul, vero proprioque iurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum, aut qui *affirmant* eundem primatum non immediate directeque ipsi B. Petro, sed *Ecclesiae* et per hanc illi, ut ipsius Ecclesiae ministro, delatum fuisse [1].

§ II. De perpetuitate primatus B. Petri in Romanis Pontificibus

404. Quod in B. Apostolo Petro Christus Dominus in *perpetuam* salutem ac *perenne* bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, *iugiter durare* necesse est. Unde est ex ipsius *Christi* Domini *institutione sive iure divino*, ut B. Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat *perpetuos successores* [2].

Qui successores S. Petri sunt Episcopi Sanctae *Romanae Sedis* [3] ab ipso fundatae eiusque consecratae sanguine. Quare quicumque *Romanus Pontifex* in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet [4].

---

[1] Matth. XVI, 17 sq.; Ioann. XXI, 15 sq.; Conc. Later. IV, et Conc. Lugdun. II et Conc. Florent. l. c. in font.; Conc. Vatic. Sess. IV, c. 1; *Granderath*, Const. dogm. Conc. Vatic. p. 103 sq., 215 sq.; *Wilmers*, l. c. p. 146 sq., 239 sq.; *Billot*, De Eccles. Christi t. I, p. 535 sq.; *Phillips*, l. c. t. I, §§ 11 sq., t. V., §§ 201 sq.; *Palmieri*, De Rom. Pontif. p. 296 sq.; *Suarez*, De fide theol. disp. 10.

[2] Conc. Vatic. Sess. IV, cap. 2; *Granderath*, l. c. p. 219 sq.; *Wilmers*, l. c. p. 188 sq.; *Billot*, l. c. p. 70 sq.

[3] Conc. Vatic. l. c. cap. 2; *Granderath*, l. c. p. 219 sq.; *Wilmers*, l. c. p. 196 sq.

[4] Cfr. *Granderath*, l. c. p. 137 sq., ubi demonstrat in Concilio Vaticano authentica definitione nequaquam diremptam esse quaestionem, *num* primatus in totam Ecclesiam *iure divino* atque immutabiliter cum Sede Romana sit connexus. Qua in re praesertim ex saeculo nono a theologis Ecclesiae occidentalis merito impugnata est haeresis Photiana, quae tenuit propter translatam residentiam Imperatorum Romanorum in civitatem Constantinopolitanam etiam praerogativas spirituales sedis episcopalis veteris Romae in sedem Byzantinam novae Romae fuisse transla-

Qui primatus Romani Pontificis ex vi suae *perpetuae institutionis*, ab ipso Christo Domino factae, habet *certam et immutabilem determinationem* in his, quae ad substantiam eius pertinent, quia ex parte territorii, subditorum, actionum est deter-

---

tas. Cfr. infra h. tit. not. 7, 8. Pariter in Syllabo Pii IX optimo iure notatur propositio 35: « *Nihil vetat alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto Summum Pontificatum a Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri* ». Etenim in hac propositione Ioannis Nuytz, iam damnata Pii IX Litteris Apostolicis « *Ad Apostolicae Sedis* », ex quibus ad verbum desumpta est, Concilium generale intelligitur *Concilium sine Papa*. At manifestum est Concilium generale sine Papa, i. e. auctoritatem quandam *inferiorem* in Ecclesia planeque incompetentem non posse efficere separationem unionis, quae aut iure divino aut saltem suprema plenaque potestate S. Petri est facta et a tot RR. Pontificibus atque Conciliis oecumenicis confirmata. Praeterea damnata propositio Nuytz nititur doctrina Richerii omnino haeretica, sc. claves primatus non immediate S. Petro, sed Ecclesiae traditas esse, ita ut Ecclesia, cum claves S. Petro et RR. Pontificibus dederit, illas etiam iisdem subtrahere et aliis tradere possit. Cfr. *Franzelin*, De Ecclesia Christi p. 215 sq. Qua damnata haeresi, certe in propositione 35 Syllabi non damnata fuit etiam illa sententia (ut Episcopus Calvensis opinatus est in Concilio Vaticano), quae tenet ipsum Summum Pontificem vel Concilium oecumenicum cum Papa primatum ad aliam sedem transferre posse; etenim haec sententia a proscripta doctrina Nuytz evidenter differt.

Profecto *Suarez*, De fide theol. disp. 10, sect. 3, n. 9 sq., ubi attingit quaestionem, utrum adnexio primatus S. Petri ad Sedem Romanam ita auctoritate S. Petri sit constituta, ut ab ipso solo manaverit, an vero ex Christi praecepto et auctoritate id egerit, respondet: « *Cum enim de hoc nihil de fide certum habeamus, varia opinantur theologi* ». Ipse deinde via quadam media incedens hanc statuit propositionem: « *Quamvis coniunctio summi pontificatus cum Romana Sede ad primariam huius dignitatis institutionem non pertineat neque videatur a Christo Domino ante ascensionem in caelum ordinata, probabilius tamen et magis pium videtur Petrum ex ipsius Christi Domini praecepto et voluntate illam instituisse* ». Qua in parte secunda suae propositionis probanda, imprimis illa testimonia tanquam inefficacia omnino seponit, quibus R. Pontifex iure divino dicitur habere primatum iurisdictionis. Quodsi Suarez deinde testimonia ex traditione adducit, alia, quibus potissimum videtur fuisse motus, sunt *prorsus spuria*, alia vim peremptoriam probandi non habent, cum etiam de ordinatione divina sensu lato possint intelligi, quatenus S. Petrus divina ductus providentia Urbem Romam elegerit sedem primatus. Alii theologi veluti *De Groot, Tanquerey, Wilmers, Muncunill*, De Christi Ecclesia, iisdem *modestis verbis* atque *Suarez*, sententiae affirmanti institutionem Christi ut probabiliori subscribunt; alii v. g.

minatus: etenim sese extendit in *universum orbem terrarum*, in omnes homines *baptizatos*, immo aliquo modo in omnes homines, et quatenus necesse est ob fidei propagationem et protectionem religionis christianae, in omnes actiones et materias, in quibus potestas solvendi et ligandi versari potest. Ergo usque ad consummationem saeculorum per nullam auctoritatem humanam *innovationi* (augmento vel imminutioni) vel *abrogationi* est obnoxius. Cfr. *Suarez*, De leg. l. IV, cap. 4, n. 17.

Hinc manifeste erravit *Marsilius Patavinus* asserens, quod Christus nullum caput dimisit Ecclesiae neque aliquem Vicarium suum fecit. Praeterea theologi Imperatoris Ludovici Bavari falso ex concessione Imperatoris derivarunt praerogativas

---

Franzelin, Palmieri, De Luca, eidem opinioni maiorem gradum verae certitudinis vindicant; multo magis certitudinem illius sententiae cum magno argumentorum apparatu novissime propugnavit *Straub*, De Ecclesia Christi, I, p. 447 sq.; denique alii, e. g. *Soto, Bañez, Mendive*, unionem primatus S. Petri cum Sede Romana ex stricto divino iure factam esse simpliciter negant atque ex mero iure apostolico repetunt. *Hollweck*, Der Apost. Stuhl. u. Rom. (a. 1895), sane solidius quam sui praedecessores universam istam quaestionem examinat et tandem sententiae, affirmanti illam unionem iure divino factam esse, propter *novam* quandam probandi rationem calculum adicit. At *novae* suae probationi non leviter praeiudicat quod candide fateatur theologos antiquiores et recentiores, qui sententiam affirmantem propugnant, inniti *spuriis* quibusdam documentis atque *inefficacibus* argumentis. Cfr. *Hollweck*, l. c. p. 112 sq. Cum praeterea *directa* argumenta ex *traditione divina* (ex qua universa illa quaestio tandem est resolvenda), pro sententia affirmante sufficienter colligi posse pariter neget, novam suam argumentationem *indirectam* ex *absoluta inseparabilitate* primatus a Sede Romana sibi reddidit difficilem parumque persuasivam. Quare universa quaestio etiam post novam disquisitionem ab *Hollweck* factam manet in eodem statu, in quo fuit ante Concilium Vaticanum, cuius decreta et praesertim acta sententiae affirmanti maiorem vim et auctoritatem non tribuerunt. Etenim relator commissionis dogmaticae in Concilio Vaticano (cfr. Collect. Lac. t. VII, col. 293; *Granderath*, l. c. p. 144), declaravit: « *Et hoc quidem intelligitur de Romano Pontifice, ut historice et de facto habetur in Ecclesia absque ulla interruptione ab initio temporis, relictis quaestionibus et hypothesibus in scholis plus minusve libere agitatis quoad perpetuitatem Urbis Romanae et coniunctionem primatus cum Sede Romana* ». Cfr. *Pesch*, l. c. t. I, n. 500; *Suarez*, De virt. et statu relig. tract. II, l. 2, cap. 4, n. 9 sq., ubi agit de *morali* immutabilitate diei dominicae, quae *rationabiliter* tolli non possit, licet nitatur institutione *humana*, non divina.

Romanorum Pontificum [5]. *Richerius* quoque et *Pistorienses* (a. 1786) perperam dixerunt B. Petrum ab Ecclesia suam accepisse potestatem [6]. Immo, iam ipsi Episcopi Synodi Chalcedonensis (a. 451) c. 28 spuriis quibusdam principiis de praerogativis *novae Romae* nimium inhaerentes, falso asserere ausi sunt *Patres* statuto synodali *antiquae Romae* propter naturam civitatis imperialis praerogativas *concessisse* [7]. Quibus sinistris locutionibus tandem haeresis Photiana praeparata est [8].

Quae doctrina catholica et haeresis ipsi opposita hoc loco insinuanda fuit, ut solidum iaceretur fundamentum atque nexus pateret universae disputationis. Ex professo autem dogma catholicum exponere de divina institutione primatus Rom. Pontificis relinquimus theologis atque scriptoribus de iure publico Ecclesiae [9].

Art. 2. — De electione Romani Pontificis.

§ I. Principia fundamentalia

1. *De nominatione personae R. Pontificis*

405. I. Ex illis personis, quae iure divino a dignitate pontificia non sunt exclusae, nec *designatio* sive nominatio personae fit immediate a Deo, nec *modus* designationis iure divino est praescriptus, sed Deus *utríusque rei* determinationem *hierarchiae* ecclesiasticae reliquit.

---

[5] Ioann. XXII Const. « *Licet* » 29 Oct. 1327. Cfr. *Denzinger*, Enchirid. n. 496, 497.

[6] Pii VI Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794, prop. 3, cum nota apud *Denzinger*, l. c. n. 1503.

[7] Quam sententiam S. Leo epist. 104, atque Gelasius (a. 496) in c. 3, D. 21, merito reprobarunt. Cfr. *Hefele*, l. c. t. II, p. 529 sq., 549 sq.: *Card. Hergenroether*, Photius t. I, p. 74 sq. Porro optimo iure ex decreto S. C. Inq. 1644, approbato ab Innocentio X et Clemente XI Const. « *Accepimus* » 11 Iun, 1715, haec propositio declarata est et schismatica et haeretica: « *Summos Pontifices cum suas Constitutiones in ea loca mittunt, quae temporali aliorum principum dicioni subiecta sunt, in territorio* alieno *legem ferre* » Cfr. *Granderath*, l. c. p. 225 sq.

[8] *Hefele*, l. c. t. IV, p. 478, 363; *Hollweck*, l. c. p. 5 sq.; *Card. Hergenroether*, l. c. t. I, p. 35 sq., 176 sq., 602 sq., 656 sq. t. III, p. 790, 806, 813.

[9] *Wilmers*, l. c. p. 146 sq.; *Cavagnis*, Inst. iur. publ. eccl. t. II, p. 108 sq.

Etenim ordinatio specialis a Deo pro singulis vacationibus Sedis Apostolicae non datur, neque in fontibus revelationis ulla reperitur singularis lex divina de electoribus et forma electionis Romani Pontificis; secus institutio Christi de electoribus et forma electionis constanter ab Ecclesia fuisset retenta, neque tanta extitisset in hac re varietas disciplinae.

Denique quoniam Christus in re adeo necessaria suae Ecclesiae certe efficaciter consuluit et per se nihil definivit, universam huius negotii curam pro natura Ecclesiae et societatis perfectae et *inaequalis*, exclusis *extraneis* et *laicis*, sive privatis sive principibus saecularibus, sive in multitudinem populi congregatis, soli hierarchiae ecclesiasticae commisit [10].

II. Imprimis autem *Rom. Pontificibus* a Christo collata est potestas *modum* designationis personae definiendi et pro temporum vicissitudine etiam mutandi. Neque ex iure quodam *divino* electio Romani Pontificis spectat ad Concilium oecumenicum vel ad Collegium Cardinalium. Id enim manifeste eruitur ex suprema et plena potestate Romanorum Pontificum atque ex constanti et universali praxi Ecclesiae, in qua error intervenire non potest. Quare de iure Rom. Pontificis nulla existit controversia inter theologos et canonistas [11].

III. Immo *designatio* sensu *stricto* personae proprii successoris in cathedra S. Petri, non mera *commendatio* ab ipso Romano Pontifice facta, iuxta probabiliorem sententiam saltem in casu verae et extraordinariae necessitatis vel utilitatis Ecclesiae et *valida* et *licita* est [12].

Nam suprema et plena potestas Romani Pontificis (cfr.

---

[10] S. Clem. epist. I, cap. 44; *Camarda*, Const. Apostol... synopsis p. 93 sq.; *Suarez*, De fide disp. 10, sect. 4, n. 1 sq., 11 sq.; *Granderath*, in Stim. aus Maria-Laach a. 1874, t. VII, p. 139 sq.; *Bonacina*, De legit. Sum. Pontif. elect. disp. I. q. 1, punct. 1, § 3, q. 5, p. 4; *Passerini*, De elect. S. Pontif. q. 1, 5; *Tarquini*, l. c. p. 106 sq.; *Gaugusch*, D. Rechtsinst. d. Papstwahl; *Marangoni*, De elect. Summi Pontif. in Anal. eccl. t. V, p. 495 sq.; *Lucius Lector*, L'élection papale. Le conclave.

[11] Matth. XVI, 19; infr. in notis historic. cit. decret. Rom. Pontif.; *Camarda*, l. c. p. 103 sq., 107 sq.; *Passerini*, l. c. q. 6.

[12] *Tarquini*, Inst. iur. eccl. publ. p. 83; *Passerini*, l. c. q. 4; *Granderath*, l. c.; *Hollweck*, in Arch. f. k. K. t. 74, p. 329, ubi fuse et solide universa illa controversia examinatur, cui ex recentioribus scriptoribus etiam consentiunt Many, Pezzani, Grisar, Saegmueller aliique. Cfr. c. 1,

Matth. XVI, 19; Conc. Vatic. Sess. IV) neque ex *natura rei* neque ex *speciali* iure *divino positivo* ad solam *legislationem* de nominatione successoris est restricta. Ergo sine solido fundamento negatur Romano Pontifici ius extendendi suam potestatem etiam ad immediatam sui successoris nominationem.

Et profecto argumenta, quibus ex natura rei huiusmodi ius Romani Pontificis impugnatur, aut sophismata sunt [13], aut si quid probant, illud solummodo demonstrant, modum istum providendi successioni in cathedra S. Petri a Romanis Pontificibus tanquam *ordinarium* neque de facto *licite* adhiberi neque per modum *legis successoribus valide praescribi posse* [14].

S. Scriptura et divina traditio argumenta non suppeditant ad demonstrandam specialem limitationem potestatis pontificiae *positivo* iure divino esse statutam. Nullibi enim Christus expressa et speciali lege suo Vicario in terris designationem successoris interdixit [15]. Quod argumentum eo maiorem habet vim, cum *nostra* aetate [16] adversarii vix iam negare possint Felicem IV (a. 526-530) sensu stricto designasse suum successorem Bonifacium II [17] neque hanc designationem *ante* mortem revocasse.

2, 3, Conc. Rom. a 499, sub Symmacho Papa iunct. *Hefele* l. c. t. II, p. 627, 590; *Saegmueller*, in Act. theol. Tubing. t. 85, p. 91 sq., 235 sq.; aliter *Périès*, L'intervention du Pape dans l'élection de son successeur; *Holder*, D. Designation der Nachfolger durch d. Päpste, idem in Arch. f. k. K. t. 72, p. 409 sq., et t. 76, p. 352 sq. iunct. Arch. f. k. K. t. 84, p. 199, (contra *Périès*); *Casacca*, Se il Papa possa eleggere il suo successore; at illi auctores in hac quaestione scholastica, nec facile practica, inefficacibus utuntur argumentis atque rationes supra propositas solide non refutant.

[13] Cfr. *Fagnan.*, in cap. 5, X. de pactis I, 35, n. 16 sq., cuius argumentationem merito reiciunt recteque refutant: *Granderath*, l. c.; *Hollweck*, l. c. p. 334 sq., 374 sq., 369 sq., et etiam *Hinschius*, t. I, p. 292.

[14] *Hollweck*, l. c. p. 375, 404 sq.

[15] *Hollweck*, l. c. p. 398 sq.

[16] Antiqui auctores in favorem sententiae nostrae haud raro ad *facta plane spuria* aut saltem dubia provocarunt, a quibus patroni sententiae oppositae, cum illa facta historica *admitterent*, omnino *falsis* explicationibus sese extricare studuerunt. Cfr. *Hollweck*, l. c. p. 412 sq.; *Suarez*, De fide l. c. n. 6 sq.

[17] Quod documentum, a. 1883, in biblioteca Capituli Novariensis fuit detectum. Cfr. *Hollweck*, l. c. p. 418 sq.; *Saegmueller*, l. c. in Act. theol. Tubing., cuius disquisitiones historicas aliorumque virorum doctorum *Casacca* non videtur satis attendisse.

Porro ipse Bonifacius II (a. 530-532) pariter suum iam designaverat successorem. Quae designatio licet a Bonifacio II ante mortem fuerit revocata, tamen vi probandi non caret [18].

Contra sententiam, quae Romano Pontifici vindicat ius suum designandi successorem, provocatur ad communem sententiam theologorum et canonistarum huiusmodi praerogativam pontificiam negantem atque adeo ad decreta Sedis Apostolicae opinioni affirmanti omnino opposita.

At prior exceptio ex communi sententia petita nititur *falso supposito*, cum talis communis sententia omnino non existat, et multi et praeclari doctores velut Decius, Vitoria, Ledesma, Mendoza, Suarez, Vasquez, Bonacina aliique opinionem affirmantem doceant [19]. Allegata vero decreta Bonifacii II et Pii IV responsaque Pauli III imprimis sibi habent contrarium decretum S. Felicis IV; praeterea definitiones dogmaticae non sunt, sed potius statuta disciplinaria [20]. Denique Pius IV (10 Dec. 1565) teste Victorello (18 Maii a. 1565) in Consistorio « auditis sententiis decretum inutile non futurum *asseruit* seque *declaraturum*, Pontificem *non posse* successorem adiutoremve cum futura successione sibi eligere » [21]. At huiusmodi definitio et declaratio *nunquam prodiit.*

2. *De collatione potestatis pontificiae*

406. Iurisdictio suprema et plena in Ecclesia Christi Romano Pontifici, legitime nominato neque ulla lege irritante sive iuris divini sive iuris canonici impedito, post vacationem Sedis

[18] *Hollweck*, l. c. p. 421 sq.; *Grauert*, Papstwahlstudien, Hist. Jahrb. t. 20, p. 271 sq.; *Grisar*, Gesch. Roms t. I, p. 494 sq.

[19] *Hollweck*, l. c. p. 346 sq.

[20] *Hollweck*, l. c. p. 383 sq.

[21] Raynaldus refert *iam in Consistorio* (19 Nov. a. 1561), a Pio IV declaratum et decretum fuisse Romanum Pontificem id non posse; sed huiusmodi declaratio in Consistorio non est definitio ex cathedra et nullibi reperitur publicata. Cfr. *Hollweck*, l. c. p. 390 sq. et praesertim *Saegmueller* in Arch. f. k. K. t. 75, p. 413 sq., ubi solide probat *duo* Consistoria Pii IV esse distinguenda; in Consistorio a. 1565 provocari ad Consistorium a. 1561, non ad decretum Bonifacii II, Victorellum rem bene referre atque declarationem illam post Consistorium a. 1565 nunquam esse publicatam.

Apostolicae atque *acceptatam* ab electo nominationem, immediate a Deo confertur vi legis divinae de primatu S. Petri perpetuo in Ecclesia Christi duraturo.

Nam iurisdictio confertur aut Superioris ecclesiastici collatione vel institutione vel confirmatione, aut a Deo. At Superior ecclesiasticus, qui Romano Pontifici concedat iurisdictionem, omnino non existit; Ecclesia vero, sive hoc nomine intelligitur Collegium Cardinalium sive universus clerus et coetus fidelium, a Christo pontificiam potestatem nullibi accepit ideoque etiam concedere non potest. Ergo optimo iure Innocentius III, cap. 13, X. de iud. II, 1, declarat: « *Potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo* » [22].

3. *De inthronizatione R. Pontificis*

407. Romani Pontifices statim post electionem canonice factam et acceptatam et iam *ante* consecrationem vel coronationem vel captam possessionem Basilicae Lateranensis plene et perfecte primatum iurisdictionis obtinent.

Etenim illi a Deo datur iurisdictio pontificia, cuius persona ab Ecclesia est rite et sufficienter determinata. Iam vero ex natura rei, post electionem canonice factam, persona est rite et sufficienter determinata neque, saltem ex disciplina vigente, perfectior requiritur personae determinatio. Ergo concessio iurisdictionis ultra non differtur. Quod principium comprobatur ex antiquissima Ecclesiae praxi; ilico enim post electionem rite factam et acceptatam electi Romani Pontifices *funguntur* suo officio et ab Ecclesia tanquam veri successores S. Petri honorantur et recipiuntur. Accedunt disertae declarationes Nicolai II in c. 1, D. II. 23 et praesertim Clementis V, cap. 4 de sent. excom. V, 10 in Extravg. com., ubi illi excommunicantur, qui Litteras a Rom. Pontifice ante suam coronationem concessas impugnant. Cfr. *Riganti*, l. c. Reg. Canc. Apost. 10, n. 55 sq. et Reg. 18, n. 6 sq.

---

[22] *Fagnan.*, in cap. 4, X. de elect. I, 6, n. 32; *Ballerini*, De potest. eccles. cap. 9, § 1, n. 4; *Billot*, l. c.

§ II. Notae historicae [23]

408. Primis tribus saeculis electio Rom. Pontificis eodem modo facta esse censetur atque reliquorum Episcoporum occidentalium [24], i. e. successor S. Petri a clero Romano, adscitis vicinis Episcopis, populo praesente et testimonio suo dignitatem electi comprobante, per electionem canonicam constitutus est [25]. Quae electiones illo tempore plerumque magna concordia celebratae esse videntur, aliquoties autem, ut in electionibus S. Callisti [26] et Cornelii [27], schismata orta sunt, v. g. Hippolyti et Novatiani.

409. Finitis persecutionibus pristina electionis *forma* fuit retenta et generatim diligenter observata.

Constantinus fuit primus imperator, qui a. 355 [28] libertatem electionis Rom. Pontificis impediret. At cum iam ex saeculo quarto hinc inde electiones in discordia essent factae [29], Imperatores Romani atque postea reges germanici in Italia, v. g. Odoacer et Theodoricus opportunitatem nacti sunt sese immiscendi in negotium electionis [30]. Quare Symmachus Papa, ut schismata

---

[23] *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 2, cap. 16, 25, 26 sq.; *Phillips*, l. c. t. V, p. 740 sq.; *Saegmueller*, D. Cardinäle p. 117.; *Lector*, L'élection papale p. 9 sq., Le conclave, p. 3 sq.

[24] S. Clem. epist. I, cap. 44; S. Cypr. epist. 68, et n. c. 5, 6, C. VII, q. 1; *Hefele*, l. c. t. I, p. 382 sq.; cfr. quoque c. 76 Apost., c. 20 Conc. Arelat. a. 314; c. 4, 6 Conc. Nicaen. a. 325; c. 19, 23 Conc. Antioch. a. 341.

[25] Designatio per praedecessorem hisce temporibus facta aut spuriis nititur documentis, v. g. S. Clementis a S. Petro, aut ex nimis vagis locutionibus non sufficienter comprobatur, v. g. ex *Euseb.*, Hist. eccl. III, 13, 34, V, 6, VII, 2, designatio Lini vel Anacleti vel Evaristi vel Stephani vel Xysti. Cfr. *Hollweck*, l. c. p. 414 sq., qui merito non admittit parum accuratas assertiones *Luc. Lector*, Le conclave p. 3 sq. et *Holder*, D. Designation der Nachfolger durch d. Päpste p. 13 sq., 27 sq.

[26] Hippolytus, Philosoph. IX, 12 sq.

[27] S. Cypr. in cit. c. 5, 6, C. VII, q. 1; *Hefele*, l. c. t. I, p. 114.

[28] *Hefele*, l. c. p. 661, 681 sq.

[29] V. g. Urcisinus sive Ursinus contra Damasum a. 366. Cfr. *Hefele*, l. c. p. 739, t. II, p. 34 sq.

[30] Cfr. edict. Valentiniani I, 16 Nov. 367, in favorem Damasi; rescript. Honorii a. 420, (cfr. c. 8, D. 79, cum dict. Grat. et c. 2, D. 97), iunct. epist. Bonifacii I, a. 420, (cfr. c. 1, D. 97, cum dict. Grat.) in favorem Bonifacii I, contra Eulalium. Gratianus l. c. in suo dicto ad c. 1, D. 97, recte explicat rescriptum Honorii, quatenus is suam competen-

periculosa eliminaret, in Synod. Rom. a. 499, c. 1, 2, 3, 4, novas leges de electione R. Pontificis condidit. Cfr. quoque c. 7, D. 79 — decr. Bonif. III in Synod. Rom. a. 606. — Quibus statutis in Synodo Romana a. 502 accessit reprobatio decreti Odoacris a. 483 publicati. Post restauratam a Iustiniano dominationem Romanam in Italia, Imperatores, vestigia suorum praedecessorum prementes, approbationem electionis R. Pontificis et tributum quoddam sibi vindicarunt. Quae praxis, quatenus non fuit evidens libertatis ecclesiasticae violatio, solummodo nitebatur tolerantia vel concessione quadam Rom. Pontificum [31], et paulatim saeculo septimo cessavit, saeculo vero octavo non commemoratur.

410. Romani Pontifices, postquam saeculo octavo ab imperio byzantino liberati independens quoddam territorium consecuti sunt, ut plurimum libere a violentia *principum* eligebantur; libertas electionis potius contra *factiones Urbis* plebisque tumultus fuit defendenda [32]. Hinc Stephanus III — a. 768-772 — in Conc. Rom. a. 769 novas leges de electione Romani Pontificis tulit, in quibus exclusis laicis soli clero electio reservatur, nullusque laicus, immo nec clericus dicitur esse eligendus, nisi fuerit iam Cardinalis diaconus vel presbyter [33].

Pro relatione, quae inter Romanos Pontifices et reges Francorum inde a Carolo M. [34] intercessit et pro officio advocatiae Romanorum Pontificum, ipsis per dignitatem imperialem commisso, mirum non est quod saeculo nono electio Romani Pontificis

---

tiam non excessit (ordinando *novam* electionem in casu discordis electionis), de brachio saeculari sive patrocinio legitimo Romano Pontifici, ad *instantiam* Bonifacii I, concesso. Cfr. dict. Grat. et c. 1, D. 96 = act. et decret. ex Synod. Rom. a Symmacho, celebr. a 502, ubi referuntur postulationes Odoacris post mortem Simplicii Papae († a. 483), publicatae et ex *ipsius* Simplicii *mandato* derivatae, ne absque regis « *consultatione* cuiusquam celebretur electio ». Cfr. de interventione Theodorici post electionem Symmachi: *Hefele*, l. c. t. II, p. 625 sq.

[31] Cfr. c. 21, D. 63; *Hefele*, l. c. t. III, p. 182, 213, 281 sq. ac de aliis usurpationibus regis Theodorici et Imperatorum Byzantinorum; *Pfeilschifter*, Theodorich d. G. p. 203 sq.; *Grisar*, Gesch. Roms t. I, p. 502.

[32] *Hefele*, l. c. t. III, p. 433 sq.

[33] Cfr. c. 3, 4, 5, D. 79; *Hefele*, l. c. p. 434 sq.

[34] Concessio, quae ab Hadriano I dicitur Carolo M. facta « *eligendi Pontificem et ordinandi apostolicam sedem* » (cfr. c. 22, D. 63), est spuria. Cfr. *Hefele*, l. c. t. III, p. 620 sq.

saltem *post consecrationem*, immo paulatim iam *ante* consecrationem fuerit eisdem notificanda [35]. Quae fuerit vis illius notificationis optime eruitur ex c. 10 Conc. Rom. a. 898, quo Ioannes IX antiquas praerogativas Imperatoris denuo restaurare studuit, ut Rom. Pontifex a factionibus Romanis liberaretur.

Cum sub Ottone I restauratum esset imperium Romanorum, is sibi in Sedis Apostolicae provisionem vindicavit potestatem omni iuris titulo destitutam [36]. Quae praerogativae [37] Imperatorum usque ad Henricum IV adeo creverunt, ut ipsi Romanos Pontifices *nominarent* [38] et electio canonica *in praxi* fieret illusoria.

411. Quamvis omnino sit concedendum Imperatores inde ab Ottone I usque ad Henricum IV nonnisi viros ecclesiasticos vere dignos et idoneos ad dignitatem pontificiam nominasse gravesque impedivisse abusus, tamen adeo ampla Imperatorum potestas non leve fuit libertatis ecclesiasticae periculum.

Quare sapienti consilio Nicolaus II a. 1659 in Concilio Lateranensi novum publicavit decretum [39] de electione Romani Pontificis, quo *principalis* electionis pars tribuitur Cardinalibus Episcopis, ita tamen, ut consensus aliorum Cardinalium et reliqui cleri populique Romani accedat, salvumque maneat privilegium quoddam Imperatoris.

Quae electionis forma usque ad Alexandrum III (a. 1159-

---

[35] Cfr. c. 31, D. 63; c. 3 Conc. Roman. a. 862, vel 863, iunct. c. 3 sq. D. 79, ex Conc. Rom. a. 769; *Brueck*, Lehrb. d. K. § 90, p. 289, ubi ex opere Cardinalis **Deusdedit**, vel **Anselmo Lucensi** iuniori adscripto, haec referuntur verba de *honore* regi exhibendo: « *Ut obeunte Apostolico Pontifice successor eligeretur, et electio eius regi notificaretur. Facta vero electione et, ut prius dictum est, regi notificata, ita demum Pontifex consecraretur* ».

[36] *Phillips*, l. c. t. V, p. 785 sq.

[37] Privilegium, quod Leo VIII, Pseudopapa, Ottoni I dicitur concessisse (cfr. c. 23, D. 63), nullum habet valorem canonicum et historicum. Cfr. *Phillips*, l. c. p. 787.

[38] Concessio a Clemente II et populo Romano in favorem Henrici III facta (a. 1046) in dubium vocari nequit. Cfr. *Hefele*, l. c. t. IV, p. 713, 716 sq., 781 sq. ubi ambitum et praxim huius privilegii rite explicat; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 340, not. 2, n. 341, p. 270, not. 1 sq.

[39] Cfr. c. 1, D. 23, qui authenticum textum huius decreti exhibet, quemadmodum post multas et longas controversias nunc est indubitatum. Cfr. *Hefele*, l. c. p. 800 sq.

1181) paulatim immutata est. Sublato privilegio Imperatoris et exclusis clericis inferioribus et laicis, solummodo Cardinalibus sine ordinum discrimine demandatum est negotium electionis.

Alexander III in Concilio Lateranensi III, a. 1179, capit. 1 expresse statuit ut ad valorem electionis R. Pontificis duae tertiae partes praesentium Cardinalium requirerentur et sufficerent, insuper praxim, paulatim receptam de exclusione Imperatoris, populi, cleri inferioris et discriminis Cardinalium quoad ius eligendi, saltem tacite ratam habuit. Cfr. cap. 6, X. de elect. I, 6.

Postea Gregorius X, ut vitaretur incommodum nimis longae vacationis Sedis Apostolicae ex protracto negotio electionis ortum, in Concilio Lugdunensi II (a. 1274) c. 2, electionem R. Pontificis fieri iussit in conclavi cum parsimonia cibi et potus. Cfr. cap. 3, de elect. I, 6 in Sext. Quae parsimonia a Clemente VI, Const. « *Licet* » 6 Dec. 1351 ad benigniores terminos reducta est.

Decreta Gregorii X, a Clemente V approbata, eo potissimum statuto sunt aucta, quod vel ipsi excommunicati, suspensi, interdicti Cardinales ad legitima suffragia ferenda admitterentur [40].

Iulius II propter simoniacas artes, quibus Alexander VI vota Cardinalium sibi comparaverat, simoniacam electionem Romani Pontificis prorsus invalidam esse statuit [41], *exclusa* quoque *sanatione* per inthronizationem aliosque actus subsequentes. Vestigia Symmachi secutus Paulus IV severissimis poenis prohibuit, ne vivente R. Pontifice de ipsius successore eligendo institueretur tractatus. Idem in Const. « *Cum ex Apostolatus officio* » 15 Febr. 1559 declarat quod, si apparuerit aliquem, etiam

[40] Cap. 2, de elect. I, 3, in Clem. Cfr. de prima capitulatione in conclavi facta; *Hefele* l. c. t. VI, p. 697 sq.

[41] Iul. II Const. « *Cum tam divino* » 14 Ian. 1506, postea etiam a Conc. Later. V, Sess. V, 16 Febr. 1513 approbata. Cfr. *Hefele-Hergenr.* l. c. t. VIII, p. 408, 532 sq.; *Pastor*, Storia dei Papi, vol. III, p. 626 sq., 255 sq.; *Lehmkuhl*, in Act. theol. Oenip. t. IV, p. 341. Num electio simoniaca R. Pontificis iam *ante* Iulii II Constitutionem per decretum Nicolai II (a. 1059) fuerit etiam invalida, hisce ultimis temporibus acris controversia agitata est, praesertim inter *Michael* (cfr. Act. theol. Oenip. t. XX, p. 761 sq. t. XXI, p. 191 sq.), qui invaliditatem negavit, et *Grauert*, (cfr. Hist. Jahrb. t. XIX, p. 827, t. XX, p. 236 sq.), patronum invaliditatis. Qua in controversia, Grauert non videtur satis attendisse differentiam inter *illiceitatem* et *nullitatem*, terminologiam antiquis temporibus mi-

in Romanum Pontificem eligendum, *ante* eius assumptionem a fide catholica deviasse aut in aliquam *haeresim* incidisse (seu *schisma* incurrisse), promotio de eo facta *nulla*, irrita et inanis existat nec per inthronizationem aut adorationem aliosque actus subsequentes convalescat [42]. Tandem Pius IV, Const. « *In eligendis* » 9 Oct. 1562, de electione R. Pontificis, de administratione Status pontificii tempore interregni (Interpontificio), de conclavistis etc. complura nova decreta publicavit.

412. Scholion. Inde ab hoc tempore prima reperiuntur *vestigia* alicuius *exclusivae* per Imperatorem Carolum V et Philippum II et Philippum III, reges Hispaniae, exercitatae, una cum gravissimo abusu inclusionis per factiones Cardinalium, dependentes a nepotibus Paparum vel a suggestionibus principum

nore rigore receptam et accuratiorem dicendi modum posterioris aetatis, denique disciplinam vigentem, quae ante Iulium II certe nullitati non favit, licet omnino reprobatae essent electiones simoniacae RR. Pontificum. Cfr. *Saegmueller*, Lehrb. d. k. K. § 87, p. 215, not. 1. Quodsi *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. p. 272, not. 1, videtur tenere simoniam *iure divino* electionem R. Pontificis (v. g. Alexandri VI, si vera sint facta) reddere *invalidam*, propugnat opinionem non satis fundatam. Nam certe ex iure divino *naturali* electio simoniaca R. Pontificis est *gravissime illicita*, sed *non invalida; positiva* vero lex divina irritans talem electionem omnino non existit. Neque ullum dubium est inter theologos et canonistas catholicos, quin R. Pontifex *vim irritantem* Constitutioni Iulii II *auferre possit*, ut iam factum est per Pium X, unde evidenter consequitur illam irritationem ordinatione ecclesiastica, non divina, fuisse statutam. Et profecto periculum simoniae nunc in Cardinalibus est valde remotum atque ab electione R. Pontificis, quantum fieri potest, arcendi sunt omnes praetextus, quibus ipsius valor in dubium vocari possit. At profecto Iulii II Constitutio terminis adeo severis concepta est, ut iam in ipso Concilio Lateranensi V, (cfr. *Hefele*, l. c. t. VIII, p. 533 sq.), hac de re motae fuerint difficultales et usque ad nostram aetatem auctores in interpretanda Const. Iulii II abeant in diversas sententias. Cfr. infra h. art. 2, § 3. Quare nihil mirum esset, si R. Pontifex Constitutionem Iulii II, sublata vi irritandi, reduceret ad terminos iuris divini et antiqui iuris canonici, sc. ad gravissimam *illiceitatem* electionis simoniacae R. Pontificis. Cui desiderio auctoris, ob mutatas plane temporum circumstantias, satisfactum est per abrogationem expressam illius Constitutionis, factam in Const. « *Vacante Sede Apostolica* » 25 Dec. 1904.

[42] Cfr. quoque Pauli IV Constitut. « *Cum secundum Apostolum* » 16 Dec. 1558.

saecularium, unde *paulatim formalis* et *proprie* dicta exclusiva Austriae, Galliae, Hispaniae cum suis qualitatibus specialibus orta est. At peremptoriis argumentis non probatur iam ab *antiquioribus* Rom. Pontificibus, v. g. a Clemente XII, exclusivam *expresse et absolute* fuisse damnatam eiusque observantiam Cardinalibus interdictam, si bonum Ecclesiae universalis id videbatur exigere, eo quod, teste Lugo, non solum ratio habenda esset qualitatum *personalium*, sed etiam *servitii* Ecclesiae [43]. Illa prohibitio expresso et efficaci modo facta est a Pio X, Const. « *Commissum Nobis* » 20 ian. 1904.

413. Cum novi abusus in electione Rom. Pontificis fuissent inducti, quibus praesertim *libertas* electionis non modicum periclitaretur, Gregorius XV, Const. « *Aeterni Patris* » 15 Nov. 1621 et per *Caeremoniale* Const. « *Decet Romanum* » 12 Mart. 1622, gravissimum hoc electionis negotium denuo perfecte ordinavit. Quae electionis forma postquam etiam ab Urbano VIII, Const. « *Ad Romani Pontificis* » 28 Ian. 1626, ut norma stabilis et perpetua approbata est, solummodo paucis exceptis additamentis a Clem. XII, Const. « *Apostolatus officium* » 4 Oct. 1732, et chirographo « *Avendo noi* » 24 Dec. 1732 et a Pio IX, Const. « *Cum Rom. Pontificib.* » 4 Dec. 1869, factis, ex iure communi hactenus vigenti erat observanda, salva auctoritate Romani Pontificis providendi pro casibus *extraordinariis*.

Et revera Pius IX, post occupationem Urbis a gubernio italico perpetratam, quatuor edictis, sc. Const. « *In hac sublimi* » 23 Aug. 1871, Const. « *Licet per Apost. Litteras* » 8 Sept. 1874, Const. « *Consulturi* » 10 Oct. 1877 atque *Regolamento da osservarsi dal S. Collegio in occasione della vacanza della Apostolica Sede* 10 Ian. 1878, electioni sui successoris sapienter providit. Insuper iussit suas ordinationes vim retinere *in futuris* electionibus, si ipsius successor, post breve forte tempus ex hac vita decedens, *novas* non tulerit leges [44]. Simili ratione Leo XIII electioni sui successoris providit per Const. « *Praedecessores nostri* » 24 Maii 1882, cum Instructione (vulgo *Regolamento*) adiecta [45].

[43] *Saegmueller*, in Arch. f. k. K. t. 73, p. 193 sq., t. 76, p. 25 sq., *Wahrmund*, D. Ausschliessungsrecht etc. iunct. *Saegmueller*, Lehrb. § 87, p. 318, not. 1; *Bouix*, De Papa t. III, p. 341 sq.; *Moroni*, Dizionario v. Esclusiva; *Giobbio*, Esercizio del veto d'esclusione nel conclave; *Lector*, Le conclave p. 469 sq., 552 sq., 566 sq.; *Ferreres*, in « Razón y Fe » vol. 25, p. 106 sq., vol. 39, p. 496 sq., vol. 40, p. 105 sq.

[44] *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 126; *Lector*, L'élection papale p. 44 sq.

Tandem Pius X ne ius de electione R. Pontificis in diversis Constitutionibus maneret dispersum aut ea contineret, quae, temporum rationibus hominumque moribus mutatis, iam obsoleta evaserant, illud ius in unicam Constitutionem collegit, abrogatis omnibus praecedentibus praeter memoratam Const. Leonis XIII cum adnexa Instructione. Confer Const. « *Vacante Sede Apostolica* » 25 Dec. 1904, inter Documenta Codici adnexa, e qua, iuxta praescripta can. 160, est petenda disciplina vigens de electione R. Pontificis.

§ III. Disciplina vigens

414. *Electores* sunt, ex iure *ecclesiastico* nunc vigente, *soli et omnes Cardinales* legitimi, mente sani, in conclavi praesentes, qui sine manifesta infirmitatis causa in electione intervenire *debent*. Quod ius exclusivum Cardinalium eligendi Rom. Pontificem etiam salvum manet tempore Concilii oecumenici, quod ipso facto per mortem Romani Pontificis suspenditur [46]. Absentes Cardinales non sunt *necessario* in forma canonica vocandi, nec procuratorem constituere nec per epistolas suffragia dare possunt, sed, monitione Secretarii Collegii Cardinalium transmissa, expectandi sunt per quindecim dies, qui ad alios duos aut tres usque ad decem et octo prorogari possunt [47]. Die decimo quinto vel ad summum decimo octavo post *vacationem* Sedis Apostolicae, Cardinales ingrediuntur conclave atque die sequenti incipit electio. Cardinales, qui coepta iam electione perveniunt ad Curiam, in conclave admittendi sunt; at nemo ex

[45] Cfr. « Il Monitore » vol. 26, p. 339 sq.

[46] Cap. 6, X. de elect. I, 6; cit. Const. Gregorii XV, Urbani VIII, Pii IX, Const. « *Cum Rom. Pontificibus* » 4 Dec. 1869. Cfr. *Bonacina*, l. c. disp. 1, q. 1, punct. 1; *Camarda*, l. c. p. 103 sq., 169 sq.; *Lector*, L'élection papale p. 221 sq.; cit. Const. Pii X n. 27, 28, iunct. can. 229.

[47] Cfr. Motu proprio Pii XI, 1 Mart. 1922, (A. A. S. XIV, 145) quo in hac parte immutata est Const. Pii X de ingressu in conclave post 10 dies; Pii IV Const. « *In eligendis* » §§ 3, 5; *Ferraris*, l. c. v. Cardinales art. 1, n. 22, v. Papa art. 1, n. 25, 26; *Camarda*, l. c. p. 123, 209 sq.; *Bonacina*, l. c. q. 4; cit. Const. Pii X n. 33 sq.

iis, qui conclave ingressi sunt, discedere potest, nisi de infirmitate constet ex medicorum iuramento.

Omnes electores ut *valide* ferant suffragia, saltem ordine diaconatus initiati sint oportet; secus iure ferendi suffragii omnino carent, nisi iam *ante* consecuti sint *indultum* apostolicum [48].

At non excluduntur qui censuris irretiti sunt [49] multoque minus ii, quibus nondum os est apertum, vel insignia dignitatis cardinalitiae non acceperint (Const. Pii X, n. 30). Soli excluduntur canonice depositi et qui, consentiente R. Pontifice, cardinalitiae dignitati renuntiarunt [50].

415. *Valide eligibiles* sunt omnes, qui iure divino aut iure ecclesiastico *irritante* non impediuntur. Quare valide eligi potest masculus, qui usu rationis polleat ad acceptandam electionem et exercendam iurisdictionem verumque sit membrum Ecclesiae, etsi laicus tantum existat. Arcentur autem tanquam inhabiles a valida electione omnes feminae, infantes, qui ad annos discretionis nondum pervenerunt, item habituali amentia laborantes, non baptizati, haeretici, schismatici, non autem simoniaci, postquam Iulii II Constitutioni legitime fuit derogatum citata Pii X Const. n. 79 quoad vim *irritandi* electionem simoniacam, salvo semper iure divino gravissimae prohibitionis [51].

---

[48] Pii IV Const. « *In eligendis* » § 25; Sixti V Const. « *Postquam verus* » 3 Dec. 1586 § 6; Caeremoniale Greg. XV, § Porro; *Camarda*, l. c. p. 169 sq.; *Lector*, l. c. p. 225; cit. Const. Pii X n. 32. Quod praescriptum de diaconatu datur per verbum *si forte*, et attenta *absoluta* potestate R. Pontif. apte cohaeret cum canone 232, § 1 de assumendis ad Cardinalatum *presbyteris*.

[49] Cap. 2 de elect. I, 3, in Clem.; Gregor. XV Const. « *Aeterni* » § 22; quae censurae *ad effectum electionis* suspenduntur. Const. Pii X, n. 29.

[50] Decret. Pii V, 26 Ian. 1571; *Ferraris*, l. c. v. Cardinales art. 1, n. 20 sq.; cit. Const. Pii X, n. 29, 30, 31.

[51] Cfr. de iure praecedenti Iul. II Const. « *Cum tam divino* »; *Camarda*, l. c. p. 221, 236 sq.; *Bonacina*, l. c. q. 1, punct. 3, i. f. q. 2; *Wilmers*, l. c. p. 256 sq.; *Lector*, l. c. p. 226 sq. Electio quoque *laici* iam ex antiquiore iure fuit valida et multo magis ex disciplina vigente electioni laici, etsi nunc vix unquam practicae et licitae, exceptio nullitatis certe opponi nequit, ut recte tenent *Ferraris*, Biblioth. v. Papa art. 1, 48, aliique v g. De Luca, Schulte, Phillips, Hinschius; aliter *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 344, not. 3, ubi insistit canoni, *nunc* certe antiquato, atque non satis attendit etiam hac in re iure *speciali* electionis R. Pontificis generi sive iuri communi fuisse derogatum.

Licite a Cardinalibus eligi nequit qui caret debita *honestate et scientia* et omnibus in Domino consideratis non est *dignior*. Nulla vero existit lex *etiamnunc* obligans ut Romanus Pontifex ex *clero Romano* vel ex *Collegio Cardinalium* vel ex Italis assumatur. At inde ab Urbano VI (a. 1378-1389), qui tempore electionis suae Cardinalis non fuerat, constanti usu servatum est ut semper Cardinalis S. R. E. eligeretur successor S. Petri, et Hadrianus VI (a. 1522-1523), Batavus, fuit ultimus Romanus Pontifex, qui extra Italiam suos habuit natales. Cfr. *De Angelis*, Praelect. iur. can. l. I, t. 6, n. 6.

416. Ratione *loci* et *temporis* imprimis requiritur ut electio R. Pontificis fiat in *conclavi* clauso, sublata tamen per Const. Pii X n. 47 nullitate aliter factae electionis a Gregorio XV statuta. Conclave autem ex communiter contingentibus *in Urbe* est habendum, nisi verificetur casus a iure comuni vel speciali ordinatione R. Pontificis exceptus [52].

Praeterea in iure cautum est ne electionis initium fiat *ante quindecim dies* integros, ab obitu Pontificis elapsos, neque ultra decimum octavum differatur, Quae ordinatio de tempore, si absque gravi causa non servetur, electionem non reddit invalidam, nec urget in circumstantiis praevisis in Const. « *Praedecessores Nostri* » Leonis XIII.

417. *Forma,* in eligendo Romano Pontifice a Cardinalibus sub poena nullitatis servanda, est *aut* quasi inspiratio *aut* compromissum *aut scrutinium*. Electio igitur nunc facta per *adorationem* est invalida [53].

I. Quasi *inspiratio* habetur, cum omnes et singuli Cardinales in conclavi praesentes sine tractatu praevio quasi afflati Spiritu Sancto aliquem unanimiter et viva voce S. Pontificem proclamant.

II. *Compromissum* in hoc consistit, quod omnes et singuli Cardinales in conclavi praesentes, nemine dissentiente, aliquibus i. e. tribus, quinque vel septem ex Collegio Cardinalium committant eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiae catholicae provideant de pastore. Cit. Const. Pii X, n. 56.

---

[52] Cit. Greg. XV Const.; *Camarda*, l. c. p. 174 sq., 216 sq.; *Bonacina*, l. c. q. 3. Cfr. cit. Const. Leonis XIII « *Praedecessores nostri* ».

[53] Gregor. XV Const. « *Aeterni* » § 1, et Caeremoniale; *Camarda*, l. c. p. 120 sq.; *Bonacina*, l. c. q. 5; cit. Const. Pii X, n. 54 sq., 78.

III. *Scrutinium*, quod est ordinarius modus electionis Romani Pontificis, fit bis in die votis *secretis* et scripto datis atque clausis secundum formam accuratissime descriptam. Const. Pii X, n. 61 sq.

Si scrutinio publicato nemo ex candidatis duas tertias partes suffragiorum obtinuerit, statim post scrutinium, antequam ad alios actus diverteretur, a Cardinalibus semel in quolibet scrutinio fieri debebat olim *accessus*[54], quo nunc abrogato, Cardinales statim procedere debent ad novum scrutinium peragendum[55].

418. Porro *simoniace* non est eligendus Rom. Pontifex[56] neque ex praeviis pactionibus, conventionibus aut promissionibus

[54] Gregor. XV Const. « *Aeterni* » §§ 10 sq., Caeremoniale: « *Accessus, qui immediate post scrutinium, i. e. post depositas seorsim schedulas* fiet, *nisi forte in scrutinio fuerit creatus Papa;* tunc *enim nullus fieri* debet *accessus* ». Quibus ex verbis Caeremonialis manifeste eruitur *post* scrutinium, in quo Papa *non* est electus, accessum fuisse praescriptum nec arbitrio Cardinalium relictum. At cum non paucis iste accessus videretur esse actus valde complicatus, optimo iure a Pio X cit. Const., n. 76 fuit abrogatus et eius in locum substitutum fuit simplex quoddam secundum scrutinium, statim post primum peragendum, uti etiam fit in electionibus Episcoporum vel regularium. Nam ita habetur commodum ex informatione primi scrutinii atque utilitas accessus statim in loco electionis facti, antequam Cardinales ad alios actus divertantur.

[55] In *accessu* ante Pium X praescripto denuo ferebantur suffragia et Cardinales poterant suffragium dare *novo* candidato, qui in scrutinio saltem *unum* votum *validum* obtinuerat, *aut* suffragium proprium in scrutinio datum simpliciter *confirmare* his verbis: « *accedo nemini* ». Cum accesus esset actus superadditus scrutinio, suffragia in hoc lata connumerabantur. Hinc fieri poterat ut, peracto accessu, duo candidati duas tertias partes obtinerent. Quod si acciderat, is solus censebatur legitime electus, qui praeter duas tertias partes etiam *maiorem* partem suffragiorum inter omnes consecutus erat. Si suffragia post accessum inter plures fuissent *paria*, novum instituendum erat scrutinium. Gregorii XV Const. « *Aeterni* » § 4; *Phillips*, l. c. p. 89.

[56] Quae electio simoniaca ex natura rei et antiquis iuris sanctionibus semper fuit illicita; at nonnisi a Iulio II, cit. Const. « *Cum tam divino* », reddita erat ipso facto nulla et irrita, si simonia intercessisset, saltem conventionalis et ex parte rei spiritualis consummata, vere notoria, non tantum occulta, ab electo conscio vel non repugnante aut ab alio Cardinali intra conclave existente commissa, dummodo electio ita processisset ex vi voti empti et venditi, ut absque illo non habitus fuisset legitimus numerus suffragiorum. Neque huiusmodi electio convali-

etiam sine simoniae labe factis, quae etsi fuerint iuramento firmatae penitus irritantur. Const. Pii X, n. 82, 83.

419. Deinde *libera* omnino sit electio Rom. Pontificis. At quamvis metus gravis et iniustus, ab extrinseco in ordine ad

dari poterat per inthronizationem electi vel per adorationem et obedientiam Cardinalium, sed contra electum a quocumque Cardinali, qui eidem electioni interfuisset, exceptio poterat opponi tanquam de vera et *indubitata haeresi*. Immo qui ita simoniace electus fuisset, non solum ipso iure et absque ulla declaratione privatus erat dignitate cardinalitia omnibusque officiis et beneficiis ecclesiasticis iam possessis, sed ad omnia officia ecclesiastica, etiam ad dignitatem papalem, penitus erat inhabilis. Cfr. supra h. tit. not. 51; praesertim *Camarda*, l. c. p. 266 sq.; Iulii II Const. « *Cum tam divino* » cum Camarda, Passerino aliisque secundum textum et contextum et historiam evidenter intelligenda erat de *simonia* vere *notoria*. Hinc omnes disquisitiones illorum theologorum et canonistarum, qui disputarunt de sananda electione R. Pontificis, ex simonia *secreta* propter cit. Iulii II Const. *invalida*, laborabant *falso supposito* et in se difficultatibus non carebant. Nam certe Ecclesia iurisdictionem pontificiam, quam *non* habet, *nulliter electo* Rom. Pontifici concedere nequit; manifesta enim est disparitas inter Papam et inferiores Praelatos, in quibus ab Ecclesia sive a iure iurisdictio suppleri potest. Neque Deus *invalide electo* iurisdictionem pontificiam concedet. Nam id gratis fingitur, cum Deus nullibi promiserit se, etiam illegitime et invalide designatis successoribus S. Petri, iurisdictionem esse concessurum. Scite enim scribit *Suarez*, De fide disp. 10, sect. 6, n. 4: « *Inauditum est, qui verus Papa non est, a Deo fieri Papam sine hominum electione et ministerio* ». Neque cum *Wilmers*, De Ecclesia Christi p. 366, provocari potuit ad tempus magni schismatis occidentalis, quo *a Deo* suppleta fuerit iurisdictio Episcoporum, eo quod tres essent Papae dubii, i. e. iurisdictione destituti. Nam eo quoque in casu iurisdictio non est data Episcopis immediate a Deo, sed ex lege ecclesiastica, supplente iurisdictionem, vel a Papa obedientiae Romanae, qui nequaquam erat dubius, sed certus atque legitimus Romanus Pontifex. Si tandem *Franzelin*, De Ecclesia p. 234, recte urget in Concilio Constantiensi formam electionis R. Pontificis solummodo potuisse immutari propter delegationem a legitimo Papa, i. e. Gregorio XII factam, idem principium ad nostrum casum est applicandum. Nam certe Ecclesia universalis nequit mutare formam electionis R. Pontificis iure communi statutam, neque ullo in loco legitur ipsi huiusmodi potestas pro casu nostro concessa. Quodsi ad divinam providentiam provocetur, multo simpliciter est illa explicatio, etiam in impedimentis iuris *divini* retenta, quod Deus omnia ita disponat, ut istud vitium electionis Ecclesiae innotescat. Cfr. *Bouix*, De Papa, t. I, p. 238; *Wilmers*, l. c. p. 257; *Billot*, l. c. Neque *sanatio* prioris electionis invalidae Cardinalium repetenda est ex secunda quadam electione per consensum

electionem etiam determinatae personae per vim Cardinalibus incussus, sit grave delictum, tamen neque ex natura rei neque ex antiquo iure Decretalium electionem Romani Pontificis reddidit *invalidam* [57]. Quare iam ex hoc capite electio Urbani IV tanquam invalida haberi non potuit. Quodsi scriptores etiam catholici [58] ex Concilio Constantiensi Sess. XXXIX, cap. 2 talem electionem metu factam omnino irritam esse deducunt, huiusmodi decreto Constantiensi solummodo eatenus vis probandi competit, quatenus iuribus Sedis Apostolicae praeiudicium non affert atque generali quadam ratione a Martino V et Eugenio IV approbatum est [59].

Atque idem videtur dicendum in iure Codicis. Nam licet ex can. 169 *invalidum* est suffragium, si elector *metu gravi* aut dolo adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disiunctive, ille canon, stante praescripto can. 160, electioni Rom. Pontificis non potest applicari, quae unice regitur memorata Constitutione Piana, in cuius n. 84 admonentur quidem gravissimis verbis Cardinales ut, non vi vel *metu* aut aura populari moti, sed bonum Ecclesiae respicientes, in magis idoneum sua suffragia conferant, at de nullitate suffragii per metum extorti nulla fit mentio; quae potius excluditur inde quod ex n. 79 in

---

Ecclesiae universalis facta. Iste enim consensus niteretur *errore* quodam *universali* et completo Ecclesiae in admittendo *falso* Papa pro vero, et iste error esset saltem *natura* sua *prior* sanatione illa electionis. Quem errorem theologi passim ab Ecclesia excludunt. Cfr. *Camarda*, l. c. p. 238 sq. Quodsi dicatur errorem communem in actu primo iam sufficere, prout theologi explicant suppletionem iurisdictionis in confessariis (cfr. *Bucceroni*, in Analect. eccles. a. 1898, t. VI, p. 90), statim ab initio valida est electio. Id vero manifeste repugnat verbis Iulii II. Quare praeferenda est solutio Camardae l. c., ubi Iulii II Constitutionem interpretatur de *notoria* simonia et insuper addit: « *Electio Papae ratione simoniae non est habenda ut nulla, nisi aliquis Cardinalium praesentium electioni tempore debito et legitimo* **exceperit** *de illa tanquam de* **indubitata** *haeresi* ». Quae assertio eruitur ex cit. Const. Iulii II, De *exceptionibus* contra electionem R. Pontificis. Cfr. *Camarda*, l. c. p. 253 sq., et praesertim p. 257, 259.

[57] *Camarda*, l. c. p. 249; *Bonacina*, l. c. q. 1, punct. 2.

[58] *Camarda*, l. c.; *Bonacina*, l. c.; *Passerin*, De elect. canonica cap 4, n. 17.

[59] *Hefele*, l. c. t. VII, p. 372 sq.

tali electione omnino amputandi sunt praetextus impugnandi eius valorem.

420. Scholion. *Exclusiva*, quae nec expresso privilegio seu concessione Ecclesiae, nec iure consuetudinario aut praescriptione acquisitiva, sed prudenti quadam tolerantia et conniventia Ecclesiae vel potius Collegii Cardinalium nitebatur [60], erat praxis quaedam hisce ultimis saeculis a guberniis Austriae, Galliae et Hispaniae compluries exercita, vi cuius a singulis illis guberniis *semel ante* electionem completam *unus* Cardinalis ut minus gratus excludebatur. At Cardinales ex *lege ecclesiastica* in omnibus et singulis casibus non *tenebantur* deferre exclusioni factae tanquam *stricto iuri*, sed suffragia sua dare debebant iuxta leges prudentiae christianae et maius bonum Ecclesiae universalis. Certe propter exclusivam a Cardinalibus non servatam, electio alicuius R. Pontificis non erat invalida neque ullo modo in dubium vocari poterat. Immo iam ex disciplina ultimo tempore in praxi vigente, si quis Cardinalis sese constituisset nuntium vel agentem alicuius gubernii ad interponendam exclusivam, profecto a gravi scandalo, culpa et censura excusari non poterat.

Quodsi reprobationes *exclusivae* minus expressae et directae in Constitutionibus *In eligendis* Pii IV, *Aeterni Patris* Gregorii XV, *Apostolatus officium* Clementis XII, *In hac sublimi*, *Licet per Apostolicas*, et *Consulturi* Pii IX quibus vindicabatur plena libertas Sacri Collegii in electione, non fuerunt efficaces, ut experientia docuit, ad impediendam ingerentiam potestatis

---

[60] *Saegmueller*, Lehrb. d. k. K. p. 318; *Giobbio*, l. c.; *Lingen*, l. c. p. 131; *Lector*, Le conclave p. 517 sq.; *De Angelis* l. c. l. I, t. 6, n. 4. i. f. ubi de quaestionibus historicis oscitanter et parum accurate loquitur. Quare *Wahrmund*, qui verum quoddam *ius* consuetudinarium ad dandam exclusivam defendit, imprimis deficit in probando *facto* iuris consuetudinarii, praeterea de *iure* consuetudinario ea tenet principia, v. g. de consensu legislatoris non requisito, quae in foro ecclesiastico sunt omnino falsa et prorsus reicienda. Neque efficacia fuerunt argumenta, quibus iam a. 1644 et a. 1655 in conclavi « *ius excludendi* » regum Hispaniae et Galliae fuit propugnatum. Merito igitur Cardinalis Albitius praetensionibus guberniorum sese opposuit. De variis formis quibus diversis temporibus illa exclusio fuit facta cfr. *Ferreres*, in « Razón y Fe » vol. 25, p. 501 sq.; *Eisler*, Das Veto der katholischen Staaten bei der Papstwahl, p. 39 sq., 211 sq., 300 sq.

saecularis, multo efficacius medium videtur adhibitum a Pii X Const. *Commissum Nobis* 20 Ian. 1904 per impositum in virtute sanctae obedientiae praeceptum directe ipsis Cardinalibus, Secretario S. Collegii aliisque omnibus in conclavi partem habentibus, ne quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant *Veto* sive *Exclusivam*, etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, aut quavis ratione sibi cognitum sive S. Collegio sive singulis Cardinalibus patefaciant. Quod praeceptum munitur censura excommunicationis latae sententiae futuro Pontifici reservatae. Illa Constitutio tanquam pars Codicis affertur in Documentis ipsi adnexis.

421. *Post electionem* canonice factam et publicatam *consensus* electi est requirendus. Const. Pii X, n. 86, 87.

Quo consensu dato, ex consuetudine saeculo decimo a Ioanne XII (a. 955-964) inchoata et inde a saeculo undecimo communiter recepta, electus *ordinarie* nomen mutat. Deinde populo expectanti novus Romanus Pontifex a primo Cardinali Diacono publicatur. Const. Pii X, n. 89.

Quodsi electus nondum sit presbyter vel Episcopus, iuxta antiquissimam Ecclesiae Romanae consuetudinem a Decano Collegii Cardinalium, Episcopo Ostiensi, *ordinatur* et *consecratur*. Const. Pii X, n. 90.

Quam consecrationem sequitur traditio pallii atque coronatio sequenti die Dominica vel festiva per antiquiorem Cardinalem Diaconum. Const. Pii X, n. 91.

Tandem sollemni processione Romanus Pontifex accedit ad Basilicam Lateranensem, ut possessionem capiat suae ecclesiae cathedralis, matris omnium ecclesiarum. Cfr. *Camarda*, l. c. p. 278 sq.; *Phillips*, l. c. p. 892 sq.

422. Scholion. Cum tempore Sedis Apostolicae vacantis Cardinalibus omnis capitulatio in conclavi sub poena nullitatis sit interdicta, etiam in electo Romano Pontifice *post* electionem factam et acceptatam nulla existere potest *obligatio* servandi *vi pacti* huiusmodi capitulationem, si quae forte per fas et nefas iniretur [61].

---

[61] *Hefele*, l. c. t. VI, p. 697 sq., t. VIII, p. 100, 150, 268, 394, 396, 550 sq.; *Phillips*, l. c. p. 900. Cfr. quoque Anal. eccles. t. VI, p. 126, ubi in nota 2 exorbitantes assertiones textus de iure Cardinalium *condendi leges et capitulationes tempore vacantis* Sedis Apostolicae recte saltem in dubium vocantur.

423. *Censurae* latae sententiae atque pariter *poenae vindicativae*, pro delictis in electione Romani Pontificis commissis statutae, per Pii IX Const. *Apost. Sed.* non fuerant abrogatae [62]. Sed nunc pro his censuris et poenis unice standum est Const. Pii X. (Cfr. can. 2330).

Art. 3. — De officio et potestate Romani Pontificis

§ I. De natura et divisione officii et potestatis Rom. Pontificis

424. R. Pontifex duplicem habet potestatem sc. *ordinis* et *iurisdictionis*.

I. Potestas *ordinis*, quam Romanus Pontifex per sacram ordinationem et consecrationem episcopalem ex *ipso iure divino* consequitur, quoad *substantiam* et *valorem* non est maior quam in reliquis Episcopis rite consecratis. At *usus licitus* ordinis, qui a iurisdictione ecclesiastica in subditos dependet, in Romano Pontifice pro sua suprema et plena et universali iurisdictione multo latius patet. Quare complures functiones sacrae, v. g. in sacrificio eucharistico vel in administratione sacramentorum, R. Pontifici pro sua potestate suprema iurisdictionis sunt reservatae, quae aliis Episcopis non permittuntur [63].

II. Altera potestas R. Pontificis, de qua hoc loco praesertim est agendum, consistit *in primatu iurisdictionis* in universam Ecclesiam.

Qui primatus iurisdictionis in eo situs est, ut Romanus Pontifex habeat non tantummodo officium *inspectionis* vel directionis vel *potiores* partes, sed *plenam* et *supremam, ordinariam* et *immediatam* vereque *episcopalem* potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, sive in omnes et singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles, tum in rebus quae ad *fi-*

---

[62] Cfr. clausul. fin. cit. Const. « *Apost. Sed* »; *Pennacchi*, Comment. in Const. *Apost. Sed.* t. II, p. 536 sq.; *D'Annibale*, Comment. in Const. *Apost. Sed.* n. 18; *Thesaurus*, l. c. v. v. Ambitus cap. 2, 3, Conclave cap. 1 sq., Simonia cap. 7, Sponsiones; *Bonacina*, l. c. disp. II; *Camarda*, l. c. v. g. p. 161 sq., 171 sq., 181 sq., 206 sq., 227; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 728 sq.

[63] Cap. 28, i. f. X. de elect. I, 6; *Gasparri*, De sacr. ordinat. 795 sq.; *Scherer*, l. c. t. II, p. 599 sq.

dem et *mores*, tum quae *ad disciplinam* et *regimen* Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent. Cuius primatus scopus est unitas fidei et communionis in universa Ecclesia *efficienda* et *conservanda*. Quamplurima igitur *iura* in primatu iurisdictionis R. Pontificis contenta potius *onera* et *officia* muneris pontificii sunt dicenda. Neque reprehendendi sunt Rom. Pontifices, quibus *sollicitudo omnium ecclesiarum* est commissa, si sua iura strenue vindicant atque urgent. Inde facile patet quantopere a genuina vi et ratione primatus Romani Pontificis recesserint Gallicani, tum antiquae scholae saeculo 14 et 15 velut *Gerson* aliique, v. g. Patres Concilii Pisani (a. 1409) et Concilii Constantiensis Sess. V (a. 1415), Concilii Basileensis v. g. Sess. XXXIX (a. 1439), tum asseclae novae scholae gallicanae saeculo 16 et 17, v. g. *Pithou* († a. 1596), deputati cleri gallicani (a. 1682) aliique. Quorum perversa vestigia presserunt *Van Espen*, *Tamburinius*, *Febronius* atque ultimo saeculo inferioris notae scriptores, v. g. *Nuytz*, in Pii IX Syllabo damnati [64].

Profecto aliquot viri docti, praesertim tempore medii aevi, in suis disputationibus de potestate Romani Pontificis usi sunt verbis exaggeratis [65]. Quae res non impedit quominus *systema papale*, ut acatholici atque interdum etiam minus accurate catholici scriptores loquuntur, semper fuerit in Ecclesia catholica tanquam doctrina unice genuina admissa, neque unquam *systema episcopale* authenticam quandam obtinuit approbationem. Dubium quoque existere non potest, quod inter *systema papale* rite explicatum et *systema episcopale* tertium quoddam systema intermedium a viris catholicis defendi non possit. Etenim systema papale evidenter in Concilio Florentino atque praesertim in Concilio Vaticano Sess. IV, cap. 3, *definitum*, systema vero episcopale ibidem *condemnatum* est.

Quae principia fundamentalia de primatu iurisdictionis latius a theologis sunt explicanda et probanda. Canonistarum potius est ex principiis dogmaticis particulares [66] et practicas deducere *conclusiones*, ex *historiae* monumentis ostendere diversum *usum* potestatis pontificiae atque accurate explicare *disciplinam* vigentem praesertim de causis *maioribus* Sedi Apostolicae nunc reservatis [67].

[64] Conc. Vatic. Sess. IV, cap. 3, cum. can.; *Granderath*, l. c. p. 150 sq., 220 sq.; *Wilmers*, l. c. p. 239 sq., 260 sq.; *Hefele*, l. c. t. VII, p. 102 sq., 778 sq. Cfr. quoque Pii IX Syllab. prop. 23, 29, 34 sq., 43, 50, 51, 54 et epist. ad Darboy, Archiep. Paris, 26 Oct. 1865, in Act. S. Sed. XI, p. 210 sq.

[65] Cfr. *Lugo*, De virt. fid. div. disp. 19, n. 96, ubi exaggeratas opiniones Panormitani reicit.

425. Potestas iurisdictionis Romani Pontificis multiplici ratione *dividi* potest:

I. Ratione *originis* et *naturae* in *ecclesiasticam* et *politicam*. Illa est tota spiritualis et supernaturalis, sive versatur circa materiam spiritualem vel temporalem sive directe vel indirecte suum obiectum attingit, atque nititur positiva institutione et concessione Dei. Altera vero ex sese est naturalis et temporalis atque ex titulo historico et naturali possidetur ut ab aliis principibus civilibus, licet scopum habeat plane singularem protegendi dignitatem spiritualem et libertatem R. Pontificis.

II. Ratione *formae* etiam potestas iurisdictionis spiritualis R. Pontificis subdividitur in *legislativam*, *iudicialem*, *coercitivam*;

III. Ratione *materiae* in potestatem circa exercitium sacri ministerii sive ordinis et in potestatem sacri *magisterii* et *regiminis*;

IV. Ratione *modi* quo in suum obiectum dirigitur, in *directam* et *indirectam*, *ordinariam* et *extraordinariam*, *propriam* et *vicariam* sive *ministerialem*;

[66] Conc. Vatic. Sess. IV, cap. 3, nonnulla iura ex primatu Romani Pontificis disertis verbis deducit, v. g. ius libere communicandi cum fidelibus et acceptandi appellationes. Quae iura, *exempli* causa allata, per legitimas conclusiones ex mandato generali R. Pontificis deductas, facile augeri possunt, neque asserendum est R. Pontifici tantum ea iura competere, quae expresse et spectatim concessa sint. Cfr. *Hollweck*, in Arch. f. k. K. t. 74, p. 394 sq., ubi recte refutat recentiorem scriptorem falsa principia audacter propugnantem.

[67] Cfr. de causis maioribus: Innoc. I, in epist. ad Victric, cap. 3, (a. 404; S. Leo in c. 8, C. III, q. 6, (a. 446?); *Phillips*, l. c. t. V, p. 20 sq., 194 sq.; *Heuser*, in Kirchenlex. v. Causae maiores. Quamvis non omnia et singula iura R. Pontificis et universae causae maiores ad amussim recenseri possint, ne in singulos libros et titulos falcem mittamus, tamen ad solam recensionem principiorum generalium disputatio canonica non videtur restringenda, sed via media est incedendum. Cfr. *Scherer*, l. c. p. 460; *Hinschius*, l. c. p. 204 sq., a quorum methodo alii merito dissentiunt.

V. Ratione *extensionis* in *universalem* et in *particularem*. Illam exercet ut Romanus Pontifex sive Patriarcha vere et proprie oecumenicus [68] in totum orbem catholicum, alteram ut Patriarcha occidentalis [69] vel Primas Italiae vel Metropolita et Episcopus Romanus.

426. Scholion. *Febronius* distinxit iura Romani Pontificis in iura divina sive necessaria sive *primigenia* et in iura *adventitia* sive accessoria sive secundaria et in iura controversa. Quae divisio prout a Febronio defenditur, omni fundamento solido et practica utilitate caret, nostraque aetate adeo est derelicta ut tantum eruditionis historicae causa sit commemoranda [70].

§ II. De potestate legislativa, iudiciali, coercitiva R. Pontificis

427. I. Rom. Pontifex, qui a Christo Domino institutus est pastor supremus universae Ecclesiae cum tota plenitudine potestatis vere episcopalis, gravissimum habet ius et officium perpetuae assiduaeque vigilantiae atque supremae et universalis legislationis. Quo officio ut rite fungi possit, omnino necessaria est praevia cognitio. Hinc R. Pontifex ius quoque habet ad media necessaria ad illam sibi cognitionem comparandam. Inter illa media primarium locum occupat ius *libere communicandi* cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, quod Concilium Vaticanum Sess. IV, cap. 3, ex suprema potestate gubernandi R. Pontificis consequi sollemniter declarat et per expressam condemnationem *placiti regii* tuetur.

II. Ius quoque est Romanorum Pontificum ut suas leges suorumque praedecessorum atque adeo Conciliorum oecumenicorum canones disciplinares authentice *interpretentur, abrogent* vel *mutent* [71].

Nam eandem habent potestatem atque praedecessores, quorum legibus non ligantur, et iam ex ipso corpore iuris canonici

[68] *Hefele*, l. c. t. II, p. 544 sq., t. IV, p. 768, 773.
[69] *Hefele*, l. c. p. 765, de postulato Patriarchae Constantinopolitani, ut «*in suo orbe*» tanquam «*Patriarcha oecumenicus*» a R. Pontifice agnosceretur.
[70] *Phillips*, l. c. t. V, p. 1 sq., 20 sq.
[71] *Phillips*, l. c. p. 34 sq.; *Bouix*, De Papa t. II, p. 498 sq.

aliisque exemplis abunde constat successores mutasse Constitutiones priorum Rom. Pontificum [72].

Potestas autem Conciliorum oecumenicorum latius non patet quam potestas Rom. Pontificum [73]. Porro Concilium Tridentinum Sess. XXV, cap. 25 de ref. suis decretis hanc clausulam addidit: «*Salva tamen auctoritate Sedis Apostolicae*». Denique praxis constans Ecclesiae, cui nemo catholicus repugnat, evidentissime probat RR. Pontifices explicasse, abrogasse, mutasse canones Conciliorum oecumenicorum.

III. Rom. Pontifices *privilegia* quoque et *dispensationes* in legibus ecclesiasticis concedere valent [74]. Nam qui ius habet legem ferendi et abrogandi et mutandi, is certe in casu particulari potest relaxare legem vel certis personis specialem favorem, sive praeter ius sive contra ius, permanenter concedere, i. e. dispensare et privilegia dare non prohibetur. Praeterea ex vetustissima praxi Ecclesiae idem ius manifeste comprobatur.

IV. Cum potestate legislativa Rom. Pontificis intime coniunctum est ius canones urgendi aptasque recipiendi informationes. Quod ius exerceri potest per missos Legatos vel Nuntios Sedis Apostolicae, cum ipse R. Pontifex omnes dioeceses personaliter visitare non possit. Praeterea R. Pontifex pro sua dignitate et potestate Episcopos ad se evocare potest, ut ad limina Apostolorum accedant et supremo Pastori exhibeant relationem de statu suarum dioecesium. Quae relationes et consultationes de rebus maioris momenti iam primis saeculis occurrunt [75]. At Sixtus V [76] omnibus Ordinariis illam visitationem sacrorum liminum et relationem Sedi Apostolicae exhibendam statis temporibus praescripsit. Quam legem Benedictus XIV [77] denuo confirmavit et Pius X, quoad tempus et modum, aliquatenus immutavit. Cfr. infra tit. VIII, cap. I, « de Episcopis ».

428. Scholion. Infallibiles sunt Romani Pontifices in feren-

[72] Cfr. cap. 20, X. de elect. I, 6; *Maschat*, Inst. can. elench. I, sq.
[73] Conc. Vatic. Sess. IV, cap. 3, 4; *Granderath*, l. c. p. 165, 185, sq., 188 sq., 190 sq., et praesertim p. 223 sq.
[74] Benedict. XIV Const. «*Magnae nobis*» 29 Iun. 1748; Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 5, de ref.; *Phillips*, l. c. p. 95 sq.
[75] Innoc. I, in cit. epist. ad Victric. cap. 4, (a. 404).
[76] Const. «*Rom. Pontifex*» 20 Dec. 1585.
[77] Const. «*Quod Sancta*» 23 Nov. 1740.

dis legibus *universalibus* de disciplina ecclesiastica, ut nihil unquam statuant contra fidem et bonos mores, licet supremum gradum prudentiae non attingant, ut latius exponunt et probant theologi, qui omnino admittunt Romanum Pontificem in *praeceptis* et *iudiciis particularibus* posse errare. Cfr. *Bellarm.*, De R. Pontifice l. IV, cap. 5; *Suarez*, De fide disp. 5, sect. 8, n. 7; *Wilmers*, l. c. p. 472 sq.; *Muncunill*, De Christi Eccl. pag. 431 sq.

429. I. *Potestas iudicialis* Rom. Pontificis imprimis continet *ius* decidendi *causas maiores* iam in prima instantia. Causae autem maiores sunt illae, quae *ipsa natura* sua sunt maioris momenti atque R. Pontifici propriae, v. g. causae fidei, aut quae sunt dubiae et arduae quoad executionem, aut pertinent ad personas in sublimitate constitutas ideoque saltem ex *positiva* ordinatione Rom. Pontifici reservantur. (Cfr. can. 1557, § 1).

Quae potestas iudicandi Rom. Pontificis aperte consequitur ex ipsius suprema et plena potestate *legifera*, quae alias inefficax esset, atque plane confirmatur ex constanti praxi Ecclesiae, secundum quam Rom. Pontifices sive per se sive per iudices, a se etiam extra Curiam Romanam delegatos, controversias iudiciales diremerunt [78].

II. Praeterea Romano Pontifici pro sua suprema et plena et universali vereque monarchica potestate iudiciali competit ius *recipiendi appellationes* ex universa Ecclesia, neque cuiquam de eius licet iudicare iudicio [79].

III. Nihil praeterea obstat quominus etiam causa minor statim in prima instantia ad Romanum Pontificem servatis servandis deferatur, aut per illum ab inferioribus iudicibus ecclesiasticis ad se avocetur. Quare avocatio, si in causis quae natura sua maiores non sunt, fiat antecedenter per legem, exclusa competentia inferiorum, habetur *causa maior ex reservatione* seu *positiva* dispositione Rom. Pontificis [80].

---

[78] Cfr. Innoc. I, l. c.; *Devoti*, Inst. can. l. III, tit. 1; *Phillips*, l. c. p. 194 sq.

[79] Conc. Vatic. l. c. cap. 3; *Devoti*, Ius can. univers. t. III, append; *Hefele*, l. c. t. I, p. 556 sq. de canonib. Sardicens. t. II, p. 120 sq., 132 sq., de appellat. Afric. Cfr. quoque Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 10, de ref.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec., l. IV, cap. 5, de iudicib. synodal.

[80] Cfr. can. 1557, § 2, et 1569, iunct. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 20, de ref.

430. I. Romanus Pontifex pro sua potestate *coercitiva* infligere potest *poenas* sive per *sententiam* iudicialem sive per *legem generalem* ipso iure latas.

II. Condit et approbat leges, secundum quas inferiores iudices ecclesiastici determinatis delictis certa forma servata poenas decernere debent. V. g. Episcopus non potest propter crimina in iure non expressa et forma canonica non servata ullum beneficiarium suo beneficio privare.

III. Suae suorumque Delegatorum iurisdictioni speciatim reservare potest punitionem quorundam graviorum *criminum*, v. g. Episcoporum [81], vel absolutionem *a censuris*. Sic inquisitio in crimen haereseos aliaque crimina cum haeresi connexa S. Congregationi S. Officii pro toto orbe terrarum commissa est. Similiter suo supremo iudicio merito reservat *personas* in *dignitate* constitutas, si forte crimen quoddam commiserunt. Cfr. can. 2227.

§ III. De potestate Romani Pontificis in cultum divinum et sacramenta

431. I. Quoad *cultum divinum* solius Romani Pontificis est ordinare *Missae liturgiam* et *divinum officium* [82]. Quare ipse solus potest praescribere Missale et Breviarium, approbare novas Missarum formulas novaque Sanctorum officia, concedere novas liturgias praeter Romanam [83]. Immo etiam Ecclesiae orientales, quamvis singulares suas liturgias legitime teneant, tamen propria auctoritate illas deserere vel mutare inconsulta Sede Apostolica non possunt. Praesertim vero omnis commixtio rituum a Sede Apostolica severe est interdicta [84]. Quodsi quid dubii occurrat de sacris ritibus et caeremoniis in liturgia, etiam Episcopi pro declaratione authentica ad Sedem Apostolicam debent recurrere [85].

---

[81] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 5, de ref.

[82] Can. 1257; *Bouix*, De iure liturgico p. 709 sq., 17 sq.; *Thalhofer*, Hdb. d. k. Liturgik. t. I, p. 32 sq.

[83] Pii V Const. « *Quod a nobis* » 9 Iul. 1568, Const. « *Quo primum* » 15 Iul. 1570.

[84] Pii V Const. « *Providentia* », 20 Aug. 1566; Benedict. XIV, Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742, § 9, Const. « *Demandatam* » 24 Dec. 1743, § 3; Synod. Sciarf. Syr. (a. 1888), p. 32 sq.; *Bouix*, l. c. p. 201 sq.

[85] S. R. C. in caus. Visen. 11 Iun. 1605.

Quoad *reliquas* quoque *precandi formulas* praesertim in cultu publico adhibendas Romanus Pontifex decreta condere potest. Quo iure imprimis usus est ad coërcendum immoderatum usum litaniarum et publicam institutionem et divulgationem novarum devotionum de novis in dies excogitatis obiectis [86].

II. Ius quoque *canonizandi* servos Dei, cum requirat infallibilitatem, Romano Pontifici *ex natura rei* est reservatum [87]. *Beatificatio* quoque atque omnis *cultus publici* concessio alicui servo Dei ex praesenti Ecclesiae disciplina, praesertim per Alexandrum III et Urbanum VIII inducta, a Romano Pontifice solo fieri possunt [88].

III. Institutio et abrogatio *festorum* ex disciplina vigente soli Rom. Pontifici competit. Quo iure praesertim usi sunt Urbanus VIII, Benedictus XIV, Clemens XIV, et Pius X. Etsi Concilium Tridentinum omnino admiserit ius Episcoporum instituendi festa, tamen disciplina postea introducta isti iuri est contraria [89].

IV. Concessio *oratorii privati*, ut ibidem sacrificium Missae celebretur, a Romano Pontifice est expetenda. Nam Concilium Tridentinum omnem hac in re facultatem Episcopis subduxit, quam disciplinam firmavit Codex can. 1195 [90].

432. I. *Circa sacramenta* Rom. Pontifices quoad materiam et formam *substantialem* a Christo Domino institutam nihil profecto immutare valent. Ritus quoque ab Apostolis primisque Ecclesiae pastoribus introductos diligenter custodiant nec temere violent necesse est. Alias vero caeremonias sacramentis addere vel demere et, pro sua suprema potestate, Rituale, Caeremoniale praescribere, mutare, emendare soli R. Pontifici est permissum [91]. Quodsi quae dioeceses vel provinciae ecclesiasticae proprio utuntur Rituali, illud Sedis Apost. iudicio approbatum sit oportet.

[86] Can. 1259; S. C. Inquis. 18 Apr. 1860, iunct. *Arndt*, De libris prohibit. p. 161 sq.

[87] *Benedict. XIV*, De servor. Dei beatif. l. I, cap. 7 sq.

[88] Can. 1999; cap. I, X. de reliq. et vener. sanctor. III, 45; *Benedict. XIV*, l. c. cap. 10; *Wilmers*, l. c. p. 469 sq.

[89] *Bouix*, l. c. p. 309 sq.

[90] Conc. Trid. Sess. XXII, decret. de observ. in celebr. Miss.; *Van Gameren*, De Orator. publ. et privat. p. 125 sq.

[91] Can. 1257; Conc. Trid. Sess. VII, de sacram. i. g. can. 13; Benedict. XIV Const. « *Quam ardenti* » 25 Mart. 1752; *Bouix*, l. c. p. 289 sq.; *Thalhofer*, l. c.

Suprema potestas in instituendis et moderandis *sacramentalibus* pariter R. Pontifici unice competit. Cfr. can. 1145.

II. Speciatim solus Romanus Pontifex concedere potest, ut simplex sacerdos sit minister *confirmationis* vel *benedicat oleum* infirmorum et *catechumenorum* vel conferat ordines *minores* vel consecret ecclesias vel celebret Missam non ieiunus. Ipse omnia *peccata* in sacramento poenitentiae remittere potest neque ligatur *reservatione* casuum, qua aliorum potestatem absolvendi limitat. Item solus *indulgentias plenarias* concedere atque statuere impedimenta *dirimentia* et *prohibentia matrimonii christiani* pro suo iure valet [92].

§ IV. De potestate sacri magisterii et regiminis Romani Pontificis

433. I. Romanus Pontifex si ex cathedra doceat, est *infallibilis* magister universae Ecclesiae atque custos depositi fidei. Quare universales *leges fidei* condere atque iudicio authentico et definitivo omnes controversias fidei dirimere potest, ut doctrina christiana conservetur, propagetur et defendatur [93].

II. Quo in magisterio Romani Pontificis speciatim continetur ius [94]:

a) *symbola* conficiendi et praescribendi quo tempore et a quibus sollemnis fidei *professio* sit emittenda;

b) *catechismos* aliosque libros pro instructione religiosa in universa Ecclesia *praescribendi* aut saltem *commendandi;* illa praescriptio hucusque nondum est facta, quoniam parvus catechismus, de quo in Concilio Vaticano actum est, nondum prodiit; et commendationis exemplum est Const. Clement. XIII, quo catechismum Romanum omnibus Episcopis enixe commendavit; cfr. quoque Pii X catechismum;

[92] Id in propria sede uniuscuiusque materiae accuratius est explicandum. Cfr. v. g. Conc. Trid. Sess. XIV, de poenit. cap. 7.

[93] Conc. Vatic. Sess. IV, cap. 4; *Granderath*, l. c. p. 103 sq., 165 sq.; *Wilmers*, l. c. p. 409 sq.; *Vacant*, Etudes théologiques sur les constitutions du Concile du Vatican.

[94] *Wernz*, Ius Decretal. t. III, tit. 1 sq.

c) erigendi universitates sive studia generalia, ut privilegia corporationis ecclesiasticae et universitatis *catholicae* canonice institutae consequantur;

d) dirigendi missiones in toto orbe, quod per S. C. de Propaganda Fide exercetur;

e) condendi leges de approbatione et editione *librorum*, quae ab omnibus observari debent;

f) prohibendi lectionem quorundam librorum aut nonnisi cum certis conditionibus permittendi, v. g. lectionem sacrae scripturae;

g) damnandi propositiones, doctrinae catholicae contrarias, et libros pravos, sive specialibus Litteris Apostolicis sive decretis SS. CC.; insuper *puniendi* auctores librorum malorum et absolvendi innocentes a falsis denuntiationibus.

h) interpretandi authentice et infallibiliter *ius naturale*, tum ordinis privati tum ordinis publici, v. g. de usura, de vita domestica et sociali, de iure belli [95].

434. I. In *regimine ecclesiastico* quoad *congregationes ecclesiasticas* ad Romanum Pontificem spectat ius proprium et exclusivum:

a) convocandi Concilia oecumenica eisque praesidendi, sive per se sive per suos Legatos, eaque prorogandi vel in alium locum transferendi, suspendendi, dissolvendi, ordinem in iisdem praescribendi et decreta conciliaria confirmandi; sine praevia licentia R. Pontificis Concilia *plenaria* vel nationalia celebrari nequeunt, atque ipsa quoque Concilia *provincialia*, a iure praescripta, debent sua acta et decreta Romam transmittere, ut a S. C. C. vel a S. C. de Prop. Fide ante validam promulgationem rite recognoscantur;

b) erigendi Capitula cathedralia et collegiata;

c) approbandi Ordines religiosos iure proprio et nativo; nam sine illa approbatione Ordines religiosi sufficientem securitatem et firmitatem non habent, atque ex natura rei huiusmodi negotium causis maioribus Ecclesiae est adnumerandum, quod necessario *infallibile* iudicium Romani Pontificis requirit [96];

---

[95] *Martin*, Docum. Conc. Vatic. p. 51, p. 106 sq., 101 sq.; Leon. XIII Encycl. « *Rerum novar.* »; *Cathrein*, Moralphil. t. II, p. 600 sq.

[96] *Wilmers*, l. c. p. 474 sq.; *Bouix*, de iure regular. t. I, p. 193 sq.

d) eximendi collegia ecclesiastica et praesertim Ordines religiosos ab ordinaria iurisdictione Episcoporum [97].

II. Quoad *officia* ecclesiastica est indubitatum ius Romani Pontificis:

a) instituendi et conferendi publica munera in Ecclesia; quare ad ipsum plenissimo iure spectat provisio canonica beneficiorum ecclesiasticorum;

b) maxime vero inter iura pontificia recensendum est ius exclusivum *erigendi* vel restaurandi vel *innovandi* vel *supprimendi* sedes episcopales et dioeceses, instituendi novas dignitates in Capitulis;

c) istis Episcopatibus, a se constitutis, per *collationem* vel confirmationem vel institutionem canonicam R. Pontifex *solus* iure proprio legitimos praeficit pastores. Hinc ex iure communi vigenti *provisio* dioecesium R. Pontifici est reservata;

d) iure quoque suo, sibi reservato, utitur R. Pontifex, si Episcopos *transfert* in alias sedes episcopales vel dignitate et officio pontificali *privat* propter delicta commissa, vel *acceptat* resignationes Episcoporum vel aliorum Praelatorum exemptorum, vel concedit Episcopis vel Praelatis regularibus *coadiutores* sive vicarios, etiam cum iure successionis, et instituit *Vicarios Apostolicos* iis in locis, ubi Episcopi non sunt aut officio suo fungi non possunt.

435. I. Quoad *bona ecclesiastica*, R. Pontifici competit suprema et plena *administratio* vi suae potestatis *iurisdictionis*, non ex dominio *proprietatis*, ipsi tanquam subiecto inhaerente. Quare R. Pontifex ex iusta causa potest *alienare* bona ecclesiastica etiam in notabili quantitate atque per suum beneplacitum alios Prelatos inferiores habilitat ad licitam et validam alienationem *pretiosorum* bonorum ecclesiasticorum. Immo detentoribus bonorum raptorum Ecclesiae propter bonum commune restitutionem illorum condonare non prohibetur. Denique pro sua suprema potestate administrandi valet commutare ultimas voluntates piorum fundatorum et bona ab eis relicta in alios usus pios convertere [98].

---

[97] Pii VI Const. « *Auctorem fidei* » prop. 7.

[98] Cfr. can. 1499, § 2, 1517, § 1, 1518, et declar. S. C. C. de commut. ult. vol. apud *Richter*, ed. Conc. Trid. p. 161 sq.; *Lingen et Reuss*, Caus. select. S. C. C. n. 145, sq., 166 sq., 212 sq.

II. Praeterea Rom. Pontifices in ordine ad finem Ecclesiae vectigalia imponere possunt sive ipsis bonis et reditibus ecclesiasticis sive clericis et laicis ratione bonorum privatorum[99].

Vectigalia, antiquis temporibus et ex parte etiam nostra aetate imposita, fere recenseri possunt:

a) Denarium S. Petri, quod olim in Anglia et Scandinavia singulis domibus fuit impositum, et nostra aetate sponte a fidelibus ut subsidium caritativum R. Pontifici solvitur. Cfr. cap. 12, X. de cens. III, 39; cap. 15, X. de praescript. II, 26.

b) Census, qui solvendi fuerunt a monasteriis, civitatibus, principibus sub *tutela* Ecclesiae Romanae constitutis, aut a *vasallis* in signum *dependentiae* a R. Pontifice, feudi domino. Cfr. cap. 8, X. de privil. V, 33.

c) Ius spolii et ius *deportus*.

d) Annatae α) *Bonifacianae*, i. e. dimidia pars fructuum primi anni omnium beneficiorum, quae a R. Pontifice *extra* Consistorium conferuntur. Quae annatae post multas vicissitudines tandem, ab omnibus beneficiis, quorum reditus 24 florenos non superarunt, amplius exactae non fuerunt. Cum autem ex stylo Curiae omnia beneficia in Gallia, Germania, Polonia etc. ultra 24 flr. non taxarentur, licet pinguissimos haberent reditus, obligatio solvendi illas annatas Bonifacianas saltem extra Italiam practice extincta est.

β) *Servitia communia*, i. e. fructus primi anni secundum determinatam taxam omnium beneficiorum consistorialium, qui in tres partes dividuntur, sc. Cardinalibus residentiae, clericis Camerae, superioribus Officialibus Cancellariae Apostolicae, subductis 3½ % pro servitiis minutis inferiorum Officialium. Quae servitia etiam nostra aetate sunt solvenda secundum normam concordatis vel praxi Curiae Romanae determinatam.

γ) *Quindenia*, i. e. vectigalia, quae a beneficiis incorporatis ideoque nunquam vacantibus loco annatarum Bonifacianarum decimo quinto quoque anno solvenda fuerunt.

δ) *Taxae* palliorum et dispensationum[100].

---

[99] Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 4, de ref.; Act. theol. Oenipont. t. 19. p. 753 sq.; *Suarez*, Opuscula ed. a *Malou*, p. 336 sq.; *Phillips*, l. c. p. 540 sq.

[100] *Phillips*, l. c. p. 558 sq., 580 sq.; *Saegmueller*, Lehrb. d. k. K. p. 304, not. 3; *Loye*, Les archives de la Chambre apostolique au 14.e siècle; *Clergeac*, La Curie et les bénéficiers consistoriaux.

§ V. De potestate patriarchali, primatiali, metropolitica et dioecesana R. Pontificis

436. I. Praeter primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam Romanus Pontifex est etiam *Patriarcha occidentalis*[101]. Antiquissimis iam temporibus Patriarchae extiterunt in Oriente, in quos a Romano Pontifice ultimatim dimanaverat iurisdictio; at in Occidente Patriarcha, a Romano Pontifice distinctus, qui Ecclesiae occidentali praeeset, non reperitur, sed R. Pontifex iurisdictionem patriarchalem cum Patriarchis orientalibus communicatam penes se retinuit atque exercuit. Cfr. c. 11, D. 11 = epist. Innoc. I, a. 416.

II. Insuper *Primas Italiae* et insularum adiacentium dicitur Romanus Pontifex, ut etiam Italia pro more aliarum nationum suum habeat Primatem. Qui titulus profecto convenientissime Romano Pontifici pariter fuit reservatus, et saltem ut praerogativa quaedam honoris retinetur.

III. *Metropolita* provinciae Romanae mansit Romanus Pontifex, postquam etiam in Italia novae provinciae ecclesiasticae cum suis Metropolitis propriis erectae fuerunt. Quae provincia Romana ab Innocentio III, cap. 5, X. de vicar. I, 28, *inter Capuanam provinciam et Pisanam* sita esse dicitur et complexa est sex dioeceses suburbicarias Latii et praeterea sexaginta duas alias dioeceses. Quamvis inde ab aetate Martini V usque ad Gregor. XIII viginti, et postea septem dioeceses, a provincia Romana dismembratae fuissent, tamen generatim etiam nunc antiqua illa finium circumscriptio omnino manet. Provinciae quoque Romanae, tantum *in ordine* ad celebrandum Concilium provinciale, adscripti fuerant etiam omnes *Episcopi S. Sedi immediate subiecti* et Archiepiscopi Suffraganeis *carentes* et Abbates nullius dioecesis, *qui* alias sibi Metropolitanum, cuius Concilio provinciali interessent, ad formam Concilii Tridentini *non elegerunt*. Nunc autem circa Concilia provincialia in Italia per *regiones* cele-

---

[101] Cfr. c. 6 Conc. Nicaen. (a. 325), iunct. *Hefele*, l. c. t. I, p. 388 sq., 391 sq.; cap. 23, X. de privileg. V, 33; *Phillips*, l. c. t. II, § 69, t. V, p. 709 sq.; *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 1, cap. 7 sq.

branda standum est Decr. S. C. Cons. 22 Febr. 1919 et 22 Martii 1919 [102].

IV. Urbs *Roma* et illud territorium circumiacens, quod vulgo dicitur « comarca » di Roma, est dioecesis, quam R. Pontifex ut verus et proprius *Episcopus* pro more aliorum Episcoporum regit. Quacum Sede Romana primatus iurisdictionis, S. Petro concessus, nunc saltem ex facto S. Petri est coniunctus [103].

§ VI. De potestate indirecta R. Pontificis

437. Hactenus illa iura et officia R. Pontificis recensita sunt, quae ex directa potestate spirituali in obiecta spiritualia et temporalia consequuntur. Reliquum est, ut breviter insinuetur Romanum Pontificem suam potestatem spiritualem *indirecte* et *extraordinarie* [104] in eas res temporales extendere posse, quae directe et ordinarie principibus civilibus subsunt [105].

§ VII. De potestate civili R. Pontificis

438. More principum saecularium, qui summo potiuntur imperio, R. Pontifex in Statu ecclesiastico « Città Vaticano » supremam habet potestatem civilem. A qua suprema potestate *temporali* (*sovranità temporale*) Romani Pontificis probe distinguenda est ipsius suprema et plena potestas *spiritualis* perfecteque monarchica, ut rectoris societatis religiosae sive Ecclesiae (*so-*

---

[102] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 2, de ref.; Benedict. XIII Const. « *Redemptor* » 24 Dec. 1724, in Collect. Lac. t. I, col. 341 sq.; Act. Apost. Sed. XI, pag. 72 sq., 175 sq. iunct. Annuario pontif. a. 1922, de distribut. dioec. Italiae in ordine ad Conc. regional. et conferent. episcop.

[103] *Benedict. XIV*, De Synodo dioec. l. II, cap. 1, 2, 3. Cfr. not. 4.

[104] Cap. 13, § Rationib. X. qui fil. IV, 17, « *Verum etiam in aliis regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem casualiter exercemus* »; Pii IX Syllab. prop. 23, 24.

[105] Cfr. de variis theoriis in hac quaestione: *Bellarmin.*, De R. Pontifice l. V; *Cavagnis*, l. c. v. I, p. 268 sq., P. II, p. 90 sq.; *De Angelis*, l. c. l. I, t. 2, de const. n. 6, 7; *Palmieri*, De R. Pontif. p. 548 sq.; *Phillips*, l. c. t. II, p. 484 sq.; *Bouix*, De Papa t. III, p. 2 sq., 301 s.; *Choupin*, Valeur des Decis. du S. Siège p. 258 sq.; *Cappello*, Summa i. p. eccl. n. 266 sq., n. 293 sq.

vranità spirituale), a qua non excidit, etiamsi *la sovranità temporale* cessaret aut in suo legitimo *exercitio* impediretur. Quare R. Pontifex ex *duplici titulo* vere et proprie est « *sovrano* » [106].

439. Quae potestas civilis Rom. Pontificis imprimis est *honesta* [107]. Quamvis enim illicitum et perversissimum sit imperio civili sacerdotium tanquam aliquid accessorium finibusque politicis *subordinatum* adiungere, tamen nec principiis iuris naturae nec positivis legibus divinis repugnat R. Pontificem esse etiam regem temporalem et habere potestatem civilem, spirituali adnexam et subordinatam. Merito igitur proscripta est propositio 75 in Syllabo: « *De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii* ». Cfr. *Suarez, De leg.* l. IV, cap. 10, n. 5; *Bellarmin.*, De Rom. Pontif. l. V, cap. 9, 10.

440. *Legitima* quoque dicenda est potestas, quam exercebat in antiquis Statibus pontificiis.

Nitebatur enim *iustissimis acquisitionis titulis*. Profecto suprema potestas civilis in aliquo territorio legitime acquiritur:

α) *libera populi electione*, si ius eligendi legitime sit obtentum;

β) *iure belli iusti;*

γ) *cessione, donatione legitimisque pactis;*

δ) *necessitate* absoluta communitatis conservandae. Atqui, ut latius probatur in historia ecclesiastica [108], potestas civilis R. P.

---

[106] *Giobbio*, Lezioni di diplomazia eccl. t. I, n. 68 sq.; *Cavagnis*, l. c. v. III, p. 243 sq.; *Phillips*, l. c. t. V, p. 696 sq.; *Scherer*, l. c. p. 466 sq.; *Allègre*, Le code civil commenté p. 681 sq. (Le Pape est-il incapable de recevoir par testament en France?), ubi in causa particulari incidit quaestio de duplice illo supremo principatu R. Pontificis atque in prima instantia intervenit error facti, in secunda error iuris; *Pinchetti*, Guida diplomatica ecclesiastica n. 107 sq.; *Cappello*, l. c. n. 524 sq.

[107] Cfr. art. 34, ex articulis 39 de quibus errorum Wikleff et Hus suspecti ex mandato Martini V interrogandi fuerunt, apud *Denzinger*, l. c. n. 684: schema Conc. Vatic. apud *Martin*, Collect. doc. Conc. Vatic. p. 48 sq.; De civili principatu Rom. Pontificum (Excerpta ex Actis Pii IX et SS. D. N. Leonis Papae XIII), Romae 1901, (ex officio facta).

[108] Pii IX Alloc. 20 Iun. 1859; *Orsi*, Della origine del dominio temporale ... dei R. Pont.; *Brunengo*, Le orig. d. sovran. temp. d. Pap.; *Cavagnis*, l. c. t. III, p. 242 sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch*, t. II, n. 65 sq., 85, 204 sq.; *Scherer*, l. c. t. I, p. 463 sq., not. 33, 34; *Schnuerer*, D.

omnibus hisce titulis in ipsa acquisitione nitebatur; ergo indubitanter erat legitima.

Quibus titulis accessit illud, quod ius R. Pontificis eo maiorem haberet firmitatem, quod ut plurimum nitebatur piis fidelium donationibus (Pippini, Mathildae) in honorem S. Petri factis; inviolata autem est lex pias voluntates sancte esse servandas.

Praeterea si iura legitimorum principum naturalia absque manifesta *iniuria* violari nequeunt (cfr. Syll. prop. 63), certe laesio iurium R. Pontificis non mera est iniustitia, sed etiam *sacrilegium* [109]. Nam si *finis* huius principatus civilis attendatur, supremus princeps Ecclesiae accipit principatum temporalem, ut Ecclesiae utilitati et fidelium commodis magis inserviat, et ideo illud temporale, ita *coniunctum spirituali*, non est saeculare omnino, sed aliquo modo *sacrum*, ut recte docet *Suarez*, De leg. lib. IV, cap. 10, n. 3. Praeterea ut constat ex donationibus principum, Imperatorum iuramentis et RR. Pontificum declarationibus, *subiectum iuris* Status pontificii est *Ecclesia Romana sive Sancta Sedes Apostolica* (cfr. Syllab. pro. 76), quatenus cum illis coniunctus est *primatus iurisdictionis* in universam Ecclesiam. Quare si dicatur Statum pontificium pertinere ad *omnes fideles catholicos*, designatur subiectum *utilitatis*, non subiectum *inhaesionis* iuris [110]. Immo vel ipse R. Pontifex illius iuris non est absolutus *dominus*, sed legitimus *administrator*, qui *triplici iuramento* sollemni abstrictus est iura et possessiones Romanae Ecclesiae omnino integras inviolatasque tueri, defendere suisque successoribus transmittere. Quare R. Pontifex omnia huiusmodi iura simpliciter et absolute *alienare*, v. g. per *renuntiationem*, omnino non potest [111].

Entstehung des Kirchenstaates, sive L'origine dello Stato della Chiesa, ed. *A. Mercati; Wurm*, Der Kardinal Albornoz, d. zweite Begründer d. Kirchenstaats; *Guirand*, L'état pontifical après le grande schisme: *Ios. Hergenroether*, D. Kirchenstaat seit d. franz. Revolution; *Nuernberger*, Papsttum u. Kirchenstaat; *Ant. Weis*, Hist. eccl. vol I, § 94; *Cappello*, l. c. n. 524 sq.

[109] Pii IX Litt. Apost. « *Cum catholica Ecclesia* » 26 Mart. 1860; *Bossuet* apud *Bargilliat*, l. c. n. 404.

[110] Pii IV Alloc. 20 Apr. 1849, Encycl. 19 Ian. 1860.

[111] Pii V Const. « *Admonet* » 29 Mart. 1567, iunct. Reg. 64, Canc. Apost. et *Riganti*. l. c. Reg. 64, Canc. Apost. n. 48 sq.; Pii IX Encycl. 19 Ian. 1860; *Hollweck*, D. k. Strafg. § 154, not. 4.

Scholion I. Quatuor illis titulis legitimae acquisitionis interdum duo alii adduntur, sc. *iustum bellum* etiam contra Byzantinos Imperatores et *usus potestatis indirectae* R. Pontificis. Si quis accuratius examinat quatuor illos priores titulos, statim concedet duos ultimos titulos, ad faciliorem *iuridicae* quaestionis solutionem de cessatione dominationis Byzantinae, non esse plane inutiles [112].

Praeterea, legitimitas principatus civilis R. Pontificis *praescriptione* tot saeculorum confirmatur atque in congressu Viennensi a. 1815 pactis internationalibus, saltem quoad substantiam, sollemni sanctione communita est [113].

Inanibus *obiectionibus*, quibus hoc ius impetitur, eo magis roboratur [114].

441. Scholion II. Quodsi catholici omnium nationum politicam *unitatem* Italiae, quae secundum *singularem* illam speciem perfectae *unificationis* de facto fuit introducta, legitimum titulum spoliationis R. Pontificis esse negabant, minime exinde *omnem politicam unitatem* Italiae reiciebant. Profecto illam unitatem omnino admittebant, quam vel *ipsi Romani Pontifices*, v. g. Iulius II, semper intenderunt, sc. *independentiam* Italiae ab omnibus nationibus *exteris*, mediis *iustis* et *opportunis* obtinendam. Ratam quoque habebant *integritatem* Italiae, non phantasia et appetitu possidendi, sed iure historico et pactis internationalibus circumscriptam. Neque sese opponebant *confoederationi* politicae Italiae cum sede in alma Urbe et R. Pontifice praeside, quae a Pio IX proposita et expetita, naturae, historiae et indoli incolarum Italiae conveniret atque imprimis iura legitima praesertim R. Pontificis tueretur, ut factum est in America septentrionali et Germania. Denique minime respuebant studium neutrarum partium, sive ut dicebant *neutralitatem* Italiae [115], velut

---

[112] *Card. Hergenroether-Kirsch*, l. c. t. II, p. 4 sq., 43 sq.; *Cavagnis*, l. c. t. V, p. 242.

[113] Acte final du congrès de Vienne, art. 103.

[114] *Cavagnis*, l. c. t. III, p. 253 sq.; *Cappello*, l. c. n. 537.

[115] *Cavagnis*, l. c. t. III, p. 256; *Pinchetti*, l. c. n. 371 sq. de variis modis propositis solvendi « *quaestionem Romanam* » et inducendi « *reconciliationem* », qui certe conciliari nequeunt cum principiis toties a Rom. Pontificibus proclamatis. Cfr. De civili principatu Rom. Pontificum p. 7 sq., ubi Pius IX agit de suo officio *integrum* Statum pontificium, non tantum

in Belgio et Helvetia, quae propriae nationis utilitati et tutelae pacificae Rom. Pontificis maxime congrueret [116*].

442. *Convenientissima* quoque est dominatio pontificia in suo legitimo territorio. Ita enim « *in tanta temporalium principum multitudine et varietate* » apte consulitur *dignitati* et *independentiae* Rom. Pontificis in suo officio spirituali et universali

---

civitatem Leonianam cum parvulo territorio usque ad ostia Tiberina, vindicandi.

[116*] Quaestio de civili principatu R. Pontificis est iam definitive soluta per Pacta Lateranensia inter S. Sedem et Regnum Italiae d. 11 Febr. 1929 sollemniter inita. (Cfr. AAS, XXI, 209 sqs.). Per Tractatum Lateranensem constituta est Civitas Vaticana, in qua S. Sedes habet non modo ius proprietatis, sed etiam supremam iurisdictionem cum exclusione cuiuslibet alius potestatis humanae. (Cfr. artic. 3 et 4). Hoc modo re vera obtentum est ut R. Pontifex sui penitus iuris et sit et manifesto appareat, quod est absolute necessarium ad rectum regimen Ecclesiae. Tractatus Lateranensis eo tendit, dixit Pius XI, « ut agnoscatur et, quantum hominibus licet, tutum reddatur S. Sedi verum et proprium dominium temporale supremum, determinato territorio inhaerens, cum non habeatur in mundo, hucusque saltem, aliqua forma supremae potestatis temporalis, quae non sit territorialis » (Cfr. AAS. XXI, 105). Si quis vero miretur fortasse de exiguitate territoriali Civitatis Vaticanae, meminerit oportet R. Pontificem ea sola portione territorii contentum fuisse, quae sufficeret ad hoc ut esset et summi imperii temporalis fundamentum et veluti signum sensibile omnimodae suae independentiae. Ut vero efficaciter provideretur recto regimini Ecclesiae universalis, alia iura Sedis Apostolicae extra Civitatem Vaticanam in Urbe plane agnoscuntur. Sic Dicasteria, per quae R. Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet, ubicumque ea sedem habeant, libera omnino erunt a quolibet interventu Status italici. (Cfr. artic. 11). Praeterea viri ecclesiastici, qui ratione officii, actis S. Sedis exsecutioni mandandis extra Civitatem Vaticanam incumbant, in exercitio sui muneris nulli vel impedimento vel investigationi vel molestiae obnoxii erunt ex parte auctoritatis civilis. (Cfr. art. 10, p. 3). Etiam libera communicatio cum aliis Statibus, quae tantum momentum pro regimine Ecclesiae habet, sapientibus praescriptionibus munitur. In primis servitia publica communicationum Civitatis Vaticanae directe uniuntur cum servitiis eiusdem generis aliorum Statuum (art. 6, p. 3); deinde Legati Guberniorum exterorum apud S. Sedem gaudent intra Regnum italicum praerogativis et immunitatibus quae Legatis exteris ex iure internationali competunt atque eorum domicilia, licet in territorio italico sita, consuetis privilegiis non carebunt. (Cfr. art. 12 p. 2). Demum accessus personalis Episcoporum totius orbis ad S. Sedem liber omnino patebit in quibuslibet adiunctis (Cfr. art. 12, p. 3).

Sedes Apostolica, unice competens hac in re, sollemniter declaravit

exercendo [117]. Quare recte damnata est propositio 76 Syllabi: « *Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret* ».

443. *Moraliter necessaria* optimo iure habetur potestas civilis Rom. Pontificis.

Id iam sequitur *ex natura rei* [118]. Nam plena et perpetua *libertas* R. Pontificis est Ecclesiae omnino necessaria. At *spectatis hominum* moribus, praesertim principum, in praesenti ordine *generis humani lapsi* (i. e. non tantum hoc nostro saeculo!) principatus civilis est medium moraliter necessarium, ut illa libertas *plena* et *perfecta*, ad quam Rom. Pontif. ius habet, *perpetuo* et *constanter* servetur. Denique ad Ecclesiam universalem efficaciter gubernandam omni tempore, sed praesertim nostra aetate, summopere necessarium est ut R. Pontifex gaudeat *plena fiducia* omnium fidelium et nationum. At quamprimum R. Pontifex, saltem *de facto*, fieret *subditus* unius gubernii et nationis, licet *honores* et *nomen*, i. e. umbram sine re supremi principis (sovrano) retineret, facile denuo oriretur *diffidentia*, forte saepe non fundata, qua tempore residentiae RR. Pontificum in *civitate Avenionensi* complures nationes a Sede Apostolica sunt alienatae.

Profecto principatus civilis R. Pontificis non est *absolute necessarius* ad ipsam *existentiam* Ecclesiae conservandam, ut ex facto primorum saeculorum luculenter deducitur. At nemo profecto contendit conditionem Ecclesiae illorum saeculorum ex

---

per Pacta Lateranensia haberi omnia, quae necessaria sunt ad liberum et independens regimen spirituale dioecesis Romanae et Ecclesiae catholicae, sive in Italia sive in universo orbe. (Cfr. art. 26).

[117] Nicol. III, (a. 1277-1280), in cap. 17, de elect. I, 6, in Sext. a. 1278; Pii IX Alloc. 20 Iun. 1859; 20 April. 1860; Leon. XIII Alloc. 24 Mart. 1884.

[118] *Bellarm.*, l. c. cap. 9; *Cavagnis*, l. c. p. 245 sq.; *Palmieri*, l. c. p. 587 sq.; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 366 sq.; *Pinchetti*, l. c. n. 134 sq.; *Cappello*, l. c. n. 531 sq.; *Horatius Mazzella*, Praelect. scholast.-dogmat. vol. I, n. 751. Quodsi *De Luca*, Inst. iur. eccl. publ. vol. II, p. 128, citasset etiam verba textus: « *I. e. non tantum hoc nostro saeculo* » et « *perpetuo et constanter* » simulque attendisset sensum theologicum verborum: « *In praesenti ordine generis humani lapsi* » facilius sibi persuasisset *Bellarminum* et auctorem textus non restringere ad tempus praeteritum et praesens necessitatem Status pontificii, sed etiam extendere ad futurum.

Christi intentione fuisse *normalem* et *perpetuam* et *perfectam*. Nam Christus Dominus voluit suam Ecclesiam *non solum* instructam esse iis mediis, quae ad *aliquam* existentiam conservandam sint *absolute* necessaria, sed procul dubio intendit etiam *perfectam existentiam* et *libertatem* Eclesiae suae, quae ipsius fini, naturae et dignitati conveniat. Quae *conveniens* et *perfecta existentia* et *libertas* Ecclesiae in praesenti ordine *generis humani lapsi* necessario requirit etiam civilem principatum Rom. Pontificis.

Idem manifeste deducitur ex positivis *declarationibus* Rom. Pontificum et Episcoporum [119].

Quae necessitas principatus civilis, quamvis *veritas in se revelata* sive dogma catholicum non sit, tamen propter intimam connexionem cum veritatibus in se revelatis, a R. Pontifice certo et authentico et vere infallibili iudicio *definiri* potuit. Quare nullus catholicus hanc necessitatem tuta conscientia in dubium vocare potest [120]. Multo minus R. Pontifici neganda est *immunitas personalis* a qualibet laica iurisdictione. Quae sane per principatum civilem R. Pontificis suam perfectam invenit actuationem, attamen ab illo *vere distinguitur*. Etenim illa immunitas R. Pontificis est ipsi primatui *essentialis iureque divino* constituta; principatus vero civilis Romani Pontificis proxime nititur iure historico sive quaesito, *humano, non divino* [121].

444. Scholion. Cum tanta sit *necessitas* principatus civilis R. Pontificis ad perfectam Ecclesiae existentiam et libertatem,

---

[119] Nicolaus III, l. c.; Syllab. Pii IX, prop. 75, 76 cum nota; Pius IX, in Alloc. 29 Oct. 1866; Leo XIII, in epist. ad Card. Rampolla 15 Iun. 1887; Act. S. Sed. IV, p. 122 sq., ubi refertur epist. confidentialis Card. Caterini, Praef. S. C. C. 8 Apr. 1864; orationes Episcoporum ad R. Pont. a. 1862 et 1867 Romae congregatorum cum respon. Pont. in Act. S. Sed. III, p. 17 sq., 34 sq.; Collect. Lac. t. V, col. 309, 440; Conc. prov. Mexic. quint. (a. 1896) n. 4; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899), n. 72, 73; Litterae encyclicae Benedicti XV, « *Ad beatissimi Apostolorum Principis* » 1 Nov. 1914, i. f.

[120] *Palmieri*, l. c. p. 590 sq.; *Cavagnis*, l. c. 251: *Cappello*, l. c. n. 533 *Horatius Mazzella*, l. c. n. 757; Act. S. Sed. l. c.

[121] *Palmieri*, l. c. p. 577 sq.; ubi rite explicatur quid veri vel falsi contineatur in assertionibus *Hinschius*, l. c. p. 215, vel *Scherer*, l. c. t. I, p. 466; *Giobbio*, l. c. n. 76 sq., ubi disputat « *della sovranità competente al Romano Pontefice nell'ordine temporale* » etiam in *praesenti rerum*

gravissimae statutae sunt *poenae canonicae*, ut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia efficaciter conserventur atque defendantur. Quare in Const. *Apost. Sed.* I, 12, excommunicatione latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservata plectuntur: « *Invadentes, destruentes, detinentes per se* vel *per alios, civitates, terras, loca aut iura ad Romanam Ecclesiam pertinentia, vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes* » [122]. Quae censura, quoad substantiam, transiit in Codicem can. 2345. Cfr. quoque Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 11, de ref.; Pii IX Litter. Apost. « *Cum catholica Ecclesia* » 26 Mart. 1860.

Huc quoque spectabant poenae pluribus Constitutionibus pontificiis constitutae et in Constitutione Apost. Sed. II, 26 innovatae. Videlicet excommunicationem latae sententiae, R. Pontifici simpliciter reservatam, incurrebant: « *Omnes, qui excommunicatione multantur in Constitutionibus Pii V « Admonet nos » 29 Martii 1567, Innoc. IX « Quae ab hac Sede » 4 Nov. 1591, Clementis VIII « Ad Romani Pontificis curam » 26 Iul. 1592 et Alexandri VII « Inter caeteras » 1 Febr. 1661, alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus* » [123]. De quo speciali delicto et respectiva poena nulla fit particularis mentio in Codice.

---

conditione. Cfr. quoque *Geigel*, Das italien. Staatskirchenr.; *Corsi*, La situazione attuale della S. Sede nel diritto internazionale; *Casella*, La posizione giuridica del sommo Pontefice; *Imbart de la Tour*, La papautè en droit international; *Friedberg-Ruffini*, Trattato del diritto ecclesiastico (de mediis insufficientibus in Italia adoptatis reparandi iniuriam R. Pontifici illatam) iunct. *H. Mazzella*, n. 752 sq. cum notis adiectis.

[122] *D'Annibale*, Comment, in Const. *Apost. Sed.* n. 98 sq.; *Hollweck*, D. k. Strafg. § 153. Cfr. quoque de publicis officiis suscipiendis: Instr. S. Poenit. 10 Dec. 1860, et 1 Dec. 1866, in Act. S. Sed. I, p. 557 sq., II, p. 675 sq.; et de electionibus politicis epistol. S. C. Inq. ad Episc. Ital. 30 Iul. 1886 in Act. S. Sed. XIX, p. 94 sq.

[123] Pii IX Const. « *Apost. Sed.* » 12 Oct. 1869; *D'Annibale*, l. c. n. 141 sq.; *Riganti*, l. c.; *Hollweck*, l. c. § 154.

§ VIII. De iuribus honorificis R. Pontificis

445. Cum tanta sit Rom. Pontificis dignitas et potestas, singularibus quoque praerogativis honorificis est ornatus [124], inter quas eminent:

I. *Insignia.* Successor S. Petri non utitur baculo *pastorali*, sed pedo recto, quod in summitate crucem habet, ut sit symbolum supremi muneris pastoralis, nomine Christi crucifixi exercendi [125]. Porro R. Pontifex pro more aliorum Episcoporum gestat *mitram* in Pontificalibus functionibus et in certis actibus sollemnibus *tiaram* (sive triregnum) [126], qua coronatur. Denique *pallio,* quod est signum plenitudinis officii pontificalis, semper et ubique [127] utitur in Missarum sollemniis.

II. *Tituli.* Romanus Pontifex vocatur *Papa* [128], quod nomen saeculo quinto iam occurrens nunc exclusive ei proprium est. Praeterea appellatur *Episcopus* Ecclesiae catholicae [129] vel simpliciter Episcopus, *Servus Servorum Dei* [130]. Subditi vero R. Pontificem alloquuntur: «*Sanctissime Pater* vel *Sanctitas Tua*». Alia nomina R. Pontificis sunt: *Vicarius Iesu Christi* [131], Dominus Papa vel *Apostolicus* [132], Pontifex maximus vel summus Pontifex [133], universalis Episcopus et Patriarcha [134], cuius sedes vocatur *Sedes Apostolica.* Quod nomen iam ex saeculo quinto principaliter sedi Romanae Ecclesiae tribuitur [135].

III. *Signa reverentiae. Nomen* Rom. Pontificis in publicis precibus, dyptichis, canone Missae primo loco commemoratur [136]. Cum reverentia *pastoralis muneris est* loquendum de Rom. Pontificibus, etiam malis, neque caritas et prudentia ipsis debitae sunt negligendae [137]. Porro Romanis Pontificibus in sacris functionibus reservantur praerogativae quaedam et usus speciales [138]. Speciatim illis competit *osculatio* pedis sive sandaliorum (mos orientalis, cui nunc frequentissime osculatio manus substituitur) [139], atque tempore medii aevi *officium strepae* et *stratoris* a regibus et imperatoribus Romano Pontifici fuit exhibitum [140].

IV. *Praerogativae* Rom. Pontificis ut capitis societatis sive *ethnarchiae* christianae. *Tempore medii aevi* soli Rom. Pontifici *coronatio Imperatorum* fuit reservata. Quo tempore Imperatores iuramentum quoddam *fidelitatis* emiserunt, cuius vestigia postea reperiuntur in legationibus *oboedientiae.* Porro Romanus Pontifex contulit titulum *regis* atque fuit supremum quoddam *tribunal* internationale. Etiamnunc agnoscitur ut primus inter principes catholicos, eiusque Legati vel Nuntii in aulis catholicis semper primum locum obtinent et ubique pertinent ad oratores primae classis [141].

---

[124] *Phillips,* l. c. t. V, §§ 239 sq.; *Thomassin.,* l. c. P. II, l. 3, cap. 65; *Scherer,* l. c. p. 468 sq.

[125] Cap. unic. § 8, X. de sacr. unict. I, 15; *Moroni,* Dizionario v. Baculo.

[126] Cfr. c. 14, § 5, D. 96; *Scherer,* l. c. p. 470, not. 9; *Muentz,* La tiare pontificale du VIII au XVI siècle (a. 1897); *Wuescher-Becchi,* Ursprung d. päpstl. Tiara.

[127] Cap. 4, X. de auct. et usu pall. I, 8; *Phillips,* l. c. t. V. §§ 240 sq.; *Grisar,* D. röm. Pall. u. d. ältest. liturg. Schaerpen (a. 1896).

[128] Cfr. c. 2, Conc. Carthag. VI, a. 419; c. 4, Conc. Vasens. a. 529; c. 3, Conc. Aurel. III, (a. 538); *Kraus,* Real-Encykl. v. Papa.

[129] *Granderath,* l. c. p. 156 sq.

[130] *Ioann. Diacon.,* Vita Gregor. l. II, c. 1, apud *Migne,* P. L. LXXV, 87; *Grisar,* in Act. theol. Oenip. t. IV, p. 468 sq.

[131] Cap. 2, 3, 4, X. de transl. I, 7.

[132] Conc. Vasens. l. c.

[133] Cap. 8, X. de excess. Prael. V, 31; Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 21, de ref.

[134] *Hefele,* l. c. t. II, p. 544, 766, 692, 768; *Grisar,* in Act. theol. Oenip. t. IV, p. 468 sq.; correct. Rom. post. c. 5, D. 99.

[135] Cfr. Conc. Carthag. VI, a 419; *Eberhard,* De tituli «*Sedis apostolicae*»... usu antiquo et vi singulari.

[136] Conc. Vat. l. c.

[137] Cap. 1, X. de maledic. V, 26.

[138] Cfr. v. g. cap. 28, X. de elect. I, 6.

[139] Dict. Greg. VII, n. 9; *Scherer,* l. c. t. I, p. 468; Stimmen aus Maria-Laach t. II, p. 468 sq.

[140] *Hinschius,* l. c. t. I, p. 211, not. 7; *Hefele,* l. c. t. V, p. 218, not. 2.

[141] *Phillips,* l. c. t. V, p. 677 sq.; *Scherer,* l. c. p. 471 sq.; *Saegmueller,* Lehrb. d. k. K. p. 309; *Hinschius,* l. c. p. 212.

Art. 4. — De restrictione et cessatione officii et potestatis Romani Pontificis.

I. De restrictione potestatis R. Pontificis

446. Restrictio potestatis Rom. Pontificis duplex est distinguenda. Etenim imprimis ipsum *ius in re extinguitur*, et consequenter omnis iuris *usus* cessat, v. g. per renuntiationem iuris dominii in bona ecclesiastica. Porro *ius in se manet*, sed eius *usus mutatur* vel *suspenditur* a Superioribus ecclesiasticis, v. g. ius infligendi poenitentias publicas.

Praeterea distinguenda sunt iura R. Pontificis, quae immediate nituntur titulo *iuris divini*, v. g. ius condendi leges universales de disciplina ecclesiastica, et iura Sedis Apostolicae, titulo *iuris humani* sive historici quaesita. Qua ratione ex iure mere historico nonnulli principes fuerunt *vassalli* R. Pontificis. Quamvis *facultas* R. Pontificis *acquirendi* huiusmodi iura historica sit iuris divini, tamen manente facultate divinitus concessa, *iura historica in se* variis modis vere et proprie *cessare* possunt.

Denique licet non paucae limitationes potestatis, praesertim spiritualis, R. Pontificis omnino sint negandae, tamen potestas pontificia nequaquam *absolute illimitata*, sed certis limitibus et conditionibus est adstricta [142]. Limitatur enim voluntate Christi Domini, *fine* atque natura *obiectoque* ipsius potestatis, praeterea *legibus divinis* sive naturalibus sive positivis, quae a Romano Pontifice mutari nequeunt, v. g. leges Christi de substantia sacramentorum vel de institutione Episcoporum, tandem ipso spiritu mansuetudinis, quem Christus Dominus suis Vicariis praescripsit. Denique prudens legislator attendat oportet in usu suorum iurium ad circumstantias temporum, indolem nationum et iura quaesita. Iniuria quoque temporum *de facto* R. Pontifex in *exercitio* suae potestatis impeditur et limitatur.

447. *Potestas spiritualis* R. Pontificis in specie *restringi nequit*:

I. *Evolutione* quadam *historica*; hinc falsa omnino est distinctio inter iura primatus *essentialia* et *accidentalia*, quam propugnarunt Febronius aliique canonistae aulici [143].

Nam omnia iura spiritualia in primatu R. Pontificis contenta nituntur immediata concessione Dei, non Ecclesiae; donatio vero divina per historicam evolutionem limitari non potest neque a Deo unquam fuit revocata; omnia igitur iura primatus spiritualia sunt essentialia et perpetua.

Argumenta autem, quibus adversarii suam intentionem probare student, partim nituntur falso supposito, partim sunt arbitraria et in se plane falsa et absque ulla consequentia logica.

II. *Stipulationibus* sive iuramentis *Cardinalium* in Conclavi, quae vulgo dicuntur *capitulationes*. Quo nomine intelliguntur promissiones Cardinalium in Conclavi forte etiam cum iuramento datae, quibus unusquisque sese obligavit ad certa capitula conventa observanda, si eligatur R. Pontifex. Quibus capitulis spiritualis potestas R. Pontificis haud raro vere fuisset limitata, v. g. si is absque *consensu* Cardinalium vere valideque non *potuisset* novos creare Cardinales.

Huiusmodi capitulationes saltem ex tempore Innocentii VI (a. 1352-1362) usque ad Innocentium XII (a. 1691-1700) frequenter factae sunt [144]; inde autem ab Innocentio XII ab aula merito recesserunt.

Etenim forma regiminis perfecte monarchica in Ecclesia catholica ab ipso Christo est constituta et a Cardinalibus nulla ratione mutari potest; id autem fieret, si ipsi suis capitulationibus potestatem R. Pontificis limitarent.

Porro Cardinales in electione R. Pontificis tantum designant personam; Deus vero dat potestatem *vi decreti*, quo in ipsa prima concessione, S. Petro facta, omnibus legitimis successoribus eandem tribuit potestatem. Hinc *ex ipsa natura* rei Cardi-

---

[142] *Granderath*, l. c. p. 17, ubi relator in Conc. Vatic, exponit quod vel ipsa infallibilitas Romani Pontificis non possit dici *absoluta*, atque pariter duplex limitatio potestatis pontificiae asseritur. Cfr. Arch. f. k. K. t. 74, p. 394 sq.; *Scherer*, l. c. t. I, p. 469, not. 6.

[143] *Iust. Febron.* (Hontheim), De statu Eccles. a. 1763. Quem librum potissimum impugnarunt *Zaccaria*, Antifebronio a. 1767, et Antifebronius vindicatus a. 1771; *P. Ballerini*, De potestate ecclesiastica a. 1778. Cfr. *Suarez*, De leg. l. IV, cap. 4, n. 17; *Phillips*, l. c. t. III, p. 372,, t. V, p. 20 sq.; *Palmieri*, l. c. p. 462 sq.

[144] Cfr. *Hefele*, l. c. t. VI, p. 697 sq., t. VIII, p. 100, 150, 168, 268, 394, 396 sq., 551; *Phillips*, l. c. t. V, p. 832 sq.; *Saegmueller*, D. Cardinäle p. 228 sq., 241 sq.; Analect. eccles. t. VI, p. 125 sq.

nales limites suae potestatis excederent atque ius divinum violarent, si pactionibus humanis potestatem Rom. Pontifici divinitus concessam limitare tentarent. Cui rationi accedit, quod etiam ex ipso *iure canonico* (cfr. Greg. X, in cap. 3 de elect. I, 6 in Sext. et Clem. V, in cap. 2 de elect. I, 3 in Clem.) Cardinalibus severe sit prohibitum ne ultra electionis negotium sibi aliquid iurisdictionis R. Pontificis vindicent. Quare optimo iure Innocentius VI [145] et Paulus II tales capitulationes, utpote Const. Gregor. X et Clem. V prohibitas atque contrarias plenitudini potestatis, ex ore Dei R. Pontifici collatae, reprobarunt et nullius roboris fuisse et esse declararunt [146]. Quam reprobationem et irritationem iterum innovavit Pius X sua Const. « *Vacante Sede Apostolica* » n. 83.

Quodsi quaeratur num capitulationes de *re honesta* nec iuribus Sedis Apostolicae *contrariae* sint dein servandae, non eadem est doctorum sententia. Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioeces. l. XIII, cap. 13, n. 20. In theoria illa opinio ceteris videtur esse praeferenda, quae has promissiones *ex natura rei* secundum vim *directivam* valere tenet, non secundum vim coactivam. At ex *disciplina nunc* in Ecclesia vigente, praeter promissiones a sacris canonibus praescriptas, aliae capitulationes Cardinalium in Conclavi *invalidae et illicitae* sunt habendae. Cfr. *Suarez*, De fide disp. 10, sect. 6, n. 18.

III. *Propria concessione* R. Pontificis; hinc in specie Romanus Pontifex, ne sponte quidem, iudicio *coactivo* sese submittere potest sed tantum iudicio *discretionis*.

Etenim potestas pontificia ex iure divino cum *munere supremi* pastoris in Ecclesia est *coniuncta*. At R. Pontifex nequit mutare ius divinum et constitutionem Ecclesiae, Dei ordinatione definitam; ergo de illa potestate, cuius ipse non est dominus, sed administrator, nihil remittere potest.

Ex altera parte omnis potestas ecclesiastica iurisdictionis in sua duratione et executione pendet a *voluntate R. Pontificis*; sed potestas, quae a voluntate Papae *pendet*, non potest esse

[145] Const. « *Sollicitudo* » 6 Iul. 1353, § 2.

[146] *Hefele*, l. c. t. VIII, p. 159; *Raynald*, ad ann. 1464, n. 61 sq. Cfr. quoque Pii IV Const. « *In eligendis* » § 6, et Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* » § 6; *Bouix*, De Curia Rom. p. 75 sq., 11 sq., *Scherer*, l. c. t. I, p. 481, not. 49; *Saegmueller*, Die Cardinäle p. 114 sq., 227 sq.

coactiva. Quare *Bellarminus*, De Conc. l. II, cap. 13, 18; *Suarez*, Defens. fid. cath. l. IV, cap. 7 merito negant ullam existere potestatem, quae in R. Pontificem *sententiam coactivam* pronuntiare possit.

448. Scholion. Si potestas indirecta, quam R. Pontifex tempore medii aevi frequenter exercuit, dicatur cum communi sententia veterum theologorum et canonistarum inclusa in ipsius primatu iurisdictionis *spiritualis*, in se semper eadem manet neque *evolutione* historica vel *renuntiatione* R. Pontificis, amitti potest, licet *illius usus* sit varius pro variis temporibus et singulis hominum aetatibus accommodandus. Cuius rei manifesta est ratio; illa enim potestas nititur immutabili iure divino.

At si quis cum recentioribus quibusdam theologis et canonistis et historiographis dicat R. Pontifices omnia illa iura tempore medii aevi ex titulis *meri iuris historici* exercuisse, profecto ex logica consequentia admittere potest et debet R. Pontificem propter necessitatem et utilitatem Ecclesiae non solum *usui* illorum iurium, sed *ipsis iuribus* posse renuntiare. Qua assertione viri illi catholici non concedunt eiusmodi iura historica vel ipsi invito Romano Pontifici arbitraria ratione esse auferenda. Cfr. Syllab. prop. 23, 24.

449. *Potestas* sive principatus *civilis* R. Pontificis *restringi* potest:

I. Quoad *extensionem territorii*. Quae limitatio solummodo fieri posset ex libera legitimaque *cessione R. Pontificis* propter *necessitatem* vel *evidentem Ecclesiae* utilitatem. Quo in casu cessio haberet vim legitimi *pacti* atque etiam a successoribus esset sustinenda. Nam ius R. Pontificis in aliquod determinatum territorium non est divinum, sed humanum. Porro Romanus Pontifex, etiamsi nequaquam ut dominus pro lubitu et *absque iusta causa* possit bona ecclesiastica *valide* alienare, tamen bonorum et iurium temporalium Ecclesiae Romanae et universalis est supremus administrator, perfectissima potestate *iurisdictionis* instructus: hinc ut bonus dispensator et administrator propter necessitatem vel utilitatem Ecclesiae bona et iura temporalia alienare non prohibetur. Legitima autem alienatione transferuntur iura, quae a successore R. Pontificis alienantis auferri non possunt, nisi praedecessor sine iusta et proportionata causa alienationem perfecisset, quam successor merito rescinderet vel

potius nullam et irritam esse declararet. Cfr. *Bouix*, De Curia Romana p. 83 sq.

Haec in abstracto et theoretice dicta sunt, ne nimium restringatur supremum et plenum ius R. Pontificis [147]. At de facto et in praxi, si agatur de *restrictione* illius territorii, quod iure certo ex compluribus iam saeculis Sedi Apostolicae immediate vel mediate subicitur, sedulo cavendum est, ne sub *praetextu* vel *colore* necessitatis vel utilitatis Ecclesiae iura Sedis Apostolicae, iuramenta data et speciatim Const. Pii V, Innoc. IX, Clem. VIII, Alexandri VII supra cit., laedantur. Quare mirum non est quod Innoc. IX l. c. disertis verbis declararit Const. Pii V « *Admonet* » prohiberi quamcunque infeudationem etiam feudi *nondum devoluti*. Clem. VIII vero l. c. simpliciter *cassavit decretum Gregorii XIV*, 13 Sept. 1591 datum, ne propter casus raros, qui vix unquam contingere possent, etiam sub praetextu *necessitatis* vel *utilitatis Ecclesiae* subterfugiis aperiretur via consulendi R. Pontifici huiusmodi alienationes. Aliis theoriis, quoad dominia ad Cameram Apostolicam delata, occurrit Alexander VII in Const. « *Inter ceteras* » a. 1661 [148]. Et profecto difficillime intelligi potest quomodo, post toties declaratam *necessitatem* principatus civilis R. Pontificis, licita vel valida *alienatio* universi illius principatus civilis fieri possit.

Quodsi Clemens XI et Clemens XII vi extrinseca non fuissent impediti quominus Pii V Const. « *Admonet* » exsecutioni mandarent, tota fere Italia a Sicilia usque ad Padum sub regimine civili R. Pontificis esset unita [149].

Multo minus eae *limitationes* principatus civilis Romani Pontificis vim iuridicam habent, quae per *fraudes* et *dolos*, *vim* et *metum*, fortunatam *facti* iniustitiam, per summam iniuriam et contra sollemnes et iustissimas protestationes Rom. Pontificum factae sunt, v. g. in pace Tolentina (a. 1797) Pio VI a Gallica republica impositae, in concordato Pio VII a. 1813 a Napoleone I

[147] *Riganti*, in Reg. 64, Canc. Apost. n. 49, 50.

[148] *Riganti*, l. c. n. 50 sq.; Pii IX Encycl. 19 Ian. 1860; S. Poenit. 6 Oct. 1862; *Hollweck*, D. k. Strafg. § 153, not. 2, § 154, not. 1.

[149] Anal. iur. pont. a. 1867, p. 1099 sq.; *Card. Hergenroether*, D. Kirchenstaat p. 34; *Hollweck*, l. c. § 153, not. 2, ubi vocabulum « *iura* » in Pii IX Const. « *Apost. Sed* » recte explicatur de illis *iuribus* in dominia *quaedam* quibus Sedes Apostolica saltem *certo nondum* renuntiavit.

extorto, in congressu Viennensi (a. 1815), in quo gubernium austriacum et gubernium gallicum sibi absque ullo iuris titulo partes principatus pontificii usurparunt. Contra quam usurpationem Card. Consalvi 14 Iun. 1815 frustra protestatus est [150]. Quo in censu etiam habendae sunt adnexiones et occupationes provinciarum Status pontificii inter annos 1859-1870 patratae. Cfr. De civili principatu Rom. Pontificum p. 8 sq.

II. Quoad *formam regiminis*. Procul dubio principatus civilis ex monarchia *absoluta* potest fieri monarchia *temperata*. Nam forma monarchiae absolutae neque ex natura rei neque iure divino in Statu pontificio fuit praescripta, sed nitebatur iure historico, ut in aliis regnis. Quod ius historicum mutari potuit, et sicut R. Pontifex tempore medii aevi non fuit monarcha absolutus in suo territorio, ita forma illa perfecte monarchica, paulatim introducta, ultimo saeculo emolliri coepta est. Et profecto Pius IX, Motu proprio 14 Mart. 1848, suis subditis « *constitutionem* » concessit. Quae concessio, cum haberet naturam liberae legitimaeque donationis eiusque conditiones sequeretur, propter *abusum* revocari potuit [151].

II. De cessatione potestatis R. Pontificis

450. Per *mortem* [152] cessat in Romano Pontifice potestas spiritualis et civilis. Quamvis nihil obstet quominus ipsius potestas *civilis* tempore Sedis Apostolicae vacantis ab alio subiecto exerceatur, tamen ordinaria potestas *spiritualis* R. Pontificis, ad instar potestatis ordinariae Episcopi, *non* transit in aliquod Capitulum vel Collegium Cardinalium, ut nonnulli Glossatores falso opinati sunt. Cfr. *Fagnan.*, in c. 11, X .de maior. et oboed. I, 33. n. 1 sq.;

[150] *Card. Hergenroether*, l. c. p. 275; *Scherer*, l. c. t. I, p. 465 sq.

[151] *Card. Hergenroether*, l. c. p. 275.

[152] Quid instante morte R. Pontificis observandum sit, accuratius exponunt ordines Romani, v. g. Papa monendus est a medico de periculo mortis, vocandi sunt Cardinales, ut Papa moriens coram eis fidem profiteatur, testamentum condat, locum sepulturae sibi eligat, secus sepelitur ad S. Petr. cum solita sollemnitate.

Abusus, qui antiquis temporibus post mortem Papae irrepserant, v. g. spoliatio palatii papalis, excommissae etc., severis Constitutionibus Apostolicis proscripti sunt. Cfr. v. g. *Camarda*, l. c. in appendice de Constit. et Chirographo Clementis XI.

Saegmueller, D. Cardinäle p. 227 sq. Hinc primatus iurisdictionis spiritualis R. Pontificis cum *continuatione* tantum *morali*, non physica, perpetuo existit in Ecclesia [153]. Cum autem tempore Sedis Apostolicae vacantis saltem particularis Ecclesia Romana sit administranda, neque Statui pontificio possit deesse gubernium, atque negotia etiam ecclesiastica urgentiora, quae salvis praerogativis Sedis Apostolicae differri interdum non possunt, promptum requirant remedium, primis iam saeculis presbyterium Romanum, sede vacante, ecclesiam Romanam administravit. Quae administratio ex saeculo fere sexto transiit in Archipresbyterum et Archidiaconum et Primicerium notariorum. Postquam RR. Pontifices paulatim deputarunt Vicarium, etiam stabilem, ad administrandam dioecesim Romanam, ille Vicarius generalis, ex ordine Cardinalium ordinarie in perpetuum assumptus, etiam tempore Sedis Apostolicae vacantis suum officium retinet. Cuius in locum ex iuris dispositione succedit Vicesgerens, si forte Cardinalis Vicarius tempore vacationis pariter moriatur [154]. Post obtentum principatum civilem cura regiminis politici, attentis limitationibus a Pio IV et Clemente XII statutis, incumbit Cardinali Camerario, cui assistunt capita ordinum, quibus, tribus diebus ab ingressu in Conclave transactis, alii tres sequentes in singulis ordinibus pro tribus diebus succedunt, et reliqui eodem modo sequuntur [155].

Praeterea iurisdictio *Paenitentiarii maioris* per mortem Romani Pontificis non cessat [156]. Potestas quoque SS. CC. RR. quamvis in Conclavi dicatur *quiescere*, tamen *sublata* non est ideoque ad expedienda negotia urgentiora ibidem Congregationes Cardinalium celebrari possunt et de facto celebratae sunt [157]. Nec

[153] *Palmieri*, l. c. p. 521 sq.; *Franzelin*, De Ecclesia p. 226 sq.

[154] *Saegmueller*, D. Cardinäle p. 114 sq.; *Phillips*, l. c. t. V, p. 276 sq.; Clem. XII, Const. « *Apostolatus officium* » 4 Oct. 1732, § 17; Cit. Const. Pii X, n. 19.

[155] Pii IV Const. « *In eligendis* » 9 Oct. 1562 §§ 6, 7, 8; Clement. XII Const. cit. § 6, 7; cit. Const. Pii X, n. 6.

[156] Cap. 2, § 1, de elect. I, 3, in Clem.; Pii IV Const. « *In eligendis* » §§ 9, 10; Clem. XII Const. cit. §§ 15, 16; Benedict. XIV Const. « *In apostolicae* » 13 Apr. 1744, § 4; *Ferraris*, l. c. v. Cardinalis art. 5, n. 20 sq.; cit Const. Pii X, n. 16.

[157] *Fagnan.*, in cap. 11, X. de maior. et oboed. I. 33, n. 63 sq.; *Ferraris*, l. c. n. 43 sq.; Analect. iur. pont. a 1855, p. 2372 sq.

penitus ablata est ipsi *Collegio* Cardinalium [158] omnis potestas. Quare regimini universalis Ecclesiae, in qua etiam Episcopi suam retinent *ordinariam* iurisdictionem, non raro extraordinariis facultatibus auctam, tempore Sedis Apostolicae vacantis satis est provisum. Cfr. *Bouix*, De Curia Romana p. 130 sq.

451. *Per resignationem* R. Pontifex suam iurisdictionem evidenter amittit. Quae *iurisdictio* pontificia nequaquam ad instar potestatis *ordinis* episcopalis nititur physico et indelebili charactere animae impresso, sed est relatio moralis inter Superiorem et subditum, quae dependet a voluntate humana facile mutabili. Quare sicut R. Pontifex per *acceptationem liberam electionis* primatum iurisdictionis actu consecutus est, ita per liberam et publice declaratam *dimissionem* dignitatis suae iurisdictionem papalem amittit.

Porro quod aliis Episcopis *licitum* est, ut ex iustis causis, v. gr. ob salutem animae suae et necessitatem vel utilitatem suarum ecclesiarum, dignitati episcopali cedant (cfr. cap. 10, X. de renunt. I, 9 iunct. can. 184, 430, § 1), id a fortiori ex iisdem causis propter necessitatem vel utilitatem Ecclesiae *universalis* R. Pontifici est permissum. Certe resignatio R. Pontificis absque iusta causa est *valida*, at *licita* dici non potest; vinculum enim adeo arctum temere non est solvendum [159]. Sed urgeri non potest ratio matrimonii spiritualis inter R. Pontificem et Ecclesiam Romanam; cum indubitanter ex auctoritate pontificia illud sit solubile. *Admissio* vero resignationis R. Pontificis omnino non requiritur, cum ipse Superiorem in his terris non habeat, atque vinculum illud spirituale non debeat degenerare in vinculum iniquitatis, a quo Romanus Pontifex et Ecclesia nonnisi per mortem solvantur. Denique Bonifacius VIII quod ipsius praedecessor Coelestinus V iam sollemniter statuit et decrevit: « *Romanum Pontificem posse libere resignare* », denuo ratum habuit et ad perpetuam rei memoriam suae collectioni authenticae inserendum esse duxit. Cfr. cap. 1, de renunt. I, 7 in Sext. Qua declaratione etiam per praece-

[158] Cap. 3, § 1, de elect. I, 6 in Sext.; Clem. XII cit. Const. §§ 6, 15, 18; Pii IV Const. « *In eligendis* » § 6; cit. cap. 2, § 1, de elect. in Clem.; cit. Const. Pii X, n. 1 sq., 6 sq.

[159] *Schmalzgr.*, l. I, t. 9, n. 13; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 339; *Gillmann*, in Arch. f. k. K. t. 80, p. 55 sq.

dentem resignationem Coelestini V (a. 1294) et subsequens exemplum Gregorii XII [160], pariter resignantis, luculenter comprobata, omnis disputatio inter canonistas erat sublata [161]. Quare codex (can. 221), rem omnino certam supponens, mere declarat ad talis renuntiationis valorem non requiri Cardinalium aliorumve acceptationem.

452. *Per amentiam* quoque, in quam R. Pontifex *certo* et in *perpetuum* incidat, *ipso facto* iurisdictio pontificia amittitur, ut teste *Tanner* etiam theologi communiter tenent. Cfr. *Wilmers*, De Christi Ecclesia p. 258.

Nam amentia R. Pontificis certa et perpetua (de dubia vel transeunte non agitur) aequivalet *morti*, et per mortem R. Pontifex certo suam amittit iurisdictionem. Deinde fundamentum exercendae iurisdictionis papalis est usus habitualis rationis, qui per certam et perpetuam amentiam penitus aufertur. Haec est enim ratio, ob quam electio *infantis* ad dignitatem pontificiam est ipso iure irrita, ergo a pari si Papa in perpetuum ad conditionem infantis redigatur, ipso facto eius iurisdictio cessat. Porro potestas papalis non acquiritur iure haereditario, sed electione canonica propter qualitates *personales*, neque ulla ratione per *Vicarium plene et perfecte* exerceri potest. Ergo cum omnes illae qualitates in casu certae et perpetuae amentiae non amplius futuro tempore sint ullius momenti, propter *pacem* et *necessitatem Ecclesiae*, destructo fundamento habitualis usus rationis in Romano Pontifice, omnis iurisdictio est sublata.

---

[160] *Phillips*, l. c. t. I, § 31, ubi praeclare exponit Gregor. XII nonnisi sua legitima et generosa *resignatione* pacem et concordiam in Ecclesia restaurasse. Qua in doctrina, ab aliis scriptoribus iam propugnata, (cfr. *Card. Hergenroether-Kirsch*, Handb. d. allg. Kircheng. t. II, p. 865 sq.) postea etiam recte secutus est eum *Card. Franzelin*, De Ecclesia p. 230 sq., licet expressis verbis alios patronos suae doctrinae non nominet. Cfr. quoque *Billot*, l. c. t. I, p. 626 sq.

[161] Antiquiore tempore iam vere resignaverant dignitati papali Benedictus IX (a. 1033-1045) et Gregorius VI (a. 1045-1046). Quibus exemplis non nimis est insistendum, cum illorum Romanorum Pontificum electio et resignatio multa vestigia habeant humanae fragilitatis. At quae *Hinschius*, l. c. t. I, 294 sq. dicit contra resignationem Gregorii VI, solida argumentatione historica et canonica non fundantur. Cfr. *Hefele*, l. c. t. IV, n. 706 sq.; *Saegmueller*, l. c. p. 141 sq., 230 sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch*, l. c. t. II, p. 218 sq., 583; aliter *Gillmann*, l. c. p. 58 sq., ubi putat Gregorium VI in Concilio Sutrensi (a. 1046) *invitum* fuisse

453. Per *haeresim notoriam* et *palam* divulgatam R. Pontifex, si in illam incidat, ipso facto etiam *ante* omnem sententiam declaratoriam Ecclesiae sua potestate iurisdictionis privatus existit [162]. Qua de re quinque existunt sententiae, e quibus prima *negat* suppositum totius quaestionis, sc. Papam etiam ut doctorem privatum posse incidere in haeresim. Quae sententia sane est pia et probabilis [163], sed certa et communis dici nequit [164]. Hinc quaestio, admisso supposito, est solvenda.

Itaque secunda quaedam opinio tenet Romanum Pontificem etiam propter *occultam* haeresim ipso facto excidere sua potestate. Quae sententia a Bellarmino merito dicitur laborare *falso* supposito, sc. haereticos occultos esse prorsus separatos *a corpore* Ecclesiae. Cfr. *Palmieri*, De R. Pontifice p. 40. Tertia sententia putat Rom. Pontificem ne ob *manifestam* quidem haeresim sua potestate ipso facto excidere nec ea privari posse per depositionem. Ista assertio optimo iure a Bellarmino dicitur « *valde improbabilis* ».

Quarta sententia cum *Suarez*, De fide disp. 10, sect. 6, n. 6 sq., Caietano aliisque contendit Papam propter haeresim etiam manifestam non esse ipso facto depositum, sed illum posse et debere *deponi* per sententiam saltem declaratoriam criminis. « *Quae sententia meo iudicio defendi non potest* » ait Bellarminus.

Denique est quinta sententia *Bellarmini*, quae ab initio in

---

depositum, non *vere libereque* resignasse; at depositio veri Papae est invalida, similiter resignatio *mere « pro forma »* a Gregorio VI facta, ut suspicatur Gillmann, non produxisset iuris effectum, i. e. vacationem Sedis Apostolicae, nisi Gregorii VI *liber consensus* vere accessisset; consequenter electio successoris Gregorii VI fuisset *invalida*, quae passim in dubium non vocatur. Si *Hauck*, Kircheng. Deutschl. t. III, p. 589, negat depositionem et resignationem Gregorii VI, et defendit Gregorium VI seipsum deposuisse, tenet insignem absurditatem canonicam.

[162] *Bellarmin.*, De Rom. Pont. l. II, cap. 30; *Phillips*, l. c. t. I, 31, i. f.; *Bouix*, De Papa, t. II, p. 653 sq.

[163] *Bellarmin.*, l. c. pr. et l. IV, cap. 6; *Billot*, l. c. t. I, p. 629 sq.

[164] Innoc. III, sermo IV in consecr. Pont.; « *Potest* (Pontifex) *ab hominibus iudicari vel potius iudicatus ostendi, si videlicet evanescit in haeresim, quoniam qui non credit iam iudicatus est* ». Canones autem, v. g. c. 6, D. 40; c. 13, C. II, q. 7, qui de Papa haeretico allegantur, aut sunt apocryphi aut dubii valoris. Cfr. *Phillips*, l. c.

assertione exprimitur et a *Tanner* aliisque merito tanquam magis probata et communior defenditur [165]. Nam is, qui non est amplius *membrum* corporis Ecclesiae, i. e. Ecclesiae ut societatis visibilis, nequit esse *caput* Ecclesiae universae. At Papa, qui incideret in haeresim publicam, ipso facto desineret esse membrum Ecclesiae; ergo etiam ipso facto cessat esse caput Ecclesiae.

Porro Papa publice haereticus, qui ex mandato Christi et Apostoli et ob periculum Ecclesiae est vitandus, potestate sua privari debet, ut omnes fere admittunt. At potestate sua *privari* non potest *per meram sententiam declaratoriam*.

Etenim omnis sententia iudicialis privationis supponit iurisdictionem *superiorem* in illum, contra quem fertur sententia. Iam vero Concilium generale in sententia adversariorum non habet iurisdictionem superiorem quam Papa haereticus. Is enim ex suppositione illorum *ante* sententiam declaratoriam Concilii generalis *retinet* suam iurisdictionem papalem; ergo Concilium non potest ferre sententiam declaratoriam, qua R. Pontifex *privetur* sua potestate; esset enim sententia lata ab *inferiore* in *verum* Romanum Pontificem [166].

Quare omnino dicendum est *ipso facto* R. Pontificem haereticum excidere sua potestate. Sententia vero declaratoria criminis, quae tanquam *mere* declaratoria non est reicienda, illud efficit ut Papa haereticus non iudicetur, sed potius *iudicatus ostendatur* [167], i. e. Concilium generale declarat *factum* criminis, quo ipse Papa haereticus sese ab Ecclesia separavit suaque dignitate privavit.

454. Scholion. Crimini haereseos merito aequiparatur schisma. Cfr. *Tanner*, De spe et carit. q. 6, dub. 2.

---

[165] *Bellarmin.*, l. c. l. II, cap. 30 iunct. *Bellarmin.*, De Concilior. auctorit. l. II, cap. 17, 18; *Kober*, D. Deposition, p. 585 sq; *Wilmers*, l. c. p. 258; *Billot*, l. c.

[166] Quare *Hinschius*, l c. t. I, p. 308, errat, si existimat casus haereseos et schismatis a generali principio: « *Prima Sedes a nemine iudicatur* » esse vere et proprie exceptos, et sine solida ratione asserit in duobus illis casibus Concilium generale non proferre tantum sententiam *declaratoriam*, sed veram sententiam *privationis* vel *depositionis* R. Pontificis.

[167] Cfr. Innoc. III, l. c.; c. 9, 10, D. 79; *Bellarmin.*, De Rom. Pont. l.II, cap. 30; *Kober*, l. c. p. 585.

Praeter haeresim nullum existit crimen, ob quod Romanus Pontifex, aut *ipso facto* suam iurisdictionem amittit, aut per sententiam iudicialem *deponi potest*. Cfr. *Suarez*, De fide, disp. 10, sect. 6, n. 14 sq. Etenim verus et indubitatus Papa propter aliud crimen suam iurisdictionem *ipso facto* amitteret aut ex positiva Dei ordinatione aut ex natura rei. Huiusmodi positiva Dei ordinatio non existit, et ex natura rei praeter casum haeresis iurisdictio pontificia non aufertur. Nam Papa, etiam iniquissimus propter alia delicta, semper manet *membrum* corporis Ecclesiae.

Ut autem per sententiam iudicialem verus et indubitatus Papa *deponi* posset, omnino requireretur auctoritas, quae post cognitam causam cum vera potestate coactiva de illo ferret sententiam iudicialem. At R. Pontifex vi sui primatus a nulla auctoritate humana iudicari potest, sed a solo Deo [168]. Cui rationi ex natura primatus petitae accedit traditio et praxis Ecclesiae [169]. Tota enim traditio constanter tenuit hoc principium: « *Prima sedes a nemine iudicatur* », ut patet ex causa Symmachi et Paschalis II. Porro Conciliis generalibus vel Collegio Cardinalium vel Imperatoribus, de quibus unice quaeri posset, ius in Papam esse constanter ab Ecclesia negatum est. Cfr. v. g. causam Eugenii IV. Ipsi quoque Rom. Pontifices nunquam sponte sese *vero* iudicio *coactivo* submiserunt, sed tantum iudicio *discretionis*. Cfr. causam Damasi, Symmachi et Leonis III. Neque paritas est inter *electionem* et *depositionem* R. Pontificis. In illa profecto fit designatio R. Pontificis ministerio hominum; at inde non sequitur Pontificem etiam per homines posse deponi. Nam per electionem *fit* R. Pontifex; per depositionem exercetur auctoritas omnino non data in eum, qui actu iam *est* R. Pontifex. Ergo

---

[168] Can. 1556 iunct. cap. 13, X. de iudic. II, 1; cap. 6, X. de elect. I, 6; *Bellarmin.*, De auctor. Concil. cap. 17, 18, 19; *Fagnan.*, in cap. 6, X. de elect. n. 21; *Phillips*, l. c. t. I, § 31; *Kober*, l. c. p. 549 sq.; *Saegmueller*, l. c. p. 144 sq.; 233; *Bouix*, De Papa t. II, p. 623 sq., 629 sq.

[169] Si *Hinschius*, l. c. t. I, p. 296 sq. defendit contra catholicos, v. g.; *Kober*, l. c. saltem ex iure antiquo depositionem *legitimorum* R. Pontificum non fuisse reprobatam (nam de disciplina *vigente* et de depositione *intrusorum* et *usurpatorum*, qui *nunquam fuerunt* Rom. Pontifices, nulla est controversia), manifeste confundit *facta* et *usurpationes* cum *iuribus*, ius *proprium* deponendi principum cum *brachio saeculari* ab Ecclesia requisito, iudicium *proprie* dictum cum iudicio *discretionis*.

depositio etiam iniqui Papae nec licite nec valide fieri potest. Media autem iusta contra iniquum Papam iuxta *Suarez*, Defensio fid. cath. l. IV, cap. 6, nn. 17, 18 sunt uberius auxilium gratiae Dei, singularis protectio angeli custodis, oratio universalis Ecclesiae, secreta vel etiam publica admonitio sive correctio fraterna, iusta defensio, sive physica sive moralis fuerit violentia eius.

Veteres auctores passim admiserunt axioma: *Papa dubius est Papa nullus illudque* ad solvendas difficultates ex magno schismate occidentali ortas applicarunt[170]. Profecto hoc axioma varias admittit significationes; Papa enim dubius potest intelligi non negative, sed *positive* dubius, i. e. post diligens *facti* examen, viri in Ecclesia catholica competentes pronuntiant: « *Non constat de valore electionis canonicae huius Rom. Pontificis* ». Praeterea verba illa « *Papa nullus* » non necessario intelliguntur de Papa, hucusque *certo* et indubitato atque ab *universa* Ecclesia recepto, de cuius electione postea tot excitentur difficultates, ut *fiat Papa dubius*, qui eam ob causam *excidat* potestate pontificia *iam obtenta*. Talis enim axiomatis sensus « *de Papa nullo* » videtur reprobandus, quoniam *tota* Ecclesia a Rom. Pontifice *legitime* electo penitus deficere nequit propter unitatem a Christo Ecclesiae suae promissam. At alterum membrum axiomatis hanc potest habere significationem, quod R. Pontifex, de cuius electione canonica non constet, atque post accuratum examen *positiva* solidaque *dubia* existant, omnino non *acquisiverit*[171] *unquam* a Christo Domino *iurisdictionem papalem*. Quare Episcopi in Conc. generali congregati, si ad examen vocant huiusmodi casum dubium, non iudicant de *vero* Papa, utpote pontificia iurisdictione *carente*. Quodsi axioma hoc ultimo sensu intelligatur, videtur continere doctrinam omnino sanam. Id imprimis eruitur ex *natura iurisdictionis*. Nam iurisdictio est essentialiter *relatio Superioris* inter, qui habet *ius* ad oboedientiam, et *subditum*, qui habet *officium* oboediendi; cessante igitur uno termino, alter necessario cessat, ut patet ex natura relationis. Quodsi iam Papa est vere et permanenter *dubius*, in nullo subdito existit *officium* oboedientiae. Nam lex: *Successori legitime electo S. Petri est oboediendum*, non obligat, si sit *dubia;* porro plane dubia est, si dubie est *promulgata*. Leges enim instituuntur cum promulgantur et absque sufficienti promulgatione carent parte constitutiva vel conditione *essentiali*. At si *factum* legitimae *electionis* successoris S. Petri *dubie* est *probatum*, *dubia* est *promulgatio;* ergo lex illa obiective et ex parte non est rite constituta vereque dubia existit neque ullam imponit obligationem. Immo temerarium esset tali viro oboedire, qui titulum sui iuris non probavit. Neque ad principium *possessionis* provocari potest; agitur enim de Romano Pontifice, qui *nondum* est in pacifica *possessione*. Consequenter in illo viro non existit ius praecipiendi, i. e. caret iurisdictione papali.

Aliunde idem efficitur ex *visibilitate* Ecclesiae. Visibilitas enim Ecclesiae in hoc consistit, quod talibus signis et criteriis fulgeat obiectivis, ut morali adhibita diligentia praesertim in suis magistratibus legitimis cognosci et discerni possit. At in suppositione facta Papa post diligens examen inveniri nequit. Recte igitur concluditur talem Papam dubium non esse caput proportionatum visibili Ecclesiae a Christo institutae. Neque minus repugnat iste Papa dubius *unitati Ecclesiae*, cui quam maxime obstat corpus perfecte separatum a capite. Nam Papa dubius nullum habet ius praecipiendi, et ideo in fidelibus deest obligatio oboediendi; ergo caput esset perfecte separatum a reliquo corpore Ecclesiae. Cfr. *Suarez*, De fide, disp. 10, sect. 6, n. 4, 19.

---

[170] Cui applicationi, v. g. a *Bellarmino* et *Suaresio* aliisque factae, merito iam contradixerunt *Ballerini*, *Phillips*, *Bauer*, *Card. Hergenroether*, *Card. Franzelin*, De Eccles. p. 233 sq. Cfr. quoque *Bouix*, De Papa t. II, p. 673 sq.

[171] *Card. Franzelin*, l. c. p. 232, n. 4, i. f.; *Camarda*, l. c. p. 253 sq., 256 sq., ubi agit de legitimis exceptionibus contra electum Rom. Pontificem recteque notat contra Papam electum *et a tota Ecclesia receptum* non admitti exceptionem. Qui *consensus* Eccl. *non est electio* nec *vi sua non electum* facit *electum*, quia canonice electus a Cardinalibus antecedenter ad acceptationem Ecclesiae est legitimus Papa. Cfr. *Franzelin*, l. c. p. 234. Ergo acceptatio illa Ecclesiae non est *causa*, sed *signum* et *effectus* infallibilis *validae* electionis. Vicissim si *tota* Eccl. Papam electum derelinquat, v. g. Petrum de Luna sive Bened. XII, id *certum* est *signum* illum nunquam fuisse legitimum Papam. Cfr. *Card. Hergenroether-Kirsch*, l. c. t. II, p. 867 sq.; *Bouix*, l. c. p. 684 sq.

CAPUT II

DE CONCILIIS OECUMENICIS

455. Fontes: Decret. Gratian. Dist. 15, 16, 17, 18; cap. 4, X. de elect. I, 6. — Pii II Const. « *Exsecrabilis* » 18 Ian. 1460; Leon. X Const. « *Pastor aeternus* » 19 Dec. 1516 (Sess. XI, Conc. Later. V); cfr. cap. 1 sq. de Conc. III, 7, in Lib. Sept. — Conc. Trid. Sess. VII, i. f. et Sess. XVI, et Sess. XXV, i. f., Sess. XXIV, cap. 2, de ref.; Conc. Vatic. Sess. IV, cum schemat. Concilii Vaticani apud *Martin*, l. c. p. 132 sq., 157 sq.; Collect. Lac. t. II, v. Concilia oecum. t. VII.

Scriptores: Comment. iur. Decr. in prooem. v. g. *Schmalzgr.*, n. 309 s.; *Devoti*, t. I, cap. 15, n. 6 sq. — *Sanguineti*, l. c. n. 357 sq.; *Phillips*, l. c. t. II, §§ 83 sq.; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, *Lehrbuch* d. k. K. n. 448 sq.; *Hinschius*, l. c. t. III, p. 325 sq., 333 sq., 473 sq., 603 sq.[1]. — *Durantis*, De modo gener. Conc. celebr.; *Iacobatius*, De Conciliis; *Suarez*, De fide, disp. 11. (de Conciliis); *Bellarmin.*, De Conciliis et Eccles.[2]; *Bouix*, De Papa, ubi et de Conc. oec.; *Ferraris*, v. Concilium; *Fourgel*, apud Vacant, Dict. d. Theolog. v. Conciles. — *Thomassin*, P. II, l. 3, cap. 43 sq.; *Hefele*, Concilieng.; *Funk*, in Act. Theol. Tubing. t. 64, p. 561 sq. iunct. poster. disquis. eiusd. auct. et Act. theol. Oenip. t. X, p. 67 sq.; *Granderath-Kirch.*, Gesch. d. Vatik. Konzils, t. I sq.; *Ios. Hergenroether*, Antijanus.

Praenotiones

456. I. Connexio materiae. Legislator subsumit Concilia oecumenica sub generali titulo « de suprema potestate deque iis qui eiusdem sunt ecclesiastico iure participes »; Concilium quippe oecumenicum cum Rom. Pontificem comprehendat su-

---

[1] « *Veteres catholici* » occasione Concilii Vaticani non pauca publicarunt scripta de Conciliis et Rom. Pontifice, v. g. *Schulte*, *Michaud* aliique, quorum theorias non raro etiam *Hinschius* recte reicit et refutat.

[2] Cfr. quoque de Conciliis recentiores theologos, v. g. *Palmieri*, De R. Pontifice p. 666 sq.; *Wilmers*, De Christi Ecclesia p. 391 sq.; *Billot*, De Eccl. Christi t. I, p. 718 sq.; *De Groot*, Summa apologetica p. 412 sq.; *Pesch*, Praelect. dogm. t. I, n. 433 sq.; *Scheeben*, in Kirchenlex. v. Concil. qui tamen potissimum agere solent de Conciliis tanquam de *subiectis activis magisterii* ecclesiastici. Cfr. *Suarez*, De leg. l. IV, cap. 6, de *congregationibus* ecclesiasticis, quae habeant *potestatem condendi leges*.

prema potestate pollet ad ea se extendente, quae per solam potestatem Rom. Pontificis fieri possunt.

II. **Notio.** Concilium[3] in foro ecclesiastico[4] generatim intelligi potest quilibet conventus legitimus virorum ecclesiasticorum ad tractandum de rebus ecclesiasticis. Quo sensu etiam Congregationes Romanae Cardinalium, Capitula generalia clericorum regularium, Synodi dioecesanae possunt dici Concilia. At *sensu stricto* Concilium est congregatio legitima *Episcoporum* ad deliberandum et *decernendum* de rebus *ecclesiasticis*[5]. Quare conventus (conferentiae) Episcoporum (cfr. can. 292, § 1) aut ad meram consultationem celebrati, aut in quibus Episcopis, ut collegio, non competit superior quaedam et *perfecta iurisdictio* in foro *externo* et cum voto *decisivo*[6] etiam ad exercendam potestatem *legiferam, iudicialem, coercitivam* in totum territorium, ex quo conveniunt, non vera Concilia sunt nec illa supplere possunt[7].

III. **Divisio** *a*) Concilia dividuntur in Concilia *oecumenica* (generalia, universalia) et in Concilia *particularia* sive *topica*[8]. Illa sunt congregationes legitimae *Episcoporum totius orbis catholici* aliorumque Praelatorum privilegiatorum a Romano Pon-

---

[3] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. I, cap. 1, n. 1 sq. Verbum concilii, quod ab Isidoro c. 1, § 7, D. 15, mirum in modum explicatur, derivandum est a conciendo (conciere).

[4] Vocabulum « *concilii* » quatenus denotat congregationem ex universis ecclesiis ad tractanda in communi negotia per quam « *repraesentatio totius nominis christiani celebratur* », in Ecclesia occidentali prima vice occurrit c. a. 205-212, apud *Tertul.* († a. 229), De ieiun. cap. 13; verbum autem « *synodi* » (σύνοδος) i. e. congregatio *Episcoporum*) reperitur in Ecclesia orientali c. 38, (36). Apost. et saeculo tertio apud *Dionys. Alex.* (*Euseb.* Histor. eccl. l. VII, cap. 7).

[5] *Suarez*, l. c.; *Bouix*, De Papa t. III, p. 345 sq.

[6] Quare Episcopus in Concilio subscribere solet; « *Definiens subscripsi* », cum princeps laicus forte praesens utatur formula: « *Consentiens subscripsi* ».

[7] Pii IX Const. « *Maximae* » 18 Aug. 1864, in Collect. Lac. t. V, col. 1200, c.; Anal. eccles. t. VII, p. 488, t VIII, p 211, Instr. S. Sed. de celebrandis conferentiis Episcoporum in Austria et America latina; *Suarez*, l. c.

[8] Cfr. c. 6, Conc. Constantinop. a. 381, vel verius a. 382, (*Hefele*, l. c. t. II, p. 26, 30), ubi prima vice commemorat οἰκουμενικήν σύνοδον, cui opponitur σύνοδος τοπική.

tifice *convocatae*, ut illo sive per se sive per Legatos suos *praesidente* et *approbante* de negotiis Ecclesiae *universalis* deliberent atque *decernant*. Concilia vero particularia vel topica sunt congregationes *Episcoporum* aliorumque Praelatorum privilegiatorum *determinatae regionis* a competente Superiore ecclesiastico legitime coactae, ut de rebus ecclesiasticis saltem illius regionis deliberent atque decernant.

De Conciliis particularibus secundum ordinem legalem sub alio titulo erit agendum.

§ I. Origines et vicissitudines historicae

457. Concilia oecumenica, quatenus repraesentant universum collegium Episcoporum Romano Pontifici subordinatum, certe *iure divino instituta* [9] dici possunt. Etenim Christus Dominus instituit collegium Apostolorum sub S. Petro, quod per ipsorum successores in sua Ecclesia semper permanere debebat. Quare eidem collegio suam promisit *assistentiam* usque ad consummationem saeculorum atque etiam *unitati* collegii Episcoporum cum suo capite nunquam interrumpendae efficaciter providit [10].

Inde autem minime consequitur, quod Christus Dominus *obligatorio modo* praescripserit actionem quandam communem illius collegii in Conciliis oecumenicis *congregati*, necessario statis *temporibus* vel certis locis vel speciali *forma* exercendam. Nullibi enim in fontibus *revelationis* huiusmodi mandatum Christi reperitur expressum neque ex *natura* rei colligi potest. Etenim ex Christi institutione primatus iurisdictionis ad regendam Ecclesiam *ex sese sufficit*, atque idcirco *absoluta* quaedam *necessitas* inducendi totum collegium Episcoporum, sive dispersum per orbem sive collectum in unum locum, ad communes deliberationes et ad *decreta* condenda non existit [11].

[9] *Suarez*, De leg. l. X, cap. 2, n. 16; *Schmalzgr*. l. c. n. 311 sq.

[10] Matth. XXVIII, 18 sq.; Ioann. XVII, 11, XX, 21; *Pesch*, Praelect. dogm. t. I, n. 261 sq.; *Bouix*, l. c. t. II, p. 608 sq.

[11] *Palmieri*, l. c. p. 670 sq; *Pesch* l. c. n. 411 sq.; *Bouix*, l. c. t. III, p. 351 sq.; *Granderath*, Const. dogm. Conc. Vatic. p. 177 sq. Quare si *Hinschius*, l. c. p. 630 sq., putat post Concilium Vaticanum alia Concilia oecumenica fore *inutilia* et *superflua*, manifeste duas res confundit; nam nequaquam quidquid non est *absolute necessarium*, ideo est *inutile et superfluum*; insuper eius exceptiones iam in ipso Concilio Vaticano refutatae sunt Cfr. *Granderath*, l. c.; *Pesch*, l. c. n. 459; *Palmieri*, De R. Pont. p. 685 sq.

Multo minus probari potest sententia *Bolgenii;* quasi Christus Dominus Episcopis, non ut singulis, sed cum Rom. Pontifice in unum *corpus* coadunatis *immediate universalem* quandam iurisdictionem in totam Ecclesiam concesserit. Nam *soli* supremo pastori Ecclesiae iurisdictio universalis *immediate* a Christo confertur, et omnis iurisdictio, quam Episcopi legitime convocati ad Concilia oecumenica in *universam* exercent Ecclesiam, a Romano Pontifice in eos dimanat eique semper manet subordinata [12].

458. Viginti Concilia oecumenica inde a Concilio Nicaeno (a. 325) usque ad Concilium Vaticanum celebrata [13], si non mera *facta historica*, sed principaliter *iuris* quaestiones et praesertim illorum habitudo ad potestatem civilem examinentur, facile ad triplicem quandam speciem reducuntur.

I. *Octo priora Concilia* generalia, quae pro more nunc recepto inter oecumenica recensentur [14] (Nicaen. I, Constantinop. I, Ephesin., Chalced., Constantinop. II, III, Nicaen. II, Constantinop. IV), in *Oriente* fuerunt coacta. Quare mirum non est, quod, pro singulari indole imperii Romani et disciplina Ecclesiae orientalis, imperatores in convocandis, celebrandis, approbandis illis conciliis partes speciales habuerint. Quae interventio potestatis civilis minime in dubium est vocanda [15]; at nequaquam eo extendi potest, quasi fuerit exercitatio quaedam iuris *proprii* et *plane independentis*, quod cum vero et *nativo iure Romani Pontificis* convocandi, dirigendi et confirmandi Concilia oecumenica componi non potest. Huiusmodi enim pugna inter *iura ecclesiastica* et *facta historica* non est asserenda, dummodo iura illa Romani Pontificis secundum communem doctrinam theologorum et canonistarum catholicorum accipiantur, et facta historica aequa lance ponde-

[12] *Palmieri*, l. c. p. 272.

[13] *Hefele*, l. c. t. I, p. 59 sq.; *Kneller*, Papst u. Konzil in erst. Jahrtaus. in Act. theol. Oenip. t. 28, p. 58 sq.

[14] Profecto, v. g. Conc. Constantinop. I, (a. 381), *conventione* et *celebratione* ab initio tantum fuit Synodus generalis Ecclesiae orientalis, non Ecclesiae universalis. Cfr. *Hefele*, l. c. t. II, p. 1 sq.

[15] *Hefele*, l. c. t. I, p. 8 sq., 29 sq., 44; *Bloetzer*, in Act. Theolog. Oenip. t. X, p. 71.

rentur [16]. Huc spectat praesertim disputatio *de iure* atque *de facto convocationis* et *confirmationis* Conciliorum illorum oecumenicorum per Romanum Pontificem.

Nam quod Romani Pontifices in illis Conciliis, quibus per suos Legatos intervenerunt, ius praesidendi exercuerint serio in dubium vocari nequit [17].

II. *Tempore medii aevi* post ortum schisma Photianum ab a. 869-1123 Concilia oecumenica non sunt celebrata. At quemadmodum in antiquo imperio Romano per Concilia quaedam *plenaria* primum Concilium oecumenicum fuit praeparatum, ita in Ecclesia occidentali Concilia Sedis Apostolicae, inde a temporibus Nicolai I convocata, paulatim viam pararunt ad *singularia* illa Concilia oecumenica medii aevi.

Nequit enim negari Concilia universalia (Lateran. I, II, III, IV, Lugd. I, II, Vien., Constantiense, Florent., Later. V, Trid.), ab anno 1123 congregata, multiplici ratione ab antiquis octo Conciliis discrepare [18]. Etenim non solum omnia in *Occidente* celebrata sunt, sed ob haereses et schisma longe maximae partis Ecclesiae *orientalis* (ritus graeci) ordinarie soli fere Episcopi *latini* ad illa convenerunt [19].

Praeterea Romani Pontifices independenter ab omni interventione principum civilium eadem Concilia oecumenica, libere

[16] *Palmieri*, l. c. p. 673 sq.; *Bloetzer*, l. c. p. 79 sq.; *Hefele*, l. c. p. 8 sq. Quare *Funk*, l. c., licet aliqua argumenta hucusque allata recte reiecerit, tamen in aliis factis examinandis minus accurato iudicio critico et canonico usus est. Cfr. *Bloetzer*, l. c.; *Pesch*, l. c. t. I, n. 448 sq.; *Kneller*, D. Berufung der Konzilien in Act. theol. Oenip. t. 30, p. 1 sq. iunct. t. 28, p. 391 sq.; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 451, not. 1.

[17] *Hefele*, l. c. p. 29 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 333 sq.; 344 sq.; quae sibi favere videntur in hac materia nimis urget, et non pauca adversariorum argumenta solidis argumentis non refutat (cfr. *Bloetzer*, l. c. p. 86 sq.; *Pesch*, l. c. n. 465); at scite p. 340 sq. explodit falsas theorias « *veterum catholicorum* » de « *testimonio* » Episcoporum et « *unanimitate* » suffragiorum in antiquis Conciliis oecumenicis; ipse vero in obscura propositione theoriae « *de receptione* » Conciliorum oecumenicorum (cfr. p. 348, not. 2, 8) parum fortunatus fuit. Cfr. *Granderath-Kirch*, Gesch. d. Vatik. Konzils t. I, p. 86 sq.

[18] *Hefele*, l. c. t. V, p. 378 sq., 872 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 349 sq.

[19] Episcopi ritus graeci intervenerunt in Concilio Lugdun. II, (a. 1274) et in Florentino (a. 1439). Cfr. *Hefele*, t. VI, p. 138 sq., t. VII, p. 756 sq. (ed. I).

convocata, ut plurimum etiam per se et personaliter dirigebant. Inde quoque factum est, ut decreta in his Conciliis oecumenicis condita et a Romano Pontifice personaliter approbata etiam *extrinsecam* haberent formam Constitutionis pontificiae, adiuncta clausula « *approbante Concilio* ».

Quae independentia Romani Pontificis non obstabat quominus, ad promovendam et manifestandam *concordiam* utriusque potestatis, principes civiles sive per se sive per suos oratores cum voto consultivo et praerogativis quibusdam honorificis Conciliis oecumenicis intervenirent [20].

Post magnum illud schisma occidentale sane in compluribus Conciliis, v. g. in Concilio Pisano a. 1409 et Constantiensi (a. 1414 sq.) ad tollendum discidium novae quaedam theoriae de superioritate Concilii super Romanum Pontificem propugnatae et adoptatae sunt [21]; at nuspiam Concilium vere oecumenicum vel Romani Pontifices istas theorias confirmarunt, quae in Concilio Florentino et Lateranensi V potius reprobatae sunt [22].

In Concilio quoque Tridentino ab iisdem principiis non est recessum [23]; salva quoque mansit concordia cum principibus civilibus, quorum votis Patres Tridentini, reiectis praeposteris postulatis, in non paucis obsecundarunt.

III. Cum post tria fere saecula *Concilium Vaticanum* (a. 1869) convocaretur, novum atque insolitum factum, ut alias accidit, fuit felix clausula aliarum congregationum Episcoporum. Etenim ultimo saeculo mirum in modum restaurata fuerat antiqua praxis celebrandi Concilia provincialia et plenaria, atque iam ter Pius IX etiam generales quosdam conventus Episcoporum orbis catholici

[20] *Hefele*, l. c.; *Granderath-Kirch*, l. c. t. I, p. 128 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 356 sq., 362, 523 sq.

[21] *Hefele*, l. c. t. VI, p. 992 sq., t. VII, p. 1 sq., 92 sq., 182 sq.; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 448 sq., p. 343, not. 2, (de origine systematis Gallicani); *Hinschius*, l. c. p. 362 sq.

[22] Leon. X Const. « *Pastor aeternus* » 19 Dec. 1516; *Hefele* l. c. t. I, p. 50 sq., t. VII, p. 368 sq., t. VIII, p. 710 sq.; *Pesch*, l. c. p. 221 sq. Quae *Hinschius*, l. c. p. 369 sq., asserit de *valida immutatione* iuris *antiqui* per decreta Constantiensia, rebus antiquatis sunt adnumeranda. Cfr. *Bouix*, De Papa t. II, p. 498 sq.

[23] Cfr. Sess. cit. in font.; Sess. XXV, cap. 21, de ref.; *Massarellus*, Acta... Conc. Trid, ed. *Theiner*; *Pallavicino*, Storia del Concilio di Trento; *Hefele*, l. c. t. I, p. 12, t. IX, p. 278, 766 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 426 sq.

(1854, 1862, 1867) celebraverat. Quo in Concilio *iuris principia* non fuerunt mutata, sed, temporum ratione habita, prudenter applicata. Illud vere novum fuit quod catholici principes civiles, licet ab interventione non fuissent exclusi, libertate sibi data non uterentur, immo complures, mutua concordia utriusque potestatis neglecta, potius in castris adversariorum Concilii Vaticani militarent [24].

§ II. Disciplina vigens

459. De convocatione, translatione, suspensione et dissolutione Concilii oecumenici.

I. *Rom. Pontifex* habet ius proprium et exclusivum [25] *convocandi* Concilium oecumenicum ita ut sine ipsius convocatione verum Concilium oecumenicum dari non possit (can. 222, § 1); nam *solus* pro suo primatu iurisdictionis in *universam* Ecclesiam *omnes* et *singulos* Praelatos ecclesiasticos, qui de iure vel ex privilegio Conciliis oecumenicis intersunt, *obligare* potest, ut ad illa celebranda pro suo officio unum in locum conveniant et de negotiis Ecclesiae *universalis* deliberent atque decernant [26]. Neque quisquam alius *proprio* hoc iure potitur, ut etiam *invito* Romano

[24] Collect. Lac. t. VII; *Cecconi*, Storia del Concilio Ecum. Vaticano; *Fessler*, D. Vatik. Con.; *Manning*, The true history of the Vatican council; *Granderath*, Constit. dogm. ... Conc. Vatic.; *Granderath-Kirch*, Gesch. d. Vatik. Konzils; *Hinschius*, l. c. p. 451 sq. Cfr. speciatim de omissa invitatione principum civilium; *Cecconi*, l. c. vol. I, p. 134 sq. *Granderath-Kirch*, l. c. t. I, p. 36 sq., 129 sq., 355 sq., t. II, p. 674 sq.

[25] Quare si octo priora Concilia oecumenica ab Imperatoribus fuerunt convocata, id non factum est ex iure proprio et nativo, sed iure quodam ministeriali, cuius usui consensus verus aut legitime praesumptus Romani Pontificis *praeivit* aut saltem per *subsequentem ratihabitionem* accessit. Cfr. *Bellarmin.*, De Concil. l. I, cap. 12; *Palmieri*, l. c. p. 671 sq.; *Phillips*, l. c. t. II, p. 236 sq.; *Pesch*, l. c. t. I, n. 446 sq.; *Kneller*, D. Beruf. l. c. in Act. theol. Oenip.

[26] Cap. 4, X. de iureiur. II, 24; Leon. X Const. « *Pastor aeternus* » 19 Dec. 1516; Paul. III Const. « *Initio* » 22 Mai 1542; Iul. III Const. « *Cum ad tollenda* » 14 Nov. 1548; Sixt. V Const. « *Immensa* » 22 Ianuar. 1588; Pii IX Const. « *Aeterni* » 29 Iun. 1868; *Schmalzgr.*, l. c. n. 322; *Bouix*, De Papa t. III, p. 365 sq.; *Scherer*, l. c. p. 661 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 604, recte contra *Schulte*.

Pontifice illa comitia generalia totius Ecclesiae convocare possit; secus potestas pontificia non amplius esset *plena* vereque *monarchica*.

Quemadmodum Rom. Pontifex supremum plenumque ius habet *indicendi* sive convocandi Concilia oecumenica, ita etiam pro suo primatu iurisdictionis et superioritate eadem Concilia *absque consensu* Praelatorum congregatorum *transferre, suspendere* [27], *dissolvere* valet et de facto ex disciplina vigente hoc iure usus est. Quo ex iure Romani Pontificis indicendi Concilia oecumenica etiam illud sequitur, quod Episcopi congregati inconsulto R. Pontifice nequeant *discedere* aut arbitrario suo discessu *dissolvere* Concilium legitime coactum [28]. Quodsi decreta conciliaria a Romano Pontifice « *sacro approbante Concilio* » *promulgantur*, sane etiam decretum de translatione, suspensione, dissolutione ab ipso Concilio cum confirmatione R. Pontificis condi potest, ut v. g. accidit in translatione (a. 1552) et dissolutione (a. 1563) Concilii Tridentini.

Quod iam Pius IX, et deinde iterum Pius X, constituerat [29], expressa quoque lege firmavit Codex (can. 229), sc. mortuo durante Concilio R. Pontifice, Concilium ipso iure suspendi donec novus Pontifex illud resumi et continuari iusserit.

Ad illam convocationem ipse Rom. Pontifex iure divino vel ecclesiastico *absoluta* necessitate *non obligatur* neque ad certum *tempus* vel *locum* adstringitur, sed propter magnam *utilitatem* aut *moralem* quandam *necessitatem* [30] pro suo supremo *iure* et *iudicio* convocat Concilia oecumenica, sive ad definitiones *dogmaticas* sive ad expediendas causas *disciplinae* ecclesiasticae.

[27] Leon. X Const. « *Pastor* » 19 Dec. 1516; Pii IX Const. « *Cum Rom. Pontificibus* » 4 Dec. 1869, qua lege generali decernitur Concilium oecumenicum, legitime congregatum, per mortem R. Pontificis *ipso facto* suspendi; *Bouix*, l. c. p. 406; *Granderath-Kirch*, l. c. t. I, p. 454 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 631 sq.

[28] Cap. 4, X. de iureiur. II, 24; Concilium Tridentinum i. f. ubi Legati sub poena excommunicationis omnibus Patribus mandarunt, ut antequam a civitate Tridentina discederent, subscriberent manu propria decretis Concilii; Pii IX Const. « *Multiplicis* » 27 Nov. 1869, n. 9.

[29] Pii IX Const. « *Cum Romani Pontificis* » 4 Dec. 1869; Pii X Const. « *Vacante Sede Apost.* » 25 Dec. 1904, n. 28.

[30] Cfr. Paul. III cit. Const. « *Initio* » pr.; *Palmieri*, l. c. p. 695 sq., 482 sq.; *Bouix*, l. c. p. 354 sq.

Etenim, ut patet ex praecedentibus, de tali praecepto positivo Christi Domini Romano Pontifici dato omnino non constat, neque *ex natura rei* colligi potest absoluta illa necessitas Conciliorum oecumenicorum ad finem Ecclesiae consequendum, cum eidem per plenitudinem potestatis Rom. Pontificis sit sufficienter provisum. Neque Romani Pontifices *subiciuntur* antiquis decretis Constantiensibus, etiam a se approbatis [31], quibus convocandis Conciliis oecumenicis certum *tempus* [32] et *forma* in designando *loco* fuerant statuta. Nam canonibus alicuius Concilii oecumenici, etiam confirmati, nunquam ligantur ut subditi et semper retinent iurisdictionem *intensive aequalem* potestati Concilii oecumenici a Romano Pontifice confirmati. Insuper illa decreta Constantiensia, teste historia, fuerunt parum opportuna; idcirco optimo iure a Romanis Pontificibus permissum est ut ista disciplina in desuetudinem abiret. Quodsi a iure exclusivo Romani Pontificis convocandi Concilia oecumenica duo vel tres casus dicuntur esse *excipiendi*, huiusmodi *limitationes* principii generalis non sunt ad rem [33]. Nam si in casibus istis « *exceptis* » *Cardinales* vel, ipsis renuentibus, Episcopi mutuo hortatu convocarent Concilium oecumenicum, non haberetur Concilium *vere oecumenicum*, quod sine Papa existere nequit, sed congregatio generalis Episcoporum, si Romanus Pontifex aut *dubie* fuerit electus aut post electionem rite factam incidat in *haeresim*.

---

[31] Conc. Constant. Sess. XXXIX, cap. 1, (decretum « *Frequens* ») approbatum a Martino V in Sess. 44 eiusd. Conc. et Eugenii IV Const. « *Ad ea* » 5 Febr. 1447; *Hefele*, l. c. t. VIII, p. 321 sq.; 367 830 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 352 sq.

[32] In Concilio Vaticano Episcopi quidam Galliae denuo postularunt, ut Concilia oecumenica *saepius* (singulis 20 annis) haberentur. Cfr. *Martin*, l. c. p. 157, ubi similia postulata referuntur in Conc. Trid. proposita; *De Angelis*, l. c. p. 279 sq.

[33] *Schmalzgr.*, l. c. n. 332; *Bouix*, l. c. p. 374 sq. Ante Const. Pii X, « *Vacante Sede Apostolica* », inter casus exceptos erat recensendus casus *simoniacae electionis*, ut expresse de iure illo Cardinalium (non simoniacorum) convocandi Concilium generale cavetur in Iul. II Const. « *Cum tam* » 14 Ian. 1506, § 8. Quodsi *Hinschius*, l. c. p. 631, putat doctrinam scriptorum catholicorum de casibus illis exceptis *post* Concilium Vaticanum non amplius posse sustineri, evidenter proficiscitur a falsa interpretatione illius doctrinae et male intellecto decreto Vaticano de *infallibili magisterio* R. Pontificis.

II. *Convocandi* sunt ad Concilium oecumenicum sive per *intimationem personalem* sive per unum *edictum generale* R. Pontificis, diversis modis legitime promulgatum, v. g. Romae, ut ex praxi nunc vigenti fit [34]:

a) *Iure ordinario et proprio* et *cum voto decisivo omnes Episcopi* (Archiepiscopi, Primates, Patriarchae) residentiales totius orbis catholici, qui *iurisdictionem actualem* in determinatam dioecesim habent [35]. Nam illi Episcopi imprimis sunt successores Apostolorum, qui una cum Romano Pontifice constituunt *collegium Episcoporum*, quod ex Christi promissionibus praerogativa infallibilitatis munitum est atque *universam* Ecclesiam docentem et regentem *repraesentat*. Quare inde a primis temporibus Concilia fuerunt *conventus Episcoporum*, non *laicorum*, immo nec alii clerici, nisi cum voto consultivo aut per modum exceptionis ad Concilia sunt admissi [36]. Quod ius Episcoporum reducendum est ad illam institutionem Christi, qua suam Ecclesiam non solum per successores S. Petri, sed *ordinarie* et *generaliter* etiam per Episcopos in dioecesibus tanquam proprios pastores constitutos, non per meros Delegatos vel Vicarios Sedis Apostolicae regi voluit. Quare *collegio Episcoporum* in Conciliis oecumenicis nequaquam *aliud quoddam collegium* substitui potest. Iure autem illo potiuntur Episcopi ante consecrationem receptam.

Episcopi vero *titulares*, cum iurisdictione careant, tum illa universali a Bolgenio conficta tum particulari, (quippe iurisdictio « *in actu primo* » a Ferraris allegata in se *nulla est iurisdictio*, sed mera potestas *ordinis episcopalis*, quae nec magisterii nec regiminis potestatem continet et solummodo aliquam habili-

---

[34] Cfr. Pii IX Const. « *Aeterni* » 29 Iun. 1868; *Phillips*, l. c. p. 226 sq., 249 sq.; *Hefele*, l. c. t. V, n. 872 sq. (de convoc. Conc. Later. IV, a. 1213); *Hinschius*, l. c. p. 609.

[35] *Schmalzgr.*, l. c. n. 324 325; *Bouix*, De Papa t. III, p. 380 sq.; *Scherer*, l. c. p. 663 sq.; *Granderath-Kirch*, l. c. t. I, p. 83 sq.; *Hinschius*, l. c. 604 sq. Cfr. quoque cit. convoc. Conc. Later. IV, in qua Innocentius III, in *singulis* provinciis ecclesiasticis *duos* Episcopos *remanere* iubet eisque tantum iniungit ut *procuratores* mittant.

[36] Cfr. de Chorepiscopis subscriptionem in Conc. Neocaesar. (a. 314-325), et Nicaen. (a. 326); *Bouix*; l. c. p. 375 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 609.

tatem personae ad *accipiendam iurisdictionem* episcopalem), et negotia Conciliorum oecumenicorum potestate *iurisdictionis*, non *ordinis* transigantur, ad Concilia universalia vocari *non debent*; at convenienter evocari *possunt* [37], praesertim si simul sint *Vicarii Apostolici* in terris missionum cum *ampla iurisdictione*, ut ita perfectius universa Ecclesia repraesentetur, etiam regionum sub dominatione infidelium constitutarum [38]. Quare optimo consilio a Pio IX de facto etiam Episcopi titulares et Vicarii Apostolici ad Concilium Vaticanum convocati sunt. Qua vocatione obligatorio modo facta etiam Episcopi titulares *iurisdictionem* in Concilio oecumenico exercendam obtinuerunt [39], et iure Codicis si vocati fuerint, suffragium obtinent deliberativum (can. 223, § 2).

b) Cardinales, etiamsi non sint Episcopi [40], praeterea *Abbates* vel *Praelati nullius*, *Generales Ordinum religiosorum* clericalium, quibus merito aequiparantur *Abbas Primas* et *Abbates*

---

[37] *Bouix*, l. c. p. 382 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. 325, cum Suaresio, Cano, Kon. aliisque. Quibus Episcopis titularibus aequiparandi sunt Episcopi, qui resignarunt *loco* tantum, *non dignitati*. Quodsi *Hinschius*, l. c. p. 605, putat doctrinam supra propositam laborare inconsequentia et ex sententia communi nunc Episcopos titulares *necessario* vocandos esse nec posse excludi, errat in *facto* communis sententiae et ad probandum *ius* a se assertum inefficacia affert argumenta. Cfr. quoque *Coppola*, Sul diritto di suffragio dei vescovi titulari et renuntiatarii nel concilio ecumenico; *Billot*, De Eccles. Christ t. I, p. 720 sq. *Saegmueller*, Lehrb. p. 391, not. 3, p. 24 sq., ubi tamen Episcopos titulares videtur habere participes magisterii propter potestatem ordinis episcopalis.

[38] *De Angelis*, l. c. p. 262, putavit Vicarios Apostolicos, etsi non sint Episcopi, *necessario esse vocandos;* at argumenta ab ipso allata de iure praecedenti probant tantum congruentiam, non iuris necessitatem.

[39] *Cecconi*, Storia del Concilio Vatic. vol. I, p. 113 sq., 150; *Granderath-Kirch*, l. c. t. I, p. 90 sq.; at *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 453, minus accurate putavit Episcopos titulares vi *characteris episcopalis* habere *votum decisivum* in Conciliis oecumenicis; etenim votum illud decisivum, in exercitio sive magisterii sive regiminis datum, nititur potestate *iurisdictionis* per canonicam missionem vel iniunctionem, non per sacram ordinationem data; quare si iure Codicis illud habent, ipsis competit ex positiva iuris concessione.

[40] *Schmalzgr.*, l. c. n. 326; *Bouix*, l. c. p. 385 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 606.

generales qui Superiores sunt Congregationum monasticarum, cum voto pariter decisivo vocandi sunt [41]. At *simplices Abbates* [42] particularium monasteriorum et *Superiores generales* Congregationum religiosarum cum votis *simplicibus* ex disciplina vigente non gaudent iure ut cum suffragio *decisivo* ad Concilia oecumenica convocentur atque etiam de facto ad Concilium Vaticanum vocati non sunt [43].

Praeter personas enumeratas nemo iure divino vel ecclesiastico praeditus est cum suffragio *decisivo* interveniendi Conciliis oecumenicis, nisi extraordinario indulto apostolico evocetur, v. g. procurator Episcopi absentis [44], administrator dioecesis [45], Vicarius capitularis [46].

Ex iure tamen communi nunc firmato in Codice (can. 224) quicumque ad Concilium vocari *debent*, si quominus intersint iusto impedimento detineantur, mittere tenentur procuratorem per quem impedimentum probent: qui si fuerit unus e Concilii Patribus, non ideo duplici gaudet suffragio; si fuerit extraneus duplici tantum gaudet iure, sc. interessendi sine suffragio in sessionibus et subscribendi acta Concilii iam expleti. Quae obligatio

---

[41] *Schmalzgr.*, l. c. n. 327; *Bouix*, l. c. p. 386 sq.; *Cecconi*, l. c. p. 115 sq. et *Granderath-Kirch*, l. c. t. I, p. 98 sq.; ubi referunt, quomodo pro Concilio Vaticano quaestio de vocandis Abbatibus tantum generalibus secundum principia iuris de iurisdictione quasi-episcopali et ex aequitate canonica praxique magis probata sapienter fuerit soluta. Id quoque recte concedit et fatetur *Hinschius*, l. c. p. 607.

[42] *Bouix*, l. c., omnibus Abbatibus exemptis cum iurisdictione quasi-episcopali in solos monachos huiusmodi privilegium et votum decisivum vindicavit; at argumentis peremptoriis usus non est ad comprobandum *decisivum* votum *omnibus* illis Abbatibus proprium.

[43] *Bouix*, l. c. p. 397.

[44] Iam in Concilio Vaticano procuratores Episcoporum suffragio decisivo caruerunt atque restricti fuerunt ad reddendas rationes de absentia Episcopi, ad ius simpliciter subscribendi acta Concilii et ad locum quendam honorificum occupandum in sollemnibus Sessionibus. Cfr. *Cecconi*, l. c. p. 138 sq.; *Granderath- Kirch*, l. c. t. I, p. 108 sq.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioeces. l. III. cap. 12, n. 5, (de praxi Concilii Tridentini et antiquorum Conciliorum); *Hinschius*, l. c. p. 605.

[45] Administrator Podlachiae ex indulto apostolico ad Concilium Vaticanum cum voto decisivo admissus est. Cfr. *Fessler*, D. Vatik. Concil. p. 15, 21.

[46] Vicarii capitulares ad Concilium Vaticanum non fuerunt convocati. Cfr. *Cecconi*, l. c. p. 127; *Granderath-Kirch*, l. c. t. I, p. 121 sq.

mittendi procuratorem supponit convocationem inducere veram obligationem veniendi ad Concilium, nisi adsit causa excusans. Cum qua obligatione cohaeret officium non discedendi ante finem Concilii, nisi a Concilii praeside, cognita et probata causa abeundi, licentia fuerit obtenta (can. 225). At non pauci clerici in Conciliis oecumenicis deputantur ad diversa officia et ministeria praestanda, v. g. secretariorum, notariorum etc.; alii vero, qui in rebus theologicis et canonicis sunt insignes, ut *consultores* adhibentur ad deliberationes cum voto mere consultivo (can. 223, § 3).

Principes quoque laici *possunt* invitari, tum ut concedant praesidium, tum ut sua vota exponant praesertim in causis *disciplinae* ecclesiasticae. At in Concilio Vaticano *expressa* invitatio principum civilium non reperitur. *Schismaticos* vero orientales, *protestantes* aliosque *acatholicos* Pius IX specialibus Litteris Apostolicis hortatus est, ut ad ovile Christi *redirent*, non ut admitterentur ad disputandum de doctrina catholica, iam pridem definita [47].

460. De Constitutione Concilii oecumenici.

I. Concilium ut oecumenicum statim ab initio censetur legitime constitutum, si post *generalem* convocationem tot conveniant Episcopi aliique Praelati privilegiati, quot cum Rom. Pontifice *sufficiant ad Ecclesiam universalem repraesentandam* [48]. Quare nequaquam *requiritur*, ut *omnes et singuli* Episcopi vel *maior* pars vel determinatus quidam *numerus* Episcoporum in locum Concilii actu conveniant. Etenim in nullo unquam Concilio, vere et indubitanter oecumenico, *omnes* Episcopi convenerunt, nex expedit ut id fiat atque adeo moraliter impossibile est. Nec de determinato quodam numero ex ullo iuris fonte constat, et non pauca fuerunt celebrata Concilia oecumenica, in quibus non maior, sed tantum *minor* pars Episcoporum intervenit.

---

[47] Act. S. Sed. V, p. 143 sq. de miro postulato D. Cumming; *Hefele*, l. c. t. VII, p. 109, 218 sq. de salvo-conductu Hussio concesso, sed « *salva iustitia* »; Conc. Trid. Sess. XV, XVIII, de pleniore salvo-conductu protestantibus promisso; *Billot*, t. III, l. c. p. 227; *Granderath-Kirch*, l. c. t. I, p. 122 sq.

[48] Martini V, art. 5, 6, de quibus interrogandi suspecti error. Wikleff et Huss apud *Denzinger*, Enchiridion n. 657 sq.; *Bouix*, l. c. p. 406 sq.; *Phillips*, l. c. p. 237 sq., 251 sq.; *Bellarmin.*, l. c. I, cap. 17.

v. g. in ipso Concilio Tridentino [49]. *Declaratio* authentica et infallibilis de oecumenicitate alicuius Concilii dari potest a Romano Pontifice vel a Concilio quodam oecumenico vel a magisterio disperso; agitur enim de quaestione dogmatica, in qua R. Pontifex errare nequit. Quae *declaratio* autem *efficere* non potest, ut Concilium quoddam *fiat* etiam *convocatione* et *celebratione* oecumenicum, quod ab initio et de facto, nec convocatione nec celebratione, fuerat oecumenicum, sed tantum ob *confirmationem* dicitur universale, quatenus obtinuit *vim* et *auctoritatem* obligandi Ecclesiam *universalem* [50].

Quare indubitanter multo maior vel simpliciter maior pars suffragiorum, quibus consensus Rom. Pontificis accedit, ad decreta conciliaria sive in materia fidei sive in rebus disciplinaribus *plane sufficit*. Id enim eruitur ex ipsa natura cuiuscumque collegii, ubi certe maior pars suffragiorum *sufficit*, nisi specialis exceptio possit probari, de qua hac in re nullo iure cavetur. Porro constanti praxi et traditione Ecclesiae idem confirmatur. Neque dubium remanere potest, si quis attendat rationem illam fundamentalem, quod Rom. Pontifex et consentiens maior pars Episcoporum vere constituant *collegium Episcoporum* atque *universam repraesentent Ecclesiam docentem et* regentem, corpus cum capite, cui Christus Dominus suam promisit assistentiam, non parti corporis a capite separatae [51].

Denique spectato iure et attenta singulari natura Concilii oecumenici, quod Concilio provinciali vel Capitulo ecclesiastico vel senatui cuidam non est simpliciter aequiparandum [52], ad legitimam decisionem etiam vere *conciliarem* sufficit, si Romani Pontificis consensus accedat minori et saniori parti Episcoporum. Nam imprimis *minor* et sanior pars Episcoporum non est confundenda cum *aliquot Episcopis* [53], quibuscum R. Pontifex publicare possit tantum decisionem mere pontificiam, non vere conciliarem. Etenim minor pars Episcoporum potest esse *tanta*,

---

[49] Conc. Trid. Sess. I, decretum de inchoando Concilio; *Phillips*, l. c.; *Hinschius*, l. c. p. 609 sq.

[50] *Bouix*, l. c. p. 409 sq.; *Pesch*, l. c. n. 448 sq.; 459.

[51] *De Angelis*, l. c. p. 271 sq.; *Pesch*, l. c. p. 446 sq.; *Fourgel*, apud Vacant v. Conciles XI.

[52] *Bellarmin.*, l. c. cap. 18, i. f.

[53] Quare *Hinschius*, l. c. p. 610, not. 2, 3, doctrinam a Phillips et Bouix propugnatam non recte refert.

ut iam *ex sese* aequali ratione, immo *melius* repraesentet Ecclesiam universalem quam maior pars Episcoporum in Concilio dissidentium, v. g. in Concilio oecumenico cum maiore numero Episcoporum Africanorum et minore numero ex omnibus reliquis partibus Ecclesiae. At quod maximi momenti est, ibi tantum repraesentatur Ecclesia universalis, ubi est successor S Petri; illic enim tantum reperitur legitimum collegium Episcoporum supremo pastori unitum, sive corpus cum suo capite [54]. Quare necessitas quaedam absoluta consensus maioris partis Episcoporum nequit demonstrari. Multo minus admittenda est *obligatio* Romani Pontificis *sequendi* vota maiora Episcoporum, quoniam ipse canones, etiam a maiore parte Episcoporum in aliquo Concilio conditos, reprobare potest [55].

II. Altera conditio omnino essentialis ad constituendum Concilium oecumenicum est ut *Romanus Pontifex*, sive per se sive per suos Legatos *interveniat* et *praesideat* (can. 222, § 2); secus in Concilio oecumenico non repraesentatur Ecclesia *universalis*, sed habetur corpus sine capite [56].

461. De potestate et competentia Concilii oecumenici [57].

Concilium oecumenicum rite constitutum gaudet *suprema ordinaria* potestate [58]. Quae potestas *extensive* quidem, i. e. quoad *numerum* illam exercentium, maior est quam sola auctoritas Papae, non vero *intensive*, cum etiam Romano Pontifici soli in universam Ecclesiam *eadem* suprema et *plena* potestas sit collata, quae Concilio oecumenico cum Papa propria est [59]: quae relatio inter potestatem Rom. Pontificis et Concilii oecumenici efficit, ut

---

[54] *Bellarminus*, l. c. cap. 17; *De Angelis*, l. c. p. 276. Cfr. de singulari modo dandi suffragia secundum « *nationes* » non per capita in Concilio Constantiensi servato; *Hefele*, l. c. t. VII, p. 67; *Hinschius*, l. c. p. 373 sq., 618 sq.

[55] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 2, n. 3; *Hefele*, l. c. t. I, p. 32 sq. (de c. 3 Con. Constantinop. I, a. 389, non approbato) p. 549 (de c. 28 Conc. Chalced. a. 451 reprobato).

[56] *Bellarminus*, l. c. cap. 19 sq.; *Bouix*, l. c. p. 398 sq., 408; *Schmalzgr.*, l. c. n. 323, 336; *Hinschius*, l. c. p. 611, ubi theoriam Schulte recte reicit. Cfr. quoque *Hefele*, l. c. t. I, p. 29 sq.

[57] *Bellarmin*, l. c. l. II, cap. 1 sq., 12 sq.; *Bouix*, l. c. t. III, p. 414 sq., t. II, p. 498 sq.

[58] Can. 228, § 1. *Schmalzgr.*, l. c. n. 328; *Pesch*, l. c. n. 459.

[59] *Bouix*, l. c, t. II, p. 503 sq., 687 sq.; *Palmieri*, l. c. p. 691 sq.

a sententia R. Pontificis ad Concilium oecumenicum appellatio dari non possit (can. 228, § 2).

Ergo Concilium oecumenicum competens est tum ad infallibiles definitiones dogmaticas tum ad universales leges disciplinares condendas. Porro ab eius iurisdictione non excluduntur iudicia sive contentiosa sive criminalia neque inflictio poenarum [60].

462. De celebratione Concilii oecumenici.

I. Imprimis requiritur ut Rom. Pontifex sive per se sive per suos Legatos *praesideat*.

II. Ius quoque *proponendi* res disceptandas, apto *ordine* bene *praeparatas* et digestas, sane *supremo plenoque* gradu est penes *Rom. Pontificem*, ut evidenter sequitur ex primatu iurisdictionis; at deliberationibus *conciliaribus* omnino congruum est, ut etiam *Episcopis concedatur ius proponendi subordinatum* [61], exhibendo antea approbationi praesidis res proponendas (can. 226).

III. Universa *discussio* et definitio fiant necesse est cum *plena libertate*, nec dolo et fraude vel vi metuque sint extortae; secus nullius sunt auctoritatis [62].

IV. Cui libertati non obstat, quominus in deliberationibus et votis *ordo aptus* et stabilis sit servandus, in quo a traditionibus longo usu consecratis non facile recedatur. At nequaquam *Rom. Pontifex* in Concilio Vaticano limites suae potestatis ex-

---

[60] *Bellarmin.*, l. c.; *Bouix*, l. c. t. III, p. 415 sq. Cfr. quoque de causis celebrandi Concilia oecumenica: *Schmalzgr.*, l. c. n. 314 sq.; *Hefele*, l. c. t. I, p. 5; *Hinschius*, l. c. p. 614 sq., ubi recte reicit arbitrariam theoriam a Schulte propugnatam, quod ad Concilium oecumenicum legitime celebrandum requiratur aliqua controversia *dogmatica*, de qua necessario definitio quaedam sit danda.

[61] Pii IX Const. « *Multiplices* » 29 Nov. 1869, n. 2, iunct. decret. 20 Febr. 1870; *Martin*, l. c. p. 61 sq., 145 sq., ubi recensentur postulata dogmatica et disciplinaria Episcoporum in Concilio Vaticano; *Cecconi*, l. c. p. 181; *Granderath-Kirch*, l. c. t. I, 408 sq., iunct. p. 20 sq., 62 sq., 389 sq. In Concilio Tridentino ius proponendi Legatorum interdum impugnatum est; cfr. Acta Conc. Trid. ed. a *Theiner*, t. I, p. 17, iunct. t. II, p. 462; Sess. XVII, decr. de celebr. Conc. Sess. XXIV, cap. 21, de ref.

[62] *Bouix*, l. c. t. III, p. 435; *Bellarmin.*, l. c. l. I, cap. 18, i. f.; *Granderath-Kirch*, l. c. t. II, p. 44 sq., 85, 120 sq., 283 sq., 553, 560 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 472 sq. exceptiones veterum catholicorum contra libertatem Concilii Vaticani recte refutat, sed exceptiones non fundatas contra Legatos Concilii et Episcopos Germaniae profert.

cessit, si *solus* ordinem servandum Episcopis *ex sese* et *inconsulto* Concilio praescripsit. Nam ipse etiam in Concilio oecumenico non solum tenet *qualecunque* ius *praesidendi*, sed *primatum iurisdictionis*, cui omnes et singuli Episcopi oboedire debent [63].

V. Post maturam et liberam deliberationem et legitime amputatam nimiam loquendi facultatem, sane summopere desiderandum est ut Episcopi congregati, *unanimi* suffragio aut saltem per multo maiorem partem votorum, dent definitiones dogmaticas aut condant decreta disciplinaria.

At consensus vere et physice unanimis Episcoporum certe non requiritur. Nam istud requisitum arbitrarie est confictum atque in fontibus iuris divini et ecclesiastici nullum habet fundamentum. Neque unquam in aliquo Concilio oecumenico talis conditio fuit definita; immo pluries, etiam invitis et contradicentibus non paucis Episcopis, Concilia oecumenica sua promulgarunt decreta.

Obstat quoque natura rei, quia posita necessitate unanimis consensus Episcoporum omnis definitio conciliaris practice fit impossibilis et illusoria.

Iisdem argumentis etiam impugnatur unanimitatis necessitas moralis, cui insuper merito specialis illa ratio opponitur quod sit conditio adeo vaga et indefinita, ut practice adhiberi non possit et innumeris dubiis viam aperiat. Indubitanter igitur *maior pars votorum, immo*, quemadmodum constat ex praecedentibus, etiam *minor* et *sanior* pars, ut ad constituendum Concilium, ita etiam ad decretum conciliare sufficit, si R. Pontificis consensus accedat [64].

---

[63] Cfr. text. cit. in not. 61, h. tit. Cfr. de antiquis ordinibus servatis in Conciliorum celebratione: Conc. Tolet. IV, (a. 633), c. 4; Conc. Tolet XI (a. 675), c. 1; Acta Conc. Trid., ed. a *Theiner*, t. I, p. 1 sq.; *Scherer*, l. c. n. 665 sq.; *Granderath-Kirch*, l. c. t. I, p. 389 sq., 413 sq., 417 sq t. II, p. 39 sq., 224 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 611 sq., ubi recte ex primatu R. Pontificis deducit ius pontificium praescribendi Concilio oecumenico ordinem procedendi; sed ad probandum illud ius proficiscitur a suppositione omnino falsa, sc. quod ex doctrina catholica collegium Episcoporum in Concilium oecumenicum congregatum sit merum consilium R. Pontificis. Nam collegium quoddam, v. g. Concilium provinciale, potest habere veram potestatem *legiferam* et *iudiciariam*, licet ordo procedendi ipsi a superiore auctoritate praescribatur.

[64] *Pesch*, l. c. n. 451 sq.; *De Angelis*, l. c. p. 268; *Hinschius*, l. c.

463. De confirmatione Concilii oecumenici.

I. Episcopi in Conciliis oecumenicis profecto non sunt meri *consultores* vel *testes* iurisdictione destituti, sed veri sunt *iudices*, qui, vi *iurisdictionis* sibi concessae, tum in causis fidei tum in negotiis disciplinae ecclesiasticae, in legibus condendis et in iudiciis ferendis atque poenis infligendis suffragium habent decisivum ideoque « *definientes* » subscribunt decreta conciliaria [65].

II. Hoc suffragium decisivum omnium Episcoporum vel maioris aut sanioris partis sane non est merum *factum* vel *consilium* vel *testimonium*, sed verum *iudicium* sive validus actus iuridicus vi iurisdictionis positus; attamen continet solummodo subordinatam et incompletam [66], non *supremam* et *definitivam* sententiam, quae *ex sese* universalem *obligationem* producat. Quare omnino accedat necesse est consensus Rom. Pontificis, per *confirmationem* datus, et eiusdem mandatum decreta promulgandi (can. 227). Quare confirmatio [67], i. e. iuris iam quaesiti per Superiorem facta corroboratio, non est mere *accidentalis*, sed *essentialis;* etenim deficiente confirmatione pontificia actus Episcoporum manet incompletus, velut corpus sine capite, et *plenum valorem* et perfectam vim obligandi non consequitur. Quare canones Conciliorum oecumenicorum, quibus Romani Pontifices suum consensum denegarunt, semper in Ecclesia catholica reprobati sunt [68].

Confirmatio autem a Romano Pontifice potest dari *antecedenter* per mandatum quoddam *speciale, non generale*, aut concomitanter in ipso Concilio, cui personaliter praeest, aut *subsequenter* sive in forma *sollemni* sive *simplici*, *expresse* vel *ta-*

---

p. 15 sq., ubi optimo iure refutat errores « *veterum catholicorum* »; at ipse falso ex *consecratione* deducit *habilitatem* Episcoporum ad definitiones fidei.

[65] *Bellarmin.*, l. c. l. I, cap. 18; *Bouix*, l. c. p. 410 sq. Quare errat *Hinschius*, l. c., v. g. p. 630, si putat Episcopos post decreta Vaticana in Conciliis oecumenicis non amplius esse veros iudices, sed tantum consiliarios. Cfr. *Palmieri*, l. c. p. 683 sq., 691 sq.; *Pesch*, l. c. n. 459.

[66] *Palmieri*, l. c. p. 692, *Phillips*, l. c. p. 260 sq.; *Billot*, l. c. t. I, p. 729 sq.

[67] *Bloetzer*, in Act. theolog. Oenip. t. X, p. 86 sq., 91 sq.; *Hefele*, l. c. t. I, p. 46 sq.; aliter *Funk* in Kircheng. Abhandl. t. I, p. 87 sq.

[68] Cfr. v. g. can. 3 Conc. Constantinop. (a. 381) et c. 28 Conc. Chalced. (a. 151) iunct. *Hefele*, l. c. t. II, p. 32 sq., 549 sq.

cite per facta concludentia, quae aequivalent confirmationi[69]. Postquam illa confirmatio Romani Pontificis data et promulgata est, decreta conciliaria *ex sese plene obligant* neque ex aliqua subsequente *receptione*[70] Ecclesiae *vim* atque *valorem* mutuantur.

CAPUT III

De Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus

464. Fontes: Decr. Grat. c. 3, D. XXVI, c. 42, C. VII, q. 1, c. 3, 4, D. LXXIX; Const. « *Convenit* » Ioannis XXII, Const. « *Postquam* » Sixti V; Formula iuramenti apud Analect. Iur. Pontif. series II, (1857) p. 1934 sp.

Scriptores: Onuphrius Panvinius, De episcopatib., titulis et diaconiis Cardinal. a 1567; *Cohellius*, Notitia Cardinalatus a. 1633; *Andreucci*, Dissert. de dignit., off. et privil. Cardinal. a 1766, iunct. *Plati*, de Card. dignit. et off. a. 1746; *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 113 sq.; *Ferraris*, l. c. v. Cardinalis; *Bouix*, De Curia Rom. p. 1 sq.; Anal. iur. pont. II, a. 1857, col. 1918 sq., Dignité des Cardinaux; *Bangen*, l. c. p. 26 sq.; 74 sq.; *Phillips*, l. c. t. VI. §§ 264 sq.; *Saegmueller*, D. Thätigk. u. Stellung. d. Cardinäle p. 1 sq.; *Hinschius*, l. c. t. I, 309 sq.; *Ferreres*, La Curia Romana p. 18 sq.

§ I. De nomine, notione, numero et origine Cardinalium

465. Nomen. Cardinalium nomen derivandum est a cardine[1]. Nam cum optimo iure ecclesia episcopalis haberetur *cardo* dioecesis, atque *aliae* ecclesiae *principales* in dioecesi pariter essent

[69] *Schmalzgr.*, l. c. n. 345 sq.; *Bloetzer*, l. c.; *Pesch*, l. c. n. 445 sq.

[70] *Pesch.* l, c.; *Suarez*, De leg. IV, cap. 16, (de acceptatione leg. ecclesiast.) Quae *Hinschius*, l. c. p. 624 sq. de *confirmatione* R. Pontificis, quam sensu vero admittit, et de *receptione* falso scribit, iam pridem a citatis theologis et canonistis catholicis sunt refutata. Cfr. quoque epist. Card. Antonelli ad Nuntios Apost. 11 Aug. 1870, in Collect. Lac. t. VII, col. 1715, ubi declaravit praeter *confirmationem* et *promulgationem ab ipso R.* Pontifice in *Sessione sollemni* d. 18 Iul. 1870 factam nulla *alia promulgatione* Constitutionis primae de Ecclesia opus fuisse, sed istam promulgationem *etiam* in consuetis locis Romae ad superabundantiam, non propter necessitatem, habuisse locum. Cfr. *Granderath-Kirch*, t. I, 390.

[1] *Forcellini*, Totius latinit. lexicon. v. Cardo; *Ferreres*, l. c. n. 46.

cardines[2], idcirco presbyteri vel diaconi vel clerici, huiusmodi ecclesiis intitulati sive incardinati, dicebantur Cardinales[3], immo vel ipse Episcopus dioecesanus audit Cardinalis[4].

Similiter in Urbe[5] complures presbyteri incardinati fuerunt 25 [28] titulis, i. e. ecclesiis principalibus sive baptismalibus, e quibus *principalis* obtinuit nomen Cardinalis. Item diaconi praefuerunt septem diaconiis regionariis Urbis Romae[6]. Inde saltem ex saeculo sexto occurrit nomen Cardinalium presbyterorum et Cardinalium diaconorum Romanae Ecclesiae[7], atque certe saeculo octavo iam ex officio fuit receptum[8]. Episcopi quoque suburbicarii cum censerentur incardinati Ecclesiae *Lateranensi* sive ecclesiae episcopali Romani Pont., etiam ex saeculo octavo nomen Cardinalium consecuti sunt. Cfr. *Anastas.*, Histor. de vitis Rom. Pont. (*Migne*, P. L. CXXVIII, 1158 sq.).

Quae praxis nominum paulatim immutari coepta est, donec ex disciplina a Pio V constituta non solum clerici aliarum ecclesiarum nomen Cardinalium gestare prohibiti sunt, sed etiam ex clericis Ecclesiae Romanae soli Episcopi suburbicarii, quinquaginta presbyteri et quatuordecim diaconi, certis titulis vel diaconiis in Urbe praepositi, vocari possunt Cardinales[9].

466. Notio et dignitas. Cardinales S. R. E. Senatum Romani Pontificis constituunt eidemque in regenda Ecclesia praecipui consiliarii et adiutores assistunt (can. 230). Quare sunt post Ro-

[2] Cap. 2, X. de off. archipresb. I, 24; *Bouix*, l. c. p. 6 sq., 24 sq., ubi aliquae assertiones minus fundatae sunt; *Hinschius*, l. c. p. 312 sq.

[3] S. Greg. M. in c. 5, D. 71, c. 6, D. 74.

[4] Gelas. I, in c. 3, D. 24; S. Greg. M. in c. 42, C. VII, q. 1; *Ferreres*, l. c. n. 47 sq., 57 sq., ubi agit de canonicis qui ex privilegio appellati sunt cardinales.

[5] *Bouix*, l. c. p. 33 sq.; *Scherer*, l. c. p. 474; *Ferreres*, l. c. n. 65 sq. 72 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 309 sq., ubi ab initio insistit protestanticae constitutioni Ecclesiae, neque a se neque a Ritschl solidis argumentis demonstratae.

[6] Liber pontific. p. 126, 164, ed. *Duchesne; Phillips*, l. c. § 263 Conc. Rom. a. 409, iunct. *Hefele*, l. c. t. I, p. 627; c. 6, Conc. Rom. a. 502; *Ferreres*, l. c. n. 65 sq.

[7] Cfr. c. 5, D. 93; c. 2, C. II, q. 4.

[8] Cfr. c. 3, 4, 5, D. 79, ex Conc. Rom. a. 769, a Stephano IV, celebrato.

[9] Cfr. cit. cap. 2, X. de off. archipr. I, 24; cap. 67, X. de elect. I, 6; Pii IV Const. 17 Febr. 1568; *Bouix*, l. c. p. 24 sq.; *Phillips*, l. c. t. VI, p. 41 sq.; *Scherer*, l. c. § 83, not. 10, 62; *Hinschius*, l. c. p. 318 sq.

manum Pontificem *supremae* dignitates *ecclesiasticae* [10] constituentes *Collegium* clericorum in memoratum finem institutum, ut sede Romana plena ex officio in regimine universalis Ecclesiae R. Pontificem ad instar senatus principaliter adiuvent, et etiam sede vacante, quatenus a iure permissum est, suppleant [11] novumque Romanum Pontificem eligant.

Etenim Romani Pontifices appellant Cardinales pro honoris ac dignitatis eminentia *partem sui corporis*. Ex quo sine ulla dubitatione ostenditur post caput Ecclesiae, quod est Papa, contigua sui corporis membra, qui sunt fratres eius Cardinales, prae ceteris Ecclesiae membris ac partibus honorari debere. Atque adeo sacris canonibus sancitum fuit olim eos, qui in Cardinalem manus iniecerint violentas, ut criminis *laesae maiestatis* reos, maximis et multiplicibus poenis esse plectendos, perinde ac si *ipsius apostolici* throni violaverint *maiestatem*. Cfr. Eugenii IV Const. « *Non mediocri* » §§ 3 sq.

467. Origo historica et iuridica. Quemadmodum Episcopi cum presbyterio suas dioeceses regebant [12], ita etiam Episcopus Romanus in commisso sibi officio sollicitudinis omnium ecclesiarum usus est consilio presbyterii Romani [13].

Quod presbyterium constabat presbyteris, qui 25 titulis Urbis fuerunt incardinati, et septem diaconis regionariis [14]. Pro negotiorum autem gravitate Romani Pontifices inde ab antiquis temporibus Episcopos vicinarum regionum ad Concilia convo-

[10] Eugenii IV Const. « *Non Mediocri* » a. 1438; *Bouix*, l. c. p. 72 sq.; at p. 56 sq. illi praecedentiae Cardinalium super Patriarchis, Primatibus etc. argumentis historicis parum solidis nimiam studet vindicare antiquitatem. Quae praecedentia melius cum Bellarmino, Thomassino aliisque scriptoribus catholicis nonnisi ex saeculo undecimo et duodecimo *paulatim* introducta esse dicitur. Cfr. *Saegmueller*, l. c. p. 193 sq.; *Scherer*, l. c. p. 475 sq.; *Phillips*, l. c. § 288; *Hinschius*, l. c. p. 347 sq.

[11] *Bouix*, l. c. p. 130 sq., ubi de antiquissimo tempore minus recte contendit presbyterium Romanum pro more aliorum Capitulorum successisse tempore sedis vacantis in *ordinariam* iurisdictionem Episcopi Romani etiam quoad regimen universale.

[12] S. Ignat. ad Magnes. cap. 6, n. 1; S. Cyprian. epist. 14, ad presbyt. et diac.; c. 1, Conc. Antioch. a. 341; c. 6, C. XV, q. 7; Bouix, De Capitulis; *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 3, cap. 7 sq.; *Phillips*, l. c. t. II, p. 112 sq., t. VI, §§ 264 sq.; *Schneider*, D. bisch. Domkap. p. 1 sq.

[13] S. Cyprian. epist. 30; Siricii ep. ad divers. c. 3, 4, (a. 390).

[14] Cfr. supra hoc. cap. nota 6.

carunt [15]. Inde factum est, ut ex Episcopis, provinciae Metropolitae Romani adscriptis, illi fierent magis stabiles consiliarii et coadiutores Romani Pontificis, qui Urbi magis fuerunt vicini. Certe iam ex saeculo octavo *septem* Episcopi sedium suburbicariarum inter Cardinales Ecclesiae Romanae recensentur [16]. Qui numerus Episcoporum Cardinalium paulatim ad senarium reductus est, (cfr. Sixti V Const. « *Postquam verus* » 3 Dec. 1586 et « *Religiosa* » 15 Apr. 1587) postquam sedes Silvae Candidae sive S. Rufinae, c. a. 1138, cum sede Portuensi, atque dioecesis Veliterna a. 1150 cum dioecesi Ostiensi fuerunt unitae [17]. Illa autem coniunctio dioecesis Ostiensis cum Veliterna iterum dirempta est *motu proprio* Pii X, 5 Maii 1914, retento tamen eodem numero Cardinalium Episcop., cum dioecesis Ostiensis decernatur coniungenda in persona Cardinalis Decani cum dioecesi quam is habeat antequam Decani gradum attingat. *Presbyteri* vero Cardinales generatim tempore medii aevi fuerunt solummodo viginti octo, pari numero inter quatuor Basilicas maiores distributi, donec tandem a Sixto V, l. c., numerus *quinquagenarius* est stabilitus [18]. Septem antiquis Cardinalibus diaconis, iam tempore S. Gregorii, accesserant quinque novi diaconi regionarii et sex diaconi Palatini cum ipsorum Archidiacono [19]. At undeviginti illi Cardinales diaconi non permanserunt, et per Sixtum V, l. c., solummodo *quatuordecim* sunt retenti; unde tandem septuagenarius omnium Cardinalium numerus stabili quadam ratione mansit constitutus.

Quamvis non defuerint complures scriptores, qui putaverint Cardinales esse *institutionis divinae*, tamen huiusmodi opinio plane improbabilis est; nam neque in sacra scriptura neque in traditione divina ullum habet solidum fundamentum. Praeterea aliunde plane certum est, hierarchiam iurisdictionis in Ecclesia Christi ex iure divino tantum duobus gradibus constitui, sc. pri-

[15] *Hefele*, l. c. t. I, p. 101, 106 sq., 114, 135, et 255 sq., 199, 499, 739.

[16] Cfr. supra h. tit. not. 8; *Ferreres* l. c. n. 75.

[17] *Phillips*, l. c. t. VI, §§ 278 sq., p. 159 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 323 sq.

[18] Conc. Constant. a. 1418, decret. ref. cap. 1; compactum Pauli IV, a. 1555, iunct. *Riganti*, l. c. Reg. 8, Canc. Apost. § 2, n. 2; *Scherer*, l. c. p. 475 sq.; *Phillips*, l. c. §§ 284 sq., p. 221 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 335 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 76 sq.

[19] *Ioan. Diac.*, Vita Gregor. l. III, c. 7, apud *Migne*, P. L. LXXV, 133, (saec. 9); *Ferreres*, l. c. n. 82 sq.

matu R. Pontificis et officio Episcoporum. Ergo dignitas cardinalitia cum omnibus suis iuribus et obligationibus est institutionis *mere ecclesiasticae*, atque ut patet ex praecedentibus notis historicis, ne institutionibus quidem *Apostolorum* adnumerari potest [20].

§ II. Sacrum Cardinalium Collegium

468. Cardinales S. R. E. in tres ordines distincti, sed *pari iure suffragii* praediti, non solum constituunt Collegium sive veram *corporationem* ecclesiasticam personalitate iuridica donatam, ad instar Capitulorum ecclesiarum cathedralium, sed etiam Collegium *iurisdictionis;* quod *ut collegium*, saltem in certis casibus a iure expressis, vera iura ecclesiastica iurisdictionis exercere valet, velut Capitulum ecclesiae cathedralis tempore sedis *vacantis*, attento tamen essentiali discrimine inter Sedem Apostolicam et simplicem sedem episcopalem. Quod discrimen inter Collegium Cardinalium et Capitulum cathedrale *ex natura rei* oritur, attenta natura Primatus R. Pontificis. Nam R. Pontifex certe quoad *valorem* actuum sui regiminis ecclesiastici non pendet ab ullo consensu vel consilio Collegii Cardinalium, cum nihil obstet quominus Episcopus ad *valorem* complurium actuum regiminis ecclesiastici ex iuris dispositione debeat habere consensum, aut saltem exigere praevium consilium Capituli suae ecclesiae cathedralis.

In hoc Collegio Cardinales sunt distributi in tres ordines: *a*) Cardinales ordinis *episcopalis*, ad quem pertinent ii, qui dioecesibus suburbicariis praeponuntur, et hodie sunt tantum sex [21]; *b*) ordinis *presbyteralis*, nunc *quinquaginta*, quibus in Urbe assignatur ecclesia seu titulus presbyteralis [22]; *c*) *ordinis diaconalis*, nunc *quatuordecim*, sc. ii quibus in Urbe assignatur ecclesia diaconalis seu diaconia. Vix autem unquam habetur Sacr. Collegium pleno numero septuagenario constitutum, sed semper adsunt aliquot tituli et diaconiae vacantes (can. 231).

S. Collegio nunc [23] praeest Cardinalis Decanus tanquam primus inter pares, carens proinde iurisdictione in alios Cardinales, sed iura et officia habens veri praesidis cum praerogativa honoris. Quod munus Decani competit Cardinali qui antiquior est promotione ad aliquam sedem suburbicariam. Qui antiquitate in sede suburbicaria proxime accedit est Subdecanus. Vacante decanatu, ipso iure in eo munere succedit Subdecanus, sive is tempore vacationis sit praesens in Curia, sive in sua suburbicaria dioecesi commoretur, sive absit ad tempus ob munus sibi commissum a R. Pontifice (can. 237).

Ad instar veri collegii, Cardinalium Collegium sua habet bona propria, quorum administratio geritur per unum ex Cardinalibus cum titulo *Camerarii* Sacri Collegii, qui ex usu recepto singulis annis mutatur atque in munere succedit is, qui antiquitate ad ultimum Camerarium proxime accedit.

Denique Collegium Cardinalium proprium habet *Secretarium* praelatitia dignitate insignitum, cui accedunt Substitutus aliique inferiores officiales.

---

[20] Quare si *Bouix*, l. c. p. 47 sq. sententiam Gallicanorum de institutione *divina* Cardinalium dixit esse « *saltem probabilem* » institutionem vero apostolicam videtur habere *plene* probatam, res vere miras et plane falsas asseruit.

[21] Cum iure vigenti Cardinalis Decanus cumulet sedem Ostiensem cum alia sede suburbicaria, licet *sex* tantum sint Cardinales ordinis episcopalis, sedes suburbicariae distinctae sunt *septem*, videlicet; Ostiensis, Portuensis et S. Rufinae, Albanensis, Tusculana, Sabinensis et Mandelensis, Praenestina et Veliterna.

[22] In Annuario Pontificio a. 1943, p. 58 recensentur tituli presbyterales 53, diaconiae vero 16. Sed diversus fuit numerus diversis temporibus. Cfr. *Ferreres*, l. c. n. 72 sq.

[23] Iure antiquo *Archipresbyter* praefuit presbyterio Romano. Cfr. subscript. Conc. Roman. 499; cap. 1, 2, 3, X. de off. archipresbyt. I, 24; *Phillips*, l. c. § 287. Ex saeculo duodecimo cessat nomen istud Archipresbyteri eique substituitur « *Prior Cardinalium Presbyterorum* ». Post Archipresbyterum in presbyterio Romano principem locum obtinuit *Archidiaconus*, qui inde ex saeculo decimo tertio appellatur « *Prior diaconorum Cardinalium* ». Qui Archidiaconus una cum Archipresbytero et Primicerio Notariorum tempore Sedis Apostolicae *vacantis* regimen tenuit in Ecclesia Romana. Postquam etiam Episcopi suburbicarii accesserunt Collegio Cardinalium, prima dignitas *Decani* ad antiquiorem Cardinalem Episcopum in Curia praesentem delata est. Cfr. Pauli IV Const. « *Cum venerabilis* » 22 Aug. 1555; Clem. XII Const. « *Pastorale officium* » 10 Ian. 1731; cfr. *Bouix*, l. c. p. 132.

§ III. De Cardinalium creatione

469. I. *Ius creandi* Cardinales, omnino liberum neque ullis legibus vel pactis vel formulis *humanis* limitatum, est ex antiquissima praxi et disciplina vigente penes solum Rom. Pontificem (can. 232, § 1). Quodsi Cardinales et praesertim Concilia reformationis saec. 15 liberam illam creationem studuerunt eliminare, imposita R. Pontifici necessitate petendi praevii *consilii* atque adeo *consensus* maioris partis Cardinalium, id constitutioni divinae Ecclesiae manifeste fuit contrarium, nisi R. Pontifex ipse saltem non invitus, v. gr. ex saec. XII, illi formae sese adstrinxit[24]. Nostra vero aetate est mera caeremonia, si R. Pontifex in Consistorio exquirit consilium vel consensum Cardinalium, antequam creat novos Cardinales. Multo minus gubernia aliqua, cum Cardinalem quendam coronae, ut dici solet, R. Pontifici commendant, vero gaudent *iure praesentandi,* et ideo liberam creationem Cardinalium impedire nequeunt.

II. *Qualitates requisitae.* Qui ad dignitatem cardinalitiam assumuntur, generatim qualitatibus ex ipsa natura officii requisitis instructi sint oportet. Cfr. Sixti V Const. « *Postquam* » § 14.

Concilium Tridentinum Sess. XXIV, cap. 1, de ref. voluit ut omnia et singula, quae de Episcoporum praeficiendorum vita, aetate, doctrina et ceteris qualitatibus in eodem Concilio fuerant constituta, etiam in creatione S. R. E. Cardinalium, etiamsi Diaconi essent, exigerentur. Postea Sixtus V, cit. Const. « *Postquam* » § 6, de aetate Cardinalium Diaconorum ius Tridentinum ita immutavit: « *Neque posthac quispiam in Diaconum Cardinalem assumi possit, nisi saltem in vigesimo secundo suae aetatis anno fuerit constitutus, ita ut omnino intra annum ad sacrum diaconatus ordinem valeat et debeat promoveri; alioquin si anno elapso ad ipsum diaconatus ordinem promotus non fuerit, eo ipso tam in consistorialibus et omnibus aliis actibus et negotiis cardinalitiis quam etiam, iuxta Const... Pii IV... super reform. conclavis editam, in electione Romani Pontificis voce activa et passiva omnino careat ac privatus existat* ».

[24] Conc. Const. decr. ref. cap. 1. Quodsi *Huebler,* Die Constanzer. Reform. p. 629, putat primitivum modum promovendi Cardinales fuisse *electionem,* postea transformatam in creationem, assertionis suae argumenta non affert nec ex documentis historicis afferre potest.

Praeterea eodem decreto Concilii Tridentini, cui Sixtus V l. c. § 11 inhaesit, statuitur ut ex *omnibus* christianitatis *nationibus* quantum commode fieri possit, idonei viri ad dignitatem cardinalitiam assumantur.

Inter septuaginta Cardinales, praeter egregios utriusque iuris aut decretorum *doctores,* non desint aliquot insignes viri in sacra theologia *magistri,* praesertim ex regularibus et mendicantium ordinibus assumendi, saltem quatuor, non tamen pauciores. Sixtus V, l. c. § 9.

Codex autem: *a*) in Cardinalibus exigit ordinem presbyteratus iam habitum et ut sint viri doctrina, pietate ac rerum agendarum prudentia egregie praestantes; *b*) a Cardinalatus honore excludit: 1°) *illegitimos,* tametsi per subsequens matrimonium fuerint legitimati, itemque alios omnes *irregulares* vel a sacris ordinibus secundum canonicas sanctiones *impeditos,* tametsi cum ipsis auctoritate apostolica fuerit ad ordines et dignitates, etiam episcopalem, dispensatum; 2°) eos, qui prolem etiam ex legitimo matrimonio susceptam, vel nepotem ex ea habeant; 3°) eos, qui primo aut secundo gradu consanguinitatis alicui Cardinali viventi coniuncti sint (can. 232).

Haec quoad substantiam iam continebantur in memorata Sixtina Constitutione: quibus praescriptionibus *mere* positivis non ita ligantur Rom. Pontifices, ut ab eis recedere non possint.

III. *Modus creationis.* Ad creationem Cardinalis per se sola requiritur voluntas Rom. Pontificis sufficienter expressa, neque ulla specialis *forma* sollemnitatis vel caeremonia est essentialis. Nihilominus in praxi servatur ille modus, ut creentur et publicentur in Consistorio, et inde a tali creatione et publicatione obtinent ius ad electionem Rom. Pontificis et privilegia specialia quibus Cardinales honorantur (can. 233, § 1).

Reliquae igitur caeremoniae, etiam nunc in promotione Cardinalium sapienter praescriptae vel usitatae, ad valorem creationis non requiruntur[25].

[25] Decreverat quidem Eugenius IV Const. « *In eminenti* » 26 Oct. 1431, ut promoti ad Cardinalatum, per nominationem in Consistorio secreto, pro Cardinalibus non haberentur ante recepta insignia neque vocem haberent in electione R. Pontificis, antequam os ipsis fuisset

IV. *Promotionis effectus.* a) Ex modo dictis nominati a momento promotionis obtinent omnia iura et privilegia Cardinalibus communia. Specialem vero potestatem in titulum vel diaconiam non obtinent nisi per actum peculiarem Rom. Pontificis, quo ipsis determinatum titulum vel diaconiam assignat: ille tamen actus solet immediate subsequi impositionem galeri rubri, quae fit in Consistorio publico.

b) Promoti absentes a Curia debent in recipiendo bireto rubro iurare se intra annum, nisi legitimo detineantur impedimento, R. Pontificem adituros (can. 234). Recusatio huius iuramenti inducit privationem cardinalatus (can. 2397).

c) Nisi aliter in casu particulari disponatur, per promotionem inducitur vacatio cuiusvis dignitatis, ecclesiae, beneficii a promoto possessi et amittuntur quaevis pensiones ecclesiasticae (can. 235).

470. Reservatio in pectore. Singularis est ille modus creationis Cardinalium, quo R. Pontifex aliquem in Consistorio promovet ad dignitatem cardinalitiam, sed eius nomen, ut dici solet, *in pectore sibi reservat* pro suo arbitrio quandocumque declarandum. Tali ratione promotus nullis interim gaudet Cardinalium iuribus aut privilegiis. At si illa creatio postea publicetur, vim suam exserit a die publicationis quoad iura et privilegia, quoad praecedentiam vero a die reservationis factae in Consistorio. Quodsi R. Pontifex publicationem consulto omittat aut per mortem improvisam a publicatione impediatur, creatio illa cum reservatione nominis in pectore facta nullum producit effectum. Omnino autem expedit ad graves difficultates praesertim de electione R. Pontificis vitandas, ut nomina Cardinalium creatorum cum reservatione in pectore ab ipso Romano Pontifice *vivente* in consueta et sollemni forma, non per aliquem *codicillum* vel per *testamentum*, post mortem ipsius aperiendum, *rite publicentur* [26].

471. Optio in S. Collegio. Postquam quis per creationem R. Pontificis Collegio Cardinalium aliquo gradu incorporatus est,

---

apertum sive votandi facultas concessa; atque id pro suo iure statuere potuit, sed sine praeiudicio iuris suorum successorum. De facto Rom. Pontifices postea in praxi, a Pio V per decretum 26 ian. 1571 expresse approbata, a laudata Const. Eugenii IV recesserunt.

[26] Act. S. Sed., VIII, p. 304 sq. iunct. *Santi*, l. c. l. I, t. 31, n. 23 sq.; *Kirsch*, in Arch. f. k. K. t. 81, p. 421 sq.

ex iuris dispositione per *optionem* [27] in Consistorio propositam et per *consensum* R. Pontificis approbatam ab inferiore ordine seu gradu ad superiorem in Collegio Cardinalium ascendere valet, et ab uno titulo seu ecclesia in aliam, priori dimissa, transferri.

I. Cardinales *diaconi*, qui omnes resident in Curia: 1°) optionem habent transeundi ad aliam diaconiam vacantem, servata inter ipsos prioritate promotionis, modo optionem proponant in Consistorio praesentes et accedat consensus R. Pontificis; 2°) si per integrum decennium in ordine diaconali permanserit [28], possunt transire ad ordinem presbyteralem, atque ita transeuntes locum obtinent ante omnes illos Cardinales presbyteros, qui post ipsos ad cardinalatum promoti sint [29*].

II. Cardinales *presbyteri*: 1°) optionem habent, servato ordine prioritatis, transeundi ad alium titulum presbyteralem: quae facultas optandi non est restricta ad Cardinales in Curia residentes [30], sed ad omnes extenditur, modo optionem in Consistorio praesentes proponant a R. Pontifice probandam; 2°) si vacet aliqua sedes suburbicaria, Ostiensi excepta, hi qui momento vacationis praesentes fuerint in Curia vel ab ea absentes ad tempus, ob commissum sibi negotium a R. Pontifice, ad illam sedem optare possunt et sic transire ad ordinem *episcopalem*. Immo ex praxi recepta hic est unicus modus quo aliquis Cardinalis in ordine episcopali censetur, cum R. Pontifex non soleat aliquem directe creare Cardinalem, eum simul adscribendo ad ordinem

---

[27] Pauli IV Const. « *Cum venerabiles* » 22 Aug. 1555, § 1; Sixti V Const. « *Postquam* » §§ 7, 8; Clem. VIII Decret. « *Sanctissimus* » 18 Aug. 1597; Clem. XII Const. « *Pastorale officium* » 10 Ian. 1731, §§ 4 sq.; *Bancratius*, De optione sex Episcopat.; *Riganti*, l. c. in Reg. 8, Canc. Apost. § 2; *Phillips*, l. c. t. VI, p. 637 sq.; *Saegmueller*, l. c. p. 179; *Hinschius*, l. c. t. I, p. 344 sq.

[28] Clementis VIII cit. Decr. « *Sanctissimus* ». At in Codice non commemoratur illa conditio, quod in ordine diaconorum debeant remanere decem Cardinales.

[29*] Potest contingere ut Cardinalis diaconus, ex benigna concessione S. Pontificis, transeat per optionem ad ordinem presbyteratus antequam elabantur decem anni a sua creatione. Etiam in hoc casu optionis, ante decennium factae, servatur quoad praecedentiam praescriptum can. 236 § 2. Comm. Cod. 29 maii a. 1934; AAS., XXVI, 493.

[30] Aliter ex citatis Const. Pauli IV, § 1, Sixti V, § 8, et Clem. XII, § 4, 6.

episcopalem per assignationem alicuius ecclesiae suburbicariae (can. 236).

472. Denique Cardinales, qui ab ordine presbyterorum ad ordinem Episcoporum ascendentes unam ex dioecesibus suburbicariis obtinuerunt, ad aliam, priore dimissa, transire non amplius possunt, sed in ea permanere debent quam semel obtinuerint, quam cum Ostiensi cumulat qui Decani gradum attingit; ideoque dioecesis Ostiensis non amplius est obnoxia iuri optandi, cum ipso iure sit assignata Card. Decano.

§ IV. De iuribus et obligationibus Cardinalium

473. Iura et obligationes possunt considerari vel in *universo* Collegio Cardinalium, vel in Cardinalibus *singulis* ratione muneris cardinalitii. Remissis SS. Congregationibus ad disputationem de Curia Romana, potestas a *S. Collegio* exercetur Sede Apostolica *plena* in Consistorio, *vacante* vero Sede Romana in electione Rom. Pontificis et provisoria administratione Ecclesiae.

474. De S. Consistorio. I. S. Consistorium [31] ex vigente Ecclesiae disciplinae est sollemnis *conventus totius Collegii* Cardinalium in Curia praesentium coram *R. Pontifice* ad consultationem vel definitivam sanctionem *quorundam* gravissimorum negotiorum ecclesiasticorum vel ad peragendos pro dignitate R. Pontificis sollemnissimos quosdam actus, exclusis tamen disceptationibus iudicialibus.

II. Consistorium distinguitur in *extraordinarium* sive *publicum* et in *ordinarium* sive *secretum*. Illud a R. Pontifice ad extraordinarias quasdam sollemnitates convocatur, et in eo praeter Cardinales etiam certi Praelati, principes saeculares, nuntii vel ministri civitatum et magistratus quidam civiles admittuntur. Alterum constat *solis Cardinalibus*, qui etiam ex officii iuramento tenentur ad secretum servandum de votis (consultivis) in Consistorio datis [32], et olim *statis* temporibus (v. g. bis in hebdomada vel semel in mense), unde nomen ordinarii sortitum est, a Ro-

---

[31] *Gabr. Card. Palaeotti*, De Sacri Consistorii consultationibus, Rom. 1592; *Bangen*, l. c. p. 74 sq.; *Phillips*, l. c. t. VI, § 292; *Bouix*, l. c. p. 144 sq.; *Saegmueller*, D. Cardinäle p. 97 sq., 46 sq.

[32] Leon. X cit. Const. « *Supremae* » 5 Maii 1514, § 30; *Bouix*, l. c. p. 75 sq.; *Bangen*, l. c. p. 75 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 40 sq.

mano Pontifice fuit convocatum et celebratum; at nunc licet singulis annis aliquot Consistoria celebrari soleant, tamen dies et menses fixi non sunt, sed prudenti arbitrio R. Pontificis determinantur.

III. Consistorium Cardinalium originem suam ducit ex antiquo *presbyterio* [33] Romano, quod Romani Pontifices ad discutienda et definienda negotia convocare solebant. In locum antiqui presbyterii Romani successit Collegium Cardinalium, quos iam Ioannes VIII, (a. 872-882), iussit bis in mense convenire ad ecclesiam alicuius tituli vel diaconiae vel aliam prudenti arbitrio R. Pontificis designandam, et bis in hebdomada ad palatium pontificium, ut ibidem discuterent causas clericorum et laicorum [34]. Innocentius III, (a. 1198-1216), ter in hebdomada sollemne celebravit Consistorium, in quo cum Cardinalium consilio etiam minores causas iudiciales subtiliter examinatas summa cum prudentia per sententias definivit [35]. Quare Consistorium Romani Pontificis, ex more antiquo celebratum, maximam habuit similitudinem cum Consistorio principis, i. e. Imperatoris Romani [36], et cum audientia episcopali. Postquam causae iudiciales in Consistorio non iam a Romano Pontifice fuerunt discussae et definitae, nihilominus Consistoria non sunt intermissa [37] atque adeo saeculo decimo septimo ab Innoc. XI, (a. 1676-1689), semel singulis mensibus videntur fuisse celebrata [38]. At cum ex saeculo decimo

---

[33] S. Cornel. epist. 6, cap. 2, apud *Migne*, P. L. II, 730; Liber. epist. 4, ad Ursac. apud *Migne*, l. c. VIII, 1396; Siric. epist. 7, ad divers. Episc. cap. 3, apud *Migne*, l. c. XIII, 1171; *Phillips*, l. c. t. VI, p. 29 sq.; 288 sq.; Analect. iur. pont., l. c. 1230 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 18 sq.

[34] *Harduin*, Collect. Conc. t. VI, P. I, col. 121 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 30 sq.

[35] Gesta Innocentii III, cap. 41, apud *Migne*, P. L. CCXIV, 80; *Phillips*, l. c. § 292, p. 288 sq.; pars dec. pr. cap. 6, X. de inst. III, 7, « *Eos in Consistorio nostro duximus audiendos* ». Cfr. quoque cap. 7, 10, X. de consuet. I, 4; cap. 4, 23, X. de elect. I, 6; *Bangen*, l. c. p. 75, not. 1; *Ferreres*, l. c. n. 35.

[36] *Forcellini*, l. c. v. Consistorium; *Vering*, Gesch. u. Pand. § 105; *Ferreres*, l. c. n. 34.

[37] Clem. V, in cap. unic. de iureiur. II, 9, in Clem.: « *In publico Consistorio, in quo erat Praelatorum et aliorum tam clericorum quam laicorum non modica multitudo ... ipsum* (i. e. Henricum) ... *declaravimus regem Romanorum* ».

[38] *Bangen*, l. c. p. 75.

sexto gravissima negotia ecclesiastica non amplius in solo Consistorio disceptarentur, sed inter diversas Congregationes Cardinalium essent distributa, frequentia Consistoriorum est imminuta et ad praxim supra expositam reducta.

IV. *a*) In publico sive *extraordinario* Consistorio ex disciplina nunc vigenti negotia tractari non solent, sed potius sollemnes quidam actus peraguntur, velut sollemnis *traditio galeri* Cardinalibus novis postquam in secreto Consistorio creatio facta est. Receptio *principum* et *oratorum* ab iisdem missorum per sollemnem audientiam in extraordinario Consistorio ex more nunc recepto non amplius fit [39].

b) In *secreto* sive *ordinario* Consistorio fiunt *creationes* Cardinalium, *provisiones* sedium episcopalium etiam in partibus infidelium et aliorum officiorum consistorialium, translationes Episcoporum, concessiones palliorum, *circumscriptiones*, divisiones et uniones *dioecesium*, deputationes Legatorum a latere et Suffraganeorum sive coadiutorum pro Episcopis, sollemnes *allocutiones* de gravissimis negotiis ecclesiasticis et generatim *consultationes* [40] de negotiis Ecclesiae, quae maximum et extraordinarium habent momentum.

475. Munus S. Collegii Sede Romana vacante. Ex disciplina vigente [41] ad Collegium Cardinalium intra limites a iure statutos transit provisoria quaedam administratio *Status pontificii* et ius ad illos actus regiminis *ecclesiastici* exercendos, de quibus specialim et expresse in iure cautum est [42]. Quare *nequaquam* secundum analogiam sedis episcopalis vacantis *tota* iurisdictio *ordinaria* sive primatus R. Pontificis transit in Collegium Cardinalium tempore Sedis Romanae vacantis. Immo quidquid iurisdictionis pontificiae coetus Cardinalium praeter casus expresse ipsis permissos duxerit exercendum, id irritum et inane existit. Collegium igitur Cardinalium Sede Apostolica *vacante* nequit

[39] Cfr. cap. unic. de iureiur. in Clem.; *Bangen*, l. c. p. 76 sq.; *Phillips*, l. c. t. V, § 243, p. 684, de receptione legationum oboedientiae.

[40] *Bouix*, l. c. p. 150; *Bangen*, l. c. p. 77 sq.

[41] S. Cyprian. epist. 2, n. 1, apud *Migne*, P. L. IV, 224 sq.; *Phillips*, l. c. t. V, p. 726 sq.

[42] Pii IV Const. « *In eligendis* » 9 Oct. 1562, §§ 6, 7, 8; Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* » 4 Oct. 1732, §§ 6, 8, sq., 18; *Camarda*, l. c. Additio p. 13 sq.; Pii X Const. « *Vacante sede Apost.* » 25 Dec. 1904, n. 1 sq.

ullo modo disponere de iuribus Sedis Apostolicae et Romanae Ecclesiae aut eis directe vel indirecte quidpiam detrahere. (Const. « *Vacante S. A.* » n. 2). Nequit condere vel immutare vel abrogare *leges* Ecclesiae aut in eis dispensare. Id potissimum valet de Constitutionibus pontificiis ad ordinandum negotium electionis R. Pontificis latis (ib. n. 3). Neque ipsi fas est *creare* novos Cardinales, vel depositos vel specialiter inhabilitatos a R. Pontifice ad electionem *admittere* [43], aut *nominare Legatos* a latere vel Episcopos aliosque officiales praeter casus in iure expressos.

At Collegium Cardinalium non prohibetur quominus in casu *urgentis* negotii, quod ex votis duarum tertiarum partium per secreta suffragia datis in aliud tempus differri non valet, provisoria ordinatione iuxta maioris partis sententiam pariter per secreta suffragia de opportuno remedio disponat [44]. Item ad S. Collegium unice pertinet de dubiis, si quae exoriantur circa leges de electione R. Pontificis, decernere (cit. Const. n. 4).

S. Collegii potius gravissima *obligatio* est incumbendi in electionem Rom. Pontificis quantocius perficiendam ad normam citatae Constitutionis Pii X.

Certa autem officia per obitum Rom. Pontificis non cessant, velut Cardinalis Urbis Vicarii, Camerarii Romanae Ecclesiae, Maioris Paenitentiarii. Quare si Ecclesiae Romanae *Camerarius* vel *Maior Paenitentiarius*, per mortem vel alias quovis modo deficiant, a maiore Cardinalium numero per secreta suffragia eligendi sunt, qui Camerarii vel Maioris Paenitentiarii vices suppleant usque ad electionem novi R. Pontificis [45]. Facultates vero Cardinalis in Urbe Vicarii, si hic obierit, transeunt in eius Vicesgerentem.

Denique in schismate, cum duo in discordia electi de Pontificatu contendunt, et nescitur quis sit verus Pontifex Romanus,

[43] Cfr. cap. 2, § 4, de elect. in Clem. iunct. cap. unic. de schism. V, 3, in Sext.; Clem. XII Chirograph. 11 Dec. 1734; Pii IX Const. « *Quamquam* » 29 Sept. 1867, in Act. S. Sed., III, p. 326 sq., 331 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 370 sq.

[44] Cfr. cap. 3, § 1, de elect. in Sext. et cit. cap. 2 pr. de elect. in Clem.; Pii IV Const. « *In eligendis* » § 6; Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* » §§ 6, 18; Pii X Const. « *Vacante Sede Apost.* » n. 5.

[45] Cfr. cap. 2, § 1, de elect. in Clem.; Clem. XII cit. Const. § 15; Benedict. XIV Const. « *In apostolicae* » 13 Apr. 1744, § 4; cit. Const. Pii X, n. 12 sq.

ex recepta sententia Collegium Cardinalium potest convocare Concilium generale, cuius auctoritate de certo et indubitato Papa sententia declaratoria feratur [46]. Expressa item Iulii II [47] sanctione Cardinalibus, qui in electione simoniaca complices non fuissent, permissum erat etiam Concilium generale indicere et convocare in loco idoneo; quae post abrogatam Iulii II Const. non amplius habent practicum momentum.

476. Singulorum Cardinalium officium. Cum sint collaterales et coadiutores Romani Pontificis, praeter multas alias obligationes, imprimis *sede plena* debent Card. Rom. Pontificem in regimine universalis Ecclesiae liberis sanisque consiliis et assidua opera et assistentia *coadiuvare* [48]. Inde consequitur quod omnes Cardinales, exceptis iis qui sunt Episcopi residentiales, teneantur officio *residendi* in Curia R. Pontificis (can. 238) [49] atque *suscipiendi* illa munia vel legationes vel commissiones, quae ipsis a R. Pontifice pro dignitate cardinalitia et qualitate negotiorum demandantur, et omni discretione, sollicitudine, constantia et sine lucri studio implendi. Quare Cardinales ad residentiam in Urbe obligati absque licentia Romani Pontificis Curiam Romanam derelinquere atque forte alibi stabiliter commorari non possunt, nisi licentiam Rom. Pontificis obtinuerint. Qua licentia speciali non indigent Cardinales Episcopi suburbicarii, ut sese conferant ad dioeceses sibi commissas, quoties opportunum iudicaverint (ib. § 2). Alii vero Cardinales Episcopi, licet a lege in Curia residendi eximantur, cum ad Urbem veniunt, tenentur adire R. Pontificem nec possunt ab Urbe discedere nisi impetrata ab eodem abeundi licentia (ib. § 3). Quae Cardinalium in Curia residentia iure praece-

[46] *Schmalzgr.*, l. I, t. 31, n. 16; *Camarda*, l. c. p. 275 sq. Cfr. de Papa notorie et violenter intruso: c. 1, 9, D. 79; *Camarda*, l. c.

[47] Const. « *Cum tam* » 14 Ian. 1506, § 8.

[48] Cfr. cap. 17, de elect. I, 6, in Sext.; Leon. X Const. « *Supernae* » 5 Maii 1514, §§ 16 sq. iunct. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 1, de ref., Sess. XXV, cap. 1, de ref.; *Riganti*, l. c. Reg. 64, Canc. Apost. n. 49 sq.; *Benedict. XIV*, De Synod dioec. l. XIII, cap. 1, n. 7.

[49] Leon. X cit. Const. § 28; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. VII, cap. 1, n. 7, l. XIII, cap. 8, n. 3 sq., cap. 14, n. 8. De tempore quo Cardinalibus coepit imponi residentia cfr. *Wernz*, Ius Decret. II, 478; *Henry*, De resident. beneficiat. p. 28 sq.; *Saegmueller*, l. c. p. 203 sq.; *Ferreres*, Instit. I, 465.

denti [50] gravibus poenis urgebatur; quas etiam iure Codicis Rom. Pontifex pro sua prudentia infligere potest.

Quamvis Cardinales sint consiliarii et coadiutores Romani Pontificis, tamen huiusmodi praerogativa non eo est extendenda, quasi ipsis ad instar Capituli ecclesiae cathedralis competat *ius* quoddam *exigendi* ut R. Pontifex in negotiis expediendis, sive ad *validitatem* sive saltem ad *liceitatem* actus, requirat ipsorum *consilium* vel *consensum*. Nam R. Pontifex non vere haberet *supremam* et *plenam* potestatem regendi Ecclesiam, si quoad valorem actuum regiminis dependeret a consensu Cardinalium, aut si absque *peccato consilium* Cardinalium omittere non posset [51].

477. Cardinalium S. R. E. privilegia.

Nunc habentur simul collecta in can. 239.

I. Audiendi ubique terrarum confessiones etiam religiosorum utriusque sexus et absolvendi ab omnibus peccatis et censuris, exceptis tantum censuris specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatis, et illis quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii.

II. Sibi suisque familiaribus eligendi sacerdotem confessionibus excipiendis, qui, si iurisdictione careat, eam ipso iure obtineat, etiam quod spectat ad peccata et censuras, reservatas quoque, illis tantum censuris exceptis, de quibus in n. I.

III. Verbum Dei ubique praedicandi.

IV. Celebrandi vel alii permittendi ut coram se celebret unam Missam in feria V maioris hebdomadae ac tres Missas in nocte Natalis Domini.

V. Benedicendi ubique, solo crucis signo, cum omnibus indulgentiis a Sancta Sede concedi solitis, rosaria aliasque coronas precatorias, cruces, numismata, scapularia a Sede Apostolica probata, eaque imponendi absque onere inscriptionis [52].

[50] Innoc. X Const. « *Cum iuxta* » 19 Febr. 1646; Act. S. Sed., III, p. 322, 380 sq. (caus. D'Andrea a. 1866-1868).

[51] *Bouix*, l. c. p. 75 sq., ubi recte refutat sententias Palaeotti; *Scherer*, l. c. p. 481, no. 49; *Saegmueller*, D. oligarch. Tendenz. d. Kardinalkollegs bis Bonif. VIII, in Act. theol. Tubing., t. 83, n. 45 sq.

[52] Cum S. Paenitentiaria, 18 Iulii 1919, declaraverit facultates hoc et sequenti numero concessas non posse Episcopum cum suis sacerdotibus communicare ex sola iuris communis dispositione, tales facultates

VI. Sub unica benedictione erigendi, in ecclesiis et oratoriis etiam privatis aliisque piis locis, Stationes *Viae Crucis* cum omnibus indulgentiis, quae huiusmodi pium exercitium peragentibus impertitae sint; necnon benedicendi pro fidelibus, qui causa infirmitatis vel alius legitimi impedimenti sacras stationes *Viae Crucis* visitare nequeant, Crucifixi icones cum applicatione omnium indulgentiarum devoto exercitio eiusdem *Viae Crucis* a Sede Apostolica adnexarum.

VII. Celebrandi super aram portatilem non solum in domo propriae habitationis, sed ubicumque degunt; et permittendi ut alia Missa, ipsis adstantibus, celebretur.

VIII. Celebrandi in mari debitis cautelis adhibitis.

IX. In omnibus ecclesiis et oratoriis Missam celebrandi proprio calendario conformem.

X. Fruendi altari privilegiato personali quotidiano.

XI. Lucrandi in propriis sacellis indulgentias, ad quas acquirendas praescripta sit visitatio templi alicuius vel publicae aediculae civitatis seu loci, in quo Cardinales actu commorentur, quo privilegio etiam eorum familiares frui possunt.

XII. Benedicendi ubique populo more episcoporum, sed in Urbe in ecclesiis tantum, piis locis et fidelium consessibus.

XIII. More episcoporum gestandi crucem ante pectus etiam supra mozetam ac utendi mitra et baculo pastorali.

XIV. Sacrum celebrandi in quolibet privato sacello sine praeiudicio illius qui indulto gaudet.

XV. Pontificalia cum throno et baldachino peragendi in omnibus extra Urbem ecclesiis, Ordinario praemonito, si ecclesia sit cathedralis; in Urbe autem ius throni non habent nisi in ecclesia sui tituli.

XVI. Honoribus tribui solitis Ordinariis locorum fruendi quocumque se conferant.

XVII. Fidem faciendi in foro externo, de oraculo pontificio testantes.

XVIII. Fruendi sacello ab Ordinarii visitatione exempto.

XIX. De reditibus beneficialibus libere disponendi etiam per testamentum, salvo statuto iuris (can. 1298) de sacra Cardinalium supellectile.

delegandi potestas etiam in Cardinalibus videtur exclusa. Cfr. A. A. S., XI, 332.

XX. Consecrationes et benedictiones ecclesiarum, altarium, sacrae supellectilis, abbatum aliasque similes, excepta oleorum sacrorum consecratione, si Cardinalis charactere episcopali careat, ubique locorum, servatis servandis, peragendi; sed ad consecrandum vel benedicendum locum sacrum consensus Ordinarii est obtinendus (can. 1157).

XXI. Praecedendi omnibus Praelatis etiam Patriarchis, immo ipsis Legatis Pontificiis, nisi Legatus sit Cardinalis in proprio territorio residens; Cardinalis autem Legatus a latere praecedit extra Urbem omnibus aliis.

XXII. Conferendi primam tonsuram et ordines minores, dummodo promovendus habeat dimissorias proprii Ordinarii litteras.

XXIII. Ministrandi sacramentum confirmationis, firmo onere inscriptionis nominis confirmati ad normam iuris.

XXIV. Concedendi indulgentias trecentorum dierum, etiam toties quoties lucrandas, in locis vel institutis ac pro personis suae iurisdictionis vel protectionis, item in aliis locis, sed a praesentibus solummodo, singulis vicibus, lucrandas [53*].

XXV. *Cardinalis Decanus* gaudet privilegio ordinandi et consecrandi electum Pontificem, si hic ordinatione vel consecratione episcopali indigeat, et tunc pallio utitur; quod privilegium, absente Cardinali Decano, competit Subdecano, eoque etiam absente antiquiori Cardinali Episcopo suburbicario.

XXVI. *Cardinalis Proto-diaconus* pallia Archiepiscopis et Episcopis privilegio fruentibus eorumve procuratoribus, vice R. Pontificis, imponit et nomen novi electi Pontificis populo annuntiat.

478. Cardinalium potestas in propria ecclesia vel titulo. Haec definitur can. 240 hoc pacto:

I. Ecclesia pro Cardinali suburbicario est vera ecclesia cathe-

[53*] Excipiuntur Basilicae patriarchales Urbis, in quibus Cardinales nequeunt uti hoc privilegio concedendi indulgentias, sicuti non possunt in eisdem locis baculo pastorali uti vel benedicere more Episcoporum. Ratio huius exceptionis videtur quaerenda in peculiari modo quo istae Basilicae ad S. Pontificem referuntur. Comm. Cod., 29 maii 1934; AAS., XXVI, 493; Period., XXII, 143. S. Paenitentiaria per decretum d. 20 Iun. 1942 statuit ut Cardinales in posterum possint concedere indulgentiam trecentorum dierum. Cfr. AAS., XXXIV, 239; Period., XXXI, 384.

dralis, sicut vera est dioecesis eius territorium. Hinc, perinde ac ceteri Episcopi residentiae, Cardinales ordinis episcopalis capere debent possessionem suae dioecesis, qua possessione capta, eadem potestate in ea pollent, quam Episcopi residentiales in propria dioecesi obtinent [54].

II. Ceteri Cardinales in suis titulis vel diaconiis, capta possessione, omnia possunt quae locorum Ordinarii in suis ecclesiis, exceptis ordine iudiciorum et qualibet iurisdictione in fideles, sed salva potestate in iis quae ad disciplinam, morum correctionem et servitium ecclesiae pertinent [55].

III. Cardinalis ordinis presbyteralis potest in suo titulo *pontificalia* cum throno et baldacchino *peragere*, Cardinalis diaconus in sua diaconia cum throno et baldacchino *pontificaliter assistere*, nemo autem alius ibidem id potest sine Cardinalis assensu. In aliis Urbis ecclesiis Cardinales throno et baldacchino uti nequeunt sine licentia R. Pontificis [56*].

§. IV. De amissione dignitatis cardinalitiae.

479. Dignitas cardinalitia generatim omnibus illis modis amitti potest, quibus officia ecclesiastica et praesertim Praelaturae maiores amittuntur, velut per *mortem*, *per renuntiationem* a Rom. Pontifice acceptatam etc.

In Cardinalibus *permutatio* videtur esse nullius practici momenti. Per *translationem* vero *cessat* quis esse Cardinalis certe in illo casu vix non unice practico, quo eligitur successor Sancti Petri. Quare solummodo de *privatione*, *depositione* et *degradatione* Cardinalium pauca quaedam sunt subiungenda.

Qua in re non est dubitandum quin Rom. Pontifex pro suprema et plena sua potestate solus et absque consilio vel consensu

---

[54] Cfr. Benedict. XV Const. « *Ex actis* » 1 Febr. 1915.

[55] Cfr. decret. spec. commis. Card. 25 Ian. 1879, d. 30 eiusd. mens. et ann. a Leone XIII confirm.; *Santi*, l. I, tit. 31, n. 34 sq. Illa vera iurisdictio in clerum et populum iam fuerat Cardinalibus sublata per Const. Innocent. XII, « *Rom. Pontifex* » 17 Sept. 1692, et in Card. Urbis Vicarium translata.

[56*] Licentia R. Pontificis ad usum throni et baldachini pro solis illis ecclesiis Urbis requiri videtur, quae non sint tituli vel diaconiae. Cfr. C. a Coronata, o. c., p. 395, not. 2.

Synodi Episcoporum vel Collegii Cardinalium aliquem Cardinalem deponere possit. Quodsi Romani Pontifices de facto pluries Cardinales cum consensu Synodi [57] aut de fratrum, i. e. Cardinalium, consilio [58] deposuerunt, id ex prudenti et ordinata quadam praxi ob debitum honestatis fecerunt, non propter iuris necessitatem [59]. Neque ulla ratione solida probatur Romanum Pontificem in processu depositionis alicuius Cardinalis adstringi ad magnum illum numerum 72, 44, 27 testium, quem veteres quidam canones [60], vel absolute spurii vel mere particulares vel certe in praxi ex legitima consuetudine non recepti, ad depositionem Cardinalis requirebant. Quare ex disciplina vigente etiam ad condemnandum Cardinalem ordinariae probationes et ordinaria iudicii forma sufficiunt [61].

Ipsi quoque Cardinales degradationi subici possunt, at restitutione a Romano Pontifice facta suam dignitatem denuo recuperant. Ita v. g. Leo X duos Cardinales degradatos restituit [62], atque per Pium IX Cardinalis D'Andrea, a iuribus et privilegiis cardinalitiis saltem suspensus, denuo ad insignia et privilegia dignitatis cardinalitiae restitutus est [63].

---

[57] Cfr. cap. 2, X. de clericis non resid. III, 4, ubi decernitur depositio Card. Anastasii propter violatam legem *residentiae* in Concilio Romano a Leone IV, a. 850, celebrato. Cfr. quoque Concilium Romanum a. 864, in quo Nicolaus I, Cardinalem Rodoaldum deposuit; *Hefele*, l. c. t. IV, p. 178, 201, 276 sq.; *Saegmueller*, l. c. p. 150 sq. 185 sq.

[58] Cfr. cap. unic. de schism. V, 3, in Sext.; Pii IV Const. « *Onerosum* » 31 Mart. 1563; Innoc. X Const. « *Cum iuxta* » 19 Febr. 1646.

[59] Innoc. X cit. Const. « *Cum iuxta* »; *Fagnanus*, in cap. 2, X. de clericis non resid. III, 4, n. 5, 7, 8; *Kober*, D. Deposit. p. 523 sq., 529 sq.

[60] Cfr. c. 2, C. II, q. 4, = apocryph. canon. Silvestri ex saec. sext.; c. 3, C. II, q. 4, = Leone IV, epist. ad Episc. Brit. a. 849-850; dict. Grat. post. cit. c. 3, C. II, q. 4; c. 12, Conc. Mogunt. a 888; Eugen. IV Const. « *Non mediocri* » a. 1439, § 5.

[61] Cfr. cap. unic. de schism. V, 3, in Sext.; Pii IV cit. Const. « *Onerosum* » §§ 2 sq. iunct. *Hostiensis*, Summa l. II, t. 20, de testib. n. 4, *Kober*, l. c. p. 539 sq. *Saegmueller*, l. c. p. 151.

[62] *Kober*, l. c. p. 286.

[63] Acta S. Sed., III, p. 380 sq.

CAPUT IV

De Curia Romana

480. Fontes: Cum in iure Decretalium leges de universa Curia Romana non existant, ius praecedens quaerendum est in specialibus Constitutionibus pontificiis de personis et collegiis Curiae Romanae latis. Generaliores Pontificiae Const. sunt Sixti V, « *Immensa* » 22 Ian. 1588, Pii X, « *Sapienti consilio* » 29 Iun. 1908, cum Normis *communibus* et *specialibus* ipsi adiectis.

Scriptores: *Analect. iur. pont.*, S. II, 1857, p. 223 sq., 2364 sq.; *De Luca*, Relatio Curiae Romanae (a. 1673); *Phillips*, t. VI, § 292, 319 sq.; *Hinschius*, t. I, p. 309 sq.; *Stremler*, « Traité ... des congrég. romaines »; *Bouix*, De Curia Romana; *Bangen*, D. Röm. Curie (a. 1854). De ultima Curiae reformat.: *Ferreres*, La Curia Romana; *Ojetti*, De Curiae Piana reformat.; *Cappello*, De Curia Romana.

Praenotiones

481. I. Notio. Nomen *Curiae*, licet nonnumquam adhibeatur in significatione restricta pro loco vel tribunali ubi exercentur iudicia, communiter tamen significat: aut 1°) aulam principis, aut 2°) complexum ministrorum principis, aut 3°) ordinem dicasteriorum quibus princeps utitur in regimine subditorum. Ex tribus hisce significationibus tertia propius pertinet ad explanationem huius capitis Codicis.

Quare Curia Romana est complexus sive personarum sive dicasteriorum in Urbe seu aula R. Pontificis constitutorum pro regimine ecclesiae universalis. In concreto est ordinatus complexus *Congregationum*, *Tribunalium* et *Officiorum*, quibus communiter utitur R. Pontifex in Ecclesiae universalis regimine [1*].

[1*] Ad gubernandam dioecesim romanam utitur R. Pontifex curia speciali, quae Vicariatus Urbis audit. Praeest huic curiae Cardinalis Vicarius, cui datur velut adiutor Vices gerens. Civitas Vaticana, quamvis sit pars romanae dioecesis, non dependet quoad regimen spirituale a Vicariatu Urbis, sed peculiari quadam religiosa administratione regitur. Sacrista pro tempore Pontificalis Domus erit Vicarius R. Pontificis pro spiritualibus rebus Civitatis Vaticanae. Eximuntur tamen ab eius iuris-

II. **Notae historicae.** Negotia ecclesiastica, quae tum in gradu appellationis tum in ipsa prima instantia ex universa Ecclesia ad S. Sedem deferuntur, adeo sunt numerosa et disparata, ut iam antiquis temporibus praeter Consistorium et tribunalia particulares Congregationes *Cardinalium* fuerint deputatae [2]. Ut autem stabilior, securior, facilior atque celerior esset ordo procedendi, particulares illae Congregationes Cardinalium per modum *stabilium* commissionum ad *determinata* negotia expedienda institui coeptae sunt. Ex his stabilibus commissionibus omnium prima est S. C. Inquisitionis, quam Paulus III [3] instituit. Cuius exemplum Pius IV, Pius V et Gregorius XIII secuti sunt.

Principalis vero auctor SS. CC. est Sixtus V [4]. Is enim non contentus una alterave Congregatione particulari erigenda, v. g. super consultation. regular., universa negotia ecclesiastica in integrum quoddam systema quindecim Congregationum rite ordinatum et connexum distribuit. Postea Clemens VIII, Gregor. XV, Urban. VIII, Clemens IX et Pius VII alias Congregationes adiecerunt [5]. Quae Congregationes Cardinalium quamvis principaliter non essent tribunalia ad administrandam iustitiam, tamen paulatim etiam in causis iudicialibus, tum civilibus tum criminalibus, tantam celebritatem et auctoritatem nactae sunt, ut antiqua tribunalia iustitiae, v. g. Rota, pristinum splendorem fere penitus amiserint.

Memorata Sixti V Const. « *Immensa* » cum quibusdam immutationibus, paulatim inductis, ius de Congregationibus Cardinalium continebat, donec Pius X Const. « *Sapienti consilio* » 29 Iun. 1908 de novo ordinavit Congregationes, Tribunalia et Officia, quae Curiam Romanam componunt et quibus universae Ecclesiae negotia pertractanda reservantur. Cui Constitutioni adiecit *Legem propriam*, qua regeretur S. R. Rota et Signatura Apostolica, et *Ordinem servandum* in SS. Congregationibus, Tribunalibus

dictione Basilica et Canonica S. Petri, quae iuxta veteres earundem Constitutiones etiam in posterum regentur, et praeterea Seminarium Aethiopicum, quod subest iurisdictioni Card. Secretarii S. Congr. pro Eccl. Orientali. Cfr. AAS., XXI, 309.

[2] *Phillips*, l. c. § 292, p. 265 sq.; Analect, iur. pont., l. c. p. 2230 sq.

[3] Const. « *Licet* » 21 Iul. 1542.

[4] Const. « *Immensa* » 22 Ian. 1587, (1588).

[5] *Phillips*, l. c. § 319; Anal. iur. pont., l. c. p. 2251 sq., 2266 sq.,

et Officiis *cum normis communibus et peculiaribus*. Cuius reformationis ratio et scopus duplex praecipue fuit: 1°) inducere accuratam distinctionem et separationem inter ordinem administrativum vel disciplinarem et ordinem contentiosum in tractandis negotiis ad S. Sedem delatis; 2°) sublata iurisdictione *cumulativa*, quae saltem in causis minoribus praxi ipsa introducta erat, vi cuius in diversis Congregationibus quoad illa minora negotia praeventioni erat locus, assignare unicuique iurisdictionem *privatam* accurate determinatam per definitionem limitum propriae competentiae (Const. « *Sapienti consilio* » in prooemio).

Quae nova ordinatio paucis et levibus immutatis transiit in Codicem.

Art. 1. — De sacris Congregationibus

482. Notio. Congregationes Cardinalium *definiri* possunt: Collegia minora Cardinalium per Romanos Pontifices instituta ad certa negotia ecclesiastica discutienda et per vota maiora, ordinarie etiam decisiva, non tantum consultiva, definienda [6].

Divisio. *Distinguuntur* autem Congregationes *ordinariae*, quae in perpetuum sunt erectae, atque *extraordinariae*, quae occasione data pro extraordinariis quaestionibus discutiendis ad tempus deputantur [7]. Porro praeter Congregationes *independentes, principales, generales*, quales sunt quae in Codice recensentur, aliae ante Codicem adfuerunt *dependentes, subsidiariae, particulares*, quae Congregationi cuidam principali adiungebantur et subordinabantur [8].

483. Constitutio. *Constituuntur* SS. CC. solis *Cardinalibus*, e quibus unus officio *Praefecti* fungitur, nisi ipse R. Pontifex sibi Praefecturam reservavit, uti factum est in S. C. S. Offic., Consist. et in S. C. pro Eccl. Orient. Praefecto assistit *Secretarius*, qui officium habet praelatitium et saepe Archiepiscopus titularis esse solet, exceptis S. C. S. Offic., S. C. Consist. ac S. C. pro Eccl. Orient. quarum Secretarius ex Cardinalibus assumitur. Ut Congregationum decisiones sint validae, Cardinales in qualibet Con-

[6] *Phillips*, l. c. § 319, p. 558 sq.; *Santi*, l. I, t. 31, n. 41.
[7] *Bangen*, l. c. p. 277 sq.
[8] Cfr. *Ferreres*, l. c. n. 111 sq., 118 sq., 184 sq.

gregatione non sint pauciores *tribus* [9], nisi R. Pontifex ex speciali indulto etiam v. g. duobus tantum praesentibus Cardinalibus causam definire permittat. Etsi Sixtus V singulis Congregationibus ordinarie quinque Cardinales adscripsisset, excepta S. C. Inq., ad quam septem deputaverat [10], nunc tamen ex disciplina vigente numerus Cardinalium adscriptorum prudenti arbitrio R. Pontificis definitur [11]. Praeterea in unaquaque Congregatione adsunt Administri *maiores* et *minores*. Administri *maiores*, qui directe a R. Pontifice nominantur sunt *Secretarius* (nisi sit Cardinalis), *Adsessor, Substitutus*, et *Subsecretarii;* reliqui sunt *minores*, velut *studii adiutores, scriptores, protocollistae, distributores*, qui praevio concursu nominantur. His accedunt deservientes, quorum nominatio spectat ad Cardinalem Praefectum vel Secretarium. Suos quoque Congreg. habent *consultores*, qui a R. Pontifice nominantur [12].

484. De competentia SS. CC. in genere. SS. CC. sunt *competentes*:

I. Quoad illud particulare genus negotiorum, quae auctoritate apostolica ipsis sunt assignata in Codice et inferius de singulis Congr. erit declarandum. Quae competentia SS. CC. cum antea circa *primaria* negotia esset *privativa*, sed de minoribus causis ex praxi recepta facta esset *cumulativa* [13], ita ut praeventioni

[9] Sixti V cit. Const. « *Immensa* » i. f. Declar. facul. praed. Congr. § 1; *Bangen*, l. c. p. 10.
[10] Cit. Sixti V Const « *Immensa* »; *Phillips*, l. c. § 320 p. 565.
[11] Nihilominus aliqui Cardinales ratione muneris quod obtinent certis Congregationibus ex officio accensentur, velut Cardinalis *a secretis* S. Officii et Secretarius Status Sacrae Congr. Consistoriali. Idem accidit relate ad consultores, nam v. gr. Assessor S. Offic. et Secretarius S. C. pro Negot. eccl. extr. sunt consultores S. C. Cons. durante munere.
[12] Anal. iur. pont., l. c. p. 2374 sq. Cfr. Const. « *Sapienti consilio* » eique adnexum « *Ordinem servandum* », qui in duplicem partem dividitur. Prima pars continet « *Normas communes* », quae potissimum referuntur ad internam constitutionem Congregationum, Tribunalium et Officiorum Curiae Romanae; proponuntur munerum provisiones, horae ac disciplina officiorum atque eorum feriae; indicatur etiam modus, tum privatis tum Episcopis sequendus in adeundis officiis. Altera pars continet « *Normas peculiares* », quibus explicatur singularum Congregationum seu Officiorum competentia et determinatur quoad singulas Congreg. quae negotia et qua ratione unaquaeque tractanda habeat.
[13] *Santi*, l. I, t. 31, n. 55.

esset locus [14], post citatam Pii X Const. pro omnibus CC. et omnibus causis facta est stricte *privativa*.

Ne autem iterum introduceretur confusio et incertitudo, si unicuique Congregationi suae iurisdictionis limites determinare datum esset, sapienter statutum fuit, ut dubia de competentia inter varias Congregationes exorta dirimat coetus S. R. E. Cardinalium, quos R. Pontifex singulis vicibus designaverit (can. 245). Quodsi ad vitanda incommoda, quae ex cumulativa iurisdictione facile oriebantur, Innoc. XII Const. « *Ut occurratur* » 4 Iun. 1692 decrevit, *preces reiectas* ab *una* Congregatione non esse ab alia admittendas, atque adeo gratiam a secunda Congregatione per fraudem vel ignorantiam forte obtentam plane esse nullam [15], simile statutum retentum est in « *Normis peculiaribus* » cap. I, n. 2 et firmatum can. 43.

Illa potestas SS. CC. ex communiter contingentibus vere et proprie est *ordinaria* et *vicaria*, neque *extinguitur* per mortem R. Pontificis, sed tempore vacantis Sedis Apostolicae ordinarie tantum quiescit et in casibus extraordinariis etiam licite exerceri potest [16]. Quae iurisdictio ordinaria non obstat quominus SS. CC. in negotiis gravioribus nonnisi consulto SS.mo D.no aut cum eius approbatione, saltem in forma communi obtenta, decisiones suas vel responsa publicare possint (can. 244). Quodsi S. C. ex propria sua potestate non videatur competens, atque iuris mutatio requiratur, adiungitur illa clausula: « *Facto verbo cum SS.mo* ».

II. Quoad *personas* competentia SS. CC. intra ambitum ipsis assignatum ut plurimum sese extendit in *totam* Ecclesiam, atque iisdem *omnes fideles* cuiuscumque dignitatis debent obedire. Etenim SS. CC. Cardinalium sunt suprema et universalia dicasteria, quae nomine et auctoritate R. Pontificis procedunt. Quare in causis ecclesiasticis ex tota Ecclesia preces, consultationes et recursus admittere possunt.

III. Quodsi denique examinetur *competentia* SS. CC. quoad formam et *speciem* iurisdictionis, nunc non amplius per se sunt

---

[14] Declar. d. in fine Const. « *Immensa* » § 1, et Declar. d. Const. 11 Mai 1588, ad cit. Const. « *Immensa* » §§ 2, 3, 4; *Santi*, l. c. n. 56.

[15] Analect. iur. pont., l. c. p. 2279.

[16] Cfr. Const. « *Vacante Sede Apost.* » n. 1 sq.

vera tribunalia suprema iustitiae ad causas litigiosas et criminales definiendas, quae causae ad tribunal S. Rotae et Signaturae Apost. sunt delatae.

Valet tamen quod a decisionibus, a SS. CC. secundum proprium procedendi modum datis, in quibusvis expostulationibus, quaestionibus vel causis, non datur appellatio seu recursus ad superiorem quandam instantiam, sed tantum *beneficium novae audientiae* vel aperitio oris in forma legitima peti et obtineri possunt, etiamsi forte responsioni adiecta fuisset clausula: « *Et amplius* » i. e. non proponatur. Quae clausula eo facilius additur, si post iteratam tractationem ad quaestionem: « *An sit standum vel recedendum a decisis in casu* », respondetur: « *In decisis (et amplius)* » [17].

Ab illa regula de causis iudicialibus a SS. CC. non tractandis, hae sunt faciendae exceptiones: 1° Causae *haeresis* vel aliquo modo ad fidem pertinentes *iudicialiter* etiam, si opus est, tractantur a S. Officio. 2° S. Rit. C. causas *beatificationis* et *canonizationis*, etiam quatenus iudiciali forma tractandas, sibi habet proprias. 3° Causae tum civiles tum criminales fidelium *Rituum Orientalium* spectant ad S. C. pro Eccl. Orientali, nisi agatur de materia ad S. Officium pertinente. Nihilominus Congregatio eas tractabit via disciplinari; si omnino ordine iudiciario dirimendae sint, remittet ad tribunal a se designatum. 4° Causae de matrimonii inconsummatione et de nullitate ordinationis vel onerum ordinibus adnexorum, quamvis iuridica cognitio facti per *processum iudicialem*, qui non necessario est processus *contentiosus*, obtineri debeat ex praescripto iuris, a S. C. de Sacr. pro sua competentia tractantur, licet illam ipsam iuridicam et iudicialem *facti* cognitionem potest ad S. Rotam remittere, quod tamen in praxi non fit. Idem videtur posse dici de causa nullitatis professionis religiosae relate ad S. C. de Relig.

His demptis exceptionibus, SS. CC. vi Const. « *Sapienti consilio* » potestate iudicandi tum in *prima instantia* tum in *appellatione* carent, nec causas decidunt aut appellationes recipiunt nisi in linea disciplinari. Quare a sententiis pronuntiatis a iudicibus inferioribus non ad SS. CC., sed ad S. Romanam Rotam est appellandum: e contra ab ordinationibus et provisionibus extraiudi-

---

[17] Cfr. « *Normae peculiares* » cap. IV, n. 10.

cialibus, licet nonnumquam ob strictum ius laesum non sit exclusa via iudicialis, plerumque contra gravamen inde passum ad SS. CC. appellabitur seu primo deferetur causa, quam SS. CC. omisso ordine stricte iudiciario, administrationis et disciplinae tramite debent resolvere. Inde causa aliqua ad S. C. delata, primum quod Congregatio expendere debet illud est, utrum causa ordine iudiciario sit tractanda, ideoque ad S. Rotam sit remittenda, sive directe et iure proprio, sive per rescriptum commissionis [18].

In praxi tamen Sacrae Congregationes plures controversias decidunt via disciplinari, quae per se essent deferendae ad tribunalia; quod multo magis accidit post Codicem, in quo maior rigor divisionis potestatis administrativae a iudiciali, per Pium X sancitus, non leviter est attenuatus.

Potissimum praeditae sunt potestate *administrandi* et procedendi *extraiudicialiter* seu disciplinari via in iis rebus quae pertinent ad urgendam executionem legum, ad distributionem officiorum eorumque rectam impletionem; quibus in rebus casus *dubios* occurrentes et controversias exortas solvunt atque de propria materia et intra ambitum propriae competentiae gratias et dispensationes nomine R. Pontificis concedunt [19].

Quoad potestatem vero *legiferam*, SS. CC. saltem ordinarie non videntur pollere potestate condendi *decreta* generalia sive *universalia* inconsulto R. Pontifice; certe enim decreta universalia sunt adnumeranda rebus gravioribus, quas Const. « *Sapienti consilio* » antea R. Pontifici significandas praecipit. Quam potestatem post Codicem magis restrinxit Benedictus XV Motu proprio « *Cum iuris canonici* » 25 Sept. 1917. Generatim tamen in promulgandis novis legibus vel antiquis immutandis R. Pontifex solet uti opera SS. CC., quae ex notitia accepta circa negotia unicuique propria melius etiam cognoscere possunt necessitatem alicuius immutationis in legibus inducendae. Vel ipsa potestas *interpretandi* leges et respondendi ad consultationes, quae sine dubio ipsis competit in propria materia, ultra vim et tenorem

[18] Cfr. « *Normae peculiares* » cap. I, n. 3.

[19] De modo expediendi concessiones gratiarum cfr. « *Norm. peculiar.* » cap. III, art. 1.

concessionis pontificiae non est extendenda, nec illico cuicumque decisioni est tribuenda vis obligandi universalis [20].

485. In *forma* procedendi: I. Imprimis notandum est a SS. CC. nunc per *Congressum* nunc in *Congregatione plena* tractari negotia. Plenae Congregationi reservantur: solutio dubiorum omnium aut quaestionum de iure interpretando; examen controversiarum ordinis administrationem ac disciplinam spectantis, vel per se vel ob adiuncta, graviorum; disceptatio de gratiis ac facultatibus maioris momenti, iisdemque vel per se vel ratione modi insuetis; acta denique omnia publici ordinis atque communis, sive praeceptiones ea sint sive praescriptiones.

Ad Congressum pertinet: Praeparare quae ad plenam Congregationem sint deferenda, adhibitis mediis, exquisitis documentis atque etiam institutis de facto investigationibus quae habendo consilio afferant lucem, inter quae etiam censetur exquisitio sententiae unius vel alterius consultoris aut fortasse plurium, qui nonnumquam, iuxta praxim cuiusque Congregationis propriam, ad discussionem quandam oralem ante plenam Congregationem advocantur [21].

In quaestionibus, quae plenae Congregationis iudicium postulant, conficitur officiale folium compendio collectam quaestionem exhibens cum adiecto brevi summario ac dubiis ad excutiendum propositis; cui officiali folio adiciuntur etiam vota consultorum, in rebus gravioribus per moderatores Congregationis requirenda [22].

Quae S. Congregationi, seu plerisque eorum qui interfuerunt, decernenda visa sunt, ea scripto exarantur et pro contione approbantur, et obtenta pontificia approbatione firma evadunt. Sunt quae hac approbatione non indigent, propter speciales facultates Congregationis moderatoribus factas. Si nihil obstat, sententia, in quam sacer Ordo devenit, a praelato a secretis in suo Officio evulgatur. Sententia evulgata, parti oneratae licet intra decem dies beneficium novae audientiae flagitare. Cardinali autem Praefecto, audito Congressu, arbitrium est huius beneficii

[20] Inde patet disputationem utrum SS. Congregationes iure Codicis polleant necne potestate legifera magna ex parte esse quaestionem de nomine. Cfr. *Maroto*, I, 340, cuius doctrinae videtur assentiendum.

[21] Cfr. « *Norm. peculiar.* » cap. II.

[22] Cfr. « *Norm. peculiar.* » cap. IV, n. 3, 6.

concedendi aut recusandi, prout rerum adiuncta suaserint. Si Cardinalium deliberatio secum fert clausulam *amplius non proponatur*, non potest novae audientiae beneficium concedi nisi ab ipsa Congregatione universa [23].

Sententiae a Cardinalibus generatim dari solent simplicissimis illis formulis: « *Affirmative* » vel « *Negative* », quae formulae aptantur dubiis antea rite concinnatis. At interdum decisio *differtur* aut propter defectum informationum et allegationum iuris et facti aut ob lapsum temporis, ideoque respondetur: « *Dilata* vel *Iterum proponatur* » v. gr. ad primam post Aquas, Reges, Cineres, Agnum, Flamen. Negativam quandam responsionem insinuant formulae: « *Reponatur, lectum, relatum, non expedire* ». Quodsi data responsio affirmativa vel negativa videatur aliqua ratione moderanda, adduntur verba: « *Et ad mentem, mens est ...* » [24].

II. Negotia administrationis vel petitiones gratiarum rite concinnatae et praesentatae generatim non expediuntur, nisi audito Ordinario proprio vel Superiore generali Ordinis religiosi *pro informatione et voto*. Quodsi negotium ius tertiarum personarum laedere videatur, ii, quorum interest, aut directe aut per Ordinarios suos iubentur audiri [25].

Gratiae ac dispensationes omne genus a Sancta Sede per SS. Congregationes concessae, etiam censura irretitis, ratae sunt ac legitimae, nisi de iis agatur, qui aut vitandi sunt aut excommunicati, suspensi vel personaliter interdicti fuerint per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam (can. 36, § 2) [26].

Quodsi R. Pontifex aliquid concesserit *vivae vocis oraculo*, huiusmodi oracula vivae vocis iis quidem prosunt quibus concessa sunt *pro foro conscientiae;* sed nemo usum privilegii seu gratiae sic concessae contra tertium praetendere potest, nisi concessionem concludenter probet. Qua in re de novo confirmata et magis determinata fuit antiqua disciplina, qua ex una parte consulitur libero usui pontificiae potestatis, et ex alia parte prospicitur bono publico et rectae gubernationi, quae postulat ut in foro externo nemo possit praetendere exemptiones, nisi eas legitime

---

[23] « *Normae peculiar.* » cap. IV, n. 7, sq.
[24] *Cappello*, De Curia Rom. vol. I, p. 45.
[25] « *Norm. peculiar.* » cap. III, n. 1.
[26] Cfr. « *Norm. peculiar.* » cap. III, art. 1, n. 6.

obtentas pro eodem foro probet. « *Normae peculiar.* » cap. III, art. 1, n. 2.

486. Scholion I. *De modo recurrendi ad SS. Congregationes.* Persona *privata* potest ad SS. Congregationes per se ipsam et directe recurrere, vel per intermedium seu procuratorem debitis conditionibus praeditum et legitimo mandato munitum (*Normae communes* cap. IX, sect., I, n. 1). Multo magis Ordinarii possunt ipsi per se in variis Apostolicae Sedis Officiis negotia libere tractare, non solum quae ad se ipsos spectent, sed etiam quae ad dioecesim ac sibi subditos fideles ad ipsos confugientes; possunt pariter uti opera *procuratorum* aut *advocatorum* sive eorum, qui iam apud SS. Congregationes sunt accepti et in albo procuratorum inscripti, sive peculiaris procuratoris sibi modo stabili constituti ad omnia negotia suae dioecesis, modo servet conditiones in « *Normis communibus* » (cap. 9, sect. II, cap. 10) praescriptas.

487. Scholion II. *De distinctione inter potestatem administrativam et contentiosam* [27].

I. Haec distinctio non est facilis, nec ipsa Const. « *Sapienti Consilio* » praebet normam certam, fixam et claram ad illam distinctionem faciendam. Certe in illa Constitutione clare proponitur eandem rem, eandem causam posse tractari administrativo et iudiciali seu contentioso modo; unde distinctio in modo tractandi causam seu *in modo procedendi* certe est admittenda. Nam v. gr. cum agit de S. C. de Sacr., ad competentiam huius S. C. dicit pertinere *quaestionem de validitate matrimonii et ordinationis*, et subiungit statim « *si tamen Congr. iudicaverit huiusmodi quaestiones iudiciario ordine servato esse tractandas, tum eas ad S. Rom. Rotae tribunal remittat* ». Ergo eadem causa videtur posse tractari iudiciario seu contentioso modo et modo administrativo, quippe prudenti arbitrio S. Congregationis relinquitur iudicium an uno vel alio modo sit tractanda, et prout fuerit hoc iudicium, iubetur causam remittere ad S. Rotam vel sibi retinere. Cfr. quoque can. 1993. Similia habentur de S. C. C., quam vocat *tribunal competens in negotiis sibi commissis, quae iudicaverit in linea disciplinari esse pertractanda;* ubi idem supponi videtur, cum nullae dentur normae ad illud iudicium efformandum.

---

[27] Cfr. *Ojetti*, De Romana Curia p. 18 sq., 74 sq., 102 sq.; *Ferreres*, La Curia Romana, p. 93 sq.; *Cappello*, De Curia Rom. vol. I, p. 48 sq.

Fortius adhuc urget quod dicitur de Congregatione negotiis religiosorum sodalium praeposita, ubi similis loquendi formula habetur et dicitur tribunal competens in causis « *quae ratione disciplinae, seu ut dici solet in linea disciplinari aguntur, religioso sodali sive convento sive actore* ». Ubi habetur mentio actoris et rei, ergo et contentio iudicialis, quamvis forte illa contentio iuris inter actorem et reum non agitetur sollemni apparatu iudiciali adhibito; ubi enim interveniunt actor et reus conventus, ibi intervenit contentio iudicialis, quam iudex sua sententia dirimere debet, applicando ius ad contentionem illam per sententiam decidendam. Et nihilominus dicitur a S. Congregatione esse procedendum in via disciplinari, quae appellatio ibi evidenter confunditur cum via administrativa; via autem iudiciali non posse procedi, sed si ea via res tractanda sit, remittendam esse ad S. Romanam Rotam. Ibi quoque videtur supponi potestatem administrativam, SS. CC. reservatam, non accipi pro potestate, quae exerceatur in obiecta diversa ab iis, circa quae exercetur potestas iudiciaria; sed pro potestate, quae etiam circa eadem obiecta exercetur *diverso modo* per rationem procedendi diversam.

Quae etiam videntur confirmari: 1° ex can. 16 « *Legis propriae* » ubi sancitur: « *Contra dispositiones Ordinariorum, quae non sint sententiae forma iudiciali latae, non datur appellatio seu recursus ad S. Rotam; sed earum cognitio sacris Congregationibus reservatur* ». Iam vero illae dispositiones Ordinariorum *in genere* proponuntur, nec dispescuntur in duplicem classem, quarum aliae possint dare locum *causae contentiosae*, aliae *causae administrativae*. 2° Ex iis, quae in « *Normis peculiaribus* » cap. III, n. 10 statuuntur: « Quaestione semel instituta penes Congregationem aliquam *administrationis et disciplinae* tramite, et a partibus admisso vel saltem non recusato hoc agendi modo, his iam non licet eadem de causa actionem stricte iudicialem instituere »; et nihilominus ibidem dicitur S. Congregationi semper manere facultatem « *quovis in stadio quaestionis ad iudices ordinarios causam deferre* ». Habemus ergo aliud principium, quod, saltem ex consensu vel tolerantia partium, causa, quae per se esset tractanda ordine iudiciario, potest tractari modo administrativo.

Ergo modus administrativus et iudiciarius videntur in

Const. « *Sapienti consilio* » distingui quasi duo tramites diversi decidendi unum idemque negotium, nec proinde potest dici stando Constitutioni « *Sapienti consilio* » alias esse res quae *exigant necessario* ordine iudiciali tractari, alias vero necessario ordine administrativo esse expediendas, ita ut haec divisio obiectorum sit adaequata et exclusiva in duo membra vere et proprie *opposita*.

Quodsi haec ipsa ultima dispositio ex « *Normis peculiaribus* » deprompta implicite statuit aliquas esse res quae saltem natura sua postulant ordinem iudiciarium, adhuc tamen non concluditur per Const. « *Sapienti consilio* » accuratam esse factam distinctionem inter *res ipsas*, cum saltem pro aliquibus debeat verificari quod, electo vel non recusato a partibus modo procedendi administrativo, non possint partes ad ordinem iudiciarium ex stricto iure regredi. Ergo nova Curiae Romanae ordinatio magis videtur respexisse diversum procedendi modum quam distinctionem causarum.

II. Efficacius ad inferendam causarum distinctionem est argumentum petitum ex modo quo Const. « *Sapienti consilio* » competentiam S. Rotae definit, ubi dicitur « *Per sacras Congregationes non amplius accipi nec agnosci causas contentiosas tam civiles quam criminales; ordinem iudiciarium cum processu et probationibus requirentes* », sed has omnes, modo causae maiores non sint, in posterum devolvi ad S. Rotae tribunal. Ergo etiam non videtur posse negari dari causas in se contentiosas et ordine iudiciario tractandas. Tales ex natura rei sunt causae *criminales*, in quibus iuris sollemnitates sunt servandae, quae in eum praecise finem sunt institutae, ut vitetur periculum damnandi innocentem; itemque causae per appellationem a sententia Ordinariorum ad Curiam Romanam delatae. Sicut dici possunt disciplinari seu administrativo ordine tractandae causae ortae *ex provisione administrativa* Ordinariorum, modo in illa Ordinarius excessum non admiserit. Non videtur autem pro foro ecclesiastico dari facile posse criterium universale et omnino certum [28]. Hoc enim in fontibus iuris universalis non reperitur nec in Const. Piana fuit propositum aut in Codice expressum.

[28] Cfr. *Ojetti*, l. c. p. 18 sq., ubi subtiliter prosequitur illud criterium generale, quod ordo iudiciarius videat de *iuris* laesione et ordo administrativus de laesione alicuius *interesse;* quod discrimen in foro

III. Pariter ipsum discrimen quoad duos illos modos procedendi, *iudiciario ordine* seu *summo iure* et *tramite disciplinae* seu *modo administrativo*, accuratius esset determinandum[29]. Aliquod tamen discrimen, si attendatur praxis usitata apud SS. CC., iam statim potest assignari, v. gr. quod in controversiis administrativis excluditur opera advocatorum, quod in examine testium sive ex officio sive rogante parte inductorum, ea dumtaxat observentur, quae necessaria sint ad veritatem in tuto ponendam, exclusis apparatu iudiciali et reprobationibus testium, idemque dicatur de interrogatoriis partium ceterisque sollemnitatibus ordinis iudiciarii, in quantum sollemnitates sunt; in quibus omnibus substantia rei, quantum pertinet ad veritatem detegendam, pro diversa natura causarum observatur secundum prudens arbitrium eorum, qui controversiam administrativo modo decidunt, modus ipse sive sollemnitas actuum iudicialium non observatur. Ita enim generale hoc discrimen declaratur in « *Norm. Pecul* », cap. III, n. 7: « In causis apud SS. CC. administrationis et dis-

---

saeculari satis communiter recipitur, sed pro foro ecclesiastico facile obnoxium est exceptionibus, praesertim quia in Ecclesia idem (Episcopus) est legislator, administrator, iudex et executor. Vel in ipso foro saeculari distinguitur *contentiosum-administrativum* (cfr. *Boeuf*, « Droit administratif », p. 551 sq.) cuius discrimen a contentioso-iudiciario nondum apud iuristas satis liquet. Cfr. *Boeuf*, l. c. p. 6 sq. Ipsa quoque praxis SS. CC., etiam post Const. « *Sapienti consilio* », videtur esse contraria illi adaequatae distinctioni rerum in duo membra exclusiva et opposita, quarum aliae *debeant* iudiciali forma, aliae administrativa seu disciplinari tractari.

[29] Illud discrimen declaravit Innocentius XII, Decret. « *Ut debitus* » his verbis: « Causas autem contentiosas et ordinem iudicialem requirentes censuit esse omnes illas, in quibus necessarius est processus iudicialis, aut fieri debent probationes parte citata, sive mediante examine testium in Curia, sive mediante expeditione litterarum remissorialium, aut interponendum foret aliquod decretum iudiciale ». Pariter Benedictus XIII, (Decretum Secret. Status ad singulas Congreg. 17 Apr. 1728, iussu Benedicti XIII), « Sanctissimus Dominus Noster per organum Secretariae Status iussit per S. Congregationem non amplius recipi nec cognosci causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem iudicialem cum processu et probationibus requirentes, secundum Bullas Sixti V et Innocentii XII, quas omnino servari mandavit ». Cfr. *Ferreres*, l. c. p. 95. In quibus documentis etiam criterium obiectivum de distinctione causarum non reperitur, sed potius videtur insisti in diverso modo seu forma procedendi.

ciplinae tramite tractandis, remota litis contestatione, exclusa auditione testium nullisque scriptis patronorum receptis habebitur quaestio; audientur tamen semper partes quarum interest, ab iisque producta documenta excutientur ».

IV. Consequenter ad traditam doctrinam, interim dum ius in hac parte non melius determinetur, videtur saltem pro pluribus casibus relinqui prudenti arbitrio ipsarum Congregationum iudicium de modo adhibendo in definienda quaestione; sic enim edicitur in « *Normis peculiar.* » cap. I, n. 3. « In expostulationibus ad S. Sedem, si libellus ad S. Rotam delatus est, Decanus cum duobus Auditoribus primis; si ad aliquam Congregationem, ordinarius eiusdem *Congressus* de quaestionis natura videbunt, utrum res administrationis ac disciplinae tramite tractanda sit, an summo iure agendum. Horum primum si accidat, iudicium quaestionis reservatur sacrae Congregationi cui competit ad normam Const. « *Sapienti consilio* ». Alterum si fiat, quaestio ad proprios iudices ac sua tribunalia deferatur ad normam iuris communis definienda, salvo semper proprio Signaturae Apostolicae procedendi modo ».

Quae autem dicta sunt attenta Constitutione Piana, multo fortius urgent in iure Codicis, a quo, ut praemissum est, non leviter attenuata est rigida separatio inter exercitium potestatis administrativae et iudicialis.

At SS. Congregationes causas, quae formali sententia saltem primae instantiae carent, ad S. Rotam sine rescripto seu commissione SS.mi remittere non possunt, excepta causa de rato; quia Rota non est tribunal primae instantiae nisi ex commissione SS.mi.

488. De S. C. Romanae et Universalis Inquisitionis seu Sancti Officii (can. 247)[30].

I. S. C. Inquisitionis a Paulo III Const. « *Licet* » 21 Iul. 1542 prima vice instituta est. Quare Congregatio illa Cardinalium habet originem omnino distinctam a *sancto officio* sive *inquisitione* medii aevi[31]. Institutio illa iudicum a R. Pontifice delegatorum, qui per inquisitionem contra haereticam pravitatem procede-

---

[30] *Del Bene*, De officio S. Inquis.; *Carena*, De officio S. Inq. et modo proced. in caus. fidei; *Pignatelli*, Noviss. consult.; *Bangen*, l. c. p. 91 sq.; *Phillips*, l. c. t. VI §§ 322 sq.; *Bouix*, l. c. p. 152 sq.

[31] *Phillips*, l. c. p. 583 sq.: *Hinschius*, l. c. t. V, p. 449 sq., 467 sq.

rent et sanctum officium haberent haereticos coërcendi, ex saeculo decimo tertio paulatim introducta fuit. Cum saeculo decimo sexto novae haereses ortae essent, Rom. Pontifices Congregationem Cardinalium instituerunt, quae in universo sancto officio supremam et universalem iurisdictionem exerceret atque praecipuas haberet partes. Quod Paulus III cit. Const. « *Licet* » feliciter coeperat, id Pius IV, Pius V et praesertim Sixtus V ratum habuerunt eandemque S. C. accuratius ordinatam amplioribus privilegiis auxerunt [32]. Quae C. S. O. iam est *suprema* omnium Congregationum Cardinalium, quae tanquam tribunal fidei sive per declarationes, instructiones etc. sive per sententias iudiciales vel dispensationes expedit omnes quaestiones de fide catholica et cum eadem connexas et exercet iurisdictionem criminalem de omnibus delictis haereseos vel cum haeresi connexis [33].

Cum in Piana reformatione ei adiuncta fuisset *Sectio de Indulgentiis*, Benedictus XV Motu proprio « *Alloquentes* » hanc materiam S. Paenitentiariae demandavit et S. O. censuram librorum ex toto commisit, suppressa *Congregatione Indicis*, quae illi censurae erat praeposita [34].

II. S. Officium *constituitur Praefecto*, quod munus ipsi *R. Pon-*

[32] Pii IV Const. « *Pastoralis officii* » 14 Oct. 1562; Const. « *Rom. Pontifex* » 7 Apr. 1563; Motus propr. « *Cum nos* » a. 1564, « *Cum inter* » 27 Aug. 1564; Pii V Mot. propr. « *Statuit* » a. 1566, « *Inter multiplices* » 21 Dec. 1566, « *Cum felicis* » a. 1566; Sixti V cit. Const. « *Immensa* »; *Phillips*, l. c. p. 586 sq

[33] *Bangen*, l. c. p. 97, minus accurate S. C. Inq. *tantum* tribuit iudicium de delictis haereseos et cum haeresi connexis.

[34] Illa S. C. Indicis, nunc suppressa, tum ratione materiae tum ratione originis maxime erat connexa cum S. C. Inq. Postquam Pius IV Const. « *Dominici gregis* » 14 Mart. 1564, Tridentinum Indicem librorum prohibitorum cum regulis generalibus approbavit, mox Pius V propriam instituit Congregationem Cardinalium, quae huic negotio praeesset. Deinde Gregor. XIII Const. « *Ut pestiferarum* » 13 Sept. 1572 S. C. Indic. in meliorem formam redegit, quam Sixtus V Const. « *Immensa* » ratam habens paucis innovationibus magis perfecit. Clem. VIII et Alexander VII novas promulgarunt ordinationes de prohibitione et correctione et revisione librorum, quae etiam in S. C. Indicis fuerunt observandae. Celeberrima vero est Benedicti XIV Const. « *Sollicita* » 9 Iul. 1753 data et a Leone XIII denuo confirmata, qua methodum in examine et proscriptione librorum a SS. CC. Inq. et Ind. servandam accurate sapienterque praescripsit. Quare etiam nunc est norma obligatoria pro

tifici reservatum est, ideoque Cardinalis quidam antiquior a R. Pontifice designatus, non Decanus sacri Collegii vi sui officii, munere *Secretarii* huius S. C. fungitur. Praeter Secretarium alii quoque Cardinales, quorum numerus nunc prudenti arbitrio R. Pontificis determinatur, tanquam Inquisitores generales habent partem in hac S. C. Primum locum post Cardinales nunc occupat *Assessor*, qui solet esse Praelatus saecularis et ad instar Secretarii aliarum Congregationum negotia S. O. praesertim extraiudicialia praeparat. Deinde pro more antiquorum tribunalium Inquisitionis [35] etiam in S. O. reperitur *Commissarius* (Inquisitor) ex ordine S. Dominici cum duobus sociis, ex eodem ordine Praedicatorum assumptis, cui potissimum cura demandata est praeparandi et instruendi causas criminales per iudicium S. O. definiendas. Porro adsunt *Promotor fiscalis*, qui est accusator publicus et interesse Fisci legesque tuetur, *Advocatus* reorum, *Notarius* aliique officiales inferiores. Huius S. C. Administri seu Officiales *maiores* sunt *Assessor* et *Commissarius*. (Cfr. « *Normae peculiares* » cap. VII, art. 1).

S. Officio praeterea adiuncti sunt *consultores*, partim nati v. g. Mag. S. P. A., P. Generalis Ord. Praedicatorum, Professus sacerdos Minorum conventualium, partim a R. Pontifice ex utroque clero speciatim nominati; insuper aliquot qualificatores, qui in casibus extraordinariis de aliqua quaestione doctrinali vel libro relationem conscribunt [36]; quibus qualificatoribus nunc committitur examen damnandorum librorum.

III. S. Officium generatim *competens* est in *omnibus causis doctrinae* catholicae circa fidem et mores, et quae cum his propter periculum fidei connexae sunt [37]. Quare non solum ad ipsam imprimis spectant *qualificationes* propositionum falsarum, proscriptio pravorum librorum, *resolutiones dubiorum generalium* in materia fidei et morum et iudicia vel cognitio appellationum [38]

S. Officio. Cfr. Analect. iur. pont., S. II, (1857) p. 2251 sq.; *Bouix*, l. c. p. 385 sq.; *Bangen*, l. c. p. 124 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 598 sq.; *Ojetti*, l. c. p. 128 sq.; *Cappello*, l. c. p. 258 sq.

[35] *Bangen*, l. c. p. 94

[36] *Bangen*, l. c. p. 95 sq.

[37] *Bouix*, l. c. p. 156 sq.; *Bangen*, l. c. p. 97 sq., 103 sq.

[38] Per deputationem Inquisitorum delegatorum a Sede Apostolica iurisdictio ordinaria, quam Episcopi ut Inquisitores nati habent, non

de delictis haereseos et cum haeresi connexis, deputatio Inquisitorum ubivis locorum, sed etiam dogmatica de sacramentis doctrina et quaestiones circa privilegium Paulinum, *dispensationes* de impedimento disparitatis cultus et mixtae religionis et causae matrimoniales quaelibet inter catholicam et acatholicam partem agitatae, et quocumque modo ad S. Sedem delatae, quas tamen ad aliam Congregationem vel ad Tribunal S. R. Rotae remittere potest [39*].

Ipsi quoque est commissum totum negotium de pravorum librorum lectione et damnatione [40*] et privativa competentia circa ieiunium eucharisticum sacerdotum missam celebrantium, de legendis libris haereticis, de conversatione cum haereticis etc.

Alia non pauca negotia ecclesiastica fori externi, circa quae antea fuerat competens, nunc aliis CC. reservantur, v. gr. quae referuntur ad praecepta Ecclesiae circa abstinentiam, ieiunia et festa servanda, quae nunc S. C. C. tribuuntur; quae ad electionem Episcoporum spectant, nunc S. C. Consist. reservata; quae pertinent ad probationem status liberi ad matrimonia rite celebranda, in quibus competentiam sibi vindicat S. C. de Disc. Sacr.; relaxationes votorum in religione vel in religiosis institutis emissorum, quae Congr. negot. relig. sodal. praepositae sunt reservatae.

---

est sublata. Cfr. cap. 9, X. de haeret. V, 7; cap. 17, eod. V, 2, in Sext.; cap. 1, eod. V, 3, in Clem.; *Phillips*, l. c. p. 586; *Bangen*, l. c. p. 93 sq., 115, 122; *Santi*, l. c. l. I, t. 31, n. 65, 66. Immo causae regularium de haeresi suspectorum vel huius criminis reorum ab Inquisitoribus vel Ordinariis locorum, *non* vero ab Ordinum Superioribus cognosci possunt. Cfr. Pauli V Const. « *R. Pontifex* » 1 Sept. 1606; S. C. Inq. 15 Maii 1901. Superiores vero religiosi in causis ad S. O. spectantibus nequeunt se intromittere; can. 501, § 2.

[39*] Cfr. responsum S. Officii d. 27 ian. 1928; AAS., XX, 75; Period. XVII, 53. Hoc responsum S. Officii, in quo expresse memoratur § 3 can. 247, videtur late interpretari verba, quibus statuitur solam S. C. S. Officii cognoscere ea, quae sive directe sive *indirecte* circa matrimonii impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur. Notandum est tamen posse huiusmodi causas tractari in prima et in altera instantia apud tribunalia dioecesana, cum declaratio S. Officii expresse agat de causis « ad S. Sedem quocumque modo delatis ». Cfr. Instruct. S. C. de D. Sacrament. d. 15 august. a. 1936, art. 12; AAS. XXVIII, 316; cfr. etiam Apollin., I, 218.

[40*] Ut constat ex declaratione a S. C. pro Eccl. Orientali, d. 26 maii

Sicut ratione *territorii* eius competentia non limitatur, ita *personae*, in quas iurisdictionem exercere potest, sunt omnes fideles, etiam Episcopi et Nuntii Apost.; at Cardinales post Sixti V Const. « *Immensa* » non amplius sunt S. O. subiecti, sed solius R. Pontificis iudicio reservati (can. 1557) [41]. In ipsos quoque haereticos et schismaticos S. O. est competens, et ratione connexionis cum delicto etiam in hebraeos et paganos suam potestatem publicam, societati perfectae propriam, ad defendenda iura Ecclesiae explicare valet [42].

IV. *Forma* procedendi in S. O., quae sua negotia sub stricto « *secreto S. Officii* » pertractat, in hoc consistit, ut singulis hebdomadis, exceptis vacationibus, feria secunda fiat conventus consultorum in palatio S. O., cui praeest Assessor S. O., et in qua negotia discutiuntur et per vota consultiva definiuntur. Deinde feria quarta sequitur Congregatio Cardinalium in qua, post factam relationem Assessoris et discussionem Cardinalium, negotia per vota maiora decisiva definiuntur. Quae sententiae Cardinalium ex praxi nunc vigenti ordinarie per Assessorem in audientia feriae quintae SS.mo Domino referuntur, a quo in forma communi ordinarie approbantur, rarius autem reprobantur vel suspenduntur vel immutantur. In solis negotiis gravissimis, et proinde raro, fiunt nunc extraordinariae Congregationes Cardinalium Inquisitorum feria quinta in palatio apostolico coram ipso SS.mo Domino, ubi causae in ordinaria Congregatione feriae quartae iam examinatae denuo sollemnius discutiuntur et definiuntur (*Congregatio coram Sanctissimo, Congregatio feriae quintae*) [43]. Quae decisiones, postquam a R. Pontifice in forma

---

a. 1928 data, decretis damnationis librorum et diariorum a S. C. S. Officii editis astringuntur etiam Orientales, cum ea, ut censet S. Congregatio, potius quam disciplinam, directe spectent doctrinam Ecclesiae. Cfr. AAS., XX, 193; Period. XVII, 130.

[41] Pius IV, cit. Const. « *R. Pontifex* » § 2, et Pius V, cit. Mot. pr. « *Inter multiplices* » § 2, non exemerant Cardinales a S. C. Inq. Cfr. *Bangen*, l. c. p. 102 sq.; *Phillips*, l. c. p. 595 sq.; *Bouix*, l. c. p. 157; « *Normae pecul.* », cap. I. « Congr. S. Officii, in suae competentiae rebus, territorii limites nulli sunt ».

[42] *Bangen*, l. c. p. 99 sq.; *Pignatelli*, Consult. canon. t. VII, consult. 69.

[43] Quae *Bouix*, l. c. p. 158 sq., et *Bangen*, l. c. p. 121 sq. de admissione consultorum ad Congregationes feriae IV et V tradunt, theoretice

specifica approbatae sunt, ordinarie ut decreta generalia vel Constitutiones Apostolicae sollemniter promulgantur.

In causis *criminalibus* S. O. generatim utitur ordine iudiciario denuntiationis vel *inquisitionis*, non raro nimiae severitatis atque adeo iniustitiae falso accusatae [44]. In condemnatione *librorum* vel in processu contra *sollicitantes* ad turpia in confessione sequitur ordinationes speciales hac de re datas [45].

489. Scholion I. Ex praecedentibus facile iam deduci potest quis sit valor rescriptorum, decisionum, decretorum et instructionum ipsius S. O. Dispensationes enim per rescripta S. O. concessae valent pro illis, quibus datae sunt, secundum ambitum potestatis S. C. a Rom. Pontificibus commissae et tenorem verborum rescripti. Sententiae vero iudiciales etiam huius supremae Congregationis ius tantum constituunt inter partes, nec vim legum universalium habent. Decreta, quae de doctrina catholica fidei vel morum a S. O. publicantur, etiamsi a R. Pontifice in forma *communi* fuerunt confirmata, magnam sane habent auctoritatem, sed ex sese irreformabilia non sunt, nisi a R. Pontifice per confirmationem in *forma specifica* datam in veras definitiones *R. Pontificis* ex cathedra loquentis transmutentur. Utrum decreta vel instructiones S. O. vim legum universalium habeant, an ordinationes tantum particulares contineant, ex ipso tenore verborum, inscriptione, forma approbationis et promulgationis est eruendum. Cfr. *De Angelis,* Praelectiones iur. canon. l. I, t. 31, p. 213 sq.; *Santi,* Praelect. iur. can. l. I, t. 31, n. 70, 71; *D'Annibale,* Summula P. I, n. 184; *Franzelin,* De divina tradit. p. 116 sq.; *Grisar,* Galileistudien, v. g. pag. 129; *Granderath* in Act. theol. Oenip. t. 19, p. 623 sq.; *Choupin,* « Valeur des décisions doctr. et discipl. du Saint-Siège », pag. 30 sq., 124 sq.

490. Scholion II. De S. Congregat. Indulgentiar. et Sacr. Reliq. [46] nunc suppressa.

---

sunt vera, sed in praxi vix unquam servantur. Cfr. *Bangen,* l. c. p. 120 sq. et Anal. eccl. (a. 1897), p. 498 sq.

[44] *Benedict. XIV,* de Synod. dioec. l. VI, cap. 11, n. 8, 12; *Bangen,* l. c. p. 116 sq.; *Phillips,* l. c. t. VI, p. 597 sq.

[45] Benedict. XIV Const. « *Sollicita* » 9 Iul. 1753, §§ 3 sq.; Instr. S. C. Inq. 20 Feb. 1867, apud *Sentis,* Decretal. Clem. P. VIII, p. 42 sq.

[46] Decreta authent. S. C. Indulg. et Reliq. (a. 1883); *Schneider,* Rescripta auth. S. C. Indulg. sacrisq. reliq. praepos. (a. 1885); *Bangen,*

I. Negotia huic Congregationi commissa olim spectarunt partim ad S. R. C., partim ad SS. CC. C. et Ep. et Reg., donec, praeeunte Clemente VIII, tandem Clem. IX, Const. « *In ipsis* », 6 Iul. 1669, specialem et independentem et stabilem institueret Congr. Indulg. etc., cui facultatem concessit: « *Omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum reliquiis aut indulgentiis emergentem, quae ad fidei* dogma non pertineat, Romano Pontifice circa graviora difficilioraque consulto, expediendi, ac si qui abusus in eis irrepserint, illos, *iudicii forma* plane posthabita, corrigendi et emendandi, causas vero iudicialem formam requirentes ad proprios iudices remittendi; falsas, apocryphas indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi ac ubi Rom. Pontifici retulerint, illius auctoritate reiiciendi; reliquias de novo inventas recognoscendi et examinandi, et in concedendis indulgentiis Sanctorumque reliquiis donandis moderationem adhibendi ».

Ad abusus tollendos, omnes impetrantes *generales* concessiones indulgentiarum tenebantur sub *nullitatis* poena gratiae obtentae exemplar earundem concessionum ad Secretariam S. C. Indulg. deferre. Cfr. decret. S. C. Indulg. 28 Ian. 1756, quod Benedict. XIV approbavit, et novum decret. eiusd. S. C. 14 Apr. 1856, Pii IX auctoritate munitum; *Beringer,* D. Ablässe p. 102, 113.

Constituebatur haec Congregatio ad instar aliarum *Praefecto* et compluribus Cardinalibus a R. Pontifice designatis, habebat *Secretarium* aliosque officiales atque non paucos consultores, inter quos ex officio Sacrista R. Pont., Secret. S. R. C., Promotor fidei et Praefect. caeremon. recensebantur.

Illius *competentia* et *forma procedendi* [47], magna ex parte, ex verbis Clem. IX supra allatis et ex nova Leonis XIII Const. « *Christianae* » 31 Oct. 1897 colligendae erant.

II. At ex Motu proprio Pii X, 28 Ian. 1904, S. C. Indulg. in perpetuum cum S. R. C. *unita* fuit, attamen « *salvis ex integro*

---

l. c. p. 247; *Bouix,* l. c. p. 237 sq.; Anal. iur. pontif., l. c. col. 2270 sq.; Gerarch. cattol. (a. 1896), p. 674 sq.; *Beringer,* Die Ablässe p. 96 sq.

[47] Cap. 1, 2, X. de reliq. III, 45; Conc. Trid. Sess. XXV, pr. De invoc. vener. et reliq. Sanctor.; *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. XIII, cap. 18, n. 1 sq.; *Bangen,* l. c. p. 249 sq., 218, not. 2; *Beringer,* Die Ablässe, p. 98 sq.

manentibus sui muneris, officialium et facultatum, ratione et forma hucusque servatis ».

Quae Motu proprio Pii X, 7 April. 1910, statuta fuerant de concessionibus indulgentiarum a Suprema S. C. S. Officii recognoscendis, cfr. apud *Ferreres*, l. c. n. 331 sq.

III. Sed in nova ordinatione Curiae Romanae idem Pius X, relictis S. R. C. iis, quae ad reliquias pertinent, S. O. attribuit quidquid ad indulgentias pertineret, sive doctrinam spectet sive usum respiciat.

IV. Benedictus XV cit. Motu proprio « *Alloquentes* » hanc materiam de indulgentiis transtulit ad S. Paenitentiariam, relicta S. R. C. competentia circa reliquias.

491. De S. Congreg. Consistoriali (can. 248). I. Actus illi sollemnes qui ex disciplina vigenti S. Consistorio reservantur, ut absque nova deliberatione pro dignitate Sedis Apostolicae et gravitate negotiorum fierent, necessario per accuratam discussionem, examinationem et relationem fuerunt *praeparandi*. Quae cura generatim commissa fuit S. C. Consistoriali, a Sixto V cit. Const. « *Immensa* » erectae, nisi ex mandato R. Pontificis Congregationi particulari vel Congregationi pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, v. g. quoad allocutiones vel concordata, esset concredita. Eius competentia per Pianam constitutionem valde fuit ampliata, deinde per Codicem paululum diminuta. Inde manifesta est *notio* et *origo* huius Congregationis [48].

II. Cum praefectura huius S. C. sit reservata R. Pontifici, *constituitur* Congregatio Cardinali *Secretario* et aliis Cardinalibus, v. g. octo vel duodecim, prudenti arbitrio SS.mi Domini determinandis, inter quos ratione muneris accensentur Praefectus C. de Seminar., Card. Secretarius S. Officii et Card. Secretarius Status. Praeterea adsunt duo administri *maiores*, sc. *Assessor*, quo munere fungitur aliquis Praelatus, et *Substitutus*; adduntur aliqui administri *minores* et nonnulli consultores, inter quos durante munere numerantur Assessor S. Officii et Secretarius S. C. pro neg. eccl. extraord. et Secretarius C. de Seminar. [49].

---

[48] *Bangen*, l. c. p. 83 sq.

[49] Cum iam ex usu Praelatus Secretarius huius S. C. (nunc Assessor) soleret simul esse Secretarius S. Collegii, quo in munere quotannis

III. *Competentia* huius S. C., restricta ad regiones iuri communi obnoxias, eruitur: *a*) ex scopo praeparandi negotia Consistorio reservata, de quibus supra, et inde extenditur ad ea quae cum illis negotiis sunt connexa. Quare ad ipsam spectat erectio, divisio, unio, permutatio dioecesium et decisio de omnibus difficultatibus et controversiis inde emergentibus, constitutio capitulorum tum cathedralium tum collegiatorum, et consequenter erectio vel suppressio unius vel alterius dignitatis in capitulis constitutis [50]; inquisitio et decisio de coacta vel voluntaria resignatione Episcoporum, de concessione Coadiutoris, de existentia iuris eligendi vel nominandi Episcopos, de privilegio pallii, de compatibilitate officiorum cum dignitate episcopali, de electione vel postulatione vel praesentatione vel nominatione Episcoporum, de deputatione Coadiutorum atque de processu informativo super qualitatibus promovendorum Episcoporum. Quodsi viri in Episcopos eligendi vel dioeceses constituendae sint extra Italiam, Secretaria Status documenta excipit et positionem conficit Congregationi Consistoriali subiciendam [51].

b) Secundo loco huic Congregationi demandantur negotia, quae ad singularium dioecesium regimen referuntur, modo Congregationi de Propaganda Fide subiectae non sint. Unde ad eam spectant vigilantia super expletis vel minus obligationibus, quibus Ordinarii tenentur; decernere circa ea quae respiciunt reditus et bona ad mensas episcopales spectantia [52], cognitio eorum, quae ab Episcopis scripto relata sint de statu suarum dioecesium; indictio apostolicarum visitationum et examen earum, quae fuerint absolutae, et post rerum expositionem ad Pontificem delatam singulis vicibus praescriptio eorum, quae aut necessaria visa fuerint aut opportuna. Sed ad alias Congregationes transmittere debet negotia, quae ad eas peculiariter pertinent.

Sectio in hac S. Congregatione instituta est pro cura catholicorum emigrantium ritus latini, sacerdotum ac laicorum; dum

---

a Cardinalibus confirmabatur, ex Const. « *Sapienti consilio* » in posterum hoc altero munere ex officio fungetur.

[50] Commissio Cardin. 7 Dec. 1922, in A. A. S., XV, 37.

[51] Sixti V Const. « *Immensa* »; *Bouix*, l. c. p. 151 sq.; *Bangen*, l. c. p. 84 sq.; cfr. quoque *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 13, n. 23.

[52] Cit. Commissio Card. 7 Dec. 1922, in A. A. S., XV, 39.

spiritualis cura emigrantium ritus orientalis ad respectivam Congreg. pertinet.

IV. *Forma* procedendi S. C. Consistorialis in causis suae competentiae subiectis saepe est mere *informativa*. At cum haud raro in his causis agatur etiam de iure tertiarum personarum, v. g. in unionibus ecclesiarum, forma quadantenus *iudicialis* ab hac Congregatione non est aliena. S. C. Consistorialis ipsa, pro more aliarum Congregationum Romanarum, acta processualia non conficit, nisi in casu extraordinario per suum *Secretarium*, sed regulariter ad huiusmodi acta deputat Nuntios Apostolicos vel Metropolitas vel Ordinarios « *pro informatione et voto* » [53].

Scholion. De processu informativo super qualitatibus promovendorum ad sedes episcopales extra Italiam et insulas adiacentes sitas ibidem conficiendo, saltem pro *provinciis Sedis Apostolicae* formam servandam praescripsit Urbanus VIII, Instructione « *Si processus* » a. 1628. Aliam Instructionem Clemens XI, 9 Oct. a. 1716, per Congregationem particularem confecit, atque Benedictus XIV, Const. « *Gravissimum* » 18 Ian. 1757, approbatam et immutatam Instructionem Urbani VIII et Clementis XI etiam ad eas regiones extendit, in quibus per *S. C. de Prop. Fide* sedibus episcopalibus providetur. Pro Italia vero et insulis adiacentibus idem processus informativus fieri solebat in ipsa Curia Romana.

Tandem Pius X, confirmatis rationibus et formis quae per praecedentes Constitutiones adhibendae erant pro electione Episcoporum relate ad loca S. C. de P. F. vel Negot. eccl. extraord. subiecta, ceterorum Episcoporum *delectum et promotionem* S. Officio detulit, adiecta opportuna Instructione, Motu proprio « *Romanis Pontificibus* » 17 Dec. 1903; cuius Const. observantia iterum iniungitur S. C. Consist. in « *Norm. Pecul.* » cap. 7, art. 2, n. 1 [54].

---

[53] *Bangen*, l. c. s. 86 sq.

[54] Cum S. C. Consistoriali tanquam subsidiaria connexa erat *S. C. examinis Episcoporum*, quam secundum intentionem Gregorii XIV (confer huius Pontif. Const. « *Onus* » 15 Maii 1591) morte praeventi (1590-1591), Clemens VIII instituit. At postquam examina illa de theologia et de iure canonico ad mentem Concilii Tridentini Sess. XXII, cap. 2, de

492. S. C. de disciplina Sacramentorum (can. 249) [55] a Pio X primum instituta est, eique demandata sunt plura, quae prius ad alias Congregationes et Officia pertinebant.

Constituitur ad modum aliarum Congregationum pluribus Cardinalibus, quorum unus gerit munus *Praefecti*. His adiunguntur *Praelatus a secretis* et *Subsecretarii* tres [56], qui *maiores* sunt administri et simul cum Card. Praefecto *Congressum* constituunt. Accedunt plures consultores et sufficienti numero administri minores.

Competentia inde deducitur, quod universam legislationem circa disciplinam septem sacramentorum habeat moderandam, incolumi tamen iure Congr. S. Officii et C. S. Rituum circa caeremonias quae in sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servandae sunt. Quare ad ipsam pertinet disciplina ma-

---

ref. omnibus promovendis ad dioeceses saltem Italiae et insularum adiacentium praescripta iam pridem extra Italiam in desuetudinem abierant, nostra aetate etiam in Italia non amplius cum antiquo rigore exigebantur, ideoque S. C. examinis Episcoporum erat in statu quodam dissolutionis; at a Pio X, citato Motu proprio « *Roman. Pontificibus* » universum illud negotium examinis Episcoporum in Italia et insulis adiacentibus ad S. C. Inq. fuit delatum. Cuius rei ea videtur esse ratio, quod *Congregatio particularis* super *promovendis* ad *Archiepiscopatus* ab Innocentio XI primum instituta atque a Benedicto XIV Const. « *Ad apostolicae* » 17 Oct. 1740, restaurata, denuo a Leone XIII, Const. « *Immortalis* » 21 Sept. 1878, quoad promotionem praeficiendorum saltem *Italiae* dioecesibus fuerit restituta. Integra vero res in nova ordinatione Curiae Romanae rediit ad S. C. Consist.

Quodsi antiqui et recentiores auctores, v. g. *De Luca, Bangen*, l. c. p. 90, inter Congregationes particulares S. C. Consistoriali adnexas etiam commemorant S. Congregationem status sive super statu, huiusmodi Congregatio particularis inde a temporibus Pii VI et Pii VII non amplius reperitur. Illius enim negotia transierunt in S. C. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, quae facta est Congregatio independens, non mere subsidiaria S. C. Consistorialis.

[55] *Ferreres*, l. c. n. 376 sq.; *Ojetti*, l. c. p. 70 sq.; *Cappello*, l. c. p. 173 sq.

[56] Qui ternarius numerus subsecretariorum est proprius huius S. C. Partiuntur autem ita inter se negotia, ut unus cum adiutore et administris inferioribus in petitiones omnes circa impedimenta matrimonii praecipue incumbat, alter ceteras curat preces ad matrimonia pertinentes, tertius curat quae sacram ordinationem ceterorumque sacramentorum res concernunt. « *Norm. pecul.* » cap. VIII, art. 3, n. 4 sq.

trimonii, ut dispensationes in foro *externo*[57] tam pauperibus quam divitibus, sanationes in radice, dispensatio super rato[58], separatio coniugum, natalium restitutio seu legitimatio prolis. In disciplina aliorum sacramentorum dispensationes ordinandis[59] concedit, salvo iure Congregationis de Religiosis ad moderandam religiosorum ordinationem; dispensationes respicientes locum, tempus, conditiones Eucharistiae sumendae, sacri litandi, asservandi SS. Sacramenti et alia id genus[60].

Quaestiones de validitate matrimonii itemque de valore sive

---

[57] Quae competentia in dandis dispensationibus matrimonialibus pro foro externo, salvis iuribus S. Officii, nunc est huius Congr. *privativa*, sublata potestate olim Datariae Apost. aut Paenitentiariae attributa, cui Paenitentiariae reservantur dispensationes solius *fori interni*.

[58] Quae dispensatio super rato supponit verum processum iudicialem, quamvis non necessario *stricte contentiosum*, quo iuridice in comperto ponantur factum inconsummationis et existentia sufficientis et proportionatae causae. (Cfr. Benedicti XIV Const. « *Dei miseratione* » 3 Nov. 1741, § 15; Instr. S. C. C. « *Cum moneat glossa* » 22 Aug. 1840; S. C. C. in caus. Warsav. 16 Iun. 1894, et in caus. Trev. 29 Iul. 1895, cum voto P. Wernz); et nihilominus processus huiusmodi pertinet ad S. C. de Sacramentis, qui illum per Episcopos ad id delegatos solet instruere, et sententia de illo duplici facto, quae est fundamentum voti consultivi SS.mo dandi pro matrimonii solutione, etiam a Cardinalibus huius Congr. datur. Processum de matrimonio rato S. C. de Sacr. potest, si id opportunum duxerit, etiam sine rescripto commissionis de mandato SS.mi ex propria competentia ad S. Rotam remittere ex decis. S. C. Consist. 28 Ian. 1909.

[59] Facultas vero concedendi clericis, iam in sacro presbyteratus ordine constitutis, dispensationem ab irregularitate, vel a titulo sacrae ordinationis spectat ad S. C. Concilii. Cfr. decis. S. C. Consist. 27 Febr. 1909, in Act. Ap. Sed., I, p. 251. S. C. Consist. 28 Nov. 1911 declaraverat irregularitatem ex defectu in presbyteris dispensari a S. C. de Sacr., ex delicto a S. C. C. (A. A. S., III, 58).

[60] S. C. Consist., 14 Mart. 1910, declaravit facultatem legendi tres Missas Nativitatis Domini, noctu in sacellis publicis et ecclesiis, quae ad hoc privilegio apostolico indigent, cum distributione SS.mae Eucharistiae ad S. C. de Sacr. non ad S. R. C. spectare. Act. Ap. Sed., 2, p. 229. Eadem resolutio de competentia S. C. de Sacr. data est relate ad potestatem concedendi sacerdotibus caecis aut caecutientibus necnon senio confectis vel alio morbo laborantibus facultatem legendi missam votivam. Act. Ap. Sed., 2, p. 649. At dispensatio in ieiunio eucharistico ad sacr. Synaxim recipiendam, si agitur de sodalibus religiosis

sacrae ordinationis sive onerum sacris ordinibus adnexorum, etiam cum agitur de sodalibus religiosis[61], aliasque ad sacramentorum disciplinam spectantes Congreg. de Sacramentis dirimit, incolumi iure S. Officii. Si tamen eadem Congregatio iudicaverit huiusmodi quaestiones accuratiorem disquisitionem aut investigationem exigere, tunc eas ad S. Romanae Rotae tribunal remittere debet.

Forma seu *modus* procedendi huius S. C. nihil habet speciale, sed est forma communis omnium Congregationum, atque singula negotia eo fere modo expedit, quo expediebantur ab illis Congregationibus e quarum competentia detracta sunt, ut huic Congregationi, de novo creatae, assignarentur.

Ut ceterae Congregationes negotia habet distributa in graviora, quae plenae Congregationi reservantur, et minora, quae expediuntur per Congressum. Cfr. « *Normas peculiares* », cap. VII, art. 3.

Illud notatu dignum est relate ad dispensationes matrimoniales, quod hae distinctae sunt in dispensationes impedimentorum *minoris gradus*, in quibus, ubi nihil obstat, gratiae concessio et subsignatio fit a Subsecretario dispensationum aut ab eius adiutore, et dispensationes impedimentorum *maioris gradus*, quae dantur a Cardinali Praefecto aut a Secretario. In casibus vero, in quibus dubium aliquod occurrat, decernit plena Congregatio aut Congressus, re etiam ad R. Pontificem, si opus sit, delata.

Dispensationes *gradus minoris* sunt ab impedimentis:

a) consanguinitatis tertii gradus lineae collateralis, sive aequalis sive inaequalis;

b) affinitatis in secundo gradu lineae collateralis;

c) cognatio spiritualis cuiusvis generis[62];

---

pertinet ad S. C. de Relig. (Commissio Card. 7 Dec. 1922, in A. A. S., XV, 37).

[61] Commissio Cardin. 7 Dec. 1922, in A. A. S., XV, 37.

[62] Cum cognatio spiritualis *inter baptizantem et baptizatum* non soleret dispensari et S. Offic., 3 Dec. 1902, declaraverit non comprehendi in facultate dispensandi ab impedimento cognationis spiritualis, difficultate non caret quod cognatio spiritualis, etiam inter baptizantem et baptizatum, comprehendatur inter impedimenta minoris gradus. Cfr. *Ferreres*, La Curia Rom. n. 406.

d) publicae honestatis in secundo gradu [63];

e) criminis ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum.

Porro dispensationes a minoribus impedimentis conceduntur omnes *ex rationabilibus causis a S. Sede probatis.* Sic vero concessae perinde valent ac si *ex motu proprio et ex certa scientia* impertitae sint; ideoque nulli sunt impugnationi obnoxiae sive obreptionis vitio sive subreptionis: «*Normae peculiares*», cap. VII, art. 3, n. 17 sq. [64*].

---

[63] Pariter difficultate non caret, si etiam honestas publica in linea recta ex matrimonio rato procedens adnumeratur inter impedimenta gradus minoris. Cfr. S. Officium 20 Mart. 1893, iunct. *Ferreres*, La Curia Rom. n. 410.

[64*] In causis matrimonialibus, ut praecipit Instr. d. 23 decemb. 1929 iudices ecclesiastici competentes titulo quasi-domicilii debent semper causam praeviam instituere, ut decernant an causa admittenda sit apud se vel potius remittenda ad iudicem domicilii aut contractus. Si Defensor vinculi non acquiescat decreto iudicis quasi-domicilii, quia putat causam nullitatis esse deferendam iudici domicilii aut contractus, recurrat ad S. C. de D. Sacramentorum. Hanc Instructionem iussit R. Pontifex exsecutioni mandari quibuscumque non obstantibus. Cfr. A. A. S. XXII, 168 ss.; Period. XIX, 248 ss. Pariter huic S. Congregationi mittendae erunt quotannis relationes causarum matrimonialium, quae admissae vel discussae fuerint apud tribunalia Ordinariorum locorum. Cfr. Litteras circulares S. C. de D. Sacramentorum d. 1 iulii 1932, quae confirmatae fuerunt a S. Pontifice supremo suae auctoritatis oraculo; A. A. S. XXIV, 272; Period. XXI, 278. Demum huic S. Congregationi competit ordinare iura et officia tribunalium ecclesiasticorum Italiae pro causis nullitatis matrimonii decidendis itemque invigilare ut tum officiales, tum iudices, tum praesertim promotores iustitiae et vinculi defensores muneribus suis rite perfungantur; quae omnia mandavit R. Pontifex de Apostolicae plenitudine potestatis. Cfr. *Motu proprio* «*Qua cura*» d. 8 dec. 1938 in A. A. S. XXX, 410; Period. XXVIII, 87. Sed non ideo sunt habendi promotor iustitiae et defensor vinculi in causis nullitatis matrimonii ut delegati S. Congregationis, quorum partes moderari valeat. Itaque, ut competentia S. C. de D. Sacramentorum in causis de nullitate matrimonii dignosci queat, debebunt haberi prae oculis praeter c. 249 tria documenta pontificia supra relata; sed ex his minime licet deducere huic S. Congregationi competere generalem et praeeminentem iurisdictionem in illis causis, ita ut eas ad se avocare, vel earum cursum aut sententiarum in iisdem latarum exsecutionem suspendere valeat. Cfr. Responsa de competentia prolata a Comm. Cod., quae fuit ad normam c. 245 deputata ad controversiam exortam dirimendam; A. A. S. XXXII, 31; Period. XXIX, 394; XXX, 51.

493. De S. C. Concilii (can. 250) (olim S. C. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum) [65].

I. Concilium Tridentinum, Sess. XXV, contin. cap. de recip. et observand. decretis Concilii sese confidere sollemniter declaravit, Romanum Pontificem curaturum, ut *difficultatibus* vel *dubiis* forte in recipiendis decretis Tridentinis ortis per *apta remedia* et per *declarationes*, quatenus opus sit, pro Dei gloria et Ecclesiae tranquillitate consuleretur.

Hinc Pius IV, postquam Const. «*Benedictus Deus*» 26 Ian. 1564 inhibuit [66] ne quis sine auctoritate R. Pontificis *commentarios* ullumve interpretationis genus super Concilii Tridentini decretis ederet, atque Sedi Apostolicae illorum interpretationem reservavit, iam Motu proprio sive Const. «*Alias nos*» 2 Aug. 1564 Congregationem octo Cardinalium instituit, quae saltem in tribunalibus et officialibus Curiae Romanae etiam *executionem* et *observantiam* decretorum Conc. Tridentini sub gravibus *poenis* infligendis urgeret, *nisi* in executione dictorum decretorum aliqua *dubietas* aut *difficultas* emersisset. Quo in casu ad Romanum Pontificem res fuit referenda. Pius IV huic Congregationi potestatem decreta disciplinaria Concilii Tridentini *authentice* pro *tota* Ecclesia *interpretandi nondum* concesserat. Qua de re, cum non levia dubia orta essent [67], Pius V vivae vocis oraculo in Consistorio, non scripta Constitutione [68], expresse indulsit ut eadem S. Congregatio casus, quos ipsa *claros* putaret, absque ulla alia delegatione R. Pontificis decideret, *dubios* vero Sanctitati suae referret. Mox Pius V eandem Congregationem Cardina-

---

[65] *Schmalzgr.*, l. c. Disert. prooem. §; *Fagnan.*, in cap. 13, X. de const. I, 2, cap. 12, X. de iudiciis II, 1; *Card. De Luca*, Relatio Cur. Rom. disc. 15; *Bangen*, l. c. p. 145 sq.; *Phillips*, l. c. t. VI, §§ 326 sq.; Anal. iur. pontif., l. c. p. 2251 sq.; *Bouix*, l. c. p. 168 sq.; *Lingen* et *Reuss*, Causae select. S. C. C. prolegomena; *Zamboni*, Collect. declar. S. C. Card. Conc. Trident. interpr. Viennae 1812, vol. I, introductio; *Parayre*, «La Sainte Congrég. du Concile», Paris 1897; *Lega*, De iudiciis eccl. vol. 2, n. 152 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 430 sq.; *Ojetti*, l. c. p. 81 *Cappello*, l. c. p. 187 sq.

[66] *Fagnan.*, in cit. cap. 12, X. de iudiciis n. 9 sq.; *Bangen*, l. c. p. 416 sq.; *Saegmueller*, in Arch. f. k. K. t. 80, p. 1 sq., (de histor. S. C. C. *ante* Mot. propr. 2 Aug. 1564).

[67] *Fagnan.*, l. c. n. 30, et in cap. 13, X. de const. n. 7.

[68] *Lingen* et *Reuss*, l. c. p. VI, not. 3.

lium, cuius nomini ex hoc tempore merito adiuncta est clausula: « *Concilii Tridentini interpretum* », etiam amplioribus munivit facultatibus in decidendis controversiis de interpretatione Concilii Tridentini ortis [69]. Quam perfectiorem interpretandi facultatem Gregorius XIII [70] ratam habuit et ad celeriorem negotiorum expeditionem, d. 8 Maii 1576, declaravit « *parvam* » Congregationem ex quatuor Cardinalibus S. C. Concilii, iam a. 1565 institutam, posse et potuisse decidere omnes casus alias a Congreg. decisos et etiam eos, qui ex *omnium* sententia *clari* viderentur [71]. Denique Sixtus V, cit. Const. « *Immensa* » potestatem *interpretandi* S. C. C. confirmavit et accuratius definivit, i. e. interpretationem decretorum Conc. Trid., quae ad *fidei dogmata* pertinent, R. Pontifici reservavit, facultatem vero interpretandi eiusdem Conc. Trid. *decreta disciplinaria ipsi S. C. C., etiamsi dubietas* aut *difficultas emersisset*, impertitus est, adiecta clausula: « *Nobis tamen consultis* ». Insuper idem R. Pontifex S. C. C. alias facultates concessit de revisione Conciliorum provincialium, de visitatione liminum Apostolorum, de promovenda reformatione cleri et populi ad praescriptum eiusdem Conc. Trid. [72]. Inde a Sixto V potestas S. C. C. non fuit aucta, sed potius per meliorem procedendi formam diversis modis explicata, v. g. per additionem nonnullarum Congregationum particularium.

Quare S. C. C. erat illa Congregatio Cardinalium, quae ex mandato apostolico *executionem* et observantiam decretorum disciplinarium Concilii Tridentini in universa Ecclesia *urgebat*, *dubia* et difficultates, quae de sensu in executione eorundem decretorum occurrunt, *solvebat* atque etiam *causas contentiosas definiebat*, quae ex iure in decretis Tridentinis implicite vel explicite contento dirimendae essent.

---

[69] *Bangen, l. c. p.* 149 sq.; *Lega,* l. c. n. 152 sq.

[70] *Lingen* et *Reuss,* l. c. p. VI.

[71] In locum illius Congregationis parvae iamdiu saltem ex parte successerat « *Congressus* » Praefecti, Secretarii et Subsecretarii S. C. C. singulis sabbatis celebratus. Cfr. Act. S. Sed., IX, p. 552 sq., 556.

[72] *Bangen,* l. c. p. 149, 150 sq.; *Lingen* et *Reuss,* l. c. p. VII sq. Quare particula: « *Nobis tamen consultis* » non referebatur ad interpretationes casuum, qui *ipsis* Cardinalibus essent de *iure certi,* sed extendebatur ad veram et *proprie* dictam *interpretationem* comprehensivam casuum, qui ipsis Cardinalibus *de iure* essent *dubii,* non ad interpretationem *extensivam* vel *restrictivam.* Cfr. *Santi,* l. c. n. 49 sq.; *Lingen* et *Reuss,* l. c. p. XX sq.

In nova ordinatione Curiae Romanae, licet retentum fuerit nomen S. C. Concilii, vere potest dici Congregatio nova, cum nec retineat competentiam *exclusivam* interpretandi decreta Tridentina [73], et potestas circa materiam multorum Conc. Trid. decretorum ad alias Congregationes iure proprio et exclusivo pertineat.

II. *Constituitur* S. C. C. tot Cardinalibus, quot ex prudenti arbitrio R. Pontificis huic Congregationi adscribuntur. Unus ex illis gerit officium *Praefecti;* Praefecto assistit *Secretarius,* qui, ut consulatur ipsius dignitati, haud raro est Archiepiscopus titularis. Secretarium adiuvant *Subsecretarius* aliique officiales inferiores. Denique huic quoque Congregationi complures *consultores* ex utroque clero adiuncti sunt, quorum aliqui probati sint oportet temporalium etiam gerendarum rerum notitia.

III. *Competentia* S. C. C., *a*) si *forma* exercitii potestatis commissae spectetur, nunc non differt a forma exercitii potestatis aliarum Congregationum. Quare comprehendit imprimis potestatem *interpretandi* cum alias leges ecclesiasticas tum decreta *disciplinaria* Concilii Tridentini [74], quatenus iuris novi sunt fontes, sed haec potestas quoad decreta Tridentina non amplius est *exclusiva* nec universalis, sed restringitur intra ambitum materiae ipsi assignatae [75]. Porro S. C. C. habet potestatem administrandi sive *exequendi* ideoque per instructiones vel decreta generalia et particularia urget observantiam legum de materia suae competentiae subiecta, atque in eadem materia gaudet iurisdictione voluntaria ad concedendas *gratias et dispensationes.* Sed non amplius gaudet potestate *iudicandi* in causis contentiosis, quae per strictum iudicium secundum iustitiam definiri debeant, licet retineat in propria materia potestatem decidendi controversias in linea disciplinari, seu, ut dicitur, modo administrativo.

---

[73] S. C. Cons. 11 Febr. 1911, in A. A. S., III, 29.

[74] *Fagn.,* in cit. cap. 13, X. de const. n. 36, 37, 38; *Lingen* et *Reuss,* l. c. p. IX, sq.; *Bangen,* l. c. p. 152 sq., 155 sq.

[75] De antiqua Congr. Conc., cfr. *Lingen* et *Reuss,* l. c. p. XX sq.; *Scherer,* l. c. t. I, p. 511 sq.; *D'Annibale,* Summula P. I, n. 184; *Santi,* l. c. l. I, t. 31, n. 47, 49. Cfr. quoque *Monin* l. c. p. 262 de *Studio* S. C. C. per Pium X suppresso, deinde iterum restaurato; de quo extat « Regolamento », 15 Dec. 1919, promulgatum in A. A. S., XII, p. 50 sq.

b) Quoad *materiam* est competens:

1) In omnibus negotiis, quae ad universam disciplinam cleri saecularis populique christiani referuntur [76]. Quare ipsius est curare ut Ecclesiae praecepta serventur, cuius generis sunt ieiunium (excepto eucharistico, quod ad Congr. de Discipl. Sacram. pertinet), abstinentia, decimae, observatio dierum festorum, cum facultate opportune relaxandi ab his legibus fideles; moderari quae parochos et canonicos spectant; item quae pias sodalitates, pias uniones, pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, arcas nummarias, tributa dioecesana aliaque huiusmodi attingunt. Videt quoque de iis omnibus, quae ad immunitatem ecclesiasticam pertinent et controversias circa praecedentiam resolvit. Eidem facultas est reservata eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios collatio spectet, et admittendi ad compositionem eos qui occuparunt bona ecclesiastica.

2) In iis quae pertinent ad Conciliorum celebrationem et recognitionem, atque ad Episcoporum coetus seu *conferentias*, exceptis Conciliis quae celebrari contigerit in territorio S. C. de Prop. Fide subiecto (S. C. Consist. 12 Nov. 1908).

c) Quoad *personas* habet potestatem in omnibus provinciis Sedis Apostolicae, salva semper iurisdictione S. C. de Prop. F. in regionibus missionum et C. pro Ecclesiis orientalibus.

IV. *Forma procedendi* coram S. C. C. requirit, ut causa vel negotium rite *introducatur* in Secretaria eiusdem S. C. Qua introductione peracta et omnibus collectis, quae spectant ad speciem facti, in congressu Praefecti, Secretarii et Subsecretarii decernitur utrum negotium sit *de stylo*, quod in ipso congressu aut per rescriptum ex audientia SS.mi definiri possit, an deferendum sit ad Congregationem generalem vel omnino reponendum per responsum: « *Lectum* vel *non expedire* ». Si causa in Congregatione *generali* sit proponenda, praeterea a Congressu

[76] Commissio Card., 7 Dec. 1922, declaravit ad S. C. C. pertinere, non ad S. C. Consist., decernere circa ea quae respiciunt sacerdotes, sive alumnos sive magistros in scholis laicalibus, aut associationes inter clerum earumque foederationem; ubi tamen agatur de associationibus vel earum foederationibus inter clerum alicuius nationis universae debet informationem petere a S. C. Consist. (A. A. S., XV, 37). Monitore eccles., vol. 35, p. 79 sq.

resolvendum est utrum « *in folio* », an « *per summaria precum* » sit pertractanda, vel nonnisi post brevem expositionem statim definienda. Propositio causarum « *in folio* » aut « *per summaria precum* » sunt duae principales formae procedendi, quae in hac Congregatione vigent et potissimum ex anno 1847 rigidiore quodam modo distinguebantur [77]. Cui rigori non adeo nunc insistitur, postquam potestas in causas contentiosas S. C. est sublata.

Idem Congressus causam ad plenam Congregationem quacumque forma deferendam apte praeparat et instruit, et praeterea ordinarias res expedit ac solitas gratias pro facultatibus a Summo Pontifice acceptis concedit.

Ad plenam vero Congregationem pertinent: examen dubiorum circa iuris interpretationem, quae facilem et perspicuam non habeant solutionem in constitutis legibus aut in decisis pro aliis casibus; examen petitarum gratiarum, dispensationum et indultorum, quae concedi fere non soleant eo modo aut ea latitudine. Praeterea plena Congregatio habet cognitionem seu revisionem Conciliorum provincialium; qua in re exquiritur ante omnia unius consultoris votum, deinde etiam Collegii consultorum quinque, per vices eligendorum; tum vero acta et suffragia plenae Congregationis examini subiciuntur ut ab ea probentur animadversiones faciendae vel forte correctiones inducendae. Pariter plenae Congregationi refertur quidquid maioris ponderis in Episcoporum coetibus contigerit vel statutum sit. « *Normae peculiares* » cap. VII, art. 4, n. 6.

Scholion. Cum hac Congregatione per Const. « *Sapienti Con-*

[77] Distinguebatur etiam « *oeconomica* » procedendi forma, non confundenda cum procedura « *per summaria precum* ». Illa enim erat species quaedam proponendi causam « *in folio* », quae circiter ex anno 1836 invecta in eo consistebat, ut causae contentiosae, v. g. de vinculo matrimoniali, si partes expensas sollemnis iudicii ferre non possent, praehabita licentia R. Pontificis, definiebantur a S. C. C. cum votis theologi, canonistae et defensoris matrimonii atque cum relatione Secretarii vel Auditoris ex officio facta, sed absque ulla interventione *advocatorum*. Cfr. de iure antiquo *Bangen*, l. c. p. 156 sq.; *Lega*, l. c. n. 161 sq.; Innoc. XII, Ordinat. 17 Sept. 1695, in Anal. iur. pontif., l. c. p. 2396 sq.; Clem. XII, Instr. 8 Sept. 1731; Pii IX, 27 Sept. 1847, apud *Bangen*, l. c. p. 500 sq. et Anal. iur. pont. l. c. p. 2397 sq.; Act. S. Sed., IX, p. 551 sq.; *Lingen* et *Reuss*, l. c. p. XI sq.; *Bouix*, l. c. p. 175 sq.; *Lega*, l. c. n. 93 sq., 163 sq., 282 sq.

silio » unita fuit, qua Congregatio specialis, sed sine specialibus Administris, *Congregatio Lauretana*. Quam Congregationem instituerat Innocentius XII, Const. « Sacrosancta » 10 Aug. 1698. Habebat demandatam curam et administrationem domus Lauretanae atque bonorum ad eam spectantium. De qua Congregatione Codex prorsus silet. Cfr. *Ojetti*, l. c. pag. 152 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 121, 467 [78].

---

[78] Cum tanta esset multitudo causarum, quae ad S. C. C. deferri poterant, mirum non est, quod ad expedienda graviora negotia interdum ex Cardinalibus S. C. C. addictis particulares Congregationes fuerint deputatae; quae omnes per Const. « *Sapienti consilio* » fuerunt suppressae, earumque negotia in ceteras Congregationes conservatas fuerunt distributa. Quaedam ex illis particularibus Congregationibus licet stabiles factae fuissent, tamen ut subsidiariae S. C. C. manserant unitae. Erant autem:

a) *Congregatio* de eiectione religiosorum incorrigibilium ab Innocentio XII deputata decr. 24 Iul. 1694, in ed. *Richt.*, Conc. Trid, p. 435 sq.

b) *Congregatio particularis* super statu *ecclesiarum*. Quae Congregatio, a Benedicto XIV Const. « *Decet* » 23 Nov. 1740 erecta, constabat compluribus *Praelatis*, quibus examen relationum Ordinariorum super statu ecclesiarum erat commissum. Praefectus S. Congregationis Concilii huic Congr. pariter praesidebat, et Secretarius S. C. C. eodem officio in illa fungebatur, eique assistebat Extensor responsionum S. C. ad Episcopos. *Bangen*, l. c. p. 117 sq.; *Benedict. XIV*, De Syn. dioec. l. XIII, cap. 7 sq., 13 sq.

c) *Congregatio particularis* super revisione Synodorum provincialium a Pio IX, a. 1849, erat instituta ex Cardinalibus S. C. C., quacum Praefectum et Secretarium habebat communem, eique complures consultores erant adiuncti. *Bouix*, l. c. p. 172 sq.

d) *Congregatio* particularis super *residentia Episcoporum* ab Urbano VIII, Const. « *Sancta Synodus* » 12 Dec. 1634, ob singulares temporum circumstantias instituta post longam moram a Benedict. XIV, Const. « *Ad universae* » 3 Sept. 1746, ad novam vitam revocata fuerat. Qui R. Pontifex restauratae Congregationi ut Praefectum in perpetuum praeposuit Cardinalem Vicarium in Urbe pro tempore existentem, Secretarium voluit esse eundem atque S. C. C.; *Bangen*, l. c. p. 181; *Lega*, l. c. n. 156 sq.

e) *S. Congregatio iurisdictionis* et *immunitatis ecclesiasticae*, cuius negotia olim ad S. C. Ep. et Reg. spectabant, ab Urbano VIII a. 1626, ut videtur, vivae vocis oraculo tanquam specialis et independens Congregatio fuit instituta. Post sublatam fere ubique terrarum saltem de facto immunitatem ecclesiasticam, Leo XIII provisorie hanc Congregationem cum S. C. C. univit. At propter connexionem immunitatis ecclesiasticae cum articulis concordatorum et praxi iam diu recepta, huiusmodi dubia et controversiae ad Secretariam Status et S. C. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis deferebantur. *Bangen*, l. c. p. 198 sq.; *Bouix*, l. c. p. 240.

494. S. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita (can. 251) [79].

Pius X, Const. « *Sapienti consilio* » consultationibus de negotiis Episcoporum S. Congregationem Consistorialem praefecit, religiosorum vero negotia Congregationi de negotiis religiosorum addixit, quam ex supressa antiqua Congregatione « super negotiis Episcoporum et Regularium » de novo creavit.

I. *Constituitur* Cardinali *Praefecto* aliisque Cardinalibus eo numero qui R. Pontifici videbitur. Praefecto assistunt *Secretarius* et *Subsecretarius* qui cum ipso constituunt congressum. Adsunt praeterea congruenti numero *minores* officiales, qui munera ita inter se partiuntur, ut unus ex adiutoribus curet quae ad religiosos Ordines pertinent, alter quae ad Congregationes et omne genus instituta virorum, tertius quae ad Congregationes et instituta mulierum. Adest praeterea Collegium consultorum, qui a R. Pontifice nominantur [80].

II. *Competentia* huius S. C., si spectentur *personae* in quas exercetur, extenditur ad religiosos sodales utriusque sexus tum sollemnibus tum simplicibus votis adstrictos, et ad eos qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum. Tertiarii vero saeculares ut simplices fideles habentur quoad *obli-*

---

[79] *Ojetti*, l. c. p. 96 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 468 sq.; *Cappello*, l. c. p. 204 sq. Haec Congregatio de religiosis provenit ex antiqua Congregatione super negotiis Episcoporum et Regularium per reformationem Pianam suppressa. Iam a Gregorio XIII († a. 1585) « *Episcoporum Congregatio* » fuit *commemorata;* at certe Sixtus V cit. Const. « *Immensa* » eandem Congr. sub titulo S. C. « *pro consultationibus Episcoporum et aliorum Praelatorum* » denuo ordinavit. Congregatio vero « *super consultationibus Regularium* », a Sixto V iam 27 Mai 1586 instituta et 13 Iunii eiusdem anni novis facultatibus aucta et in cit. Const. « *Immensa* » iterum confirmata et accuratius definita, certe iam a. 1601 cum S. C. Episc. in unam Congregationem coaluerat. Quae Congregatio Episc. et Reg. optimo iure dici potuit Congregatio quodammodo universalis Cardinalium, quae exceptis causis directe *fidei* quaestiones aut interpretationem Concilii Tridentini concernentibus, praesertim propter publicam disciplinam ecclesiasticam, universa officia Episcoporum et Praelatorum exemptorum et negotia regularium cum Episcopis vel inter se inspiciebat et ordinabat. *Bangen*, l. c. p. 182 sq.

[80] Ex his consultoribus nunc aliqui deliguntur ad negotium approbationis Institutorum votorum simplicium. Cfr. Decr. S. C. de relig. 12 Mart. 1914.

gationes iuris communis; unde non levis difficultas circa competentiam in dictos tertios Ordines huic S. C. tributam. At *piae sodalitates* et *confraternitates,* etiamsi erectae sint a religiosis atque ab eisdem dependeant, ad S. C. Concilii pertinent [81]. *Congregationes religiosae Rituum Orientalium* non huic Congregationi sed S. C. pro Ecclesia Orient. subduntur. Pariter *Societates missionariorum* ad loca missionum *exclusive* destinatae etiam quoad domos extra missiones existentes subiciuntur S. C. de Prop. Fid.

Quoad *materiam* est competens in omnibus quae ad *vitam religiosam* in toto suo ambitu pertinent, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita eorum ratione cum aliis. Unde sibi moderanda assumit, quae sive inter Episcopos et religiosos utriusque sexus intercedunt, sive inter ipsos religiosos. Est autem tribunal competens in omnibus causis, quae ratione disciplinae, seu ut dici solet *in linea disciplinari* tractantur, religioso sodali sive convento sive actore, salva tamen competentia S. Officii v. gr. quoad crimen sollicitationis.

Causae vero, quae exigunt tractationem iudiciariam, ad tribunal competens remittere debet; immo vel ipsas causas in linea disciplinari dirimendas potest ad aliam Congregationem aut tribunal remittere, si quaestio vertatur inter religiosum sodalem et personam non religiosam [82].

---

[81] S. C. Consist. 9 Dec. 1909 in Act. Ap. Sed., I, p. 814. Commiss. Cardinal. 24 Mart. 1919 declaravit pertinere ad S. C. de relig.: *a)* omnes quaestiones seu instantias, quae attingunt aliquod ius aut commodum (interesse) alicuius familiae religiosae, aut sodalium religiosorum; *b)* concedere sanationes, condonationes et reductiones relate ad cappellanias et alia legata pia, quae licet concredita non sint Ordini aut familiae religiosae, qua tali, erecta tamen aut translata reperiuntur in ecclesiis religiosorum; *c)* dispensationes ad ordines sacros a religiosis recipiendos sive ex defectu aetatis sive ab irregularitate, sive quoad alias conditiones quae ad conferendos ordines requiruntur, sive quod ad studia pertinet quae sacris ordinationibus sunt praemittenda; *d)* dispensationes concedendae religiosis, qui propter morbum vel alia de causa a Missae celebratione physice vel moraliter impediuntur, veluti si pedibus consistere non valeant (A. A. S., XI, p. 251).

Ad hanc quoque Congr. pertinet dispensatio danda sodalibus religiosis a ieiunio eucharistico sacrae communioni praemittendo (Coetus Cardinal. 7 Dec. 1922 in A. A. S., XV, p. 39 sq.).

[82] Cfr. *Ojetti,* l. c. p. 102 sq. Ubi tamen videtur notandum, confor-

Huic quoque Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis, a qua generali facultate non excipitur dispensatio in ieiunio eucharistico (Comm. Card. 7 Dec. 1922, in A. A. S., XV, 37).

III. In *modo procedendi* convenit cum aliis Congregationibus etiam quoad generale criterium de negotiis gravioribus ad plenam Congregationem deferendis, inter quae speciatim refertur decretum quo laudatur probaturque institutum aliquod, et decretum approbationis constitutionum, itemque substantialis mutatio quaevis in iam probatis institutis inducenda. « *Normae peculiares* » cap. VII, art. 5, n. 10. Sed per decr. « *Peculiari* » 24 Martii 1914 omnia quae ad novi cuiuslibet Instituti votorum simplicium, eiusdemque constitutionum examen et approbationem attinent, deferuntur speciali consultorum commissioni, praeside Cardinali S. C. Praefecto, nisi speciali ex causa, vel exortis inter commissionis consultores gravibus opinionum discrepantiis, Cardinalis Praefectus opportunius iudicaverit ad E.morum Patrum coetum rem deferre. Quae commissio ea in re procedere debet secundum normas illi decreto adnexas. At decreti « *Peculiari* » littera nunc non amplius attenditur et quoad substantiam observantur cit. *Normae peculiares* [83].

495. De S. Congreg. de Prop. Fide(can. 252) [84]. I. Commissio trium Cardinalium a Gregorio XIII eo fine constituta, ut catholicos ritus graeci in fide conservaret et schismaticos ad Ecclesiam reduceret, est primum vestigium S. C. de Prop. Fide. Quae commissio a Clemente VIII compluribus Cardinalibus aucta in per-

---

miter ad ea quae supra disputata sunt de illa divisione inter causas iudiciario et administrativo modo tractandas, prudenti arbitrio Congregationis circa remissionem ad S. Rotam locum dari, saltem donec ius melius in particulari determinetur.

[83] Cfr. in Act. Ap. Sed. VI, p. 189 sq. decr. « *Peculiari* » 24 Mart. 1914, de speciali commissione consultorum ad examen et approbationem constitutionum.

[84] Cfr. Collect. S. C. de P. F. a. 1893, n. 1 sq.; *De Luca,* l. c. disc. 23; *Bangen,* l. c. p. 255 sq.; *Bouix,* l. c. p. 230 sq.; Anal iur. pont. l. c. col. 2268 sq; *Lega,* l. c. n. 113 sq.; *Putzer,* Comment. in facult. apost.; *Pieper,* Gruendung u. erste Einrichtung d. Propag.; *Phillips,* l. c. t. VI, p. 662 sq.; *Ojetti,* l. c. p. 107 sq.; *Ferreres,* l. c. n. 423 sq.; *Cappello,* l. c. p. 230 sq.; *Hinschius,* l. c. t. I, p. 474 sq.; *Mejer,* Die Propag. Qui auctor eruditione non caret; at pro suis praeiudiciis protestanticis res huius Congregationis nec aequo animo diiudicat nec recte refert.

fectiorem formam redacta est. Demum Gregorius XV Const. « *Inscrutabili* » 22 Iun. 1622 S. C. de Prop. Fide formaliter erexit, ut illa ex mandato Sedis Apostolicae omnia et singula negotia ad fidem in universo mundo propagandam pertinentia cognosceret et tractaret, salva obligatione graviora negotia ad R. Pontificem referendi.

II. S. Congr. de Prop. Fide nunc *praeest* Cardinalis, qui officio *Praefecti* fungitur; accedunt complures alii Cardinales a R. Pontifice nominati. Tanquam officiales *maiores* huius S. C. *Praefecto* adiunguntur *Secretarius* et *Subsecretarius*. Praeterea S. C. de Prop. F. multi adiuncti sunt consultores et officiales inferiores etiam pro administratione rerum temporalium; quae administratio rerum temporalium antea exercebatur per specialem praefecturam oeconomiae, cui praeerat proprius Card. Praefectus a Praefecto S. Congr. distinctus, qua praefectura sublata, negotium remissum est ad communem Congregationem [85].

III. S. C. de Prop. Fide competens est:

a) Ratione *territorii* in omnibus regionibus, in quibus negotia ecclesiastica *more missionum*, non ut in *provinciis* Sedis Apostolicae per *ordinariam hierarchiam* expediuntur, vel hierarchia iam constituta adhuc inchoatum aliquid prae se ferunt. Praeterea de novo huic S. C. adiudicati sunt omnes Vicariatus Apostolici et Praefecturae seu Missiones quaelibet, quae Congr. a negotiis eccl. extraord. antea suberant [86].

---

[85] Ex decreto S. C. de Prop. F. 7 Febr. 1626, habebatur etiam Protonotarius Apost. ad colligenda acta martyrum in regionibus missionum; cfr. *Bangen*, l. c. p. 264.

[86] *Bangen*, l. c. p. 263 sq.; *Bouix*, l. c. p. 231 sq. Cum in pluribus regionibus hactenus S. C. de P. F. subiectis iam visus esset cessasse status ille inchoatus, ab huius Congr. iurisdictione exemptae et ad ius commune deductae sunt: 1. In *Europa*, provinciae eccl. *Angliae, Scotiae, Hiberniae* et *Hollandiae* ac dioecesis *Luxemburgensis;* 2. In *America*, provinciae eccl. dominii *Canadensis, Terrae Novae* et *Statuum Unitorum*. Cfr. apud *Ferreres*, l. c. n. 531 sq. accuratam enumerationem omnium locorum nunc S. C. de P. F. subiectorum et apud *Cappello*, l. c. p. 238 sq.

Vicariatus Apostolici, qui tanquam suffraganei pertinebant ad provincias S. C. de P. F. subductas, manent sub huius Congr. iurisdictione, quae, quamprimum fieri possit, illos debet in dioeceses erigere et ad ius commune deducere. S. C. Consist. 12 Nov. 1908.

Cfr. decis. S. C. Consist. 12 Nov. 1908, ad IV, in Act. A. S., I, p. 148 sq. Ex eadem decis. constat S. C. de P. F. non teneri remittere ad S. C. C.

Etiam extra illud territorium eidem subsunt societates ecclesiasticorum ac Seminaria, quae exclusive fundata sunt eo fine, ut in eis instituantur missionarii pro exteris missionibus.

b) Ratione *personarum*, quod attinet ad religiosos sibi vindicat quidquid religiosos qua missionarios, sive uti singulos sive simul sumptos tangit; at qua religiosi subduntur S. C. de Religiosis.

c) Ratione *formae* exercet potestatem *legiferam* et administrativam, *iudicialem et coërcitivam*. Quare resolutiones et decreta generalia S. Congregationis de Prop. Fide rite lata et publicata non tantum habent vim alicuius opinionis probabilis, sed veram obligationem imponunt [87], praesertim quia S. C. de Prop. Fide in negotiis gravioribus, quibus certe decreta generalia sunt adnumeranda, de iure et ex praxi tantum consulto Rom. Pontifice procedit.

d) Ratione *materiae* sive *causarum, iurisdictioni* S. C. de Prop. F. obnoxia sunt omnia negotia ecclesiastica, quae ad supremum et universale regimen missionum referuntur. Quare S. C. de Prop. Fide in regionibus missionum habet *exclusivam* iurisdictionem atque ibidem tenet locum *omnium* aliarum Congregationum. Sed non amplius potest aliis quam *propriis subditis* facultates dispensandi concedere, et ad alias peculiares Congregationes tenetur deferre quaecumque aut fidem attingunt, aut matrimoniales causas aut generales normas respiciunt circa sacrorum Rituum disciplinam tradendas vel interpretandas.

IV. *Modus procedendi* S. C. de Prop. Fide hic solet esse: Praefectus cum Secretario aliisque officialibus in unaquaque fere hebdomada habet conventum sive congressum *ordinarium*, in quo determinatur quaenam negotia proposita, utpote de stylo vel minoris momenti, illico a Praefecto cum Secretario decidi et expediri possint, vel ad comitia generalia S. C. vel ad ipsum Ro-

---

acta Conciliorum, quae celebrentur in territoriis sibi subiectis (ad VII); posse concedere subditis dispensationes ab impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, non autem in Privilegio Paulino (ad VI), et nonnisi propriis subditis posse concedere titulum *Missionarii Apostolici ad honorem* cum solita facultatum *formula*.

De Collegiis, quae S. C. de P. F. subduntur, cfr. *Ferreres*, l. c. n. 539 sq.; *Ojetti*, l. c. p. 78 sq.; *Cappello*, l c. p. 248 sq.

[87] S. C. de Prop. F. 30 Iul. 1652, 15 Maii 1779 in Collect. S. C. de Prop. Fide nn. 10, 11.

manum Pontificem sint referenda. In comitiis *generalibus*, quibus intersunt omnes Cardinales et Secretarius, causae graviores proponuntur *in folio*, atque unus ex Cardinalibus est *Ponens*; causae vero aliae post auditam Secretarii relationem a Cardinalibus deciduntur.

496. De S. Rituum Congregatione (can. 253)[88]. Quae Congregatio:

I. *Originem* ducit ex cit. Sixti V Const. « *Immensa* », qui illam instituit, ut universi cultus divini atque causarum beatificationis et canonizationis curam haberet[89*].

II. *Constituitur Praefecto* et compluribus aliis Cardinalibus prudenti arbitrio Romani Pontificis nominatis, *Secretario, Substituto, Promotore fidei, Assessore* seu *Subpromotore fidei* aliisque Praelatis vi officii adiunctis, consultoribus et officialibus quibusdam inferioribus[90].

III. *Competens* est ad videnda et statuenda ea omnia quae

---

[88] Decreta authentica Congreg. Sacr. Rit. a. 1898 sq.; *De Luca*, l. c. disc. 18; *Bangen*, l. c. p. 204 sq.; *Bouix*, l. c. p. 183 sq.; *Anal. iur. pont.* l. c. col. 2262 sq.; *Phillips*, l. c. t. VI, p. 522 sq.; *Benedict. XIV*, Doctrina de servor. Dei beatif. et beator. canoniz.; *Trama*, Manuale theorico- pratic. pro confic. processib... in causis beatific. et canoniz. servor. Dei... ad usum Archiepiscop. Cur. Neapolit., Neap. 1877; *Lauri*, Codex pro postulatoribus causarum beatif. et canoniz., Rom. 1879; *Lega*, l. c. n. 173 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 648 sq.; *Ojetti*, l. c. p. 135 sq.; *Cappello*, l. c. p. 311 sq.

[89*] In hac S. Congregatione exsistunt tres sectiones, in quarum prima causae beatificationis et canonizationis, in altera res sacrae liturgiae, in tertia denique causae historicae pertractantur. Haec ultima sectio, historica nuncupata, fuit instituta a Pio XI *Motu proprio* d. 6 febr. 1930 pro causis historicis Servorum Dei. Eae autem vocantur causae historicae pro quibus non adsunt vel testes coaevi vel saltem certa documenta, quae eorundem testimonia contineant, opportuno tempore collecta. Itaque post processum informativum ordinarium omittetur in processu apostolico, ut tractetur in sectione historica, quidquid spectat ad vitam, virtutes, martyrium vel antiquitatem cultus, si de his rebus desint testimonia coaevorum. Sectioni historicae praeest Relator generalis, cuius est labores historicos dirigere. Votum sectionis historicae erit etiam inquirendum, quoties de textibus librisque liturgicis reformandis vel emendandis vel rursus edendis agatur. A. A. S. XXII, 87.

[90] Qui consultores ex Pii X *Motu proprio* 16 Ian. 1914 in duas classes dispescuntur: « alii ad suffragium ferendum in causis beatificationis et canonizationis, alii pro rebus ad liturgiam et reliquias Sanctorum quoquo modo pertinentibus » nominantur. Act. Ap. Sed., VI, p. 25 sq.

sacros ritus et caeremonias Ecclesiae latinae proxime spectant, non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura aliaque id genus, de quibus, sive servato iudiciario ordine sive in linea, ut aiunt, disciplinari disceptetur.

Eius proinde est invigilare ut sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omnibus quae Ecclesiae latinae cultum respiciunt. Intra ambitum propriae materiae opportunas dispensationes concedit; insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quae ad sacros ritus et caeremonias pertinent, elargitur, et cavet ne in haec abusus irrepant.

Eius quoque est advigilare liturgicis omne genus libris Ecclesiae latinae, eos inspicere et corrigere aut reprobare, salva S. Officii competentia in iis quae fidei capita seu dogmata respiciunt, excutere atque approbare nova officia divina et kalendaria, dubia de ritibus iudicare ac dirimere. « *Norm. pec.* » cap. VII, art. 8, n. 2[91].

Ad ipsam spectat ea omnia exequi, quae ad beatificationem et canonizationem Sanctorum vel ad Sacras Reliquias quoquo modo referuntur. Cfr. *Ferreres*, l. c. n. 659 sq.; *Cappello*, l. c. pag. 316 sq., 323 sq.

Huic Congregationi adiuncti fuerant *coetus liturgicus* (Leo XIII, 1891), *coetus historicus* (Leo XIII, 1892), et *coetus pro sacro concentu* (Pius X, 1904), qui in ipsa Const. « *Sapienti Consilio* » retenti fuerunt, sed Motu proprio Pii X, 16 Ian. 1914, (A. A. S., VI, 25) fuerunt suppressi, competentia delata ad ipsam Congregationem.

IV. *Procedit* aut per *extraordinariam* aut per *ordinariam* Congregationem. Illa solummodo causis beatificationis et canonizationis disceptandis est destinata et denuo subdividitur in *antepraeparatoriam, praeparatoriam* et *generalem*[92]. In altera Con-

---

[91] De Decretis ab hac S. C. promulgatis cfr. Declar. S. R. C. 17 Iul. 1846. Decreta *generalia* huius Congr. (cfr. Act. S. Sed., II, p. 563 sq.) iam ex ipsa *inscriptione* et forma (v. g. Urbi et Orbi, et ab omnibus servari mandavit) et *legitima publicatione* facile distinguuntur a decretis mere *particularibus*. Cfr. de consuetudinibus particularibus decreta S. R. C. in Act. S. Sedis, II, p. 567; *D'Annibale*, l. c. P. I, n. 184; *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. mor. I, p. 272 sq.; Resp. S. R. C. 8 Apr. 1854.

[92] Cfr. *Benedict. XIV*, *Trama*, *Lauri*, *Bangen*, l. c. p. 208, 214.

gregatione, quae ordinaria dicitur, regulariter tantum reliquae quaestiones, v. g. de cultu divino, sacris ritibus, sacris Reliquiis, ad S. R. C. pertinentes definiuntur. Modus procedendi habet proprium in negotiis ad beatificationem seu canonizationem Sanctorum spectantibus (cfr. canones 1999-2141); in negotiis *gratiosis* sive *pacificis*, v. g. declarationis dubiorum, dispensationis, concessionis postulatorum, forma consueta aliarum Congr. servatur.

497. S. C. Caeremonialis (can. 254), quam Sixtus V cit. Constitutione « *Immensa* » instituit, initio videtur sese habuisse ad instar cuiusdam Congregationis subsidiariae S. R. C. pro caeremoniis liturgicis et non liturgicis in Curia Romana servandis[93].

In Const. « *Sapienti Consilio* » haec Congregatio relicta est penitus immutata, et inde transiit eodem modo in Codicem.

Constituitur pluribus Cardinalibus, quorum unus, qui solet esse S. Collegii Decanus, munus habet Praefecti; adest *Secretarius*, qui assumi solet ex Magistris caeremoniarum pontificiarum et *Subsecretarius* cum consultoribus, quo munere funguntur generatim omnes et soli Magistri caeremoniarum pontificiarum, Collegium quoddam constituentes.

Competentia hoc modo definitur: « ad eam pertinet moderatio caeremoniarum in sacello aulaque pontificali servandarum, et sacrarum functionum, quas Patres Cardinales extra pontificale sacellum peragunt; itemque quaestiones cognoscit de praecedentia tum patrum Cardinalium, tum Legatorum quos variae nationes ad Sanctam Sedem mittunt ». Cfr. *Ojetti*, l. c. pag. 145; *Ferreres*, l. c. n. 784 sq.

498. De S. Congreg. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis can. 255)[94]. I. Romani Pontifices haud raro ad negotia graviora definienda particularem deputarunt aliquorum Cardinalium Congregationem, quae super *statu* dicebatur et fixa atque stabilis non permanebat[95]. Pius VI morem suorum praedecessorum secutus circa a. 1793 similiter extraordinariam instituit Congregationem « *super negotiis ecclesiasticis regni Galliarum* » quam

[93] *Bangen*, l. c. p. 283 sq.; *Giobbio*, « Lezioni di diplomazia eccles. », t. I, n. 402 sq., 423 sq., 144 sq.

[94] *Santi*, l. c. l. I, t. 31, n. 129 sq.; *Giobbio*, l. c. t. I, n. 202 sq., 216 sq.; *Lega*, l. c. n. 216 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 117, 794 sq.; *Ojetti*, l. c. p. 146 sq. *Cappello*, l. c. p. 344 sq.

[95] *Bangen*, l. c. p. 90 sq.; 268 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 117.

Pius VII a. 1805 generaliore nomine appellavit « *a negotiis ecclesiasticis extraordinariis* ». Qui cum post exilium (a. 1809) rediret (a. 1814) in Urbem, res ecclesiasticas in multis regnis misere collapsas restaurare conatus est. Quare eodem anno illam Congregationem pro omnibus causis gravissimis, eo tempore praesertim inter Sedem Apostolicam et non paucas civitates pendentibus, denuo restauravit. Quae Congregatio paulatim facta est ordinaria, quoniam in dies difficultates maximi momenti cum guberniis civilibus sunt solvendae.

II. *Constituitur* haec Congregatio compluribus Cardinalibus, et munere Praefecti fungi solet Cardinalis Secretarius Status. Accedunt *Secretarius* aliique officiales; sed secretariam propriam, ut ante, non habet, cuius locum tenet prima sectio Secretariae Status. Collegium quoddam consultorum, qui antea ipsis erant assignati, non amplius in Const. Piana commemoratum fuit, sed data occasione aliqui consultores nominati sunt.

III. *Competentia* huius Congregationis imprimis sese extendit ad expedienda graviora negotia inter *Ecclesiam* et *Civitates*, vel alia quae eius examini subiciuntur a R. Pontifice per Card. Secretarium Status. Quare S. C. pro negot. eccl. extr. maxime intervenire solet, si sollemnes *conventiones* sint ineundae, aut post facta concordata de executione singulorum articulorum oriantur dubia vel difficultates. Speciatim competens est ad constituendas, dividendas, circumscribendas dioeceses et ad nominandos episcopos, quoties his de rebus cum civilibus guberniis agendum sit. In quamplurimis negotiis haec Congregatio habet tantum votum *consultivum*, sed amplis facultatibus non caruit olim ad gratias et dispensationes concedendas[96], quarum petitionem nunc potius debet remittere ad respectivas Congregationes.

IV. *Modus procedendi* in hac Congregatione similis est formae expediendi negotia aliarum Congregationum, quamvis solito *congressu* careat. Cardinales per Secretarium Status convocantur ad sessiones, quae interdum etiam coram SS.mo Domino celebrantur. Secretarius in sessionibus habet partem, non consultores qui forte vota conscripserunt. Omnibus rigidum impositum est secretum iuramento confirmatum gravibusque poenis munitum.

[96] *Bangen*, l. c. p. 270 sq.; *Santi*, l. c. n. 131.

499. De S. Congreg. de Seminariis et Universitatibus studiorum (can. 256)[97]. I. Sixtus V Const. « *Immensa* » propriam instituit Congregationem Cardinalium « *pro universitate studii Romani* », cui praeter ius evocandi magistros ad universitatem Romanam et curam collegiorum quorundam in Urbe, etiam officium commisit consulendi necessitatibus insignium universitatum orbis catholici, velut Parisiens., Bonon., Oxon., Salmant., quas Sedes Apostolica in tutelam receperat. A Leone XII Const. « *Quod divina sapientia* » 24 Augusti 1824, § 2, Congregatio Studiorum erecta est, quae tum *Romae* tum in *pontificia dicione* studiis universitatum et omnium scholarum publicarum et privatarum praeesset. Post usurpationem a. 1870 factam, S. Congr. Studiorum, quae ex cit. Const. Leonis XII extra dicionem pontificiam auctoritate caruit, *denuo* ad privatum scopum Const. Sixti V, nunquam abrogatae, conformata est atque in *universa* Ecclesia supremum regimen universitatum catholicarum obtinuit atque practice exercuit, quamvis novis Litteris Apostolicis formaliter datis et promulgatis haec competentia denuo expresse non fuerit confirmata. Constitutio Piana eandem competentiam in universitates catholicas retinuit, dum Seminaria C. Consist. subdebat. Sed Benedictus XV Motu proprio 4 nov. 1915 (A. A. S., VII, 493) ipsam praefecit tum Seminariis tum Universitatibus, mutato consequenter nomine.

II. *Constat* Congregatio compluribus Cardinalibus, e quibus unus a Romano Pontifice ad officium *Praefecti* deputatur. Proprium habet *Secretarium* et *Substitutum* cum nonnullis officialibus et consultoribus[98].

III. *Competens* est ad interventionem in negotiis erectionis et constitutionis et administrationis universitatum catholicarum; quibus *saltem consulto* R. Pontifice *normas* statuit de professoribus, methodo, gradibus academicis etc., dubia de iuribus et privilegiis resolvit atque causas quoque contentiosas, v. g. inter diversas universitates de gradibus vel privilegiis ortas,

[97] *Ferreres*, l. c. n. 805 sq.; *Ojetti*, l. c. p. 148 sq.; *Cappello*, l. c. p. 347 sq.; *Lega*, l. c. n. 228 sq.

[98] Ad retinendum nexum cum Congr. Consist., huius Congr. Secretarius inter membra C. de Sem. et Univ., Assessor autem inter ipsius consultores de iure adnumerantur.

iusto *iudicio* dirimit per *formam summariam* et *simplicem* etiam in aliis Congregationibus receptam.

Praeterea curat omnia quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinent, exceptis Seminariis missionariorum. Ipsa dat necessariam licentiam ad alienanda bona ad Seminaria pertinentia (Commiss. Cardinal. 7 Dec. 1922; A. A. S., XV, 39 sq.)

500. S. Congregatio pro Ecclesia Orientali (can. 257). I. Praecesserat *S. C. de Prop. Fide pro negotiis rituum orientalium*, quam Pius IX Const. « *Romani Pontifices* » 6 Ian. 1862, instituerat et S. C. de P. F. univerat. Praefectum habens communem, proprio Secretario, consultoribus et officialibus interpretibus erat instructa. Illam cum eadem competentia retinuit Const. « *Sapienti consilio* ». Sed Benedictus XV Motu prop. « *Dei providentis* », 1 maii 1917, (A. A. S., IX, 529) eam extinxit et plane novam esse decrevit *Congregationem pro Ecclesia Orientali*[99].

II. Huic. C. praeest ipse R. Pontifex; munere Secretarii fungitur Cardinalis; adest praelatus cum munere Assessoris cum pluribus officialibus, consultoribus et interpretibus.

III. Eius *competentia* sese extendit ad omnia cuiusvis generis negotia, quae vel personas, vel disciplinam, vel ritus Ecclesiae Orientalis respiciant, quamvis sint negotia *mixta*, quae sc. sive rei sive personarum ratione latinos quoque attingant. Quare pro orientalibus ecclesiis omnibus potitur facultatibus, quas aliae Congregationes obtinent pro ecclesiis ritus latini; omnes Congregationes supplet praeterquam S. Officium[100*].

[99] Congregatio particularis *super corrigendis libris orientalium*, et alia *super correctione librorum graecorum* iam a tempore Pii IX cessarunt. Commissio Pontificia *pro reunione ecclesiarum dissidentium* a Leone XIII instituta, quam Const. « *Sapienti consilio* » adhuc accensebat Congr. de P. F., videtur cessase et totum negotium transiisse ad Generalem Congr. *pro Ecclesia Orientali*.

[100*] Habetur in hac S. Congregatione Commissio specialis pro causis matrimonialibus tractandis; item exstat Sectio specialis pro re liturgica. Cfr. Annuario pontificio, 1943, p. 592. Praeterea Motu proprio d. 25 mart. 1938 fuerunt huic Congregationi plene et exclusive subiectae regiones quae sequuntur: Aegyptus, peninsula Sinaitica, Erythrea, pars septentrionalis Aethiopiae, Albania australis, Bulgaria, Cyprus, Graecia, Dodecanesus, Iran, Iraq, Libanus, Palaestina, Syria, Transior-

Procedere debet via disciplinari et administrativa; quare controversias, quas iudicet ordine iudiciario esse dirimendas, remittit ad tribunal ab ipsa S. C. designatum.

501. Scholion. *De Congregatione Reverendae Fabricae S. Petri* Codex penitus silet; nihilominus in Annuariis Pontif. post Codicem editis adhuc ea commemoratur.

I. Iulius II cum Basilicam Vaticanam denuo aedificare statuisset, elargitione gratiarum spiritualium christifideles ad liberales contributiones excitare studuit. Quod exemplum Leo X secutus, insuper pro more iam alias servato, legata pia incerta aliaque bona temporalia quarundam causarum piarum operi aedificationis Basilicae S. Petri applicavit. Postea Clemens VII constituit collegium 60 virorum, quod curam aedificandae Ba-

dania, Asiatica Turcarum respublica et Thracia eorundem Turcarum dicioni subiecta. In his regionibus gaudet S. C. pro Eccl. Orientali, etiam pro fidelibus ritus latini, omnibus facultatibus quas aliae Congregationes pro fidelibus ritus latini extra illa territoria obtinent, incolumi tamen iure Congregationis S. Officii (c. 247), ac integris manentibus quae hucusque reservata sunt S. Congregationi de D. Sacramentorum, S. Congregationi S. Rituum (c. 253). S. Congregationi de Seminariis et Universitatibus studiorum ac S. Paenitentiariae. Sic erectio et suprema moderatio cuiusvis Universitatis et Facultatis studiorum ecclesiasticorum reservata est ubique S. C. de Seminariis et Univ. stud. (Bulla « Deus scientiarum Dominus », tit. I, art. 4); item fideles ritus orientalis debent recurrere ad S. Paenitentiariam in iis quae indulgentias et forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt. Cfr. Responsum et Notificationem S. C. pro Eccl. Orientali, A. A. S. XXII, 394; XXVII, 379. Demum Pius XI decreverat d. 20 iun. 1925 in sinu S. Congr. pro Eccl. Orientali specialem Commissionem instituere, cuius esset negotia et causas tractare quae ad Russos pertinent, sive ad eos qui in patrio solo degunt, sive ad eos qui extorres procul domo versantur. Dein *Motu proprio* d. 6 apr. 1930 seiunxit praedictam Commissionem a S. Congr. pro Eccl. Orientali eamque omnino sui iuris constituit. Tandem *Motu proprio* d. 21 dec. 1934 decrevit idem Pontifex ut in posterum Commissio pro Russia adhaereret S. Congregationi pro negotiis eccl. extraordinariis atque ea solum negotia et causas tractaret quae ad Russos in patrio solo degentes pertinent. Pari tempore instituebatur apud S. Congr. pro Eccl. Orientali sectio specialis pro iis omnibus, qui ubicumque terrarum degentes ritum slavicum seu slavicum-byzantinum profiteantur, iis e Russiarum gentibus inclusis, qui extorres procul domo versentur. Eidem S. Congregationi demandatum est munus edendi, nulla interposita mora, libros liturgicos ritus slavici-byzantini. Cfr. A. A. S. XVIII, 62; XXII, 153; XXVII, 65.

silicae et administrandae fabricae haberet. Clem. VII, suppresso illo collegio, Congregationem quandam Cardinalium Fabricae S. Petri erexit et Cardinalem Archipresbyterum Basilicae Vaticanae eidem assignavit Praefectum. Nova Congregatio paulatim in *generalem* et *particularem* divisa est. Quam divisionem Benedictus XIV ratam habuit. Fabrica S. Petri, cum decursu temporis suam competentiam extenderet etiam ad causas contentiosas et criminales, a Pio IX a. 1863, sublato tribunali et commissariorum munere, ad simpliciorem formam reducta erat. (Cfr. *De Luca*, disc. 20; *Bangen*, p. 278 sq.; *Lega*, n. 222 sq.; *Ferreres*, n. 192).

II. Compluribus Cardinalibus haec Congregatio *constituitur*, cui denuo ex Pii IX ordinatione Cardinalis Archipresbyter Basilicae Vaticanae ut *Praefectus* praeest. Qui officio oeconomi fungitur, simul partes Secretarii suscipit. Multi alii officiales pro secretaria ecclesiastica, sectione administrativa et pro sectione legali et officio technico adiuncti sunt.

In nova Curiae Romanae ordinatione per Pium X inducta haec S. C. unam sibi curandam accepit rem familiarem Basilicae Principis Apostolorum, servatis ad unguem ea in re normis statutis a Benedicti XIV Const. « *Quanta curarum* » 25 Nov. 1751. Et inde patet eius *competentia*, quae cum sit restricta ad administrationem temporalem unius ecclesiae, nec partem habeat in rebus ad universalem Ecclesiam spectantibus, non amplius permittit illam Congregationem cum aliis connumerari tanquam partem Curiae Romanae [101].

[101] *Competentia* Congreg. Fabricae S. Petri post reformationem Pii IX, quatenus pro Ecclesia universali erat practici momenti, maxime referebatur *ad pia legata* et *onera Missarum*: *a*) S. C. F. S. P. amplis facultatibus instructa erat, ut *imprimis* oratores nimis gravatos ex oneribus piorum legatorum ex iustis causis et soluta summa in favorem Fabricae S. Petri ad *compositionem* admitteret, tum quoad onerum *praeteritorum* omissionem, tum quoad *futuram* onerum expletionem. Item admittebat *redemptionem* piorum legatorum, dummodo, praevia solutione summae facta in manus Ordinarii, satisfactioni pii legati consultum esset; *b*) *Porro* onera *fundationum Missarum* sive ad tempus sive in perpetuum sive quoad tempus, locum aliasque conditiones fundationi adiectas solebat *reducere* certis servatis clausulis. Quoad stipendia quoque *manualia* Missarum ultra duos menses concedebat dilationem celebrationis, si fideles in oblatione eleemosynae diem non determinarunt; quae facultates nunc

Non obstante Piana constitutione, videtur adhuc retinuisse facultatem reducendi onera missarum et priorum legatorum cumulative cum S. C. Conc. Cfr. *Verm.-Cr.* I, 373.

I. De Sacra Paenitentiaria Apostolica (can. 258) [102]

502. I. Quamvis penes Episcopum esset suprema administratio poenitentiae, tamen iam ab antiquis temporibus in Ecclesia Orientali et postea etiam in Occidentali presbyter quidam deputatus est, qui praeesset poenitentiae et curam quoque haberet illorum, qui in publica poenitentia erant constituti [103].

Praesertim vero inde a primis saeculis Romam magna peregrinorum multitudo convenit. Qui numerus auctus est a saeculo 12, quo Romani Pontifices casus et censuras sibi reservare coeperunt atque ex saec. 11 et 12 frequentius etiam dispensationes concedere solebant [104]. Quare saltem iam saeculo decimo tertio ineunte proprii paenitentiarii in alma Urbe reperiuntur constituti, v. g. S. Raymundus de Peñafort. Cfr. Greg. IX Const. « *Rex Pacificus* » ante Decret. Greg. IX. Causae paenitentiariis commissae tanti fuerunt momenti, ut eodem saeculo Cardinales assumerentur, qui paenitentiariis praeessent et curam gererent « *Apostolicae Paenitentiariae* » [105]. Qui praefectus Paenitentiariae ineunte saeculo decimo quarto (cfr. cap. 2 de elect. I, 3, in Clem.) vocatur *Paenitentiarius Maior*, cuius iurisdictio vel ipso tempore vacantis Sedis Apostolicae non cessavit.

---

exclusive pertinent ad S. C. C. *Santi*, l. c. 120 sq.; *Bangen*, l. c. p. 280 sq., qui falso huic Congregationi omnem competentiam pro Ecclesia *universali* denegabat, et ad meram Congregationem particularem reducebat. *Lega*, l. c. n. 227; *Ferreres*, l. c. n. 192; *Ojetti*, l. c. p. 153 sq.

[102] Benedict. XII, Const. « *In agro* » 8 Apr. 1338; *De Luca*, l. c. disc. 12; *Card. Petra*, Tract. de Paenitentiaria apostolica; *Bouix*, l. c. p. 240 sq.; *Bangen*, l. c. p. 418 sq.; *Phillips*, l. c. t. VI, §§ 314 sq.; *Lega*, l. c. n. 263 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 817 sq.; *Goeller*, Die paepstliche Paenitentiaria.

[103] *Socrates*, Histor. eccl. l. c. V, cp. 19, iunct. *Sozomen.*, Histor. eccl. l. VII, cp. 16; *Kraus*, Real-Encykl. v. Busse IV; *Phillips*, l. c. t. VI, p. 88, 120, 508 sq.; *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 7, n. 13 sq., cp. 10. Cfr. quoque cap. 15, X. de off. iud. ord. I, 31.

[104] *Phillips*, l. c. p. 508 sq.; c. 15, C. XVII, q. 4; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 360 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 818.

[105] *Eubel*, in Arch. f. k. K. t. 64, p. 3 sq.; *Saegmueller*, D. Cardināle p. 105 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 827 sq.

Benedictus XII Const. « *In agro* » universam Paenitentiariam denuo ordinavit. Paenitentiaria Apostolica cum paulatim in ipso foro externo latius suam iurisdictionem extenderet, ita vehementer fuit impugnata, ut a Sixto IV propria Const. « *Quoniam nonnulli* » 9 Maii 1484 eius ordinaria auctoritas etiam pro foro externo cum iure alios delegandi sollemniter esset confirmanda.

At vix negari potest non levia oriri incommoda, si Paenitentiaria Apostolica a propria sua provincia *fori interni nimium* distrahatur ad curanda negotia fori externi. Quare praeeunte Pio IV Const. « *In sublimi* » 4 Maii 1562, tandem Pius V Const. « *In omnibus* » et « *Ut bonus* » 18 Maii 1569 Paenitentiariam Apostolicam penitus reformatam ad solam curam fori interni revocavit. Quae limitatio iurisdictionis Paenitentiariae ad forum conscientiae, quamvis in se fuerit iustissima, tamen ad incommoda quaedam vitanda iam a Pio V et deinde ab aliis Rom. Pontificibus, v. g. ab Urbano VIII et Innocentio XII, aliquantulum emollita est. Quo iure, aequitate canonica temperato et a Benedicto XIV Const. « *Pastor bonus* » et « *In apostolicae* » 13 April. 1744 reformato, quoad substantiam [106] utebamur, donec a Pio X in nova Curiae Romanae ordinatione Paenitentiaria iterum ad solam fori interni competentiam revocata est.

II. Paenitentiariae Apostolicae Tribunal *constituebant Paenitentiarius Maior, Regens, Theologus, Datarius, Canonista, Corrector, Sigillator* cum Prosigillatore, tres Procuratores sive Secretarii (postea duo Secretarii cum duobus Substitutis), tres scriptores (postea quatuor). Sed in « *Norm. peculiar.* » cap. VIII, art. 1, n. 1, praeter Card. Paenitentiarium solum commemorantur: *Regens, Praelati* quinque *Signaturae, Procurator* seu a secretis, Substitutus et aliquot inferiores officiale. Praelati *Signaturae*, licet antiquas appellationes retineant, ad iura obligationesque quod attinet, uno excepto Regente, omnino inter se aequiparantur. Praeterea ad Paenitentiariam Apostolicam aliqua ratione pertinent paenitentiarii minores, qui in quatuor Basilicis maioribus, sc. in Vaticana PP. Conventuales, in Lateranensi PP. Fran-

---

[106] *Phillips*, l. c. p. 515 sq.; *Bangen*, l. c. p. 419 sq.; *Hinschius*, l. c. t. I, p. 428 sq.

ciscani, in S. Maria maior PP. Praedicatores et in Ostiensi monachi Ord. S. Benedicti cum facultatibus a Paenitentiario Maiore acceptis ad confessiones audiendas deputantur [107].

Paenitentiarius Maior a R. Pontifice nominatur per Litteras Apostolicas in forma Brevis. Cfr. Benedict. XIV cit. Const. « *In apostolicae* » §§ 4 sq., ubi forma electionis et qualitates officialium Paenitentiariae Apostolicae eorumque munera accuratius determinantur [108].

III. *Iurisdictio* Paenitentiariae Apostolicae est ordinarie penes *solum* Paenitentiarium Maiorem, ad quem alii officiales accedunt, ut negotia delata ad tribunal Paenitentiariae communi opera et consiliis praeparent et post decisionem datam expediant. Quare Paenitentiarius Maior *concedit* gratias expetitas, nisi forte ipse pro sua facultate in casibus extraordinariis, immo exceptis et reservatis, *Romanum Pontificem* consulat et per vivae vocis oraculum obtineat gratiae concessionem, vel *Regens* cum suis officialibus ea, quae sunt secundum communem officii cursum, definiat et expediat absque interventione Paenitentiarii Maioris [109].

Quae *competentia* Paenitentiarii Maioris generatim et *ordinarie* sese extendit ad declaranda *dubia* in materia peccatorum seu forum paenitentiale concernentia, item ad gratiarum concessiones *pro solo foro interno* (excepta materia de indulgentiis), praesertim ad absolutiones a culpis, censuris aliisque poenis ecclesiasticis, dispensationes super impedimentis matrim., irreg.

---

[107] *Ferreres,* l. c. n. 824 sq., 890 sq. Cfr. Const. Ap. Pii XI « *Quod divina* » d. 3 maii 1933; AAS. XXV, 229.

[108] *Bangen,* l. c. p. 421 sq.; *Bouix,* l. c. p. 242 sq.; *Ferreres,* l. c. n. 833.

[109]* Cardinalis Paenitentiarius Maior suum munus per seipsum exercere debebit; si vero aliquo impedimento detineatur vel per aliquod temporis spatium Roma afuerit, ita ut ipse commode adiri nequeat, debebit de consensu S. Pontificis alium Cardinalem deputare, qui tanquam Pro-Paenitentiarius ipsius vices gerat. Sede autem Apostolica vacante, Cardinalis Paenitentiarius Maior omnia facere et expedire valet, quae ad forum conscientiae quomodolibet spectant, iis non exceptis quae alias, vivente S. Pontifice, ab ordinaria eius potestate subtrahuntur, sed solum pro casibus gravis urgentisque necessitatis; quodsi hac facultate extraordinaria uti debere censuerit, futurum Pontificem de hac re in prima Audientia certiorem facere debebit. Quo tempore degit in Conclavi Cardinalis Paenitentiarius Maior liberum atque expeditum habebit litterarum commercium cum Officio S. Paenitentiariae, quae litterae

etc., commutationes votorum etc., revalidationes, condonationes fructuum male perceptorum in *foro interno*.

Altera sectio *de indulgentiis* iudicat et decernit ea omnia, quae pertinent ad usum et concessionem indulgentiarum, salvo iure S. Officii quoad quaestiones vel novas orationes vel devotiones dogmaticam doctrinam attingentes.

Qui a R. Pontifice indulgentias pro cunctis fidelibus obtinuit, tenetur, sub poena nullitatis gratiae impetratae, authenticum exemplar concessionis ad S. Paenitentiariam deferre (can. 920).

IV. *Forma procedendi* [110] in S. Paenitentiaria Apostolica primo loco requirit, ut rite et in forma legitima ad illam *recurratur*. Porro in ipsa Paenitentiaria supplicationes vel dubitationes apud *Regentem praesentatae,* aut per solum Regentem post consultationem cum officialibus maioribus, aut ab ipso Paenitentiario Maiore, aut facto verbo cum SS.mo *resolvuntur*.

Causae tractantur aliae in Congressu cotidiano, aliae in Signatura Praelatorum seu Officialium Maiorum, aliae denique ad Summum Pontificem afferuntur. Regens singulis diebus duplicem Congressum habebit: alterum pro rebus fori interni, alterum pro indulgentiarum petitionibus. Cardinalis Paenitentiarius Maior coetum Officialium Maiorum convocat, quoties id opportunum ducit ad tractanda negotia graviora; ipse vero bis in mense Audientiam Summi Pontificis habebit. Postquam variis negotiis provisum est sive in Congressu cotidiano, sive in Signatura, sive denique in Audientia, rescripta ad ea pertinentia conficienda sunt, quod munus Substitutis est commissum. Quibus peractis restat ut rescripta gratiae, quae a S. Paenitentiaria in forma commissoria dari solent, iuxta tenorem verborum rite executioni mandentur [111].

V. Ad S. Paenitentiariam recurrere potest quislibet fidelis pro obtinendo responso de rebus sui fori interni, litteris directis ad Card. Paenitentiarium. Plerumque reticetur nomen recurrentis vel adhibetur nomen fictum; indicari autem debet domicilium quo responsum mittendum sit. Responsum plerumque inscribi

---

sigillo Officii munitae, nulli examini et inspectioni erunt obnoxiae, non obstante ordinatione in n. 50 Const. « Vacante Sede Apostolica » contenta, cui expresse pro hoc determinato casu derogatur. Cfr. Const. Ap. Pii XI « *Quae divinitus* » d. 25 mart. 1935; A. A. S. XXVII, 97.

[110] *Bangen,* l. c. p. 425; *Ferreres,* l. c. n. 834 sq., 862 sq., 875 sq.

[111] Cfr. Act. S. S. I, p. 126 sq., 382 sq., 445 sq., II, p. 52 sq., 62 sq., 190 sq., 257 sq., 381, 433 sq., VII, p. 208 sq.

solet « Discreto viro confessario ex approbatis ab Ordinario », cui proinde orator debet praesentare rescriptum pro executione.

II. Rota Romana et Signatura Apostolica

503. Praeter S. Paenitentiariam, quae potius est tribunal gratiae, datur in Curia Romana duplex tribunal, ad quod deferendae sunt omnes causae iudiciales fori externi apud Sedem Apostolicam in forma stricte iudiciali decidendae, exceptis iis, quae pertinent ad competentiam S. Officii, et causis beatificationis et canonizationis in quibus competens est S. C. R. Sunt autem haec tribunalia *S. Romana Rota* et *Signatura Apostolica*, quae iudicant intra normas et limites propositos in libr. IV, ad cuius expositionem remittenda est tractatio.

Art. 3. — De Officiis Curiae Romanae

I. De Cancellaria Apostolica [112] (can. 260)

504. I. Primis saeculis Romani Pontifices certe *absque* apparatu magno Cancellariae non paucas scripserunt epistolas, quas in archivo diligenter conservarunt. Quod archivum (scrinium, chartarium, chartularium, bibliotheca) [113] iam saeculo quarto commemoratur et cum primordiis Cancellariae Apostolicae intime est connexum [114]. Officiales archivi fuerunt Scriniarii et *Chartularii* eisque accesserunt *Notarii;* principem vero locum occupavit *Protoscriniarius*, qui postea etiam *Bibliothecarius* videtur fuisse appellatus. Munus Protoscriniarii sive Bibliothecarii paulatim tantae fuit dignitatis ut ipsis Episcopis concederetur, atque ex saeculo undecimo, quo prima vice *nomen* Cancellarii

---

[112] *Riganti*, Comment. in Reg. Cancell. Apost.; *Ciampini*, D. S. R. E. Vicecanc ... deque official. Canc. Apost.; *De Luca*, l. c. disc. 10; *Bangen*, l. c. p. 439, 442 sq; *Phillips*, l. c. t. VI, §§ 300 sq.; *Lega*, l. c. n. 225 sq.; *Saegmueller*, Lehrb. p. 329, not. 2; *Wahrmund*, D. consuetudines Curiae Rom. in Arch. f. k. K. t. 79, p. 3 sq. De iure novo cfr. *Ferreres*, l. c. n. 1035 sq., 1098 sq.; *Ojetti*, l. c. p. 197 sq.; *Cappello*, l. c. p. 483 sq.

[113] *Rossi*, « La biblioteca della sede apost. » (a. 1884); *Ehrle*, Histor. biblioth. Rom. Pontif. (a. 1890) t. I; *Grisar*, in Kirchenlex. v. Bibliothecar. S. R. Eccl.

[114] *Phillips*, l. c. p. 362 sq.; *Saegmueller*, l. c. p. 28, 102.

occurrit, etiam Cardinales officio Cancellarii funguntur. Qui Cancellarius ex saeculo decimo tertio ordinarie vocabatur *Vicecancellarius*, eiusque officium inde a saeculo decimo quarto, tanquam munus cardinalitium, constanter solis Cardinalibus una cum titulo S. Laurentii in Damaso concessum est.

II. Cancellariae Apostolicae nunc [115] praeest unus ex S. R. E. Cardinalibus cum nomine *Cancellarii*, qui in sacris Consistoriis ex officio notarii munere fungitur. Praeterea adsunt *Regens* et *Substitutus* Regentis aliique officiales inferiores.

Suppressis *Abbreviatoribus maioris* vel *minoris residentiae* seu *de parco maiori* vel *minori*, ad subscribendas Bullas aliaque illorum munera, adhuc retenta, substituitur *Collegium Protonotariorum Apostolicorum*.

III. Hoc unum *officio* Cancellariae relictum est, sc. expedire Apostolicas litteras *sub plumbo* circa beneficiorum consistorialium provisionem, circa novarum dioecesium et capitulorum institutionem et pro aliis maioribus Ecclesiae negotiis conficiendis [116].

---

[115] Personae quamplurimae usque ad reformationem Pii VII Cancellariae Apostolicae fuerunt adscriptae. Causa istius multitudinis fuit, praeter copiam negotiorum, usus officiorum venalium etiam in Cancellaria Apostolica receptus. Quare multis personis participatio ex reditibus huius tribunalis fuit concedenda. Qua venalitate per Pium VII sublata, numerus officialium ad modestiores terminos fuit reductus. Cfr. *Bangen*, l. c. p. 445 sq. et *Phillips*, l. c. p. 390 sq. de antiqua praxi. Ante Const. « *Sapienti consilio* » Cancellariae *praeerat* Vicecancellarius S. R. E., qui a R. Pontifice in *Consistorio* ex numero Cardinalium assumebatur. Qui Vicecancellarius simul erat *Summista*. Regens proximum post Vicecancellarium occupabat locum, vices illius supplebat atque in ordinariis negotiis eidem, qua Vicecancellario, assistebat. Quodsi Vicecancellarius fungebatur officio *Summistae*, a *Subsummista* et *Substituto* Summistae adiuvabatur. Quibus officialibus accedebant *Depositarius generalis plumbi*, *Depositarius generalis vocabilium*, *Plumbator*, *Notarius et Secretarius*. Denique in Cancellaria Apostolica reperiebatur collegium Praelatorum abbreviatorum de parco maiori cum Decano et Secretario, e quibus alii erant Praelati de numero, alii Praelati supranumerarii. Laici quidam recensebantur partim ut Substituti praedictorum Praelatorum, partim ut Substituti supranumerarii.

[116] *Competentia* antiquae Cancellariae imprimis referebatur ad expeditionem omnium illorum actuum R. Pontificis, qui ex iure scripto vel praxi probata Curiae Romanae *in forma Bullae* erant publicandi, i. e. actus *consistoriales*, v. g. creationis Cardinalium, promotionis Episcoporum, sollemnia *decreta*, quibus Cardinales apponunt consensum et

Bullae expediuntur de mandato S. Congr. Consist. circa negotia ad eius iurisdictionem spectantia, aut de mandato R. Pontificis circa alia negotia.

Unus est expediendarum Bullarum modus, sc. *per viam Cancellariae*, sublatis aliis modis antea usitatis *per viam secretam de Camera* et *de Curia* [117].

II. De Dataria [118] Apostolica (can. 261)

505. I. Dataria, quae *nomen* sortitur a *datando* (datum apud S. Petr.), non a dando (favore), generatim erat illud tribunal gratiae in Curia Romana, quod *ordinarias* concessiones gratiarum, Secretariae Brevium vel aliis dicasteriis non reservatas, in foro *externo praeparabat* gratiasque a Romano Pontifice concessas in

---

subscriptionem, actus *Datariae* ab illa regula non excepti. Inde autem minime consequitur Cancellariam Apostolicam solummodo quoad *formam* fuisse competentem; sua enim vera iurisdictione in res ipsas et personas non caruit (Cfr. *Bangen*, l. c. p. 437, 442). Nam per clausulas iuxta Regulas Cancellariae Apostolicae appositas concessionem pontificiam restringebat vel ampliabat. Pro controversiis de *executione*, expeditione vel publicatione Bullarum pontificiarum in Cancellaria Apostolica constitutum fuerat *Auditorium contradictarum*, quod tanquam verum tribunal istas controversias definiebat; at Substitutus contradictarum, ultimum vestigium huius tribunalis, iam diu non amplius existebat.

[117] *Forma procedendi* in antiqua Cancellaria Apostolica ordinata erat per *Regulas* eiusdem Cancellariae. Quae *Regulae* si accurate servabantur, neque quidquam immutabatur in *forma* ordinaria et *clausulis solitis*, et per ordinarios officiales, i. e. Vicecancellarium, Regentem etc. actus expediebatur, publicatio dicebatur facta *per viam ordinariam*. Quodsi Vicecancellarius, ut Vicecancellarius, cum ordinariis officialibus in negotio expediendo non interveniebat, sed ipse fungebatur officio Summistae, cui tantum Subsummista et Substitutus summistatus operam praestabant, dicebatur procedi *per viam extraordinariam*. Quae via extraordinaria vocabatur etiam *via secreta*, si v. g. ob dignitatem personae ordinaria forma non servabatur, vel super clausulis quibusdam substantialibus ordinariarum Regularum Cancellariae Apostolicae dispensabatur, aut appellabatur *via Camerae*, si in materia *beneficiaria*, ubi ordinariae Regulae obstant, v. g. in concessione coadiutoris cum futura successione per Cameram Apostolicam, fiebat expeditio definitiva in Cancellaria Apostolica per Summistas *preparata*. *Bangen*, l. c. p. 440 sq., 449 sq.

[118] Urban. VIII Const. « *In supremo* » 1 Iun. 1631; Clem. X Const. « *Admonet* » 11 Ian. 1671; Benedict. XIV Const. « *Gravissimum* » 26 Nov. 1745; Leon. XIII Motus propr. 4 Iul. 1898, in Arch. f. k. K. t. 79, p. 103 sq.,

formam convenientem cum data redigebat et registris inserebat et per vias legitimas expediebat.

Cum inde a Martino V (a. 1417-1431) primi occurrant Datarii, et aliunde Dataria iam supponat expeditionem negotiorum in Curia per distincta dicasteria, frequentes dispensationes et reservationes beneficiorum ex saec. 13 introductas, Dataria plene constituta vix ante saeculum decimum quartum orta est [119].

II. Datariae praeest *Datarius* [120]. Adiuvatur a Subdatario, Praefecto et aliquot officialibus inferioribus ac nonnullis consultoribus.

III. **Hodierna Dataria** [121] solum cognoscit de idoneitate eorum qui optant ad beneficia non consistorialia Apost. Sedi reservata;

---

quo officia vacabilia in Dataria suppressit, iunct. ordinationi Pii VII, 1 Oct. 1814; *Amydenus*, De officio et iurisd. Datarii necnon de stylo Datar. (a. 1701) (*nunc* ex Indice libror. prohib. *expunct.*); *De Luca*, l. c. disc. 9; *Bangen*, p. 398 sq.; *Lega*, l. c. n. 253 sq.; Arch. f. k. K. t. 20, p. 251 sq.; De iure novo cfr. *Ferreres*, l. c. n. 1181 sq.; *Ojetti*, l. c. p. 210 sq.; *Cappello*, l. c. p. 466 sq.

[119] *Phillips*, l. c. p. 385 sq.; *Bangen*, l. c.; *Riganti*, l. c. Comm. in prooem. Reg. Canc. Apost. n. 140.

[120] Cum antea haberet officium de se praelatitium, tamen iam inde ex saec. decimo quinto solebat esse *Cardinalis* et idcirco appellabatur *Prodatarius*; *Phillips*, l. c. p. 386 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 1174. *Officiales maiores* antiquae Datariae erant: Subdatarius, Officialis per obitum et Officialis per concessum. *Officiales minores*: Praefectus componendarum, Praefectus datarum, Revisor matrimonialium, Revisor primus et secundus supplicationum beneficialium, Officialis de missis, Officialis Brevium, Scriptor Bullarum in via secreta, Custos, Collator et Notarii.

[121] *Competentia* antiquae Datariae exinde cognoscebatur, quod esset axioma receptum: « *Papa, non Datarius, concedit gratias* ». Datarius tamen non omni iurisdictione *carebat*. Etenim non solum ad ipsum spectabat officium authentice (Urbani VIII Const. « *In supremo* » § 2; *Bangen*, l. c. p. 403), attestandi et in formam convenientem redigendi gratiam a Papa concessam, sed etiam in ipsius gratiae concessionem iam factam per annullationem vel appositionem clausularum influebat. Porro quamvis Dataria non posset exercere potestatem quandam *legislativam* vel *interpretationem* authenticam suarum *clausularum* dare (Arch. f. k. K. t. 20, p. 551), tamen a iurisdictione quadam *iudiciali* in causis contentiosis ad suum dicasterium spectantibus non erat exclusa. Denique Datarius gaudebat etiam propria iurisdictione *voluntaria* ad concedendas *gratias minores*, quae de stylo « *per concessum* » omnibus concedi solent ac nemini denegantur.

Quoad *materiam* Dataria generatim competens *non* erat in omnibus

conficit et expedit Apostolicas litteras pro eorum collatione; eximit in conferendo beneficio a conditionibus requisitis; curat pensiones et onera, quae R. Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit.

III. De Reverenda Camera [122] Apostolica (can. 262)

506. *Camera Apostolica* non solum fuit supremus magistratus in Curia Romana ad administranda et vindicanda iura temporalia Sedis Apostolicae et dicionis pontificiae (camera thesauraria), sed etiam verum tribunal in causis fisci et aliis quibusdam civilibus et criminalibus.

I. Profecto iam ex antiquissimo tempore cura habenda fuit thesauri et iurium temporalium Sedis Apostolicae; proprius autem *Camerarius* nonnisi undecimo vel duodecimo saeculo commemoratur [123]. Qui magistratus paulatim in officia antiqui Vestiarii et Vicedomini videtur successisse, et tum in administranda re pecuniaria tum in exercitio iurisdictionis civilis et criminalis magnam consecutus est auctoritatem [124]. Cum praeterea tempore

---

gratiis, quarum concessio a Benedict. XIV, Const. « *Gravissimum* », *privative* Secretariae Brevium erat reservata; in aliis vero gratiis indulgendis saepe *cumulativam* habebat iurisdictionem l. c. § 6; denique Benedict. XIV, in cit. Const. « *Gravissimum* » § 7, generaliter concessiones gratiarum Secretariae Brevium non reservatas et in praecedentibus paragraphis cit. Const. non expressas ipsi Datariae Apostolicae reliquit et signanter illas, in quarum expeditione compositio aut taxa esset solvenda. *Speciatim* Dataria erat *competens* quoad dispensationes super irregularitatibus, super actionibus vel omissionibus ex iure canonico prohibitis, super impedimentis dirimentibus matrimonii etc., praesertim vero ad collationem beneficiorum ecclesiasticorum Sedi Apostolicae reservatorum, exceptis beneficiis et officiis consistorialibus vel a S. C. de Prop. F. concedendis. *Bangen*, l. c. p. 410.

[122] Eugen. IV Const. « *In eminenti* » 8 Iul. 1444; Pii IV Const. « *Rom. Pontifex* » 27 Maii 1562, Const. « *Cum inter caeteras* » 1 Nov. 1564; *De Luca*, l. c. disc. 11; *Bangen*, l. c. p. 345 sq.; *Phillips*, l. c. t. VI, § 303; *Saegmueller*, D. Cardinäle p. 29 sq., 105, 115, 190 sq.; *Lega*, l. c. n. 81 sq.

[123] Cap. 13, X. de praescr. II, 26; *Phillips*, l. c. p. 405 sq.; *Bangen*, l. c. 347 sq.; *Saegmueller*, Lehrb. p. 327, not. 6.

[124] Urbani V Const. « *Apostolat. offic.* » 12 Oct. 1363; *Bangen*, l. c. p. 348 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 407.

Sedis Romanae vacantis suam retineret [125] potestatem, inde ex saeculo decimo quinto constanter ex solo Collegio Cardinalium assumptus est. Cfr. Innoc. VIII Const. « *Apprime* » 22 Dec. 1485, § 2; Leon. X Const. « *Etsi pro cunctar.* » 28 Iun. 1514, § 2.

Camerario adstiterunt *Vicecamerarius* S. R. E., qui simul fuit *Gubernator Urbis* (cfr. Benedict. XIV Const. « *Romanae Curiae* » 21 Dec. 1744, §§ 23, 24), *Thesaurarius generalis* cum *Collectoribus spoliorum* (cfr. Sixti V Const. « *In conferendis* » 23 Ian. 1590; Benedict. XIV Const. « *Apostolicae* » 18 Apr. 1746), *Commissarius generalis* Camerae aliique officiales velut *Clerici Camerae*, quorum numerus post multas vicissitudines a Leone XII, a. 1826, ad novem dicitur esse reductus [126]. Ultimo saeculo non pauca iura et munera, olim Camerae Apostolicae propria, sapienti consilio in *diversa* dicasteria *Status pontificii* translata fuerant, ut forum ecclesiasticum et politicum accuratius distinguerentur, sed ob specialem rerum publicarum conditionem iamdiu quiescebant [127].

II. Iurisdictio civilis et criminalis Camerae Apostolicae, ut *tribunalis iustitiae* administrandae destinatae, *per Auditorem generalem* Camerae Apostolicae fuit exercita et quamplurimis Constitutionibus Apostolicis ordinata [128]. Gregorius XVI, cit. Regol. §§ 312 sq., 328 sq., 369 sq., 370, a. 1834 Cameram Apostolicam denuo reformatam practice ad tribunal dicionis pontificiae reduxit.

III. **Hodierna Camera Apostolica** tantum munus habet curandi et administrandi bona et iura temporalia S. Sedis, praesertim tempore Sedis vacantis. Ipsi praeest S. R. E. Cardinalis *Camerarius*, qui adiuvatur a Praelato *Vicecamerario*, ab *Auditore Generali* et nonnullis officialibus inferioribus. Ad hoc officium pertinet Collegium Praelatorum clericorum de Camera, qui plenarium tribunal Camerae constituunt. Cum inter Secretarias Palatinas recenseatur Commissio Cardinalitia pro administratione bonorum S. Sedis cum proprio Praeside, Secretario aliisque administris inferioribus, Camera Apost. sede plena in ea re in praxi parum intervenit.

---

[125] Cap. 2, § 1, de elect. I, 6, in Sext.

[126] *Bangen*, l. c. p. 305 sq., 354 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 408.

[127] Cfr. Annuario pontif. a. 1865, pp. 332, 423, 425.

[128] *Bangen*, l. c. p. 355 sq.

IV. De Secretaria Status (can. 263)

507. Romani Pontifices, praesertim ex fine medii aevi usque ad saeculum decimum septimum, ex suis *nepotibus* vel consanguineis solebant assumere Cardinalem, qui *Cardinalis nepos* sive Cardinalis superintendens dicebatur [129], et singulari fiducia Romani Pontificis praeditus in gratiarum concessione atque negotiis diplomaticis principales partes habebat. Inde factum est ut denuo non pauca negotia ecclesiastica proprio et independenti dicasterio concederentur. Cum praesertim negotia diplomatica distincto officio viderentur committenda, et usus vel potius abusus Cardinalium nepotum magis magisque cessaret [130], Secretaria Status ab illo officio Cardinalis nepotis separata est. Idem obtinuit per erectionem distinctae Secretariae memorialium. Quare titulus Cardinalis nepotis ad nomen et umbram redactus est.

Qui *Secretarius Status* nunc semper ex Cardinalibus a Rom. Pontifice assumitur, curat relationes diplomaticas Sedis Apostolicae cum guberniis civilibus, dirigit Nuntios Apostolicos, praeest ad instar Praefecti S. C. pro negot. eccles. extraord. atque ex speciali mandato SS.mi Domini etiam ad Ordinarios transmittit Instructiones et expedit nominationes pontificias ad officia Curiae Romanae.

Hodierna Secretaria Status, sub moderatione Card. Secretarii Status in tres sectiones est divisa:

I^a^ sectio in negotiis extraordinariis versatur, quae subici debent S. Congregationi pro negotiis eccl. extraordinariis; cetera negotia, pro diversa eorum natura, ad peculiares Congregationes remittit.

II^a^ sectio incumbit in ordinaria negotia, ad eamque, inter cetera, pertinet honoris insignia concedere tum ecclesiastica tum civilia, demptis iis quae Antistiti, pontificali domui praeposito, sunt reservata.

III^a^ sectio vacat expeditioni *Brevium*, quae a variis Congregationibus ei committuntur.

[129] *Bangen*, l. c. p. 426; *Phillips*, l. c. p. 387 sq., 679 sq.; *Giobbio*, Lezioni di diplom. eccl. t. I, n. 202 sq.; *Ferreres*, l. c. n. 1251 sq.; *Ojetti*, l. c. p. 222 sq.; *Cappello* l. c. p. 470.

[130] Innoc. XII Const. « *Romanum decet* » 22 Iun. 1692 contra nepotismum; *Sfrondati*, Nepotismus theologice expensus (a. 1692).

Primae sectioni praeest *Secretarius* Congregationis pro negotiis extraordinariis; alteri *Substitutus* pro negotiis ordinariis; tertiae *Cancellarius* Brevium Apostolicorum.

Sub dependentia Secretariae (vel saltem Secretarii) Status videntur esse Officia *Secretariae Brevium ad Principes* et *Secretariae Epistolarum Latinarum*, quae a Pio X fuerunt conservata et adhibentur ad latine scribenda acta Summi Pontificis (can. 264).

Scholion. *Secretaria memorialium*, quae olim in palatio Romani Pontificis sedem suam habuit et inter Secretarias Palatinas numerabatur, supplicationes gratiarum ex Statu ecclesiastico *immediate* R. Pontifici, ut principi civili vel ut pastori Ecclesiae, praesentatas admisit, examinavit et post relationem SS.mo Domino factam per congruum responsum sive per se sive per aliam Congregationem expedivit. Post usurpatam dicionem pontificiam sectio civilis huius Secretariae quievit. At pro gratiis ecclesiasticis concedendis praeerat *Cardinalis*, cui subordinatus erat Substitutus cum nonnullis officialibus inferioribus. Per Const. « *Sapienti consilio* » fuit suppressa.

CAPUT VI

De Legatis Romani Pontificis

508. Fontes: Decret. Grat. Dist. 21; c. 11, 36, C. II, q. 6 — Cpl. I, l. I, t. 22, de off. leg.; cpl. II, l. I, t. 13, ead. r.; cpl. III, l. I, t. 19, ead. r. — Decretal. Gregor. IX, l. I, t. 30, de off. leg.; Decretal. Bonif. VIII, l. I, t. 15, ead. r. — Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 7, de ref., Sess. XXIV, cap. 20, de ref. — Pii VI Responsio ad Metropolitanos Mogunt., Trevir., Colon. et Salisburg. super Nuntiaturis Apostol. 14 Nov. a. 1788. — Act. S. Sed., XVII, p. 561 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decret. in h. t. — *Zech*, Hier. eccl. t. 25, de Leg. et Nunt. Apost.; *Phillips*, l. c. t. VI, §§ 334 sq.; *Scherer*, l. c. § 87; *Saegmueller*, Lehrb. d. k. K. § 90; *Hinschius*, l. c. t. I, p. 498 sq., 581 sq. — *De la Torre*, De auctorit., gradu ac terminis Legatorum a latere (a. 1656); *Maserius*, De Legatis et Nunt. Apost. (a. 1709); *Ferraris*, l. c. v. v. Legatus, Vicarius Apost.; *Sentis*, Die Monarch. Sicula (a. 1869); *Bouix*, De Curia Rom. p. 579 sq. — *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 107 sq.; Arch. f. k. K. XI, p. 375; *Saegmueller*, D. Cardinäle p. 31, 59 sq., 108 sq., 210 sq.; *Pieper*, D. Enstehungsgeschichte der ständigen Nuntiaturen,

D. päpstl. Leg. u. Nunt. in Deutsch., Frankr. u. Span. seit d. Mitte d. 16 Jahrh; *Giobbio*, Lezioni di diplom. eccles. t. I, n. 152 sq.; *Chelodi*, n. 178 sq.; *Verm.-Cr.*, n. 384 ss.; *Ferreres*, I, 551 sq.

Praenotiones

509. I. Connexio materiae. In titulo praecedenti expositum est quibusnam adiutoribus utatur Rom. Pontifex ad regendam Ecclesiam *universalem* in Curia Romana, sive in loco *ordinariae suae residentiae*. Pastoralis autem sollicitudo exigit ut a Rom. Pontifice *per regna* et *provincias* destinentur viri idonei, qui vices supremi pastoris gerentes auctoritate polleant, causas ecclesiasticas inspiciant, mala cognoscant atque per fidelem relationem ad Sedem Apostolicam maturius curare valeant. Quod Rom. Pont. praestat per suos Legatos, Nuntios et Delegatos.

II. **Nomen** et **notio.** Legati Sedis Apostolicae, qui varia obtinuerunt nomina [1] velut apocrisiariorum, responsalium, missorum, nuntiorum, vicariorum, delegatorum, ablegatorum, generatim dicuntur viri ecclesiastici, qui a Romano Pontifice in certam provinciam mittuntur cum potestate quadam ordinaria administrandi negotia ecclesiastica [2]. Ex recepta tamen recentiore disciplina, nihil vetat quominus Romanus Pontifex Praelatum ecclesiasticum, *nomine* et *honoribus* legati auctum, mittat ad nudum aliquod ministerium exercendum sine vera et propria iurisdictione.

Art. 1. — Principia fundamentalia

510. Unum ex gravioribus et insignioribus iuribus *primatus*, in S. Petro eiusque successoribus a Christo instituti, est illud, « *quo praeditus Romanus Pontifex, dum agnorum et ovium sibi*

[1] *Kraus*, Real- Encyklop. v. Apokrisiar; *Phillips*, l. c. t. VI, p. 706 sq. *Hinschius*, l. c. t. I, p. 506 sq., 517.

[2] *Bouix*, l. c. p. 637 sq.; ubi p. 650 refert Napoleoni III postulanti ut pro quodam abusu, de quo etiam in medio aevo, (cfr. *Hefele*, l. c. t. VIII, p. 259 sq.) in Galliam mitteretur Legatus a latere *absque ulla iurisdictione ecclesiastica*, responsum fuisse Cardinalem qui absque iurisdictione deputaretur, hoc ipso Legatum a latere nequaquam fore. Cui responso gubernium gallicum acquievit, et Cardinalis Patrizi ut Legatus a latere in Galliam missus est.

concreditorum curam gerit universam, suo fungitur apostolico munere per ecclesiasticos viros sive **stabiles** *sive ad* **tempus**, *velut magis expedire censuerit, delegatos in iis dissitis locis, ubi ipse interesse non potest, praecipiens iisdem ut ibi suas vices obeant eamque* **iurisdictionem** *exerceant, quam is per se, si adesset, exerceret* ». Pii VI Respons. cit, ad Metropol. cap. 8, n. 1.

I. Quod ius Romani Pontificis mittendi Legatos *practice* iam antiquis temporibus impugnatum aut saltem iniustis limitationibus subiectum fuit. Ita iam Gregor. VII (a. 1073-1085) omnino reprobavit praetensionem illorum, qui tantum voluerunt habere Legatos Sedis Apostolicae ex *Romanis*, non ex *Ultramontanis* assumptos [3]. Quamvis Legatum suum admoneret ut in consilio et consensu regis Francorum procederet, tamen rege quoque invito Concilium celebrandum esse iussit [4], Episcopos vero, qui pro viribus Legatos *impediverunt*, acriter reprehendit.

Imprimis autem in *Sicilia* et *Anglia*, ubi vigebat dominatio Normannorum [5], reges ex saeculo undecimo Legatos Sedis Apostolicae iniustis vexationibus et limitationibus subiecerunt. Qua de re iam Paschalis II (a. 1099-1118) acriter conqueritur et praesertim in epistola ad Henricum II, regem Angliae, a. 1115 data, ius Sedis Apostolicae mittendi Vicarios, i. e. Legatos, per provincias ad graviora pertractanda negotia summa vi sustinuit. Similes abusus in aliis quoque regionibus fuerunt introducti, quibus nonnulli Legati *suis* abusibus ansam dederunt [6]. Quare Ioannes XXII (a. 1316-1334), cap. 1 de consuet. I, 1 in Extravg. com., praeeunte Bonifacio VIII (a. 1294-1303), *consuetudinem* illam non admittendi Legatos Sedis Apost., eo quod *petiti* non fuerunt aut absque *beneplacito* principum [7] transmissi, tanquam irrationabilem et apostolicae potestati contrariam penitus reprobavit [8].

[3] Epist. ad Manass. Archiep. Remen.

[4] *Hinschius*, l. c. t. I, p. 509 sq.

[5] *Sentis*, De Monarchia Sicula p. 69 sq.

[6] *Sentis*, l. c. p. 703; *Phillips*, l. c. p. 722 sq.; *Hinschius*, l. c. t. I, p. 523 sq.

[7] Qua in re si quid iuris regibus competebat, id ex privilegio Sedis Apostolicae *stricte probando* unice deduci potuit. Cfr. de assertis huiusmodi privilegiis pro Sicilia, Anglia et Scotia: *Sentis*, l. c. p. 54 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 519 sq., 523 sq.

[8] Cfr. de impedimentis Legatorum Sedis Apostolicae in Gallia a. 1480 et 1483: *Hefele*, l. c. t. VIII, p. 259 sq.

Nuntii quoque Sedis Apostolicae, qui praesertim ex saeculo decimo sexto cum potestate Legatorum a latere et stabili residentia in diversis Europae regionibus instituti fuerunt [9], in exercitio suae iurisdictionis *practice* haud raro impediti et impugnati sunt et usque ad nostram aetatem iniustis legibus civilibus, v. g. artic, organ. 2 in Gallia (a. 1802) [10], non desierunt molestiis affici.

II. Usurpationes in praxi peractas viri docti per erroneas theorias defenderunt. Inter istos adversarios iurium Rom. Pontificis maxime recensendi sunt Marcus Antonius de Dominis, Richerius, Febronius, Eybelius. At ne isti quidem negarunt ius Apostolicae Sedis mittendorum Legatorum cum iurisdictione, ubi ad *tempus* et casum *extraordinariae* necessitatis res rediisset, sed *stabiles* et ordinarios mitti *Legatos* vel *Nuntios* cum *iurisdictione* abusum esse contenderunt, quo Sedes Apostolica invaderet iura propria Episcoporum.

Quorum virorum errores amplexi sunt ultimo saeculo quatuor Metropolitae Germaniae, quibus Pius VI suam opposuit celeberrimam Responsionem [11]. Fautores vero Gallicanismi eo progressi sunt, ut etiam in casibus extraordinariis Romano Pontifici negarent ius in Galliam mittendi Legatos cum iurisdictione, nisi accederet *consensus* gubernii *regis* christianissimi. Quam praerogativam Gallicani, saltem moderati, repetebant ex *speciali* iure sive ex libertatibus solius Ecclesiae Gallicanae; priores vero adversarii in iure communi et divina institutione Episcoporum pro *universa* Ecclesia suam theoriam fundari audacter tenuerunt [12].

Falsum principium Gallicanorum de consensu gubernii regalistae recentiores [13] *generaliter* et summo cum *rigore* sustinent. Speciatim in Italia advocati novi regni sinistre disputantes de legibus, in Romano Pontifice libertatem recognoscentibus, ius acti-

---

[9] Pii VI Respons. cit. cap. 8, n. 132 sq.

[10] *Hinschius*, l. c. p. 525 sq., 534 sq.

[11] Pii VI Resp. cit. cap. 8, n. 12 sq. 18 sq.; *Bouix*, l. c. p. 580 sq.

[12] *Bouix*, l. c. p. 586 sq.

[13] *Friedberg-Ruffini*, l. c. § 63, p. 274, « La loro (i. e. Nuntiorum) istituzione come pure l'autorizzare un legato ad esercitare singoli atti di governo ecclesiastico dipendono dal beneplacito dei governi dei relativi stati ». Pro sua assertione allegat legem Magni ducatus Weimarensis et art. 2 organic. in Gallia. Similiter *Hinschius*, l. c. p. 535, statuit principium, quaestionem de admissione Legati Apostolici in aliquo regno ex *legibus Status*, hac de re conditis, esse solvendam.

vum et passivum Legationis Romani Pontificis praepostere et confuse explicabant [14].

511. Quod ius Romani Pontificis mittendi Legatos in dissitas regiones, cum vel sine iurisdictione et stabiliter et independenter a quolibet consensu gubernii civilis, evidenter consequitur ex intima vi ac natura primatus a Conc. Vatic. Sess. IV denuo definita. Nam si R. Pontifex cum suprema, ordinaria, plena et immediata potestate regit universam Ecclesiam, i. e. societatem non tantum *perfectam*, sed etiam *universalem* atque ex ipso Christi Domini mandato per totum orbem diffundendam, necessario etiam gaudet iure omnino independenti communicandi cum suis subditis et in totum orbem terrarum mittendi Legatos, qui vices suas gerant.

Neque Legati Romani Pontificis unquam ingrediuntur in regionem *alienam*, ad quam de iure via paranda esset per *licentiam* gubernii civilis, sed ad territorium *proprium* accedunt, Romano Pontifici ut supremo Ecclesiae pastori in rebus *religiosis ex iure divino subiectum*. Cfr. Pii VI Respons. cit. cap. 8, n. 16 sq. 160 [15].

Porro Romani Pontifices usu antiquo et constanti, per saecula retento, Legatos miserunt, ut patebit ex historia Legationum Sedis Apostolicae. Quo in usu certe non errarunt nec *errare potuerunt*; ergo praerogativam Sedis Apostolicae exercuerunt nec per usurpationem aliena iura invaserunt.

Cui rationi accedit, quod Romani Pontifices non tantum usu et praxi, sed etiam expressis *declarationibus* et sanctionibus quoque poenalibus hanc singularem praerogativam sibi vindicarent,

---

[14] Cfr. v. g. *Ruffini*, l. c. p. 252 sq.; not. 10, p. 253 sq. de praerogativa Rom. Pontificis ut principis *civilis* vel temporalis (cfr. cap. 13, X. qui fil. IV, 17, § Rationibus) mittendi Nuntios ad alios principes civiles; gravissimus autem fuit error gubernii hispanici, quod mense Oct. 1801 postulavit a Pio VII, ut Nuntius Apostolicus Matritensis haberetur ut simplex Nuntius (ambasciatore) principis *temporalis*. Cfr. Arch. f. k. K. 12, p. 48 sq. Quibus praetensionibus Card. Consalvi, 9 Ian. 1802, recte respondit: « La sovranità *temporale* di Sua Santità è puramente *secondaria* a confronto del suo sommo *apostolato* ». Cfr. epist. Card. Iacobini 15 Apr. 1885, de aliis erroribus in Hispania sparsis circa naturam officii Nuntii Apostolici, in Act. S. Sed., XVII, p. 561 sq.

[15] Cfr. cit. epist. Card. Iacobini; *Bouix*, l. c. p. 289 sq.

cum illius oppugnatio practica et theoretica orta esset. Cfr. allegatas declar. Pascalis II, Bonif. VIII, Ioannis XXII, Card. Iacobini.

Art. 2. Notae historicae

512. Romani Pontifices iure Legationis *activo* et *passivo*, quod ipsis vi primatus iurisdictionis spiritualis insitum est, inde a primis saeculis diversis modis et gradibus uti coeperunt. Quare vestigia triplicis vel quadruplicis speciei Legatorum vel Nuntiorum Apostolicorum, qui nostra aetate occurrebant, iam antiquis temporibus reperiuntur. Occurrunt enim Legati, qui in extraordinariis, gravibus transitoriisque negotiis *a latere S. Petri* mittuntur, ut vices Romani Pontificis cum auctoritate et iurisdictione sustineant, v. g. Legati in antiquis Concil. oecumenicis [16]. Alii ratione suarum *sedium* stabiliter vices Sedis Apostolicae gerunt per modum Legati nati sive *Vicarii* Apostolici, velut Archiepiscopus Thessalonicensis [17].

---

[16] V. g. Osius cum duobus presbyteris in Concilio Nicaeno (a. 325); cfr. *Hefele*, l. c. t. I, p. 38 sq.; *Phillips*, l. c. t. VI, p. 687 sq. Quae *Hinschius*, l. c. t I, p. 498 sq. contra sententiam catholicorum scriptorum profert, solidis argumentis historicis non sunt adnumeranda. Ubi vero *facta* historica de iure Legatorum pontificiorum ex saeculo quinto in Conciliis oecumenicis praesidentibus non iam negare valet, rem ex confictis et arbitrariis *explicationibus* confundere studet. Similiter Iulius I ad Conc. Sardic. (a. 343) duos misit Legatos, qui immediate post Osium acta et decreta huius Concilii Sardicensis subscripserunt. Cfr. *Hefele* l. c. p. 453, sq. Immo c. 5 Concilii Sardicensis iam disertis verbis commemorantur *iudices*, qui a latere Romani Pontificis mittuntur in provincias. Cfr. de genuina explicatione huius can. 5: *Hefele*, l. c. p. 569. A Zosimo I, a. 418, tres Legati missi sunt in Africam septentrionalem ad complura negotia expedienda. Cfr. *Hefele*, l. c. t. II, p. 120 sq., 137 sq.

[17] Cuius Vicariatus Apostolici origo iam ex saeculo quarto est repetenda. Nam ex indubitato testimonio Innocentii I, (a. 402), certo eruitur iam Damasum et Siricium Thessalonicenses Antistites constituisse Vicarios *Apostolicos*. Quare difficultates ab *Hinschius*, l. c. p. 583 sq. motae, inefficacibus exceptionibus sunt adnumerandae. Cfr. de Vicariatu illo antiquissimo Bonif. I a. 422, apud *Coustant*, Rom. Pont. Epist. t. I, r. 1034; Leo I, a. 444 et 446, in c. 8, C. III, q. 6, et c. 5, C. XXV, q. 2; Hormisdas a. 521, apud *Thiel*, Epist. Rom. Pont. t. I, p. 970 sq., 978, Synod. Roman. a. 531; Pii VI Resp. cap. 8, n. 33 sq., 46 sq. Praeter Vicariatum Apostolicum Thessalonicensem alii quoque Episcopi in Occiden-

Alii vero missi a latere Romani Pontificis penes *Imperatores christianos* vel principales Praelatos ecclesiasticos residentes tanquam apocrisiarii [18] vel responsales ordinaria negotia ecclesiastica curant ad instar recentiorum Nuntiorum vel Delegatorum Apostolicorum, sive ut meri nuntii et negotiorum gestores (ambasciatori) sive vera iurisdictione ecclesiastica praediti [19]. Huiusmodi apocrisiarii post translatam residentiam Imperatorum in novam Romam, forte iam inde a Constantino M., transeunter missi fuerunt; at certe ex tempore Leonis I, qui Iulianum, Episcopum Coënsem, a. 453 ad aulam Imperatoris Marciani delegavit, etiam cum vera iurisdictione penes Imperatores in civitate Constantinopolitana per complura saecula stabiliter residere solebant [20]. Postquam apocrisiarii pontificii ab a. 743 in aula Imperatorum Byzantinorum residere cessarunt, penes reges Francorum, v. g. Carolum M. et Ludovicum P., saeculo octavo et nono denuo reperiuntur [21].

Cum in Ecclesia Occidentali praesertim ex saeculo undecimo a Romanis Pontificibus reformatio cleri et populi summo cum zelo promoveretur, in hoc negotio aliisque extraordinariis causis ecclesiasticis pro more iam antea recepto [22] saepissime opera Le-

---

tali Ecclesia sive ratione sedium sive saltem ex personali indulto Romani Pontificis facti sunt Vicarii Apostolici. Ita v. g. in Gallia exstitit Vicarius Apostolicus Arelatensis (a. 545), cui medio aevo alii Vicarii Apostolici accesserunt velut Metensis (a. 844), Senonensis (a. 876), Lugdunensis (a. 1097), Viennensis (a. 1121). Porro in Hispania inter Vicarios Apostolicos recensentur Tarraconensis (a. 517), Hispalensis, (a. 520), Toletanus (a. 1088). In Germania aliisque regionibus septentrionalibus etiam Vicarii Apostolici occurrunt, v. g. Trevirensis (a. 969, 1137), Salisburg. (a. 973), Lundensis (a. 1172), cum alii Praelati dicantur potius frui iure Legatorum (natorum) Sedis Apostolicae velut Archiepiscopus Cantuariensis aliique. Cfr. cap. 1, 9, X. de off. leg. I, 30; cap. 1, eod. I, 15, in Sext.

[18] *Kraus*, l. c. in not. 2, h. tit.; *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 107 sq.

[19] *Bouix*, l. c. p. 595 sq.; *Hefele*, in Kirchenlex. v. Apocrisiarius; Pii VI Respons. cit cap. 8, n. 36 sq.; *Phillips*, l. c. t. VI, p. 709 sq.

[20] Pii VI Respons. c. l. c.; *Bouix*, l. c.; Novell. 6, cap. 2, et Novell. 79, cap. 1.

[21] *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2. cap. 110, n. 5.

[22] V. g. Gregorius M. in Galliam (a. 603), et in Hispaniam (a. 599), cfr. *Thomassin.*, l. c. cap. 118, n. 2 sq.), misit delegatos; item Sedis Apostolicae Legatus a. 948, cum ampla auctoritate praefuit in Germania Concilio Ingelheim. Cfr. *Hefele*, l. c. t. IV, p. 595 sq.; *Phillips*, l. c. p. 702 sq., 711 sq.

gatorum vel Vicariorum a latere suo missorum usi sunt. Quodsi Romani Pontifices atque praesertim Gregorius VII inde ex saeculo undecimo frequentius illam praxim adoptarunt, id non arbitrarie ex turpi dominandi studio Rom. Pontificum est derivandum, sed ex necessitate temporum et negligentia Praelatorum, qui in partem sollicitudinis supremi Ecclesiae pastoris fuerant vocati [23]. Qui frequentior usus mittendi Legatos Sedis Apostolicae paulatim effecit, ut inter diversos Legatos accuratior quaedam induceretur distinctio, iam saeculo undecimo et duodecimo praeformata [24], atque deinde in authenticis collectionibus Gregor. IX et Bonif. VIII expressa [25]. Cfr. c. 4, X. h. t. I, 30; cap. 1, 2, 4, h. t. I, 15 in Sext. Similiter facultates Legatorum pro suo gradu Legatorum a latere vel simplicium Legatorum missorum vel Legatorum natorum negative et positive iuris communis Decretalium [26] sanctionibus fuerunt definitae et in *ordinariam* quandam potestatem transierant [27].

513. Ius in authenticis collectionibus Decretalium de Legatis Sedis Apostolicae constitutum usque ad Concilium Tridentinum immutationi non fuit obnoxium. Paulatim vero rarius mittebantur Legati a latere, atque nova quaedam species Legatorum pontificiorum orta est, qui Nuntii Apostolici audiunt et partim cum antiquis apocrisiariis partim cum Legatis missis vel Vicariis medii aevi maximam habent similitudinem [28]. Quod nomen *Nuntii* Apostolici sane interdum occurrit saeculo decimo tertio (cfr. cap. 17, 23, X. de cens. III, 39) et frequentius saeculo decimo quarto designatque Legatos Sedis Apostolicae a Legatis a latere distinctos. At cum ex saeculo decimo quinto in iure internationali Civitatum introduceretur mos stabiles erigendi legationes penes gubernia, etiam R. Pontifices eandem praxim adoptare coeperunt. Qua ratione a. 1500 Venetiis prima Nuntiatura Apostolica stabiliter fuit erecta, quam deinde aliae stabiles Nuntiaturae Matriti, Parisiis, Viennae secutae sunt [29]. Post Concilium Tridentinum, quod Sess. XXIV, cap. 20 de ref. cumulativam iurisdictionem Legatorum etiam a latere cum iurisdictione Episcoporum in causis primae instantiae [30] sustulit, Nuntiaturae Apostolicae [31] stabili quadam ratione introductae sunt etiam Lucernae (a. 1578), Graecii (a. 1580), Coloniae (a. 1584), Bruxellis (a. 1567), Varsaviae (a. 1597). Inter illos Nuntios Apostolicos praesertim eminuit Nuntius Matritensis; is enim iam ex saeculo decimo sexto amplas obtinuerat facultates, postea v. g. a Clemente XIII (a. 1766) auctas, et Clem. XIV ad instantiam regis catholici a. 1771 in eadem Nuntiatura instituit Rotam sive tribunal tertiae instantiae. Quod tribunal usque ad nostram aetatem non levium difficultatum fuit causa [32]. Similiter saeculo decimo octavo erectio novae (a. 1785) Nuntiaturae Monacensis in Bavaria fuit praetextus, quo a. 1786 quatuor Metropolitae Germaniae usi sunt ad impugnandas Nuntiaturas Apostolicas in Germania. Quibus iniustis querelis Metropolitarum et Protestantium nequaquam ansam dedit confusio iurisdictionis ecclesiasticae et politicae a Nuntiis Apostolicis admissa, ut perperam usque ad nostram aetatem etiam a viris catholicis asseritur. Pius VI nova illa gravamina, quibus alia iam a. 1769 praeiverant, cum solida eruditione et auctoritate pontificia reprobavit [33].

Ineunte ultimo saeculo gubernium hispanicum (a. 1801) ad meram umbram redigere studuit iurisdictionem Nuntii Apostolici Matritensis, relicta solummodo dignitate oratoris sive gestoris negotiorum. Cui tentamini Pius VII per cardinalem Consalvi a. 1802 fortiter restitit, quemadmodum nomine Leonis XIII Cardinalis Iacobini 15 April. 1885 novae theoriae spuriae de natura

---

[23] *Phillips*, l. c. p. 713 sq., 724, ubi confictas ab *Hinschius*, l. c. p. 507 sq. et a *Baluze* allatas explicationes et exceptiones in antecessum refutavit.

[24] *Scherer*, l. c. t. I, p. 520 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 509.

[25] Innoc. IV in cap. 1 de off. leg. I, 15 in Sext; *Sentis*, l. c. p. 56 sq.

[26] Cfr. text. cit. in fontib. h. tit.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 2 sq.; *Phillips*, l. c. p. 726 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 511 sq.

[27] Cap. 2, h. t. I, 15 in Sext.

[28] *Phillips*, l. c. p. 739 sq.; *Scherer*, l. c. p. 526.

[29] *Durantis*, Speculum l. I, partic. 1, tit. de Legat. § 1, n. 3; *Pieper*, Zur Entstehungsgesch. p. 48 sq., 65 sq. 94 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 517.

[30] Cfr. cap. 1, X. h. t.; S. C. C. 26 Febr. 1707, in ed. *Richt*. Conc. Trid. p. 390.

[31] Pii VI Respons. cit, cap. 8, n. 133 sq.; *Pieper*, Zur Entstehungsgesch. d. ständig. Nuntiat. (a. 1894), D. päpstl. Legaten etc. (a. 1897); *Luxardo*, Das päpstl. Vordecretalen-Gesandtschaftsrecht (a. 1878); *Giobbio*, l. c. n. 160 sq., 167 sq., 242 sq.

[32] *Card. Hergenroether*, in Arch. f. k. K. X, p. 29 sq., XI, p. 375 sq., XII, p. 48 sq.; S. C. C. 10 Maii 1884, in Act. S. Sed., XVII, p. 140 sq. De illo tribunali Nuntiaturae cfr. *Ferreres*, Inst. vol. II, n. 569 sq.

[33] Pii VI Respons. ad Metropol. (a. 1789), cap. 9, n. 29 sq.

et indole Nuntiaturae Apostolicae sese opposuit. (Cfr. supra h. tit. not. 14). Ablegatio Nuntii Apostolici ad aulam Imperatoris Sinensis, quae a. 1886 videbatur imminere, propter exortas difficultates ad meliora tempora fuit dilata, cum Delegati Apostolici in Americam septentrionalem et in Indiam orientalem absque ulla difficultate ex parte gubernii civilis missi sunt. In novis Statibus ex ultimo generali bello exortis novae quoque Nuntiaturae constitutae sunt. Unde constat huiusmodi ius R. Pontificis etiam nunc esse in pleno vigore [34].

514. Scholion. Praeter triplicem illam speciem Legatorum, tempore medii aevi aliqui commemorantur *principes civiles*, qui dicuntur fuisse constituti *Legati Sedis Apostolicae*. Profecto Rom. Pontifex de *plenitudine* suae potestatis *laico* [35] committere *potest* officium Legationis cum vera iurisdictione. Quae commissio esset res plane singularis et extraordinaria, ideoque *factum* huiusmodi delegationis concludentibus argumentis demonstrari deberet [36].

Inter facta allegata maxime eminet illa Legatio regi Siciliae ad instar Legati a latere nati Sedis Apostolicae commissa, quae vulgo vocatur *Monarchia Sicula* [37]. In dubium vocari non potest Urbanum II (a. 1098) Rogerio I, comiti Calabriae et Siciliae « *Legati vicem* » concessisse. Argumenta enim, quae contra authentiam et integritatem illius concessionis, prima vice c. a. 1513 publicata [38], a Baronio, Nicolao Tedeschis aliisque [39] afferuntur, non sunt peremptoria aptamque admittunt solutionem [40]. Epistola vero Paschalis II ad Rogerium II, comitem Siciliae (a. 1117)

[34] *Giobbio*, l. c. n. 171 sq., recte reicit illorum auctorum recentiorum sententiam, qui ex suppressione Status pontificii falso deduxerunt ius activum et passivum legationis in R. Pontifice cessasse.

[35] Cfr. tit. de off. et pot. iud. del.; *Sentis*, D. Monarchia Sicula p. 1. 191, (a. 1869).

[36] Cfr. c. 8, D. 100; cap. 9, X. de confirm. II, 30; *Sentis*, l. c. p. 27, 35 sq.

[37] *Sentis*, l. c. p. 210, 211. Principalis patronus illius Monarchiae est *Caruso*, « Discorso istorico-apologetico della Monarchia di Sicilia », compilato a. 1715, et edit. 1863; alii defensores eiusdem causae recensentur a *Sentis*, l. c. p. 4 sq.

[38] *Sentis*, l. c. p. 27 sq.

[39] *Cavagnis*, l. c. P. II, p. 47 sq.

[40] *Sentis*, l. c. p. 37 sq.; *Hefele*, l. c. t. V, p. 252 sq.

scripta etiam positivo testimonio eandem authentiam et integritatem invicte demonstrat, at simul *ambitum* concessionis ab Urbano II factae et a Paschali II confirmatae adeo clare definit et circumscribit, ut *exorbitantia privilegia* Monarchiae Siculae ex illa concessione deducta *evidenter refutentur et ad modestos limites officii executoris et cooperatoris Legati a Sede Apostolica in Siciliam missi reducantur* [41]. Verba epistolae cit. Paschalis II sunt: « *Unde sicut in tuis litteris suggessisti antecessor meus* (i. e. Urbanus II) *patri tuo* (i. e. Rogerio I) *Legati vicem gratuitate* (gratuita benignitate) [42] *concessit, nos quoque tibi post ipsum eius successori concessimus* **ea videlicet ratione,** *ut si quando illuc ex latere nostro Legatus dirigitur, quem profecto Vicarium intelligimus, quae ab eo gerenda sunt* **per tuam industriam effectui mancipentur** ». Non obstantibus limitationibus, quae ipsis *verbis privilegii* Urbani II, fatentibus patronis Monarchiae Siculae [43], manifeste continentur, tamen Barberi aliique regalistae Siciliae et Hispaniae in novo documento omnes usurpationes regnum Siciliae, usque ad initium saeculi decimi sexti *de facto* admissas, comprehendi audacter asseruerunt [44]. Quae sententia mox etiam Ferdinando Catholico (a. 1515) et Carolo V (a. 1526) arrisit. Philippus II vero eo processit, ut a. 1571 ad sedandos suos scrupulos a S. Pio V petierit confirmationem usurpatae Monarchiae Siculae; tandem a. 1579 « *Iudicem Monarchiae Siculae* » deputavit ad instar *Delegati Regis*, penes quem mansit principale officium Legationis.

Exorbitans illud privilegium, quod inde a Clem. VII [45] per Rom. Pontifices nunquam admissum est multarumque controversiarum inter Sedem Apostolicam et reges Siciliae fuit causa, a Clemente XI Const. « *Romanus Pontifex* » 29 Febr. 1715 abolitum, dein a Benedict. XIII Const. « *Fideli* » 30 Aug. 1728 absque ex-

[41] *Sentis*, l. c. p. 53 sq.; 247, 55 sq.; ubi textum huius epistolae, quae Baronio, Nicolao Tedeschis, immo etiam plerisque recentioribus amicis et adversariis Monarchiae Siculae penitus fuit ignota, accurate recenset ambitumque modestum concessionis Urbani II et Paschalis II fuse explicat.

[42] *Sentis*, l. c. p. 36, not. 1, utramque lectionem refert.

[43] *Cavagnis*, l. c. p. 56 sq.; *Sentis*, l. c. p. 113.

[44] *Sentis*, l. c. p. 27 sq.; 77 sq.; 111 sq.; *Hinschius*, l. c. t. 1, p. 519 sq.

[45] *Sentis*, l. c. p. 31 sq.; 112 sq.

pressa retractatione Const. Clem. XI quoad rem salvis quibusdam clausulis et limitationibus [46] restitutum, denique a Pio IX Const. « *Suprema* » dat. 28 Ian. 1864, public. 10 Oct. 1867, penitus abrogatum est [47]. Cui abrogationi post aliquam haesitationem vel ipsum gubernium Italiae acquievit et art. 15 leg. 13 Maii 1871 latae (la legge delle Guarentigie) Monarchiae Siculae expresse « *renuntiavit* ». Cfr. *Friedberg-Ruffini*, l. c. p. 90 sq., not 10, p. 273, not. 7.

Alterum exemplum Legationis pontificiae, laico concessae, dicitur contineri in diplomate Silvestri II, quo a. 1000 S. Stephanum, regem Hungariae, ferunt in suo regno constitutum fuisse Legatum natum Sedis Apostolicae [48]. At laudata Constitutio Silvestri II merito habetur apocrypha aut saltem interpolata [49]; insuper praeter speciales quasdam facultates et praerogativam honoris de cruce ante se gestanda S. Stephano nulla ratione concedit officium Legationis [50]. Immo Gregorius IX, cum Bela, rex Hungariae, a. 1238 disertis verbis peteret ut *officium Legationis* sibi committeretur, id expresse recusavit, sed alias supplicationes eiusdem regis admisit. Quare universa illa Legatio Apostolica regis Hungariae reducitur iuxta Clem. XIII Const. « *Cum multa* » 19 Aug. 1758 ad titulum honorificum *regis* « *apostolici* » et praerogativam ante se per Episcopum gestandi crucem [51].

---

[46] *Sentis*, l. c. p. 176 sq., 212 sq., ubi etiam probat gubernia omnino neglexisse clausulas illas et limitationes novae Const. Benedict. XIII, et imprimis iam Carolum VI articulum 35 eiusd. Const., quem Benedictus XIV dixit esse *coronam* totius concordiae, sua ordinatione 3 Nov. 1728 reddidisse *illusorium*.

[47] Pius IX in Encycl. « *Multis* » 28 Ian. 1864 ad Episcopos Siciliae, sublato tribunali Iudicis Monarchiae Siculae modum procedendi in negotiis et causis ecclesiasticis denuo ordinavit. « *Iudicem* », presbyterum Rinaldi, suae ordinationi resistentem Const. « *Quisque* » 23 Iul. 1868, nominatim excommunicavit. Cfr. Acta S. Sed., IV, p. 117 sq.; *Sentis*, l. c. p. 239 sq.; *Giobbio*, l. c. n. 237 sq.

[48] *Phillips*, l. c. t. VI, p. 743.

[49] Arch. f. k. K. t. 58, p. 458.

[50] *Sentis*, l. c. p. 64; *Hinschius*, l. c. p. 518 sq.

[51] Cfr. de aliis exemplis allegatis *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, c. 119, n. 5, iunct. *Hinschius*, l. c. p. 522, not. 14.

Art. 3. — Disciplina vigens

515. I. Legatorum species. In disciplina Codicis numerantur, praeter legatos *natos*, quatuor Legatorum species: *Legati a latere, Nuntii, Internuntii, Delegati Apostolici.* Omnes ex natura rei libere assumuntur seu nominantur ab eo, cuius sunt legati, i. e. a Romano Pontifice.

a) Legati a latere assumuntur ex Cardinalibus.

b) Legati missi (Nuntii, Internuntii, Delegati Apostolici) assumuntur ex Praelatis, qui solent ex praxi vigente renuntiari Archiepiscopi titulares. Nunc autem accurata fit distinctio inter eos qui characterem diplomaticum habent seu legatione stabili apud exteros rerum publicarum gubernatores funguntur, et eos qui tali charactere carent. Primi vocantur *Nuntii* vel *Internuntii* (quasi ministri primae et secundae classis), qui soli recensentur tanquam integrantes Corpus Diplomaticum Sanctae Sedis (cfr. Annuario Pontificio a. 1943, p. 645); ceteris, qui non indole diplomatica ad gubernia, sed ad Praelatos ad res pure ecclesiasticas mittuntur, reservatur nomen *Delegati Apostolici* [52]. Idcirco hi pendent a S. Congr. Consistoriali vel a S. Congr. de Propag. Fide [53], cum Nuntii et Internuntii pendeant a Secretaria Status.

c) Legati nati [54], seu ii qui ratione sedis episcopalis titulo Legati Apostolici decorantur et eo modo nominantur, quo ad

---

[52] Cfr. Responsum ex Audientia SS.mi datum Secretario Status die 8 Mart. 1916, in A. A. S., VIII, p. 213.

[53] Cfr. Annuario Pontificio a. 1942, p. 337 sq.

[54] Cfr. de iure Decret. cap. I, X. h. t. 30; cap. 1, eod. I, 15, in Sext.; Bonif. IX Const. « *R. Pontifex* » 24 Apr. 1394, qua Archiepiscopum Strigoniensem constituit Primatem et Legatum Sedis Apostolicae natum; Leon. X Const. « *Pro excellenti* » 11 Iul. 1515, qua Archiepiscopo Gnesnensi cum « *Legationis iure* » concessit titulum Legati nati; *Phillips*, l. c. p. 641 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 621 sq. Praeter memoratos, illum titulum honoris sibi vindicant Archiepiscopi Remens., Lugdunen., Bituricen., Burdigalen. et Pragen. Omni iurisdictione in aliis iampridem sublata unice Archiepiscopus Strigoniensis, etiam ut Legatus natus Sedis Apostolicae, aliquam iurisdictionem retinuit. Cfr. Arch. f. k. K. t. 55, p. 353 sq. Cfr. quoque Clem. XI Const. « *In supremo* » a. 1716, § 8, qua praerogativam vestis purpureae in Archiep. Salisburgensi approbabat, quae a S. C. Caerem. etiam pro Urbe Roma admissa fuit 14 Octobr. 1854.

illam sedem episcopalem fit provisio canonica; sed ex tali titulo nullum ipsis ius speciale competit (can. 270).

II. **Legatorum potestas.** Omissis *Legatis natis*, quibus ex dictis nulla remanet vera et propria potestas ex titulo Legati, ceteri *Legati missi*, nisi sint ex iis, quos ad tenorem can. 265 R. Pontifex mittat sine ecclesiastica iurisdictione, pollent potestate *ordinaria* in provinciis sibi commissis [55]. Nam officium Legati est in iure permanenter institutum, eique ex dispositione iuris est adnexa aliqua potestas ecclesiastica, quod evidenter patet ex ipsa distinctione quae can. 265 fit inter Legatos, qui mittuntur *cum iurisdictione* et sine iurisdictione; nec obstat quod in iure, saltem quoad Legatos a latere non sit in particulari definita eorum potestas, nam saltem est definita eo sensu quod est potestas superior potestate aliorum Praelatorum inferiorum, quibus in ordine servato in Codice praeponuntur, et quoad alios legatos expresse can. 267, § 1, 3° dicitur eorum potestas ordinaria in nonnullis rebus ibidem enumeratis; qua in hypothesi verificatur conceptus potestatis ordinariae can. 197 traditus.

Legati a latere potestas iure Codicis [56] quoad materias, personas et modum exercitii determinatur in singulis casibus per

[55] Iure Decretalium aperte etiam dicebatur ordinaria, et generali formula definiebatur eorum in respectiva provincia officium, quod in eam mittantur « *ut ibidem evellant et dissipent, aedificent et plantent* », cap. 2, de offic. legati I, 15, in Sext. Magis in particulari declarabatur colligendo ex variis capitibus iuris Decretalium, quae ipsis essent prohibita, quae permissa seu attributa. Cfr. Commentatores, v. gr. *Pirhing*, l. I, tit. 30, n. 5 sq.; *Reiffenstuel*, ibid. n. 11 sq.

[56] Iure Decretalium amplissima potiebantur potestate ordinaria, cuius exercitium obtinebant quamprimum Urbem vel Curiam reliquissent, cum ex eo iam tempore ad instar Proconsulum reputarentur Ordinarii cum imperio (cfr. cap. 2, n. 1, in Sext. et cap. 36, de elect. I, 6, in Sext.), et suam poterant exercere iurisdictionem *voluntariam*; immo statim alios delegare poterant ad causas cognoscendas intra fines Legationis sibi destinatae, licet iurisdictionem illam contentiosam personaliter exercere non possent, nisi post suum in provinciam ingressum. Cfr. *Schmalzgr.*, l. I, t. 30, n. 4; *Pirhing*, ibid. n. 17 sq.

Huc quoque spectant speciales honores ipsis concessi, velut vestis purpurea cum veste linea vel byssina, item equus albus phaleratus, frenum et calcaria deaurata, honorificus comitatus; quos honores pariter obtinebant statim ac Urbem relinquebant, postquam in Consistorio maxima cum sollemnitate fuissent electi.

speciale mandatum pontificium, « *tantum potest quantum ei a Summo Pontifice demandatum est* » (can. 266) [57].

Legati qui mittuntur cum titulo *Nuntii* vel *Internuntii*:

a) Fovent relationes inter Sedem Apostolicam et civilia Gubernia apud quae legatione stabili funguntur, secundum normas a Sancta Sede receptas.

b) In territorio sibi assignato advigilare debent in Ecclesiarum statum et Rom. Pontificem de eodem certiorem reddere [58].

c) Praeter commemoratas potestates ordinarias, alias obtinere solent facultates, quae tamen sunt omnes delegatae (can. 267). Quae facultates delegatae iam ad communem formulam redactae sunt [59], salvis peculiaribus facultatibus forte ad eam additis [60].

Legati missi cum titulo *Delegati Apostolici*, excluso, ut dictum est, munere diplomatico, eadem gaudent potestate et officio, quo Nuntii et Internuntii, invigilandi circa Ecclesiarum statum et referendi ad Rom. Pontificem (can. 267, § 2).

Illam suam potestatem Legati omnes ita debent exercere, ut ne intercipiant Ordinariis liberum suae iurisdictionis exercitium (can. 269).

[57] Ex praxi hodie recepta vel ipsi Legati a latere mitti haud raro solent sine ulla iurisdictione, v. gr. ad cohonestandum sua praesentia *celebrationem maximi cuiusdam eventus religiosi*, velut Congressus Eucharisticos.

[58] Si conferatur hic canon de potestate Nuntiorum cum canone praecedente de potestate Legatorum a latere, facile apparebit Nuntios, qui dicuntur mitti cum potestate Legati a latere, (cfr. de Nuntio in Hispania: *Ferreres*, Inst. I, n. 556), ex illa formula missionis non idcirco habere magis amplam potestatem ordinariam, sed ad summum ampliores ipsi tribui facultates delegatas, vel forte non indicat nisi merum titulum honoris in antiqua concessione fundatum. Cfr. v. gr. Breve Clementis XIII, 18 Dec. 1756, super facultatibus Nuntii Apost. in Hispania: « Te Nostrum et Apostolicae Sedis Nuntium apud cariss. in Chr. fil. Nostr. Carol. Hispaniar. reg. cath. ac universa Hispaniarum regna ... praefato regi subiecta *cum Legati a latere potestate* constituimus » in Arch. f. k. K. t. 11, p. 382, 392 sq.

[59] Cfr. formulam redactam a S. C. Cons. apud « Monitore ecclesiastico » a. 1920, p. 137 sq., et apud Nouv. Rev. Theol. a. 1921, p. 38 sq., 96 sq.

[60] Cfr. speciales facult. Nunt. Hispanico concessas apud *Ferreres*, Comp. Theol. mor. vol. II, p. 856 sq.

Praecedentiam habent supra omnes Ordinarios qui Cardinalitia dignitate non sint insigniti, tametsi forte charactere episcopali careant. Quodsi illo charactere sint aucti, possunt sine Ordinariorum licentia in omnibus eorum ecclesiis, excepta cathedrali, populo benedicere et officia divina etiam in pontificalibus, adhibito quoque throno et baldachino, peragere (can. 269, §§ 2, 3).

III. **Cessatio potestatis.** *a*) Per mortem Romani Pontificis munus Legati cum omnibus facultatibus eidem commissis non cessat, nisi aliter in litteris pontificiis fuerit statutum (can. 298, § 1; Const. « *Vacante Sede Apost.* » n. 20). Est generale principium quod potestas ordinaria non cessat morte concedentis; porro facultates delegatae Legatis conceduntur ad conveniens exercitium suae potestatis ordinariae.

b) Cessat munus Legati: 1°) expleto mandato, v. gr. si ad causam aliquam specialem vel ad determinatum complexum negotiorum expediendum unice missi sunt; 2°) revocatione Rom. Pontificis legitime intimata; 3°) renuntiatione a Rom. Pontifice acceptata [61] (can. 268, § 2).

---

[61] Per se patet munus et potestatem Legati cessare ipsius Legati morte, atque hoc valet etiam de Legatis *natis*, qui forte adhuc in iure vigenti quatenus tales retineant aliquam potestatem. Ita in Hungaria etiam ultimo saeculo, tempore sedis Strigoniensis vacantis, *iudex primatialis delegatus* ad instantiam regis apostolici per Breve pontificium nominatus est. Cfr. Arch. f. k. K. t. 55, p. 354. Videlicet potestas Legationis, etiam ratione sedis episcopalis obtentae, magis personalis quam realis censetur, ideoque ad Vicarium Capitularem non transit et successori nova concessione opus est, nisi agatur de mera retentione honoris ex titulo historico.

CAPUT VII

De Patriarchis, Primatibus, Metropolitis

516. **Fontes:** Cfr. font. alleg. ad tit. de Rom. Pontifice. — Decr. Grat. Dist. 21, 22, 99, 100; C. IX, q. 2, 3, et alibi passim. — Cpl. II, l. I, t. 4, de usu pall., t. 6, de suppl.; cpl. III, l. I, t. 7, de auct. et usu p.; cpl. IV, l. I, t. 4, d. usu et auct., t. 6, de suppl.; cpl. V, l. I, t. 6, de auct. — Decretal. Gregor. IX, tit. 8, 10, 31; Decretal. Bonif. VIII, l. I, 2, de suppl.; Const. Clem. V, l. I, t. 5, de suppl.; Extravg. com. l. I, t. 4. de auct. — Conc. Trid. Sess. V, cap. 1, 2, de ref. et passim alibi; Decret. Clementis Papae VIII, ed. *Sentis*, p. 14. — Collectan. S. C. de Prop. F. n. 16 sq.; Collect. Lacens. t. II, v. v. Patriarcha, Primates, Metropolita.

Scriptores: Commentat. iur. Decr. in cit. tit. — *S. Raym.*, Summa l. 1, t. 27, de differentiis officiorum § 1, de Papa § 2, de Patr. et Prim. § 3, de Metrop. et Archiep. — *Devoti*, Inst. canon. l. I, t. 3, sect. 3, de Patr., Prim., Metrop.; *Phillips*, l. c. t. II, §§ 66-73, t. V, §§ 240, 241, t. VI, §§ 348-352; *Scherer, l. c.* t. I, p. 531 sq.; *Hinschius*, l. c. t. I, p. 58 sq., t. II, p. 1 sq. — *Schelstrate*, De auctoritate patriarchali (a. 1687); *Andreucci*, De Patriarchis (a. 1766); *Quaranta*, De archiepiscopali auctor. (a. 1632); *Politi*, Ius patriarchic., Ius metropolitic. (a. 1788); *Ferraris*, l. c. v. v. Patriarcha, Primat., Metrop., Archiep.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. II, cp. 2, 4; Anal. iur. pont. t. VII, col. 513 sq.; *Bouix*, De Episcopo t. I, p. 397 sq. — *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 1, cap. 7 sq.; *Kraus*, Real-Encycl. v. v. Patriarcha, Primate, Exarch., Metropolit., Erzb., Pallium; *Lubek*, Reichseinteil. u. kirchl. Hierarch. d. Orient. iunct. Act. theol. Oenip. t. 27, p. 835 sq.; *Chelodi*, n. 180 sq.; *Ferreres*, I, 559 sq.; *Verm.-Cr.*, I, 388.

Praenotiones

517. I. **Connexio materiae.** Post absolutam disputationem de Legatis extra Curiam Romanam, sive ex officio sive ex speciali commissione *vices* Romani Pontificis agentibus, fit transitus ad Praelatos inter Romanum Pontificem et ordinarios Episcopos constitutos, quibus pariter extra Curiam Romanam, *praeter* regimen propriae dioeceseos, *vi officii* et ratione sedis episcopalis et participatione potestatis pontificiae diversis gradibus maioritas *ordinaria* in *alios* Episcopos stabiliter sive in perpetuum est concessa.

II. **Nomina et definitiones.** Si solam vim vocis attendas, *Patriarcha* est princeps patrum. Quo sensu etiam Primates et Metropolitae vocari possunt Patriarchae, atque adeo antiquissimo tempore simplices quoque Episcopi dicebantur Patriarchae [1]. At certe saltem ex saeculo quinto nomen Patriarchae nonnisi insignioribus Metropolitis vel Archiepiscopis integrarum dioecesium imperii Romani dari solitum est, v. g. Archiepiscopo Romano vel Constantinopolitano [2], et *sensu stricto* denotavit solummodo Praesules Ecclesiae, qui ex officio et vi sedis episcopalis haberent superiorem quandam iurisdictionem ecclesiasticam in omnes *Episcopos* et *Metropolitas* et *Primates* sive *Exarchas* vel *Catholicos* alicuius regionis [3].

Primas vel *Exarcha,* qui pro diversitate temporum et regionum diversam habuit dignitatem et potestatem, v. g. in Africa [4], nunc sensu stricto dicitur Praesul ecclesiasticus, cuius sedi episcopali vi muneris in perpetuum adnexum est ius quoddam super omnes *Metropolitas* et *Episcopos* alicuius regionis, ita tamen ut ipse *Patriarchae* subiciatur, vel si forte Romano Pontifici immediate sit subiectus, nomen Patriarchae non obtineat [5].

Metropolitae in antiqua Ecclesia etiam appellabantur Primates, v. g. in Africa, vel Exarchae, v. g. in c. 6 Conc. Sardic. (a. 343), at minime Archiepiscopi. Quod verbum Archiepiscopi fuit potius titulus honorificus, qui Metropolitis insignioribus, velut Patriarchis et Exarchis ipsique Romano Pontifici, communis et proprius fuit, et nonnisi ex saeculo sexto paulatim vel ipsis Metropolitis dari coeptum est [6]. Inde factum est, ut ex saeculo septimo Metropolitae frequentius etiam Archiepiscopi vocarentur.

---

[1] S. Isid. in §§ 1, 2, 3, 4, D. 21; *Thomassin.,* l. c. P. I, t. 1, cap. 3; *Kraus,* l. c. v. Patriarcha; *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. II, cap. 4, n. 6, 8; *Hefele,* l. c. t. I, p. 391.

[2] *Socrates,* Histor. eccl. l. V, c. 8; Conc. Chalced. Act. 2; *Hefele,* l. c. t. II p. 544, 692, 766, 768; *Zosimus,* Histor. l. II, c. 33.

[3] *S. Isidor.,* l. c.; c. 1 sq., D. 22; cap. 8, X. de maior. I, 33; Synod. Mont. Liban. (a. 1736), in Collect. Lac. t. II, col. 289 sq.; *Bouix,* l. c. p. 400.

[4] *Kraus,* l. c. v. v. Primate, Exarch.

[5] *Bouix,* l. c. p. 431.

[6] *Kraus,* l. c. v. Archiepiscopi (gr.); *Hefele,* l. c. t. II, p. 554 sq.; *Bouix,* l. c. p. 445 sq.; *Hinschius,* l. c. t. II, p. 22 sq.

Nomen vero *Metropolitae* est antiquissimum [7] et usque ad nostram aetatem ex more loquendi canonico denotat Antistitem, qui ex officio, ut plurimum sedi suae adnexo, praeest unius provinciae ecclesiasticae (eparchiae) Episcopis (paroeciarum) [8] alios Episcopos sub se non habentibus [9]. Qui Episcopi secundum antiquam et novam disciplinam dicuntur Episcopi vel sacerdotes *comprovinciales* (ἐπαρχιῶται · ἐπίσκοποι) [10] atque inde ex saeculo octavo, pro more in Gallia introducto, etiam audiunt *Suffraganei* [11].

III. **Divisiones.** Sub generico nomine *Archiepiscoporum* [12] omnes tres principales gradus hierarchiae iurisdictionis inter Rom. Pontificem et Episcopos constituti, sc. Patriarchae, Primates et Metropolitae comprehenduntur.

Patriarchae distinguuntur in Patriarchas *occidentales* sive ritus latini, et in *orientales* sive ritus orientalis, in Patriarchas antiquiores et *maiores,* sc. Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum [13], et in *minores,* sc. Venetum [14], Ulyssiponensem [15], Indiarum orientalium et occidentalium [16]. Quibus Patriarchis minoribus in Ecclesia Occi-

---

[7] Cfr. c. 4, 6, Nicaen. (a. 325); *Hefele,* l. c. t. I, p. 382 sq.; *Kraus,* l. c. v. Metropolit.

[8] Cfr. c. 35 Apost.

[9] *Bouix,* l. c. p. 446 sq.

[10] Cfr. c. 6, (?) Conc. Constantinop. (a. 382, non a. 381), iunct. *Hefele,* l. c. t. II, p. 26; c. 2, Conc. Ephes. (a. 431); c. 5, Conc. Tolet. IV, (l. 633); Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 2, de ref.

[11] Capitul. Heristall. (a. 739), c. 1; Nicol. M. (a. 865) in c. 10, C. III, q. 6.

[12] *Bouix,* l. c. p. 445 sq.; *Hinschius,* l. c. t. I, p. 540.

[13] Cfr. c. 6, Conc. Nicaen. (a. 325); c. 2, 3, Conc. Constantinop. (a. 381) iunct. *Hefele,* l. c. t. II, p. 16 sq.; c. 9 iunct. c. 28, Conc. Chalced. (a. 451); Grat. Dist. 22; cap. 23, X. de privil. V, 33.

[14] Cap. 13, X. de sent. II, 27; Benedicti XIV Const. « *Iniuncta* » 6 Iul. 1751; cap. 8, X. de caus. poss. II, 12, et Nicolai V, Const. « *Regis* » 8 Oct. 1451.

[15] Clem. XI Const. « *Inter praecipuas* » 17 Dec. 1737. Annuario Pontif. (a. 1943), p. 72. Cfr. *Ferreres,* Instituciones canónicas, I. n. 564.

[16] Cit. Ann. Pontif. p. 72, 960; *Hinschius,* l. c. t. I, p. 571 sq. Cfr. *Ferreres,* l. c. n. 565.

dentali adnumerari possunt Patriarchae ritus orientalis, qui nunc de facto existunt et unionem cum Sede Apostolica retinent[17].

Denique alii Patriarchae sunt mere *titulares* vel *honorarii*, v. g. Patriarchae quidam ritus latini in Urbe residentes[18], alii sunt *vera iurisdictione* instructi, quae tamen haud raro potestatem quandam *metropolitanam* vel dioecesanam non excedit, v. g. nunc in Patriarcha Hierosolymitano ritus latini[19].

Primates sive Exarchae pariter sunt aut *titulares* et *mere honorarii* absque ulla iurisdictione (id quod valet de omnibus Primatibus nunc existentibus, si excipias Primatem Strigoniensem in Hungaria)[20], aut veri et *residentiales* vi officii *potestate primatiali* praediti, v. g. in antiqua Ecclesia Arch. Ephesinus, Caesariensis in Ponto, Heracleensis in Thracia[21] et Carthagin.[22] in Africa.

Item sunt Primates vel Exarchae vere alicui *Patriarchae subiecti*, cum alii dicantur ἀκέφαλοι vel αυτοκέφαλοι quippe exempti a iure patriarchali. Huiusmodi Exarchae ἀκέφαλοι sive autocephali antiquitus praesertim fuerunt cit. Arch. Ephesinus, Caesariensis et Heracleensis, donec inde a Concilio Chalcedonensi (a. 451) c. 9 paulatim Patriarchae Constantinopolitano subicerentur.

Metropolitae[23] distinguuntur *veri* et *residentiales*, qui alios Episcopos sibi subiectos habent, et mere *titulares*, qui sunt Epis-

[17] Synod Mont. Libani (a. 1736), l. c. not. 3; *Card. Hergenroether*, in Arch. f. k. K. t. VII, p. 337 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 560 sq.

[18] Benedict. XIII Const. « *Romanus Pontifex* » 20 Sept. 1724; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 15, n. 17.

[19] Pii IX Const. « *Nulla celebrior* » 23 Iul. 1847; Synod. Mont. Liban. (a. 1736), in Collect. Lac. t. II, col. 300, de *iure* metropolitico soli Patriarchae apud Maronitas reservato manentibus penes Metropolitas solis tituli et honoris praerogativis.

[20] Arch. f. k. K. t. 55, p. 353 sq.; *Phillips*, l. c. t. II, p. 63 sq.; *Hinschius*, l. c. t. I, p. 576 sq.

[21] Cfr. c. 6, Conc. Nicaen. (a. 325), iunct. c. 2. Conc. Constantinop. (a. 381), et c. 9 Conc. Chalced. (a. 351); *Phillips*, l. c.; *Hinschius*, l. c.

[22] *Schelstrate*, Ecclesia Africana sub Primate Carthag.; *Thomassin.*, l. c. cap. 20 n. 5 sq., *Phillips*, l. c. p. 70 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 581 sq. Cfr. quoque c. 45 Conc. Carthag. III, (a. 395); c. 2, 3, 4 Conc. Hippon. (a. 393), iunct. *Hefele*, l. c. t. II, p. 55.

[23] *Phillips*, l. c. p. 78 sq.

copi *exempti* cum titulo Archiepiscopi[24], aut absque ulla exemptione a iure metropolitico aliis Episcopis comprovincialibus solummodo praecedunt *titulo honorifico* Archiepiscopi[25].

Denique sunt Metropolitae *autocephali*, i. e. nulli Patriarchae vel Exarchae sive Primati subiecti, v. g. Metropolita Constantiae in insula Cypro[26]. Quo sensu nostra aetate omnes fere Metropolitae sunt ἀκέφαλοι nam immediate a Romano Pontifice dependere solent, quoniam vera quaedam superior iurisdictio in Primatibus vel Exarchis ordinarie non amplius existit, ideoque haec terminologia in usu loquendi canonico saltem Ecclesiae *latinae* non est recepta. Cfr. de Ecclesia *Orientali*: Collect. Lac. t. II, col. 297; Conc. provinc. Alba-Iul. (a. 1872) p. 34, 28; Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 206 sq., Synod. prov. Ruthen. (a. 1891) p. 115 sq.; Synod. Alexandr. Coptor. (a. 1898) p. 176 sq., 180 sq.

Art. 1. — Principia fundamentalia[27]

518. Omnes Episcopi, cum quoad *ordinis* potestatem a Christo institutam eiusque *validum* exercitium aequales sint, in hierarchia ordinis in diversis gradibus substantialiter distinctis non sunt constituti paremque cum ipso Romano Pontifice habent potestatem *ordinis episcopalis*[28]. Quare gradatio, si quae existit inter Episcopos, ea nonnisi *accidentalis* esse potest in *usu licito* et legitimo potestatis *ordinis*, aut aliunde ex potestate *iurisdictionis est* repetenda. At ex iure divino solus Romanus Pontifex cum suprema plenaque potestate *iurisdictionis super* omnes Episcopos est constitutus, et quamvis *officium* Episcoporum pariter nitatur

[24] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. II, cap. 4, ubi agit de Archiepiscopis Italiae, qui Suffraganeis carent.

[25] In Annuario Pont. (a. 1943) p. 280 sq. recensentur nomina archidioecesium et dioecesium quarum ecclesiae a Sede Apostolica Archiepiscopis et Episcopis *titularibus*, qui olim dicebantur esse in part. infid. constituti, ex praxi recepta concedi solent.

[26] *Hefele*, l. c. t. II, 207; c. 39, Conc. Trullan. (a. 692); *Hinschius*, l. c. t. I, p. 578 sq.

[27] *Wilmers*, De Christi Eccl. p. 213 sq., 350, 361, 365; *Phillips*, l. c. t. II, p. 1 sq., 78 sq., 87 sq.

[28] Synod. Mont. Liban. (a. 1736), in Collect. Lac. t. II, col. 289 sq.; *Bouix*, l. c. p. 397 sq.

ordinatione divina, tamen singulis Episcopis a Romano Pontifice tanquam a causa proxima iurisdictio episcopalis conceditur. Unde nullus Episcopus in alium Episcopum habet *superiorem* quandam auctoritatem, nisi illam a Romano Pontifice obtinuerit. Etenim ex iure divino omnes Episcopi inter se etiam quoad *iurisdictionem* sunt aequales, et in hierarchia *iurisdictionis praeter* gradum Episcoporum tantum *unus* est gradus superior, i. e. primatus iurisdictionis Romani Pontificis, qui eminenter gradus inferiores in se continet, sicut in hierarchia *ordinis certo* tantum *tres* ordines iure divino reperiuntur instituti [29]. Gradus igitur medii in hierarchia iurisdictionis inter Rom. Pontificem et simplices Episcopos, i. e. Patriarchae, Primates, Metropolitae iure *mere humano* instituti sunt, universaque ipsorum iurisdictio superior in alios Episcopos est *participatio* quaedam *potestatis pontificiae* sive *expresse* sive *tacite* facta. Cfr. Rubricam tit. VI et Pii VII Respons. cit. ad Metropol. cap. 9, n. 9 sq.; Pii IX Const. « *Reversurus* » 12 Iul. 1867 de Patriarchatu Armenorum. Inde autem minime consequitur iurisdictionem Patriarcharum, Primatum et Metropolitarum fuisse mere *delegatam*. Illorum enim iurisdictio erat ordinaria [30], quia dabatur *vi officii* in *perpetuum* alicui *sedi episcopali* adnexi, neque iurisdictio *derivata* (genus) confundenda est cum iurisdictione *delegata* (specie); secus vel ipsa iurisdictio Episcoporum, immo Romani Pontificis esset delegata. Nam iurisdictio ab uno in alium *derivari* potest aut *vi officii* concessi ut *ordinaria,* aut *vi commissionis* ut mere *delegata.*

Cuius principii fundamentalis corollarium, est quod potestas Patriarcharum, Primatum et Metropolitarum illuc redire possit, unde orta est. Ex natura igitur rei Rom. Pontifex pro plenitudine suae potestatis iura patriarchalia, primatialia, metropolitica potest non solum *augere* vel multiplici ratione *limitare,* v. g. quoad *territorium* et *personas* et *causas,* per privilegia perpetua vel dispensationes transitorias, circa modum exercendi illa iura, sed etiam omnes illos gradus intermedios ex toto vel ex parte

[29] Cfr. Nicol. I, in c. 8, C. IX, q. 3; capita X. de off. iud. ord. I, 31; *Phillips,* l. c. p. 30 sq.; *Nilles,* Kalendarium manuale utriusque Eccles. t. I, p. 456 sq.; *Bouix,* l. c. p. 185 sq.

[30] Cfr. cap. 11 pr. X. de off. iud. ord. I, 31; *Phillips,* l. c.

simpliciter supprimere solusque cum ordinariis Episcopis absque ullis Metropolitis aliisque Archiepiscopis universam Ecclesiam gubernare. Etenim Rom. Pontifex super omnes canones et consuetudines, quibus praerogativae Patriarcharum, Primatum et Metropolitarum innituntur, de iure divino est constitutus.

519. Quemadmodum autem initio Ecclesiae S. Petrus omnibus Apostolis per orbem terrarum divisis praefuit, ita in singulis regionibus pro forma [31] collegii apostolici mox alia inferiora collegia Episcoporum, uni praelato immediate subordinata, sapienter instituta sunt. Nam salvo principio efficaci *unitatis* Ecclesiae in cathedra S. Petri constituto, vi illius institutionis in *multitudinem* singulorum Episcoporum ea inducitur ordinata divisio coniuncta cum naturali cohaesione, ut per mirabilem hierarchicam gradationem Ecclesia maiorem consequatur pulchritudinem et firmitatem. Nunc quoque, gradibus illis intermediis saltem ex parte merito retentis, Episcopi principalium sedium in maiores partes sollicitudinis vocantur Romani Pontificis, cui soli universus *orbis terrarum* datus est in *dioecesim.*

Art. 2. — Origines et vicissitudines historicae

520. In dubium vocari non potest, quin ab antiquissimis temporibus de facto nequaquam omnes Episcopi *parem* habuerint iurisdictionem vel honorem [32]. Nam, omissa praerogativa Romani Pontificis, iam ipsa ordinatione Apostolorum ad aliquos Episcopos maior quaedam delata est potestas, v. g. ad S. Titum in insula Creta [33], ad Timotheum [34] in Asia proconsulari. Quos Episcopos Apostoli *sibi* habuerunt subiectos. Ipsis quoque epistolis S. Pauli satis videtur insinuari iam tunc aliquas ecclesias v. g. Corinthi, Philippis, Ephesi fuisse centra quaedam aliarum ecclesiarum eiusdem provinciae, v. g. Achaiae, Macedoniae, Asiae proconsularis. Quae praerogativae iurisdictionis et honoris

[31] S. Leon. epist. 14, c. 12; Pii IX cit. Const. « *Reversurus* »; Synod. Mont. Liban. (a. 1736), l. c. col. 289 sq.; *Phillips,* l. c. t. II, p. 7, 9, 18 sq.

[32] Cfr. c. 4, 5, 6, Conc. Nicaen. (a. 325); c. 2 Conc. Constantinop. (a. 381).

[33] Tit. I, 5, 6; *Dunin-Borkowski,* in Act. theol. Oenip. t. XXVII, p. 62 sq., 181 sq., t. XXVIII, p. 217, (Zur urchristlich. Verfassungsg.).

[34] I Timoth. I, 3; *Phillips,* l. c. t. II, p. 10 sq.

facile auctae sunt in civitatibus, in quibus ipsi Apostoli sedem episcopalem tenuerunt aut fundarunt velut Antiochiae, Hierosolymis etc. [35]

Praeter exemplum Apostolorum, ipsa propagatione Ecclesiae, qua ecclesiae particulares novas fundarunt ecclesias filiales non discedentes a matre [36], deinde frequenti Synodorum celebratione in diversis provinciis [37] vel rationabili consuetudine ab Ecclesia saltem tacite approbata [38] tandem effectum est ut iam primis saeculis ad sedes quasdam episcopales, sive ratione ipsius sedis sive ob praerogativam sedentis, maior delata esset potestas [39]. Quem morem iam introductum postea secuta est accuratior terminologia [40].

Quodsi ipsa ordinatio Apostolorum legitimaque consuetudo ex *natura rei* profecta et ab Ecclesia approbata huius gradationis hierarchicae *unicae causae efficientes* dicendae sunt, minime negamus institutiones Iudaeorum [41], divisionem provinciarum Romanarum [42], immo usus quosdam paganorum suis vitiis liberatos potuisse esse *occasiones, adminicula externa, subsidia* naturalia [43], quibus Ecclesia illo tempore etiam ad formandam

---

[35] *Tertullian.*, De praescript. s. 36; *Phillips,* l. c. p. 12 sq., t, I, § 18.

[36] *Tertullian.*, l. c. c. 20; c. 2 Conc. Constantinop. (a. 381), i. f.; Synod. Alexandr. Copt. (a. 1898), p. 180 sq., 185 sq.; *Phillips,* l. c. t. II, p. 14 sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch,* l. c. t. I, p. 438 sq., 684 sq.

[37] *Hefele,* l. c. p. 83 sq.

[38] Cfr. c. 6 Conc. Nicaen. (a. 325); Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω; *Hefele,* l. c. p. 389 sq.

[39] Cfr. cit. can. 4, 5, 6 Conc. Nicaen. (a. 325); c. 2 Conc. Constantinop. (a. 381), iunct. c. 58 Conc. Illiber. (a. 300-305), c. 12 Conc. Carthag. (a. 390), c. 26 Conc. Carthag. (a. 397); c. 14 Conc. Milev. (a. 402), de praxi Hispaniae et Africae et, ut videtur, etiam aliarum regionum Episcopo *seniori* provinciae concedendi praerogativam honoris et amplioris potestatis. Cfr. *Kraus,* l. c. v. Metropolit.

[40] *Phillips,* l. c. p. 3 sq., 15 sq. Cfr. c. 33, 35, Apostol.; c. 4, 5, 6, Conc. Nicaen. (a. 325); c. 9 Conc. Antioch. (a. 341); c. 4 Conc. Sardic. (a. 343).

[41] *Bacchini,* De ecclesiasticae hierarch. originibus (a. 1073); *Phillips,* l. c. p. 20 sq., 46 sq.

[42] *Zosimus,* Histor. l. II, c. 33; *Bianchi,* « Della potestà e della politica della Chiesa », t. IV, p. 17 sq.; *Walter,* Gesch. D. roem. Rechts, t. I. n. 233 sq., 308 sq., 376 sq.

[43] Cfr. c. 1, 2, D. 80, iunct. *Phillips,* l. c. p. 27 sq.; *Wilmers,* De religione revelata p. 290 sq., 299 sq.

hierarchiam ecclesiasticam secundario quodam modo usa sit. At nequaquam ex huiusmodi *occasionibus vera origo* et causa superioris iurisdictionis certorum Episcoporum est repetenda. Neque Ecclesia *serviliter* ordinem civilem gradibus hierarchicis adaptavit, sed potius fortiter restitit suamque vindicavit independentiam, cum ex divisione civilium provinciarum falsae introducerentur theoriae et perversae praxes [44].

521. *Patriarchae* [45] non proprio illo nomine, sed quoad rem et substantiam prima vice c. 6 Conc. Nicaeni appellantur Episcopus Romanus, Alexandrinus et Antiochenus. Quoniam autem potestas illa superior Episcopi Alexandrini in Aegyptum, Lybiam et Pentapolim ibidem dicitur niti *antiquis moribus,* evidenter multo antiquior est origo Patriarcharum. Quodsi Episcopus quoque Romanus cit. can. 6 commemoratur ad instar termini comparationis potestatis Episcopi Alexandrini, nequaquam ut *Primas ecclesiae universalis,* sed ut *Metropolita* quidam maiorum sedium inducitur [46]. Ex singulari vero relatione, quae inter Sedem Apostolicam S. Petri et Ecclesiam Alexandrinam et Antiochenam intercessit, complures Romani Pontifices explicant [47] quare Episcopus Alexandrinus et Antiochenus post Episcopum Romanum tenuerint primas sedes patriarchales. Quae ratio quamvis *unica* non sit, ob quam Ecclesia antiquos mores de iuribus et praerogativis illorum Patriarcharum approbavit, tamen negligenda non est [48]. In Romano Pontifice dignitas Patriarchae Occidentalis profecto non semper rigorose distinguebatur ab ipsius

---

[44] Cfr. c. 4 Conc. Nicaen. (a. 325), et c. 9 Conc. Antioch. (a. 341), iunct. *Hefele,* l. c. t. II, p. 382 sq.; c 12, 17, 28, Conc. Chalced. iunct. *Hefele,* l. c. t. II, p. 517, 521, 529 sq.; Innoc. I, a. 415, in c. 1. § 1, D. 10; Leo M. epist. 104, 106.

[45] *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 1, cap. 6 sq.

[46] Postquam de vi et ambitu illius canonis 6 Conc. Nicaeni diversae propugnatae fuerunt opiniones, tandem nostra aetate in sobria et genuina interpretatione viri docti convenire solent. Cfr. *Phillips,* l. c. t. II, p. 34 sq.; *Hefele,* l. c. t, I, p. 389 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 209.

[47] Innocent. I a. 415; Gregor. M. ad Eulog. Alex. Cfr. c. 1, D. 10; *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 1, cap. 7, n. 7 sq., cap. 8, n. 1 sq., cap. 9, n. 1 sq.

[48] Ita recte *Thomassin.*, l. c.; *Phillips,* l. c. t. I, p. 128 t. II, p. 31 sq. Aliter opinatur *Scherer,* l. c. t. I, p. 534, not. 11, inefficacibus innixus rationibus. Cfr. quoque Nicol. M. resp. 92 ad Bulgar. (a. 866) et Synod. Mont. Lib. (a. 1736) l. c. col. 290 sq.

primatu iurisdictionis; nihilominus in dubium vocari nequit ipsum, etiam ut Patriarcham Occidentalem, habuisse territorium quoddam a dioecesibus aliorum Patriarcharum paulatim accuratius distinctum [49].

Concilium Nicaenum (a. 325) can. 7 specialem *honorem* Episcopi Aeliensis (Hierosolymitani) consuetudine et antiqua traditione innixum confirmavit, *salvo* tamen iure metropolitico Episcopi Caesariensis [50]. Similiter in Concilio Constantinopolitano I (a. 381) c. 3, indubitanter genuino, Episcopo Constantinopolitano [51] ab Episcopis Orientalibus concessa est praerogativa *honoris* immediate post Episcopum Romanum, *eo quod illa civitas esset nova Roma*. Qui canon a Romanis Pontificibus per multa saecula non fuit admissus. At huiusmodi honoris concessionibus saltem in praxi illud effectum est, ut Episcopus Constantinopolitanus mox de facto praeter honoris eminentiam etiam *iurisdictionem* exarchicam in universas Thraciae provincias [52], immo can. 9, 17 et 28 Conc. Chalced. (a. 451) in Asiam quoque proconsularem et Pontum obtinuerit [53]. Episcopus Hierosolymitanus, postquam malae artes Iuvenalis in Concilio Ephesino (a. 429) felicem exitum non habuerunt [54], tandem in Concilio Chalcedonensi (at invito S. Leone) immunitatem a Patriarchatu Antiocheno et cum iure metropolitano etiam potestatem exarchicam in tres provincias Palaestinenses consecutus est [55]. Quare mirum non est quod, non obstante can. 28 Conc. Chalcedon, quo Epis-

[49] Cfr. Synod. Arelat. (a. 314), et *Hefele*, l. c. t. I, p. 202 sq.; c. 6 Conc. Nicaen. (a. 325); Innoc. I, ad decent. Tugubin.; Iustinian. Novell. 199; Nicol. M. l. c.; cap. 23, X. de privil. V, 33; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. II, cap. 2, n. 2; *Phillips*, l. c. t. I, p. 37 sq.

[50] *Hefele*, l. c. t. I, p. 403 sq.

[51] *Hefele*, l. c. t. II, p. 17 sq., 538 sq.

[52] *Hefele*, l. c. t. II, p. 18. Cfr. quoque c. 2 Conc. Constantinop. (a. 381) et *Hefele*, l. c. p. 16 sq.

[53] *Hefele*, l. c. p. 513 sq., 521.

[54] *Hefele*, l. c. p. 213.

[55] *Hefele*, l. c. p. 477 sq., 502 sq.; Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888), p. 210: « *Iam antea* (i. e. a. 1215), *Patres Concilii Nicaeni II, anno* 787 (non 780, ut per errorem legitur in textu Concilii) *dignitatem patriarchalem Sedi Hierosolymitanae dederunt* »; at in Concilio Nicaeno II dignitas patriarchalis Sedis Hierosolymitanae potius iam *supponitur* legitime acquisita quam denuo concessa. Cfr. *Hefele*, l. c. t. II, p. 459, 453 sq., 464.

copus Constantinopolitanus ex falsis omnino principiis sibi acquirere studuit novas honoris et potestatis praerogativas [56], Romani Pontifices et Episcopi Ecclesiae Occidentalis diu tantum *tres* admiserint Patriarchas, sc. Romanum, Alexandrinum et Antiochenum [57]. Graeci, usurpatas praerogativas Patriarchae Constantinopolitani iterum iterumque approbantes [58], tandem eo processerunt, ut eundem etiam nomine et iurisdictione Patriarchae « *oecumenici* » (i. e. imperii orientalis) honorarent [59]. Qua in dignitate Patriarcha Constantinopolitanus multo magis confirmatus est, cum saeculo septimo reliqui Patriarchatus Orientales per invasionem Arabum fere ad interitum perducerentur. Post ortum schisma, tempore expeditionum in terram sanctam, antiqui illi Patriarchatus restaurati et Praesulibus *ritus latini* provisi sunt. Quo tempore demum Rom. Pontifices illam gradationem quinque Patriarcharum sollemniter confirmarunt [60]. At amissa terra sancta et destructa dominatione latina in imperio Byzantino novi Patriarchatus interierunt et usque ad nostram aetatem meris dignitatibus titularibus, R. Pontifici tamen reservatis [61] adnumerantur [62]. Patriarchae vero ritus orientalis, excepta brevi interruptione per unionem in Concilio Florentino factam, in aperto schismate perseverarunt. At paulatim ex dissolutione antiquorum Patriarchatuum *Orientis minores* quidam *Patriarchatus* ibidem orti sunt, e quibus complures communionem cum Sede Apostolica retinent, veluti Maronitarum, Chaldaeorum, Armenorum, Melchitarum, Syrorum, Coptorum [63].

[56] *Hefele*, l. c. t. II, p. 528 sq., 538.

[57] S. Leo epist. 104; Gelasius († a. 498), epist. 42, apud *Thiel*, Epist. R. P. t. I, p. 455 sq.; S. Isidor. inc. 1, § 2, D. 21; Nicolaus M. in cit. resp. ad Bulg.

[58] Synod. Trullana c. 36, (a. 692); Synod. Costantinop. IV, (a. 869), c. 17; cfr. c. 6, 7, D. 22.

[59] *Hefele*, l. c. t. II, p. 692, 768; *Card. Hergenroether*, Photius.

[60] Cap. 23, X. de privileg. V, 33; cap. 8, X. de maior. I, 33; cap. 40, X. de elect. I, 6, in p. d.; Synod. prov Ruthen. (a. 1891), p. 115 sq.

[61] Bonifac. VIII, in cap. 3, de elect. I, 3, in Extravg. com. iunct. *Giraldi*, Expos. iur. pont. P. I, sect. 432, in cap. 4, X. de his, quae fiunt III, 10.

[62] Cfr. supra h. tit. not. 18, 10; *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 1, cap. 26.

[63] *Phillips*, l. c. t. II, p. 54 sq:; *Thomassin.*, l. c. cap. 24, 25; Synod. Mont. Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II, col. 290 sq.; Synod. Sciarf.

In Ecclesia *Occidentali veri quidam Patriarchae* maiores re et nomine praeter Patriarcham Romanum nunquam extiterunt, nisi quis dicat *Primatem Carthaginiensem* habere maximam similitudinem cum Patriarchis Orientalibus. Aliqui Patriarchae *minores* in Ecclesia quoque Occidentali instituti sunt, qui potius Primatibus vel simplicibus Metropolitis sunt accensendi [64].

522. *Exarchae* sive *Primates* quidam, i. e. Episcopus Heracleensis, Ephesinus et Caesariensis prima vice insinuantur can. 6 Conc. Nicaen. (a. 325) [65], expressis vero verbis commemorantur c. 2 Conc. Constantinopol. (a. 381), qui praefuerunt *dioecesibus* Thraciae, Asiae proconsularis et Ponti [66]. Qui Exarchae vel Eparchae dioecesium denuo occurrunt cc. 9 et 17 Conc. Chalcedonensis (a. 451) et a Latinis etiam *Primates* dioecesium appellantur [67]. Huiusmodi Exarchis Ecclesiae Orientalis merito aequiparari potuit in Occidente *Primas Carthaginiensis,* cui non pauca iura in provincias ecclesiasticas Africae septentrionalis fuerunt commissa, ut iam testatur S. Cyprianus († a. 258), et colligitur ex canonibus Conciliorum Africanorum [68].

In alis regionibus Occidentis superior illa dignitas et iurisdictio Primatis in plures Metropolitas et provincias, quam non pauci Praesules ratione suarum sedium sibi vindicarunt, non ex *antiqua* quadam *consuetudine,* sed potius ex deputatione expressa Romani Pontificis, ut in Archiepiscopo Thessalonicensi, est repetenda. Quare universa illa disputatio de Primatibus fere reducitur ad disquisitionem de Vicariis vel Legatis natis Sedis Apostolicae [69]. Cuiusmodi honorem Primatis *in Gallia* inde ab a. 417 cum multis vicissitudinibus obtinuit Episcopus *Arelatensis* [70]; alii quoque Episcopi in illo regno eandem praerogativam consecuti sunt, velut Viennensis, Lugdunensis, Bituricensis et Remensis [71]. In *Hispania* dignitatem primatialem Episcopi *Toletani* [72] sibi vindicarunt. Quae dignitas a Romanis Pontificibus pluries admissa, v. g. ab Urbano II a. 1088 et ab Hadriano IV a. 1156, multarum controversiarum origo fuit, cum alii non pauci Archiepiscopi earundem regionum contenderent suis quoque sedibus praerogativas dignitatis primatialis saltem in certas provincias esse adnexas [73].

Syror. (a. 1888) p. 209 sq.; Synod Alexandr. Copt. (a. 1898), p. 181; supra h. tit. not. 17.

[64] Cfr. supra h. tit. not. 14 sq.; *Phillips,* l. c. p. 60 sq.; *Scherer,* l. c. t. I, p. 540; *Thomassin.,* l. c. P. I, l. 1, cap. 21 sq.

[65] *Hefele,* l. c. t. I, p. 395 sq.; *Hinschius,* l. c. t. I, p. 576 sq.

[66] *Thomassin.,* l. c. cap. 17 sq.; *Phillips,* l. c. p. 63 sq.

[67] *Hefele,* l. c. t. I, p. 513 sq.

[68] Cfr. c. 1, 2, 15, Conc. Carthag. III, (a. 397); c. 2 Conc. Milevit. (a. 402); *Thomassin.,* l. c. cap. 9, n. 1 sq.; cap. 20, n. 1 sq.; *Schelstrate,* Ecclesia African. sub Primate Carthag.; *Phillips,* l. c. p. 70 sq.; *Hinschius,* l. c. p. 581 sq.

[69] *Thomassin.,* l. c. cap. 30 sq.; *Phillips,* l. c. p. 66; *Hinschius,* l. c. p. 583 sq.

In Italia Archiepiscopus *Pisanus,* post alia obtenta privilegia honoris et iurisdictionis in insulam Corsicam, tandem a. 1138 ab Innocentio II et a. 1198 ab Innocentio III honore Primatis et Legati Apostolici in insulam Sardiniam insignitus est. Quam concessionem non paucae limitationes et controversiae secutae sunt. Insuper Archiepiscopus *Salernitanus* titulum Primatis derivat ex concessione Urbani II, quae a. 1099 facta esse dicitur [74].

Inter Archiepiscopos *Germaniae* [75] iam a. 863, c. 3 Conc. Romani, Antistes Trevirensis dicitur Primas Belgicae. Maxime vero Archiepiscopus Moguntinus quoad rem habitus est Primas Germaniae.

De eadem praerogativa Primatis Germaniae diu contenderunt Archiepiscopus Salisburgensis et Magdeburgensis, donec a. 1530 transactione inita lis sopiretur atque extinctione archidioecesis Magdeburgensis tempore reformationis penitus cessaret.

Pro regionibus septentrionalibus Daniae et Scandinaviae [76] Archiepiscopi *Bremenses* et *Hamburgenses* non solum Primatum, sed etiam Patriarcharum honores a Clemente II, Leone IX et Victore II suis ecclesiis acquirere studuerunt. At frustra; etenim solummodo Legationem quandam Apostolicam a. 1047 a Cle-

[70] *Thomassin.,* l. c. n. 5 sq.; *Phillips,* l. c. p. 71 sq.; *Hinschius.,* l. c. t. I, p. 588 sq., ubi multa videt et conicit quae in fontibus non sunt expressa.

[71] *Thomassin.,* l. c. cap. 34 sq.; *Hinschius,* l. c. p. 591, 595 sq.

[72] *Hefele,* l. c. t. II, p. 720 sq., t. III, p. 66.

[73] *Thomassin.,* l. c. cap. 38; *Hinschius.,* l. c. p. 591 sq. Cfr. v. g. cap. 7, X. de rest. in integr. I, 41.

[74] *Thomassin.,* l. c. cap. 37, n. 5; *Hinschius,* l. c. p. 605 sq.

[75] *Thomassin.,* l. c. cap. 37, n. 1; *Scherer,* l. c. p. 538 sq., 521 sq., 541; *Hinschius,* l. c. p. 607.

[76] *Thomassin.,* l. c. cap. 37, 2; *Hinschius,* l. c. p. 614 sq.

mente I obtinuerunt, deinde a Leone IV a. 1053 et Victore II a. 1055 confirmatam. Postea vero ab Alexandro III a. 1164 et 1172 in Archiepiscopum *Lundensem* tituli Primatis Sueciae et Legati Apostolici translati sunt.

Archiepiscopus *Gnesnensis*, qui iam a. 1416 in Concilio Constantiensi Primas regni Poloniae dicitur esse renuntiatus, certe a Leone X a. 1515 dignitatis primatialis confirmationem et praerogativae Legati nati concessionem adeptus est [77]. Pari ratione Archiepiscopus *Strigoniensis*, postquam ob dignitatem sedis suae iam plura iura acquisivit, etiam disertis verbis a Bonifacio IX a. 1394 et multo magis a Nicolao V a. 1451 ut Primas et Legatus natus Sedis Apostolicae per regnum *Hungariae* approbatus et pro maiori cautela etiam denuo renuntiatus est [78].

Pro more aliorum regnorum *Anglia* quoque suum habuit Primatem, i. e. Archiepiscopum *Cantuariensem*, neque solitae defuerunt controversiae cum Archiepiscopo Eboracensi de eadem dignitate. Quare Archiepiscopus Cantuariensis, ut distingueretur ab Archiepiscopo *Eboracensi*, sese «*Primatem Angliae*» appellante, dictus est «*Primas totius Angliae*» usque ad interitum hierarchiae catholicae per pseudo-reformationem [79]. In *Scotia* Sixtus IV circa a. 1472-1476 Archiepiscopo S. Andreae concessit titulum Primatis Scotiae. Quamdiu in *Hibernia* unicus tantum exstitit Archiepiscopus, is Primati Cantuariensi fuit subiectus; at postquam Eugenius III a. 1151 Hiberniam in quatuor archidioeceses divisit, iam a. 1171 Archiepiscopus Armacensis in Synodo nationali vocatur *Primas totius Hiberniae*. Quam praerogativam Alexander IV a. 1255 confirmavit non obstantibus exceptionibus.

Praeterea complures alii Archiepiscopi, qui ex antiquo tempore titulo Primatum gloriabantur, v. g. Tarraconensis in Hispania, Bracharensis in Lusitania, Antibarensis in Montenegro,

---

[77] *Thomassin.*, l. c. n. 3; *Hinschius*, l. c. p. 621 sq.

[78] *Thomassin.*, l. c. n. 4; *Scherer*, l. c. p. 541, not. 39, 40; *Hinschius*, l. c. p. 622 sq.

[79] Cfr. cap. 1, X. de off. leg. 30; cap. 1, X. ut lite pendente II, 16; *Thomassin.*, l. c. cap 36; *Scherer*, l. c. p. 539, not. 31; *Hinschius*, l. c. p. 616 sq.

S. Salvatoris in Brasilia, Mechliniensis in Belgio, inter Primates in Concilio Vaticano fuerunt admissi [80].

523. *Metropolitae* [81], qui nunc ut plurimum audiunt *Archiepiscopi* [82], a Patribus Nicaenis a. 325 can. 4 prima vice dicuntur praeesse confirmationi et electioni vel cheirotoniae Episcoporum uniuscuiusque eparchiae sive provinciae. At cum canone Nicaeno evidenter iam *supponatur* Metropolitas existere, multo antiquior est ipsorum origo. Et profecto can. 35 [33] Apostol. statuitur: Τοὺς ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, ad quem canonem provocare videntur Episcopi in Conc. Antioch. (a. 341) congregati, ubi can. 9 Episcopi, in metropoli provinciae (civilis) residentis, praerogativae iuris et honoris pro universa *eparchia* sive provincia *approbantur*, salvis iuribus Episcoporum in suis *paroeciis* et omnium Episcoporum comprovincialium. Porro iam secundo saeculo celebrata fuerunt Concilia particularia sive topica, quibus Episcopi quidam insigniores praesidebant [83]. Neque in dubium vocari potest ipsos Apostolos suo agendi modo, v. g. cum Tito et Timotheo atque fundatione ecclesiarum in principalibus civitatibus provinciarum (metropolibus), praxim illam Metropolitarum saltem praeformasse [84]. Quod officium Metropolitae quamvis in Ecclesia Orientali [85] certe iam ex saeculo quarto cum *sede* Episcopi metropolis provinciae civilis fuerit indubitanter coniunctum, tamen in Africa septentrionali Episcopus, qui inter comprovinciales *ordinatione* fuit *senior*, tanquam *Primas* provinciae vel primae sedis Episcopus vel senex et pater, vices Metropolitae

---

[80] Pii IX Const. «*Multiplices*» 27 Nov. 1869, § 4, iunct. *Scheemann*, D. Can. d. Vatic. Conc. p. 59 sq.

[81] *Thomassin.*, l. c. cap. 39 sq.; *Phillips*, l. c. t. II, p. 78 sq.; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 1 sq.

[82] Cfr c. 3, D. 99 iunct. c. 1, § 4, D. 21, et cap. 11, X. de off. iud. ord. I, 31; cap. 5, de praeb. III, 2, in Extravg. com.; inscriptiones Encycl. pontificiar.

[83] Hefele, l. c. t. I, p. 83 sq., 92.

[84] *Thomassin.*, l. c. n. 2; *Kraus*, l. c. v. Metropolit.

[85] Cfr. c. 4 Conc. Nicaen. (a. 325; *Hefele*, l. c. t. II, p. 382 sq.; c. 9. Conc. Antioch. (a. 341); *Thomassin.*, l. c. n. 3, 4; c. 12, 17, Conc. Chalced. a. 451; *Hefele*, l. c. t. II, p. 517; Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888), p. 215 sq.; Synod. Alexandr. Copt. (a. 1898), p. 184.

aliarum regionum explevit [86]. Vestigia quoque non desunt quod praxis Africana forte etiam in aliis provinciis ecclesiasticis, v. g. in Hispania, antiquitus fuerit recepta [87]; at ex saeculo quinto etiam in illis provinciis, v. g. in Gallia, ratione sedis non dignitate sedentis ius metropoliticum fuit definitum [88]. *Iura* et *officia* Metropolitarum in antiquis canonibus satis accurate enumerantur [89]. Quae cum solo iure humano niterentur, pro temporum conditione ampliari vel restringi potuerunt. Quodsi iura metropolitica a Romanis Pontificibus iam ante compilationes authenticas Decretalium arctioribus limitibus circumscripta sunt, nequaquam de usurpationibus aut saltem de prudenti et callido quodam studio Romanorum Pontificum in dilatanda propria potestate est loquendum. Etenim qui utitur iure suo non est usurpator, et attentis abusibus et negligentiis Metropolitarum iustae quoque causae limitandi potestatem metropolitanam non defuerunt, postquam Romani Pontifices frustra diligentem illius usum commendarunt atque adeo defenderunt [90]. Quodsi in Ecclesia Occidentali paulatim imminuta est potestas Metropolitarum, dignitas et independentia Episcoporum comprovincialium cum magna Ecclesiae utilitate incrementa cepit, neque Antistites dioecesani ad conditionem Episcoporum Orientalium reducti fuerunt. Cfr. *Card. Hergenroether* in Arch. f. k. K. t. VII, p. 342 sq.

In iure Decretalium non paucae praerogativae Metropolitarum retentae sunt, v. g. confirmatio electionis et consecratio Suffraganeorum [91], ius convocandi Concilia provincialia eisque

[86] Cfr. c. 12 Conc. Carthag. (a. 386-390); c. 25, Conc. Hippon. (a. 393).
[87] Cfr. c. 58 Conc. Illiber. (a. 300-306); *Hefele*, l. c. p. 182.
[88] Cfr. c. 2, Conc. Taurin. (a. 401); Hilarii epist. ad Ascan. et Episc. Tarrac. prov. (a. 465); *Thomassin.*, l. c. cap. 41 sq.; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 2 sq.
[89] Cfr. c. 4 Conc. Nicaen. (a. 325); c. 9, 11, 16, 20, Conc. Antiochen. (a. 341); c. 25 Conc. Chalced. (a. 451); c. 8 Conc. Tolet. XIII, (a. 683); *Thomassin.*, l. c. cap. 40; *Phillips*, l. c. p. 81 sq.; *Scherer*, l. c. p. 543 sq.; *Hinschius*, l. c. t II, p. 1 sq., ubi vera et falsa miscet.
[90] *Phillips*, l. c. p. 85 sq.; *Bouix*, l. c. p. 488 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 13, ex parte idem concedit, quamvis a suspicionibus et coniecturis non fundatis penitus non sit immunis. Cfr. quoque *Hefele*, l. c. t. III, p. 78, 513, t. II, p. 553.
[91] Cap. 11, 20, 32, X. de elect. I, 6; cap. 10, de off. iud. ordin. I, 31.

praesidendi [92], ius visitandi dioeceses Suffraganeorum servatis conditionibus a iure requisitis [93], iura per devolutionem acquisita in casibus a iure expressis supplendi negligentiam Episcoporum comprovincialium [94], ius acceptandi appellationes in secunda instantia [95] et infligendi censuras et poenas in casibus a iure expressis [96]. Generatim tamen etiam Metropolitis regula de Patriarchis et Primatibus statuta applicari coepta est, sc. nihil iuris prae ceteris Episcopis illos habere, nisi quantum sacri canones concedunt, et prisca illis consuetudo contulit ab antiquo [97]. Nonnulla iura post compilationes authenticas Decretalium Metropolitis sublata sunt, v. g. confirmatio electionis et consecratio Suffraganeorum. Concilium Tridentinum quamvis quoad substantiam auctoritatem metropolitanam iure Decretalium definitam non immutaret, tamen iura ablata non restituit, immo alia quoque sustulit vel limitavit [98]. Quae disciplina a Concilio Tridentino reformata quoad substantiam retenta fuit in Codice cum taxativa enumeratione iurium et obligationum.

Art. 3. — Disciplina vigens

§ I. De constitutione sive statu officiorum Patriarcharum Primatum et Metropolitarum

524. Si de **erectione, innovatione,** vel **suppressione** sedium patriarchalium, primatialium, metropolitanarum et circumscriptione territorii ipsis assignati quaestio fiat, iuxta disciplinam iam a multis saeculis [99] vigentem unice Romanus Pontifex est com-

[92] Cap. 25, X. de acusa. V, I.
[93] Cap. 1, de cens. III, 20, in Sext.
[94] Cap. 2, X. de conc. praeb. III, 8; cap. 3, X. de suppl. negl. I, 10; cap. 4, de suppl. negl. I, 8. in Sext.
[95] Cap. 1, X. de off. leg. I, 30; cap. 1, de off. ordin. I, 16, in Sext.; cap. 3 de appell. II, 15, in Sext.
[96] Cap. 52, X. de sent. excom. V, 39.
[97] Cap. 1, de suppl. negl. I, 8, in Sext.; *Bouix*, l. c. p. 451 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 16.
[98] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 2, de ref.; *Scherer*, l. c. p. 543, not. 17; *Bouix*, l. c. p. 450 sq., 460 sq., 464 sq.
[99] Adalbertus, Archiepiscopus Bremensis et Hamburgensis, cum c. a. 1047-1055, multo studio laboraret, ut in Hammaburg *Patriarchatus*

petens. Etenim officia maiora, quibus dignitates Patriarcharum, Primatum et Metropolitarum evidenter adnumerantur, nunc a solo Romano Pontifice erigi vel innovari vel supprimi possunt. Quin immo, si solummodo *titulus* Patriarchae, Primatis, Archiepiscopi sit assumendus, vel alia iura *honorifica*, v. g. pallii gestandi eorundem Praesulum sint exercenda, concessio Romani Pontificis omnino requiritur [100].

§ II. De provisione officiorum Patriarcharum, Primatum et Metropolitarum

525. Provisio canonica ecclesiarum, quibus Patriarchae, Primates, Metropolitae sive Archiepiscopi praeficiuntur, cum agatur de officiis maioribus et consistorialibus, **liberae collationi Romani**

constitueretur, id sibi suaeque ecclesiae *Romanis privilegiis* conceden-
dum esse duxit atque a Romanis Pontificibus, v. g. a Leone IX, expetivit.
Cfr. Adami Brem. gest. Hammaburg. pontif. I, III, c. 32 Cfr. *Card. Her-*
genroether, in Arch. f. k. K. t. VII, p. 337 sq. de minoribus Patriarchati-
bus Ecclesiae Orientalis, v. g. Alexander IV, a. 1254, Patriarcham Ma-
ronitarum decoravit titulo Patriarchae Antiocheni. Cfr. Benedict. XIV
Allocut. in suo Bullar. t. I, append. num. 7; Synod. Sciarf. Syror. (a.
1888), p. 211; Synod. Alexandr. Coptor. (a. 1898) p. 181, (de restitutione
Patriarchatus Alexandrini pro Coptis a Leone XIII facta); *Scherer*, l. c.
t. I, p. 538, 540; *Hinschius*, l. c. t. I, p. 567 sq., de minoribus Patriarchis
Occidentalibus, origines et vicissit. hist. h. tit. § 2, de Primatibus et Me-
tropolitis.

[100] Leo XIII in concord., a. 1886 cum rege Lusitaniae inito, art. 2
concessit: « L'arcivescovo (di Goa) pro tempore per benigna concessio-
ne di Sua Santità sarà elevato alla dignità di *Patriarca ad honorem* delle
Indie Orientali e godrà inoltre il privilegio di presiedere ai concilii na-
zionali di tutte le Indie Orentali, i quali ordinariamente si aduneranno
in Goa, salvo al Papa il diritto di disporre altrimenti in circostanze par-
ticolari ». Pius VII, Archiepiscopo Varsaviensi, anno 1818, indulsit titu-
lum *Primatis regni Poloniae*. Cfr. Const. « *Romani Pontifices* » 6 Oct.
1818. Denique Leo XIII Episcopum Perusinum elevavit ad dignitatem
Archiepiscopi titularis. Cfr. Act. S. Sed. V, p. 235, 343, de Primatibus in
Concilio Vaticano; Benedict. XIV, in Alloc. consist. 22 Iul. 1754, de con-
cessione pallii *latini* soli Rom. Pontifici reservata nec Patriarchis orien-
talibus permissa. Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 19, Pii IX Const. « *Re-*
versurus », qua Constantinopolitana Armenorum provincia, exstincto
primatiali atque archiepiscopali titulo, *Patriarchatui* Ciliciae *coniungitur*.

Pontificis est reservata [101]; ex iure autem particulari generatim eodem modo fit quo Episcopi ad ecclesias cathedrales promoventur, v. g. per **electionem** vel postulationem canonicam *Capitulorum cathedralium*, **praesentationem** vel nominationem personarum privilegiatarum, v. g. regum [102], nisi iure speciali de alia provisionis forma cautum sit. Id v. g. accidit in compluribus Patriarchatibus Ecclesiae Orientalis, ubi electio Patriarchae cuiuscumque ritus a solis Episcopis totius Patriarchatus peragi debet, penitus exclusis laicis aliisque clericis inferioribus a iure *suffragii* ferendi. Quae electio si legitime facta fuerit, insuper a Romano Pontifice est *confirmanda* [103]. Pius IX illam formam electionis Patriarchae apud Armenos et Chaldaeos etiam expressa lege confirmavit et accuratioribus limitibus circumscripsit sibique reservavit ius idem negotium electionis Patriarchae et Episcoporum, etiam in aliis Ecclesiis Orientalibus cum Sede Apostolica unitis, denuo ordinandi [104]. Quare ubicumque novae leges pontificiae de promotione Patriarcharum Orientalium latae non sunt, laudabiles consuetudines a Romanis Pontificibus approbatae vel toleratae servari debent, tum quoad *qualitates promovendi* tum quoad *formam, confirmationem* aliasque conditiones *electionis* [105]. Qua de re iudicium erat penes S. C. de Prop. F., nunc autem est penes S. C. pro Eccl. Orient., ad quam transmittenda sunt acta electionis, ut praemisso examine confirmatio electionis a Romano Pontifice obtineatur [106]. Provisio quoque qua-

[101] Cfr. iam Reg. 1 Cancell. Apost. iunct. *Riganti*, Commentar. in Reg. Constit, Ordinat. Canc. Apost. Reg. 2, § 1, n. 1 sq.

[102] *Riganti*, l. c.; *Giobbio*, Lezioni di diplom. eccl. t. II, n. 198 sq.

[103] *Card. Hergenroether*, in Arch. f. k. K. t. VII, p. 337 sq.; S. C. de Prop. F. 28 Ian. 1792, de sola voce electionis passiva simplicibus presbyteris concessa, non activa, quae solis Episcopis reservatur; S. C. de Prop. F. 2 Sept, 1802, 1 Dec. 1837, de confirmatione electionis a Romano Pontifice expetenda. Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 29, 30, 33.

[104] Pii IX Const. « *Reversurus* » 12 Iul. 1867 pro Armenis; Const. « *Cum ecclesiastica* » 31 Aug. 1869 pro Chaldaeis; Encycl. « *Quartus* » 6 Ian. 1873 ad Armenos. Cfr. Collect. Lac. t. II, col. 568 sq.

[105] Cfr. Synod. Mont. Lib. (a. 1736), in Collect. Lac. t, II, col. 340 sq., ubi electio Patriarchae Maronitarum ordinatur, v. g. eligendus debet complevisse annum quadragesimum aetatis et in sacro saltem presbyteratus ordine constitutus esse; Synod. Sciarf. Syr. (a. 1888), p. 217 sq.; Synod. Alexandr. Coptor. (a. 1898); p. 186 sq.

[106] Collect. S. C. de Prop. F. n. 30.

tuor ecclesiarum patriarchalium ritus latini, sc. Constantinopolitanae, Alexandrinae, Antiochenae et Hierosolymitanae, quae iam inde ab anno 1301 [107] inconsulta Sede Apostolica fieri non amplius potuit, nunc postquam Praesules illarum ecclesiarum, excepto Patriarcha Hierosolymitano, ad Praelatos honorarios redacti sunt, soli Romano Pontifici est reservata.

§ III. De iuribus et obligationibus Patriarcharum et Primatum

526. I. **Patriarcharum potestas** vere talis, quae sit omnibus Patriarchis communis, ex iure Codicis nulla est, sed reducitur ad *praerogativam honoris* et *iuris praecedentiae* (can. 271, 280).

Ex iure Decretalium veram quandam superiorem potestatem exercebant, quae, cum haberetur vi officii, *ordinaria* erat dicenda et generatim iis circumscribebatur limitibus, ut Patriarchatus Praesules nihil possent, nisi quod illis sacri canones expresse concederent vel prisca consuetudo conferret ab antiquo. Cfr. cap. 9, X. de off. iud. ordinar. I, 31; c. 8, C. IX, q. 3. Ex praxi *antiqua* Patriarchis in specie competebat ius confirmandi et *consecrandi* Archiepiscopos et Episcopos electos sui Patriarchatus [108], *convocandi* et dirigendi *Concilia* patriarchalia [109], acceptandi *appellationes* ex omnibus provinciis suae iurisdictioni subiectis, sed salvis appellationibus ad Sedem Apostolicam, elargiendi *pallium* graecum suis Suffraganeis et recipiendi ab iisdem pro se *professionem* canonicam et pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiae, postquam ipsi a Rom. Pontifice receperunt *pallium* latinum, praestito illi fidelitatis et obedientiae iuramento [110], instituendi et eximendi per stauropegium monasteria [111], *deferendi* ubique ante se dominicae *crucis vexillum*, nisi in Urbe Roma et ubicumque Romanus Pontifex praesens existat aut eius Legatus utens insigniis apostolicae dignitatis [112].

[107] Cap. 3, de elect. I, 3, in Extravg. com.

[108] Cfr. c. 6 Conc. Nicaen. (a. 325); *Hefele*, l. c. t. I, p. 389 sp.; *Hinschius*, l. c. t. I, p. 540 sq., 543, 549. Quae Patriarchae Constantinopolitani sibi de facto acquisiverunt, etiam in hisce praerogativis non nituntur legitimis titulis iuris canonici; multo minus transierunt in iura omnibus Patriarchis communia. Cfr. c. 28 Conc. Chalced. (a. 541); Novell. 123, cap. 22; Novell. 131, cap. 1; *Hinschius*, l. c. p. 541 sq. Neque concludentibus argumentis probatur Patriarchas solos, i. e. absque Synodo, habuisse *ius* transferendi et etiam deponendi Archiepiscopos vel Episcopos sui Patriarchatus. Cfr. de Synod. Alexandrina (a. 320-321); *Hefele*, l. c. p. 28 sq.

[109] Cfr. c. 17 Conc. Constantinop. IV, (a. 869); *Hefele*, l. c. et t. II, p. 688 sq. Quodsi *Bouix*, l. c. t. I, p. 429, etiam ex *antiqua* praxi Patriarchis negat ius convocandi Concilia patriarchalia, spuriis et falsis argumentis historicis utitur. Cfr. *Scherer*, l. c. t. I, p. 671, 227, not. 52. De praxi vero vigenti consulendae sunt: Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 214, n. 16; Synod. Alexandr. (a. 1898), a. 183, n. 10.

Sed cum nostra aetate antiqui illi Patriarchae maiores cum plena sua iurisdictione patriarchali non amplius existant, iura et officia sedium patriarchalium etiamnunc existentium generatim potius praerogativis sedium metropolitanarum aequiparantur, et si quid praerogativae praeterea habent, id ex iure speciali uniuscuiusque sedis patriarchalis vel ritus est eruendum [113]. De se et ex iure communi titulus Patriarchae tantum secumfert praerogativam honoris et ius praecedentiae (can. 271). Patriarchae Constantinopolitanus, Alex. et Antioch. ritus latini, quia iurisdictione carent mereque titulares sunt et extra suos Patriarchatus Romae residere solent, *pallii honore* non fruuntur, sed utuntur exomide sibi a Benedicto XIII, Const. « *Rom. Pontifex* » 30 Sept. 1724, concessa [114]. At latinus Patriarcha Hierosolymitanus, qui inde ab anno 1847 denuo in suo Patriarchatu cum vera iurisdictione residet, iterum pallio donatur. Patriarchae in Concilio Vaticano immediate post Cardinales et ante Primates locum sedendi obtinuerunt. Cfr. Act. S. Sed. V. p. 235.

II. **Obligationes Patriarcharum.** Patriarchae Romano Ponti-

[110] Cap. 23, X. de privil. V, 33; Collect. S. C. de Prop. Fide, n. 19, 33.

[111] Benedict. XIV Const. « *Inter plures* » 2 Maii 1744, § 19.

[112] Cfr. cit. cap. 23, X. de privil.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. II, cap. 6, n. 2.

[113] Collect. S. C. de Prop. Fide n. 21 sq.; Collect. Lac. t. II, in ind. v. Patriarcha praesertim n. 32 sq.; Synod. Sciarf. Syror, (a. 1888), p. 212 sq.; Synod. Alexandr. Coptor. (a. 1898), p. 182 sq., ubi iura Patriarcharum nunc vigentia et a Sede Apostolica approbata recensentur; *Card. Hergenroether*, in Arch. f. k. K. t. VII, p. 337 sq. Cfr. de iuribus Patriarchae Indiarum occidentalium *Card. Hergenroether*, l. c. t. XI, p. 369; *Moroni*, Dizionario vol. 31, p. 175, de praerogativis Patriarchae Ulyssipon.; Clem. XI et XII Const. cit. in not. 15 h. t.; Clem. XIII Const. « *Inter praecipuas* » 16 Ian. 1766.

[114] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 15, n. 17, 18.

fici, cuius nomen suo praeponant, et sine cuius auctoritate nullum arduum negotium suscipere possunt, tenentur perfectam obedientiam canonicam promittere (cfr. cit. cap. 23, X. de privileg. V, 33), visitare statis temporibus limina Apostolorum, invigilare, ut per totum Patriarchatum fides et canones serventur, visitationes aliaque peragere, quatenus iure speciali cautum est, ultra obligationes omnibus Episcopis et Metropolitis communes [115].

527. Primates (Exarchae, Vicarii Apostolici, Legati nati) certe olim *ordinariam* quandam potestatem vi officii [116] habuerunt, quae eadem regula fuit limitata atque potestas Patriarcharum. Cfr. cit. cap. 9, X. de off. iud. ord. I, 31.

At *Primates* vel Exarchae antiqui, velut Carthaginiensis et Ephesinus a Vicariis Apostolicis vel Legatis natis maxime in hoc *differebant* [117], quod ipsorum officium et potestas potius antiqua et longa *consuetudine* tacite a Romano Pontifice approbata fuissent, cum Vicarii Apostolici vel Legati nati illam superiori-

---

[115] Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. l. c.; Collect. Lac. l. c. n. 15 sq.; *Schmalzgr.* l. I, t. 31, n. 19. Praesertim vero consulendae sunt. Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 207 sq., 212 sq. et Synod. Alex. (a. 1898) p. 182 sq., de iuribus et obligationibus Patriarchae Syrorum vel Coptorum. Cfr. de morte et exequiis Patriarchae: Synod Mont. Liban. (a. 1736), in Collect. Lac. tom. II, col. 340; Pii IX Const. « *Reversurus* » 12 Iul. 1867, ibid. col. 171, iunct. col. 575; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 217 sq.; Synod. Alexandr. Copt. (a. 1898), p. 186 sq.

[116] Cfr. c. 6 Conc. Nicaen. (a. 325); c. 9, 17, Conc. Chalced. (a. 451; *Bouix*, l. c. p. 440 sq.; *Phillips*, l. c. t. II, p. 63 sq., t. VI, 471; *Schmalzgr.*, l. c. n. 20.

[117] Certe in non paucis documentis pontificiis Primatia a Legatione distinguitur, immo ius Legationis exhibetur ut additamentum atque *augmentum* iuris primatialis. V. g. Urban. II, a. 1092, ad Arch. Tarracon. de Primate Toletano et Vicario Apostolico; Bonifacius IX, a. 1393, in cit. Const. Archiepisc. Strigon. constituit: « *Primatem et Legatum Sedis Apostolicae natum* »; Nicolaus V, a. 1452, in eodem Archiepiscopo distinguit: « *Iurisdictionis Primatiae et Legationis* »; Leo X, a. 1515, Archiepiscopo Gnesnensi concedit: « *Ut de cetero suae archiepiscopali et praedictae Leopoliensi provinciis et ecclesiis metropolitico iure et primatiali, sed* etiam *Legationis* iure praesit ». *Hinschius*, l. c. t. I, p. 623 sq., recte Primates a Vicariis Apostolicis et Legatis natis distinguit; at occasionem et adminicula externa cum causa efficiente confundit, quae non « *ex evolutione historica* » tanquam a fonte vel causa derivari potest. Cfr. *Scherer*, l. c. p. 522, 552, ubi *derivatio* iurisdictionis a *delegatione* non satis distinguitur.

tatem super Episcopos et *Metropolitas* potius *expressa* et speciali Romani Pontificis concessione obtinuerint. Praeterea vix in dubium vocari poterat quin officium Primatis potius denotaret *ordinarium* et *stabilem* gradum in hierarchia iurisdictionis a Romano Pontifice et Patriarchis et Metropolitis distinctum, et *postea* etiam *expresse* a Sede Apostolica concessum [118], cum potestas Vicariorum Apostolicorum et Legatorum natorum magis videretur accedere ad *delegationem* et *extraordinariam* provisionem, qua quis vices gerit Romani Pontificis et alieno nomine, non proprio iure negotia ecclesiastica sibi commissa tractare videtur.

Denique in iure Decretalium tam pauca capita occurrebant [119], ut in Ecclesia Occidentali satis difficulter complexus quidam praerogativarum et facultatum recenseri posset, qui ex antiquo iure *communi* omnibus Primatibus aequaliter fuisset concessus. Quare cum Innocentius III, a. 1204, in epistola ad Archiepiscopum Tirnovitanum in Bulgaria « *Apud nos haec duo nomina: Primas et Patriarcha pene penitus idem sonant, cum Patriarchae et Primates teneant unam formam, licet eorum nomina sint diversa* » [120], et in c. 8, C. IX, q. 3, Nicolaus I, etiam *ex sacris canonibus* derivet privilegia Primatum vel Patriarcharum, atque Innocentius III, a. 1198, ad Hubaldum, Archiepiscopum Pisanum, in concessione dignitatis primatialis praeter iura diserte enumerata etiam det: « *Cetera omnia, quae ad ius Primatus pertinent* », haec fere iura frequentius in particularibus canonibus vel Decretalibus pontificiis Primatibus concessa reperiuntur, salvis quibusdam praerogativis singularibus, quae ex specialibus titulis sunt repetenda, sc.:

1. Ius *praecedentiae* et *honoris* prae omnibus Episcopis et Metropolitis alicuius regionis Primati subiectae [121];

---

[118] *Scherer*, l. c. t. I, p. 539, not. 31, p. 541, not. 38.

[119] Cap. 9, X. de off. iud. ord. I, 31; cap. 1, X. de accus. V, 1; cap. 3, X. de for. comp. II, 2, « *Primas* » in canone Africano=Metropol. Cfr. quoque Nicol. I, in cit. 8, C. IX, q. 3; cap. 1, X. de transl. I, 7.

[120] Cap. 9, X. de off. iud. ord. I, 31, ubi idem Innoc. III commemorat: « *Primates vel Patriarchas* »; cap. 23, X. de priv. V, 33, (de privilegiis Patriarcharum).

[121] Cfr. c. 6 Conc. Nicaen. (a. 325), iunct. c. 2 Conc. Constantinop. (a. 381), de Exarchis orient.; Innoc. III, a. 1204, in cit. epist. ad Arch. Tirnovit.

2. *Consecrandi* (*et confirmandi*) Metropolitas ex iure primatiali atque ab eis exigendi professionem *obedientiae* canonicae[122];

3. *Convocandi* Concilia plenaria sive nationalia eisque praesidendi[123];

4. Acceptandi *appellationes* a sententiis Metropolitarum[124];

5. *Deferendi* ante se dominicae *crucis vexillum* in omnibus provinciis ecclesiasticis[125], in quas ius Primatiae est concessum;

6. *Coronandi reges*, quorum regna iurisdictioni ecclesiasticae Primatum subiciuntur[126].

Quae iura Primatum, cum non semper claris iuris textibus niterentur atque frequenter a Metropolitis vel aliis Primatibus impugnarentur, ex disciplina iam ante Codicem vigente in omnibus sedibus episcopalibus, quorum Praesules titulo Primatum *iure* gloriantur, i. e. Salisburg., Antibar., Brachar., Salernit., S. Salvator., Gnesnen., Toletan., Tarracon., Strigon., Mechlin., Armacan. aliique[127], ad merum titulum absque iurisdictione et ad praerogativas quasdam honorificas redacta erant, v. g. ad praecedentiam etiam in Concilio oecumenico[128]. Quam disciplinam firmavit Codex can. 271. Excipiendus vero erat Archiepis-

[122] Innoc. III in cit epist.; c. 6, Conc. Tolet. XII, (a. 681), iunct. *Hefele*, l. c. t. III, p. 317; *Hinschius*, l. c. t. I, p. 591 sq., 615 sq., 625; *Bouix*, l. c. p. 434 sq., 442.

[123] Cfr. de Archiep. Carthagin.: c. 1 Conc. Carthagin. (a. 407) et *Hinschius*, l. c. p. 581 sq., de Primate Pisano; Innoc. III in cit. epist. ad Hubald., Arch. Pis.; de aliis Primatibus: *Hinschius*, l. c. p. 625. Quare *Bouix*, l. c. p. 441 sq., nimis confidenter indiscriminatim in Primatibus *antiquis* negavit ius convocandi Concilia plenaria, quo utique ex disciplina *nunc* vigente sine praevia licentia vel potius delegatione Sedis Apostolicae non amplius gaudent.

[124] Cfr. c. 9, 17, Conc. Chalced. (a. 451); Innoc. VIII, (a. 1489), in epist. ad Archiep. Tolet., Petr. Gonzal. Mendotium; cit. cap. 9, de off. iud. ord., *Hinschius*, l. c.

[125] Cap. 23, X. de privil. iunct. n. 123 h. t.; Innoc. III in cit. epist. ad Archiep. Tirnovit.; *Hinschius*, l. c. p. 626.

[126] Innoc. III in ep. ad Archiep. Tirnovit.

[127] Act. S. Sed., V, p. 235, 343, 516; *Bouix*, l. c. p. 443; *Scherer*, l. c. p. 540; *Hinschius*, l. c. p. 631, 583, 591.

[128] Act. S. Sed., l. c.

copus Strigoniensis, qui et Primas et Legatus natus in Hungaria praeter titulum et honorem Primatis etiam vera quaedam iura *iurisdictionis* primatialis retinuit[129]; quod ius singulare non videtur esse sublatum.

§ IV. De iuribus et obligationibus Metropolitarum

528. Metropolitae *ordinariam* habent potestatem, quae vocari solita est ius metropoliticum, auctoritas metropolitana, lex metropolitana[130]; sed cum in propria dioecesi eadem iura easdemque obligationes habeant ac ceteri Episcopi residentiales, in Suffraganeos suos eorumque subditos et dioeceses nihil possunt, nisi quod in iure ipsis *expresse* fuerit concessum.

Quare frustra a Iansenistis et Gallicanis[131] recursus factus fuit ad disciplinam *antiquam*, ex qua Metropolitae non pauca consecuta erant iura nunc penitus abrogata, v. g. ius interveniendi in *electionibus Episcoporum* comprovincialium electosque *confirmandi* et consecrandi[132], exigendi a Suffraganeis *promissionem obedientiae* canonicae[133] et *accessum* statis temporibus etiam extra Synodos *ad ecclesiam metropolitanam*[134], *diiudicandi* Episcoporum suffraganeorum causas criminales et civiles etiam cum propriis subditis, saltem cum reliquis Episcopis in Concilio provinciali congregatis[135], concedendi Suffraganeis litteras for-

[129] Arch. f. k. K. t. 55, p. 353 sq.; *Scherer*, l. c. t. I, p. 540 sq.

[130] Cfr. cap. 1, X. de off. leg. I, 30; cap. 54, X. de appell. II, 28; cap. 11, pr. X. de off. iud. ord. I, 31.

[131] *Bouix*, l. c. p. 448 sq., 457 sq.

[132] Cfr. c. 4, 6, Conc. Nicaen. (a. 325); *Schmitz*, in Arch. f. k. K. t. 57, p. 3 sq. (Metropolitanverf. u. Provinzialsyn. in Gall. währ. d. 5 Jahrh.); *Hefele*, l. c. t. I, p. 382 sq., 396; cap. 11, 20, 32, X. de elect. I, 6; cap. 10, X. de off. iud. ordinar. I, 31; *Bouix*, l. c. p. 457.

[133] Cap. 13, X. de maior. I, 33.

[134] Cfr. c. 8 Conc. Tolet. XIII, a. 683; cap. 6, X. de temp. I, 11; at Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 2, de ref. statuit Episcopos comprovinciales, praetextu cuiuscumque consuetudinis, ad metropolitanam ecclesiam in posterum accedere invitos non esse compellendos. Cfr. quoque S. C. C. 23 Mart. 1697; *Ferraris*, l. c. v. Archiepiscopus art. 2, n. 30; *Bouix*, l. c. p. 464 sq.

[135] Cfr. c. 14, 15, 17, 20, Conc. Antioch. (a. 341); c. 17 Conc. Aurel. V, (a. 549); c. 12 Conc. Tolet. XIII, (a. 683).

matas et *licentiam* itineris causa e dioecesi *discedendi*[136], praestandi consensum in *alienatione bonorum* ecclesiasticorum per Suffraganeos facienda[137], ordinandi saltem indirecte liturgiam et festorum celebrationem pro tota provincia ecclesiastica[138], administrandi dioeceses suae provinciae tempore vacationis sedium episcopalium[139].

529. Iurisdictionis Metropolitarum in dioecesibus suffraganeis iura in Codice (can. 274) agnoscuntur dumtaxat sequentia:

1°) Institutionem canonicam praesentatis a patrono ad beneficia conferre, si Suffraganeus intra tempus legitimum, iusto impedimento non detentus, id non fecerit;

2°) Indulgentiam ducentorum dierum, sicut in propria dioecesi, concedere;

3°) Deputare Vicarium Capitularem in dioecesi suffraganea vacante, si huius Capitulum negligens fuerit ad normam can. 432, § 2;

4°) Vigilare ut fides ac disciplina ecclesiastica accurate serventur, ac de abusibus Rom. Pontificem certiorem facere;

5°) Canonicam visitationem peragere, causa prius ab Apostolica Sede probata, si eam Suffraganeus neglexerit. Tempore visitationis potest praedicare, confessiones audire etiam absolvendo a casibus Episcopo reservatis, de vita et honestate clericorum inquirere, clericos infamia notatos Ordinariis ipsorum, ut eos puniant, denuntiare; notoria crimina, manifestas et notorias offensas tum sibi tum suis forte illatas, iustis poenis, censuris non exclusis, punire;

6°) In omnibus ecclesiis, etiam exemptis, Ordinario loci praemonito si ecclesia sit cathedralis, peragere pontificalia, uti Episcopus in proprio territorio populo benedicere, cruce ante se delata incedere[140], non autem alia exercere quae iurisdictionem importent;

[136] Cfr. c. 11 cit. Conc. Antioch. (a. 341).
[137] Cfr. c. 12 Conc. Epaon. (a. 517); c. 7 Conc. Tolet. XI, (a. 655).
[138] Cfr. c. 1 Conc. Gerun. (a. 517); c. 27 Conc. Epaon. (a. 517); c. 2 Conc. Tolet. XI, (a. 675).
[139] Cfr. c. 25 Conc. Chalced. (a. 451); *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 2, cap. 9, n. 8, P. III, l. 2, cap. 51, n. 11; *Hermes*, De Capitulo, sede vac. p. 24 sq.
[140] Cfr. de historia privilegii deferendi ante se crucem, *Thomassin.*,

7°) Appellationes recipere a sententiis definitivis aut interlocutoriis definitivarum vim habentibus, quae fuerint prolatae in Curiis Suffraganeorum iuxta can. 1594.

8°) Dirimere in prima instantia controversias, de quibus agit can. 1572, § 2.

§ V. De auctoritate et usu pallii

530. Ius utendi **pallio**[141] per totam provinciam iuribus *honorificis* Metropolitarum adnumerandum est. Attamen cum a pallii receptione multiplici ratione pendeat exercitium *potestatis* Metropolitae, iuxta ipsa verba rubricae iuris Decret. « *de auctoritate* et *usu* pallii » est disputandum.

I. **Pallium** ex disciplina vigente *est* fascia lanea candida tres circiter digitos lata in modum circuli contexta, quae humeros cingit habetque ab utraque parte lineas sive fasciolas, quarum anterior ante pectus, posterior intra humeros dependet, intextis partim in binis hisce fasciolis, partim in circulo humeris incumbente sex sericis nigrisque crucibus tribusque aciculis aureis consuitur et alligatur[142].

II. **Duplex** nunc **distinguitur pallium,** sc. pallium *latinum* supra descriptum, quod sumitur a corpore S. Petri, in quo est plenitudo potestatis, et a solo Romano Pontifice concedi potest, deinde pallium *graecum*, quod est indumentum longius et lar-

l. c. P. I, l. 2, cap. 58, n. 6, cap. 59; *Benedict. XIV*, De Syn. dioec. l. II, cap. 6, n. 2 sq.
[141] Dist. 100; Cpl. II, l. I, t. 4, de usu pallii; cpl. III, l. I, t. 7, de auct. et us. p.; cpl. IV, l. I, t. 4, d. u. et a. p.; cpl. V, l. I, t. 6, d. a. et us. p.; Decret. Gregor. IX, l. I, t. 8, d. auct. et us. pall.; Extravg. com. l. I, t. 4, d. a. et u. p. — Commentatores iur. Decret. in h. t. 8; *Devoti*, Inst. canon. l. I, t. 3, §§ 42 sq.; *Phillips*, l. c. t. V, § 240, t. VI, § 352; *Scherer*, l. c. t. I, p. 547 sq.; *Hinschius*, l. c. t. I, p. 209, t. II, p. 23 sq.; *Kraus*, Real-Encykl. v. Pallium; *Grisar*, D. roem. Pall. u. d. aeltest. liturg. Schaerpen (a. 1896); *Vespasianus*, De s. pallii origine (a. 1856); *Garrucci*, Arte cristiana I, 96 sq.; *Wilpert*, Un capitolo di storia del vestiario, Die Gewandung d. Christen in d. erst. Jahrh.; *Kraun*, D. Pontifikalgew. d. Abendl. p. 132 sq.
[142] A *praesenti forma* pallii multum discrepat antiqua, et consequenter *modus* quoque pallii *gestandi* longe diversus fuit ab eo, qui nunc in usu est. Cfr. *Grisar*, l. c. p. 33 sq., ubi errores Vespasiani aliorumque corrigit, p. 91 sq.

gius Patriarcharum Orientalium, crucibus *rubris* ut plurimum distinctum et *post* receptum pallium *latinum* ab iisdem Patriarchis etiam conceditur Metropolitanis et Episcopis ecclesiarum insigniorum [143].

III. **Origo historica pallii** est satis obscura. Profecto vix dubitari potest quin in Ecclesia *Orientali* omnes Episcopi ex antiquissimo tempore in ipsa celebratione Missae gestarint pallium laneum in signum *pastoralis* officii, quod vocatur *omophorion* (ὠμοφόριον) et a Conc. Constantinop. (a. 680) dicitur ποιματική δορά, i. e. pastoritia pellis [144]. Neque ista pallii *graeci* gestatio Episcopis permissa fuit speciali Romani Pontificis concessione, sed potius hoc ius a suis Metropolitis, et Metropolitae a Patriarchis acceperunt. Cfr. c. 17 et 27 Conc. Constantinop. (a. 869). Patriarchae vero aut ipsi sibi pallium (suorum praedecessorum) imposuerunt aut in consecratione illud consecuti sunt [145].

In Ecclesia quoque Occidentali Episcopi complurium regionum ordinarie videntur gestasse pallium. V. g. c. 6 Conc. Matisconensis (a. 581) omnibus *Episcopis* [146] prohibetur ne *sine pallio* Missas dicant. Eadem praxis vigebat in Africa septentrionali [147], ubi in ipsa consecratione pallium videtur fuisse collatum, neque concessionis pontificiae ulla fit mentio [148]. In Italia certe Romani Pontifices pallium gestarunt, cum ipsi saltem ex saeculo sexto aliis Praelatis pallium concederent; et alii Episcopi ibidem hoc ornamento officii pastoralis videntur caruisse [149].

Quod pallium Romani Pontifices nequaquam receperunt ex

---

[143] Cfr. c. 17, 27, Conc. Constantinop. (a. 869); cap. 23, X. de priv. V, 33; Collect. S. C. de Prop. F. n. 19, ex Alloc. Benedict. XIV, 22 Iul. 1754; Collect. Lac. t. II, col. 343 sq.

[144] Isidor. Pelus. († c. a. 449), Epist. l. I, n. 136; *Mansi*, XI, 183. Cfr. quoque de eadem pallii significatione, Clem. II ad Ioann. Salernit. a. 1047; Benedict. XIV Const. « *Romana Ecclesia* » 21 Apr. 1742; *Grisar*, l. c. p. 84 sq., 100, 106 sq., 11.

[145] *Liberatus*, Breviar. cap. 20, (c. a. 560), apud *Migne*, P. L. LXVIII, 1036; *Phillips*, l. c. t. V, p. 626 sq.; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 24.

[146] Nam in cit. c. 6, iuxta veriorem lectionem statuitur: « Ut nullus *Episcopus* (non Archiepiscopus) sine palleo Missas dicere praesumat ». Cfr. *Massen*, Conc. Merov. p. 157; *Grisar*, l. c. p. 110.

[147] Vita S. Fulgent. cap. 18, apud *Migne*, P. L. LXV, 136.

[148] *Grisar*, l. c.; *Hinschius*, l. c. p. 25, not. 5.

[149] *Grisar*, l. c. p. 99 sq., 110 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 25.

concessione quadam Imperatorum christianorum, ut tenuerunt De Marca, Thomassinus aliique, etiam recentiores, scriptores [150]. Etenim ex spuria donatione Constantini (cfr. c. 14, § 2, D. 96) saeculo octavo vel nono compilata nequit deduci Constantinum M. concessisse papae Silvestro « *superhumerale videlicet lorum, qui imperiale circumdare solet collum* ». Multo minus probatur quidquam ex pariter spurio privilegio, quo Valentinianus III, c. a. 432, dicitur Archiepiscopo Ravennatensi concessisse pallii honorem. Quodsi Romani Pontifices interdum pallium Episcopis non concesserunt, nisi cum consensu Imperatorum, illa praxis satis rara manifestat suavem quendam procedendi modum in quibusdam casibus particularibus, nequaquam vero normam quandam stabilem necessario sequendam, neque idcirco ex imperiali donatione pallii originem repetunt, praesertim cum etiam ex antiquo tempore non desint palliorum concessiones Rom. Pontificum *absque ulla* interventione Imperatorum factae [151].

Exclusa origine pallii per concessionem Imperatoris, minoris momenti est quaestio, qua ratione usus pallii in ipso R. Pontifice fuerit introductus. Sunt auctores, praesertim medii aevi, item Baronius aliique [152], qui pallium Rom. Pontificis in *imitationem rationalis* vel *superhumeralis Summi Sacerdotis veteris testamenti* inductum fuisse putant. Quae sententia nullo argumento positivo commendatur, quod in antiquis documentis habeat fundamentum; porro innititur opinioni nostra aetate magis magisque derelictae, quod vestes sacrae in Ecclesia Christi per *imitationem* quandam vestium sacrarum veteris testamenti fuerint introductae; denique refutatur vel ipsa differentia formae, qua etiam pallia antiqua discrepant a superhumerali Summi Sacerdotis [153].

Deinde *Vespasianus, Phillips, Garrucci* [154] aliique antiquiores

---

[150] *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 45, n. 8, cap. 56, n. 2; *De Marca*, De concord. sacerd. et imp. l. VI, cap. 6; *Bosk*, Gesch. d. liturg. Gewaend. II, 186 sq.

[151] Ita *Grisar*, l. c. p. 99 sq.; *De Angelis*, Praelect. iur. can. l. I, t. 8, n. 2 sq.; *Phillips*, l. c. t. V, p. 619 sq.; *Scherer*, l. c. t. I, p. 458; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 26.

[152] *Devoti*, l. c. § 42, not. 1; *Phillips*, l. c. t. V, p. 621 sq.

[153] *De Angelis*, l. c.; *Sebastianelli*, l. c. p. 141.

[154] *Vespasianus*, De pallii origine p. 41, 66; *Phillips*, l. c. p. 623 sq.; *Garrucci*, Arte cristiana p. 96 sq., 106.

et recentiores scriptores originem pallii Romani Pontificis repetierunt a *pallio* vel *mantello S. Petri*. At haec theoria ingeniose excogitata et propagata imprimis laborat gravissimo incommodo, quod ex antiquis documentis historicis de mantello quodam S. Petri in Ecclesia Romana conservato nihil omnino constet [155]. Insuper *antiquissima forma* pallii tantopere differt a mantello, ut transformatio mantelli in longam fasciam satis tenuem vix solide explicari possit.

Probabilem vero explicationem originis pallii videtur suppeditare illa sententia [156], quae *ex loro,* [157] usibus ecclesiasticis *adaptato*, repetit originem pallii latini, sicut *ex orario* orta est *stola* et ex aliis vestibus profanis, v. g. ex dalmatica et manipulo, factae sunt vestes *sacrae*.

IV. Quodsi denique de antiqua **significatione symbolica** pallii quaeratur, imprimis pallium denotavit officium pastoris, atque hanc ob causam mirum non est, quod in Ecclesia Orientali etiam simplicibus Episcopis pallium *graecum* fuerit proprium [158]. Cum autem in Ecclesia Occidentali inde ex saeculo quarto et quinto et sexto paulatim Romani Pontifices concederent pallium *suum* etiam Episcopis, v. g. Papa Symmachus Caesario, Archiepiscopo Arelatensi (a. 513), immo concessiones illae pallii transirent in *stabilem praxim* Rom. Pontificum, v. g. iam tempore S. Gregorii M., ad priorem illam significationem officii pastoralis *altera* accessit de participatione quadam potestatis pontificiae super alios Episcopos ad obtinendam *plenitudinem dignitatis pontificalis* [159].

Quae secunda pallii significatio iam in epistolis Vigilii, v. g. ad Auxanium Arelatensem a. 543-545, et S. Gregorii M. insi-

---

[155] *Grisar*, l. c. p. 108 sq. cum *Duchesne* aliisque.

[156] *Grisar*, l. c. p. 96, cum Duchesne, Rohault de Fleury, Thurston aliisque; paulo aliter *Wilpert*, qui originem repetit ex « *pallio contabulato* ».

[157] Verbum λῶρος, latine lorum vel postea etiam lorus (cfr. *Forcellini* ad h. v.) = χρυσήλατος ἐπωμίς, i. e. fascia quaedam pretiosa quam viri nobiles gestarunt in magnis festivitatibus.

[158] Cfr. *Grisar*, l. c. p. 106 sq.; 109 sq.; *Phillips*, l. c. t. V, p. 636; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 25 sq.; *Saegmueller*, D. Cardinaele p. 65, 147 sq., 162 sq.

[159] Cfr. cap. 3, 4, 6, X. de auct. et us. pall. I, 8.

nuata, inde ex saeculo octavo magis magisque fuit recepta [160].

V. Neque pallium a Romanis Pontificibus concessum est, nisi **certis conditionibus** servatis, inter quas potissimum illa est recensenda, quod teste Gregor. M. c. 2, D. 100. « *prisca consuetudo obtinuit, ut honor, nisi exigentibus causarum meritis et fortiter postulanti, dari non debeat* ». Fidei quoque professio et fidelitatis et obedientiae promissio iuramento confirmata [161], Praesulibus pallium expetentibus fuit imposita, eiusque usus ad Missarum sollemnia finesque dioeceseos vel provinciae fuit restrictus [162]. Immo saltem iam ex saeculo nono Metropolitae ad petendum pallium intra tres menses a consecratione sua ita sunt *adacti*, ut ante pallii receptionem vel in ipsa auctoritate episcopali et metropolitana limitarentur [163]. *Gratis* quoque antiquo tempore pallium fuit concessum [164]; at circiter ex saeculo nono taxae quaedam palliorum de facto et de iure fuerunt introductae, quae non paucis querelis ansam dederunt [165].

Quae disciplina de pallio concedendo a Romanis Pontificibus, non ex callido consilio neque cupiditate augendae dominationis, sed ad confirmandam unitatem Episcoporum cum Sede Apostolica (cfr. cap. 4, X. de elect. I, 6) [166] introducta, quoad substantiam etiam nunc viget.

---

[160] Gregor. I, in c. 3, C. XXV, q. 2; *Grisar*, l. c. p. 111 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 26, 27 sq. Cfr. quoque c. 1. sq., D. 100.

[161] Cfr. c. 3, 4, D. 100, cum dict. Grat. post. c. 3; cap, 4, X. de elect. I, 6.

[162] Cfr. c. 6, 7, 8, D. 100; c. 27 Conc. Constantinop. (a. 869).

[163] S. Bonif. in Synod. generali Franciae a. 747, (epist. 70); *Hefele*, l. c. t. II, p. 552 sq.; c. 1, D. 100, = cap. 1 Conc. (Roman.), Ravennat. a. 877 a Ioanne III celebrati iunct. *Hefele*, l. c. t. IV, p. 522, 531; Nicol. I Responsa ad cons. Bulgar. n. 73, (a. 866); Gregor. VII (a. 1072), ad Archiep. Rothomag.; *Grisar*, l. c. p. 114.

[164] Gregor. I, c. 5 Conc. Rom. (a. 595) = c. 3,D. 100; Zachariae Papae epistol. ad S. Bonif. (a. 744); cfr. *Hefele*, l. c. t. III, p. 514.

[165] Cfr. querelas Episcoporum Angliae a. 805 Leoni III oblatas; epist. regis Angl. et Daniae (a. 1027), de nimiis expensis pro pallio apud *Hefele*, l. c. t. IV, p. 683; Conc. Basil. Sess. XXI, 9 Iun. 1435, decr. 1; *Phillips*, l. c. t. V, p. 652; *Saegmueller*, l. c. p. 187 sq.

[166] Benedict. XIV Const. « *Rerum ecclesiasticar.* » 12 Aug. 1748; *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 55, n. 3; *Phillips*, l. c. p. 642 sq.; *Grisar*, l. c. p. 113.

VI. **Disciplina de concessione, auctoritate et usu pallii,** quae nunc viget, haec est:

a) Ad pallii **latini concessionem** solus **Romanus Pontifex** est competens atque vel ipsi Patriarchae orientales ritus graeci, cum Sede Apostolica uniti, pallium *graecum nunc* concedere nequeunt, nisi *postquam* a Romano Pontifice pallium Romanum sive *latinum* rite receperunt [167].

b) **Metropolitae** aliique Praelati superiores, qui vera *iurisdictione* metropolitana vel primatiali vel patriarchali gaudent, nec meri Archiepiscopi vel Exarchae *titulares* existunt, pallium latinum a Romano Pontifice sive per se sive per procuratorem *petere* pro iure suo *possunt* et *debent,* saltem intra tres menses a consecratione vel, si iam consecrati fuerint, ab institutione (can. 275) [168].

Simplices quoque Episcopi vel ex ecclesiarum suarum iuribus vel ex personali concessione per singularem gratiam Romani Pontificis ad pallii honores interdum admittentur [169].

c) **Obiectum** petitionis est fascia illa supra descripta, quae conficitur ex lana agnorum, qui nunc in festo S. Agnetis benedicuntur et Decano Rotae traduntur. Pallia vero confecta benedicuntur a Rom. Pontifice in vigilia festi SS. Petri et Pauli et in confessione S. Petri conservantur. Cfr. Benedict. XIV Const. «*Rerum ecclesiasticarum*» 12 Aug. 1748.

d) **Petitio** pallii fieri solet in Consistorio, sive *personaliter* a Praesule iam promoto, sive ab ipsius procuratore ex Advo-

---

[167] Cfr. cap. 23, X. de privil. V, 33; Synod. Montis Libani (a. 1736), in Collect. Lac. t. II, col. 343 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 213, 222; Collect. S. C. de Prop. F. n. 19, ex Alloc. Benedict. XIV, 22 Iul. 1754; *Card. Hergenroether,* in Arch. f. k. K. t. VII, p. 347; *Schmalzgr.,* l. I, t. 8, de auct. et us. pall. n. 9; *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. XII, cap. 15, n. 18, 19; *Bouix,* l. c. p. 448, qui non satis attendit differentiam inter pallium latinum et graecum, Patriarchas orientales ritus *latini et* ritus *graeci,* antiquos et recentiores; *Phillips,* l. c. t. V, p. 656 sq.; *Hefele,* l. c. t. IV, p. 421 sq., 462.

[168] Cfr. c. 1, D. 100; Benedict. XIV Const. «*Inter conspicuos*» 22 Aug. 1744, § 18 Const. «*Rerum ecclesiasticar.*» 12 Aug. 1748, De Synod. dioec. l. c. n. 17.

[169] *Grisar,* l. c. p. 110; *Phillips,* l. c. p. 467 sq.; *Benedict. XIV,* l. c. n. 7; *Schmalzgr.,* l. c. n. 4. V. gr. Episcopus Barcinonensis ex concessione Pii X, a. 1904.

catis Consistorialibus assumpto [170]. *Traditur* autem pallium post praestitum fidelitatis et obedientiae iuramentum [171] et solutam palliorum taxam, i. e. vicesimam partem annat. [172], sive ab ipso Romano Pontifice, si Cardinali sit imponendum, sive ab antiquiore Cardinali Diacono, si aliis Praelatis vel ipsorum procuratoribus concedatur [173].

e) **Auctoritas,** quae ad instar *effectus* concessionem pallii consequitur, (can. 276) haec est:

Archiepiscopus inde a legitima pallii susceptione sese *Archiepiscopum* appellare valet atque *pontificalis officii* consequitur *plenitudinem.* Quare in rigore iuris antea abstineat necesse est a gestando *nomine Archiepiscopi* et ab omnibus functionibus *pontificalibus,* sive iurisdictionis metropolitanae sive etiam meri *ordinis* episcopalis, *quae a Metropolitanis fieri non possunt nisi cum pallii gestatione.* Cfr. cap. 3, X. de auct. I, 8 [174]. Hinc non potest convocare Concilium provinciale, conficere chrisma, dedicare basilicas, ordinare clericos et Episcopos consecrare, benedicere Abbates vel virgines etc., quia Archiepiscopo haec licita non sunt, nisi interveniat *sacri pallii gestatio* in Missarum sollemniis. Cfr. cap. 28, § 1, X. de elect. I, 6. At cum in *delegatione* certorum actuum pontificalium pallii gestatio non requiratur, Archiepiscopus non prohibetur quominus illos in sua archidioecesi *alteri Episcopo deleget,* aut *ipse* saltem *extra suam provinciam* peragat cum licentia Ordinarii loci, cum *ibidem* pallium gestare omnino *non possit.* Cfr. cap. 11, X. de elect. I, 6. Multo minus Archiepiscopus ante pallii receptionem arcetur ab iis iuribus sive ordinis episcopalis sive iurisdictionis *etiam metropolitanae* exercendis, quae sine pallii gestatione fieri *possunt* aut *debent,* v. g. si administret

---

[170] *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. c. n. 18.

[171] Benedict. XIV Const. «*Rerum ecclesiasticarum*»; *Bouix,* l. c. p. 484 sq.

[172] Urban. VIII Const. «*Dudum felicis*» 7 Febr. 1642.

[173] *Bouix,* l. c.; *Saegmueller,* D. Cardinaele p. 187 sq.

[174] Patriarchis et Archiepiscopis titularibus consecratis indulgetur, ut absque honore pallii, quod ipsis concedi non solet, Patriarchae et Archiepiscopi appellari eoque titulo uti possint, non obstante sanctione Innocentii III, cit. cap. 3, X. de auct. I, 8. Cfr. *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. XIII, cap. 15, n. 17; *Schmalzgr.,* l. c. n. 1, 6; *Phillips,* l. c. t. V, p. 644 sq., 649.

sacramentum confirmationis, ducat processionem *extra* ecclesiam (cfr. cap. 1, X. de auct. I, 8), si celebret Missam pontificalem illis diebus, quibus usus pallii ipsi *est interdictus* (cfr. cap. 4, 7, X. de auct. I, 8), si iure antiquo *confirmavit* electionem Suffraganei[175] (cfr. cap. 1, X. de translat. I, 7) vel delegavit consecrationem Suffraganei (cfr. c. 11, X. de elect. I, 6), vel si ex disciplina vigente alia quaedam iura iurisdictionis mere episcopalis sive dioecesanae exerceat[176], v. g. convocet atque celebret Synodum dioecesanam[177].

Pallium si conferatur simplicibus Episcopis vel Archiepiscopis titularibus, id non fit ad concedendam *plenitudinem pastoralis* officii, sed ad meram *honoris significationem*, neque ullam vim exserit in ipsorum iurisdictionem et iura pontificalia. Quare illi Praelati ob pallii honorem neque eximuntur a iurisdictione Metropolitani neque Sedis Apostolicae immediate subiciuntur, neque aliis Episcopis ex iuris dispositione praecedunt, neque aliquid iuris consequuntur quo antea carebant. At ex altera parte ipsorum iura propter pallium nondum receptum nequaquam ut in Archiepiscopis limitantur. Huiusmodi enim privilegium cumulat antiquis nova iura, sed antiqua non aufert, ne secus plus afferat damni quam commodi. Quare Episcopus qui pallii honore potitur, postquam rite institutus est, pro more aliorum Episcoporum etiam ante pallii receptionem, potest convocare Synodum dioecesanam, ordinare clericos, consecrare ecclesias aliaque iura ordinis et iurisdictionis episcopalis exercere[178].

f) **Usus pallii,** cum nitatur singulari privilegio, strictae interpretationi est obnoxius neque ultra terminos concessionis est extendendus[179]. Hinc pallium a solo Romano Pontifice, utpote

[175] Cfr. *González*, Comment. in cap. 11, X. de elect. I, 6, n. 7. Quare si canonistae non pauci (cfr. v. g. *Schmalzgr.*, l. c. n. 6, aliique) Metropolitae ante receptionem pallii indiscriminatim abiudicarunt *omne exercitium iurisdictionis metropolitanae*, modum videntur excessisse neque solidis rationibus suas sententias probasse. Cfr. *González*, l. c. et in cap. 3, X. de auct. I, 8; *Scherer*, l. c. t. I, p. 533, not. 81. Et certe tenor canonis 276 illas rigidiores sententias excludit.

[176] *Schmalzgr.*, l. c. n. 6.

[177] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 11, n. 5, 6, 7.

[178] *Benedict. XIV*, l. c. l. II, cap. 6, n. 4, l. XIII, cap. 15, n, 9 sq.

[179] *Schmalzgr.*, l. c. n. 7 sq.

ad *plenitudinem* potestatis assumpto, *semper* et *ubique* gestari potest inter Missarum sollemnia; Metropolitae vero aliique superiores Praelati, v. g. Patriarchae, qui vocantur in *partem* sollicitudinis, pallio tantum uti possunt intra quamlibet *ecclesiam* etiam exemptam *provinciae* sibi *commissae*, at non *extra* provinciam propriam tametsi Ordinarii loci consensus accedat, vel extra ecclesiam (can. 277)[180]. Neque ulla consuetudine, sed tantum speciali privilegio Romani Pontificis induci potest, ut Archiepiscopus *extra* suam provinciam pallio uti valeat, servatis conditionibus in indulto apostolico praescriptis, v. g. cum consensu Ordinarii loci. Cfr. cap. 5, X. de auct. I, 8.

Pariter Episcopi, qui sive ratione sedium sive ex mero privilegio personali gaudent honore pallii, illo iure extra propriam dioecesim ne cum consensu quidem Ordinarii loci uti possunt.

Inde repetenda est ratio quod Archiepiscopi et Patriarchae titulares, omni *iurisdictione* in propriis provinciis carentes neque unquam ibidem *residentes,* honore pallii *non donentur.* Nam in ipsis, praeter defectum in *significanda iurisdictione* super Episcopos, etiam *usus* pallii ex iuris communis sanctione penitus esset exclusus[181].

Porro pallii usus *restringitur* ad *dies* in iure (cfr. c. 4, 6, X. de auct. I, 8; Pontificale Rom. tit. de pallio) vel in singulari privilegio expressos (cfr. cap. 7, X. ibid.) et ad *Missarum sollemnia* iisdem diebus celebrata illosque *actus pontificales,* in quibus intra sola Missarum sollemnia gestatio pallii est permissa vel praescripta[182].

Quare usus pallii *extra Missarum sollemnia,* v. g. in processionibus vel in simplici administratione sacramenti confirmationis vel in celebranda Synodo dioecesana[183] nunquam est per-

[180] Cfr. cap. 1, 4, 5, X. de auct. I, 8; cap. 2, de priv. V, 7, in Clem.; Synod. Mont. Liban. (a. 1736), in Collect. Lac. t. II, col. 344.

[181] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. II, cap. 6, n. 3, l. XIII, cap. 15, n. 10, 17; *Phillips*, l. c. t. V, p. 647 sq.; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 35 sq. Cfr. *de exomide* Patriarchis illis titularibus concessa; Benedicti XIII Const. «*Rom. Pontifex*» 30 Sept. 1724; De Synod. dioec. l. XIII, cap. 15, n. 17.

[182] Cfr. c. 6, 8, D. 100; cap. 4, 5, 6, 7, X. de auct. I, 8; cap. 11, 28, § 1. de elect. I, 6.

[183] Quare *Bouix*, l. c. p. 486, cum *Ferraris* aliisque errat, si putat ab Archiepiscopo vel Episcopo privilegiato in Synodo dioecesana pallium

missus (cfr. cap. 1, X. de auct. I, 8; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. II, cap. 5, n. 8, l. II, cap. 11, n. 5, 6, 7,); neque Missas pro defunctis cum pallio licet celebrare. Cfr. cap. 7, X. de auct. I, 8.

Insuper usus pallii Metropolitis vel Episcopis privilegiatis ita est concessus, ut personam non egrediatur. Quare Archiepiscopus suum pallium alteri Archiepiscopo nunquam *commodare* potest (cfr. cap. 2, X. de auct. I, 8); immo si in aliam ecclesiam metropolitanam *transferatur*, pallium, quo in priore ecclesia usus est, secum *transferre* tenetur, ut cum eo sepeliatur, et successori vel etiam Coadiutori cum iure successionis illud relinquere nequit. Porro cum usus pallii omnino restrictus sit ad provinciam sive sedem metropolitanam planeque cesset in Archiepiscopo, qui loco sive ecclesiae archiepiscopali *renuntiat* (cfr. cap. 9, X. de renunt. I, 9) Archiepiscopus *translatus* in aliam ecclesiam metropolitanam pro nova provincia etiam *novum pallium* petere et exspectare debet (cfr. cap. 4, X. de post. prael. I, 5); quo ultimo pallio indutus postea sepelitur, cum pallium prioris ecclesiae metropolitanae capiti ipsius subiciatur (can. 278, 279).

Denique praesente Romano Pontifice vel Legato a latere omnibus aliis inferioribus Praelatis usus pallii est interdictus, dummodo excipiatur Cardinalis Episcopus suburbicarius Ostiensis, cui tamquam Decano Collegii Cardinalium consecratio novi Rom. Pontificis, tempore electionis nondum in sacris ordinibus constituti aut saltem consecratione episcopali carentis, ex antiquo privilegio est concessa (can. 239, § 2).

531. Scholion. Archiepiscopi pro diversitate regionum etiam a potestate civili *titulis honorificis*, singularibus *praecedentiae* iuribus, immo officiis *senatorum* aliisque muneribus civilibus insigniuntur. Ita v. gr. in *Austria* et *Hungaria* sex Archiepiscopi erant *principes*, sc. Goritiensis, Olmucensis, Pragensis, Salisburgensis, Strigoniensis et Viennensis. Item omnes Archiepiscopi vi officii in Austria et Hungaria erant senatores imperii vel regni [184]; quod idem etiam in Hispania obtinebat [185]. Praesertim vero in imperio *Turcarum* Patriarchae et Metropolitae haud exigua donati fuerant iurisdictione civili [186].

posse gestari (cfr. *Benedict. XIV*, l. c. l. III, cap. 11, n. 5, 6, 7); ideoque etiam *Phillips*, l. c. t. VI, p. 845, aliique sine solido fundamento *negant* Archiepiscopum *ante* receptum pallium posse celebrare Synodum dioecesanam. Cfr. *Benedict. XIV*, l. c. At Metropolita, quia in concilio *provinciali* Missam sollemnem *cum* pallio celebrare debet (cfr. cap. 4, X. de elect. I, 6; Caerem. Episcop. l. I, cap. 31, n. 13; *Benedict. XIV*, l. c. n. 6), absque indulto apostolico ante pallii receptionem Concilium provinciale convocare et celebrare nequit. Cfr. Collect. Lac. t. VI, col. 455.

CAPUT VII

De Conciliis plenariis et provincialibus

532. Connexio materiae. Sicut Patriarchae, Primates et Metropolitae *iure ecclesiastico* constituunt gradum intermedium in hierarchia iurisdictionis inter Primatum R. P. et gradum episcopalem, ita *eodem iure* interpositi sunt *coetus* seu *collegia* Praelatorum ad *extraordinarium* regimen ecclesiasticum, quae Concilia *particularia* dicuntur, et iurisdictionem exercent iurisdictione singulorum Episcoporum superiorem, a Rom. Pontifice mutuatam, cum ab eo, qui supremam in Ecclesiae tenet potestatem, necessario sit recipienda. Quamvis enim ex natura rei ex generalibus verbis Christi Domini de duobus vel tribus in suo nomine congregatis (Matth. XVIII, 20), facile deduci possunt *rationes congruae*, quae *suadeant* Conciliorum particularium celebrationem, tamen inde nec institutio divina nec absoluta necessitas et stricta obligatio colligi potest, sed *lex positiva Ecclesiae* omnino accedat necesse est, tum ut Episcopi adunati accipiant altiorem iurisdictionem, tum ut illarum adunationum vera obligatio existat [1]. Multo magis est necessarium ius positivum circa tempus, locum et modum celebrationis.

533. Notio. Concilia *plenaria* illa sunt in quae conveniunt plurium provinciarum ecclesiasticarum Ordinarii. Concilium

[184] Cfr. *Scherer*, l. c. t. I, p. 552 sq., 565 not. 39.

[185] *Ferreres*, **Instit. I, n. 574.**

[186] Cfr. *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 63, 164 s. q., 170.

[1] *Bouix*, De Conc. provinc. pag. 24 sq., videtur defendere *divinam originem* Conciliorum *provincialium*, sed argumentis efficacibus non probat; immo iis quae docet de Conciliis oecumenicis t. III, p. 351 sq., potius **refutat.**

vero *provinciale* illud est, in quo legitime coadunantur unius ecclesiasticae provinciae Episcopi (can. 281, 283) [2].

§ I. Origines et vicissitudines historicae

534. *Concilia provincialia* primis saeculis in praxi iam introducta ex canone quinto Concilii Nicaeni (a. 325) singulis annis *bis* fuerunt celebranda. Quae lex Nicaena de duplici Concilio provinciali per annum cogendo tum in Ecclesia Orientali tum

---

[2] Si in Codice, ut contraposita Conciliis oecumenicis, solummodo recensentur Concilia *plenaria* et *provincialia*, in tradita notione Concilii plenarii possunt comprehendi plures species Conciliorum *particula*-*rium* quas nobis prodit historia. Nam: *a*) Habemus Concilia Ecclesiae *Occidentalis* celebrata ab Episcopis totius Ecclesiae latinae sive Patriarchatus Occidentalis, et Concilia Ecclesiae *Orientalis* sive Episcoporum omnium quatuor Patriarchatuum Orientalium; quae possunt dici relative *generalia*. Cfr. Conc. Arelat. (a. 315); Conc. Lateran. (a. 649); Conc. Roman. (a. 680); Conc. Constantinop. (a. 581), si solummodo attendatur *convocatio*; Conc. Trullan. (a. 692); *Hefele*, t. I, p. 201 sq., t. II, p. 30 sq., t. III, p. 212 sq.; 252 sq., 328.

b) Concilia *patriarchalia* ex Episcopis unius Patriarchatus. Cfr. Conc. Alexandrin. (a. 320), iunct. *Hefele*, l. c. t. I, p. 218 sq.; c. 6, Conc. Constantinop. (a. 381, vel potius 382); c. 17, Conc. Constantin. (a. 869). Quae Concilia cum ex diversa « *dioecesi* » i. e. territorio Patriarchatus convocabantur (cfr. c. 2, Conc. Constantinop. a. 381), etiam Concilia dioecesana audiebant.

c) Concilia primatialia ex Episcopis Exarchatus sive Primatiae. Cfr. de Conc. plenariis vel universalibus Africae sept.: Conc. Hippon. (a. 393),c. 7; Conc. Carthagin. ab a. 394 ad 424, atque *Hefele*, l. c. t. II, p. 65 sq. C. 18, Conc. Arelat. II, (a. 443-452), iunct. *Hefele*, l. c. p. 298 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 508 sq.

d) Inter Concilia *nationalia* ex Episcopis determinatae *nationis* vel *Civitatis* referri possunt Conc. in Gallia celebrata inde ab a. 511, v. g. Conc. Aurel. I, (a. 511); Conc. Epaon. (a. 517); Conc. Toletana in Hispania ab a. 589 sq.; *Hefele*, l. c. t. II, p. 661 sq., 680 sq., t. III, p. 48 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 539 sq.

e) Inter *plenaria* seu (relative) *generalia* quae fuerunt adunata ex provinciis *stabili* quodam nexu in unum Patriarchatum vel Exarchatum *non* colligatis, velut Conc. Illiberit. (a. 300-306); Conc. Antioch. (a. 341); *Bouix*, l. c. p. 12 sq.; *Hefele*, l. c. t. 1, p. 148 sq., 502 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 527 sq.

f) Tandem huc referri possunt Concilia *Pontificia* sive *Sedis Apostolicae* quae a *Romanis Pontificibus* tempore medii aevi cum maiore

in Ecclesia Occidentali sequenti tempore non raro inculcabatur [3]. At iam ex saeculo sexto frequenter occurrunt canones [4], quibus Concilium provinciale solummodo *semel* quolibet anno praescribitur celebrandum.

Convocatio illorum Conciliorum provincialium spectabat ad *Metropolitam*, cui in casu negligentiae graves statutae fuerant poenae [5]. Nec minore rigore *Episcopis Suffraganeis iniuncta* fuerat obligatio *personaliter* accedendi ad Concilium provinciale, nisi impediti essent [6]. Quo in casu pro suo iure et officio mittebant procuratores, qui illos excusarent et ipsorum vices tenerent [7]. At *aliae personae ecclesiasticae*, quae in subsidium Episcoporum pariter ad Concilia provincialia accesserant [8], votum *decisivum* in illis habere non solebant [9].

Competentia antiquorum Conciliorum provincialium in canonibus condendis et in iudiciis etiam criminalibus et universa

---

minoreve parte Metropolitarum et Episcoporum occidentalium celebrata fuere. Cfr. v. g. Concilia celebrata a Leone IX, inde ab a. 1049, iunct. *Hefele*, l. c. t. IV, p. 716 sq.; Conc. Claromontan. Urbani II, (a. 1095), et Conc. Remense Callixt. II, (a. 1119), iunct. *Hefele*, l. c. t. V, p. 218 sq., 350 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 517 sq. Itemque quae fuerunt celebrata a *Legatis* Sedis Apostolicae cum Episcopis provinciae *Legationis* suae, velut v. g. Conc. Pictav. (a. 1110), iunct. *Hefele*, l. c. p. 261 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 534 sq.

[3] Cfr. c. 2 Conc. Constantinop. (a. 381); c. 19 Conc. Chalced. (a. 451), = c. 6, Dist. 18; Leo M. in cap. 2, D. 18; c. 8, Conc. Regense (a. 439), iunct. *Hefele*, l. c. t. II, p. 291; *Thomassin*. l. c. P. II, l. 3, cap. 45 sq.

[4] Cfr. c. 71 Conc. Agath. (a. 506); c. 2 Conc. Aurel. II, (a. 533); c. 1 Conc. Aurel. III, (a. 538); c. 37 Conc. Aurel. IV, (a. 541); c. 18 Conc. Tolet. III, (a. 589); c. 3 Conc. Tolet. IV, (a. 633); c. 7 Conc. Herford. (a. 673), c. 8 Conc. Trullan, (a. 692), c. 6 Conc. Nicaen. II, (a. 787).

[5] Cfr. c. 20 Conc. Antioch. (a. 341); c. 19 Conc. Chalced. (a. 451); c. 35 Conc. Agath. (a. 506), = c. 13, D. 18; c. 1 Conc. Aurel. III, (a. 538).

[6] Cfr. c. 19 Conc. Chalced. (a. 451); c. 35 Conc. Agath. (a. 506), c. 6 Conc. Tarracon. (a. 516), = c. 14, D. 18; iunct. *Hefele*, l. c. t. II, p. 523, 676; *Kober*, D. Kirchenb. p. 43 sq.

[7] Cfr. c. 18, 19, Conc. Arelat. II, (a. 443-452); c. 5 Conc. Emerit. (a. 666), *Granderath-Kirch*, l. c. t. I, p. 108 sq.

[8] Cfr. c. 20 Conc. Antioch. (a. 343); c. 13 Conc. Tarracon. (a. 516); c. 4 Conc. Tolet. IV, (a. 633); *Hefele*, l. c. t. I, p. 70 sq.

[9] Cfr. cit. canon. in praeced. notis; *Hinschius*, l. c. p. 474.

administratione ecclesiastica satis ampla fuit [10] atque in non pauca obiecta sese extendebat, quae ex disciplina vigenti iisdem omnino sunt subducta, v. g. in erectionem novarum dioecesium, in approbationem Episcoporum electorum etc. [11].

Celebrationi Conciliorum provincialium necessario *praefuit* Metropolitanus [12]. Episcopi congregati *ordinem* quoque stabilem sunt secuti atque ex natura rei per vota maiora ipsius collegii negotia expedierunt [13]. Neque ullum reperitur vestigium, quod primis illis saeculis *recognitio* vel *approbatio* quaedam Conciliorum provincialium per Rom. Pontificem fuerit praescripta [14], sed Episcopi comprovinciales, ut saltem ordinarie [15] a potestate regia in celebrandis illis Conciliis magna independentia gaudebant, ita etiam in promulgandis decretis magna libertate usi sunt.

Saeculis subsequentibus medii aevi ius constitutum de Conciliis provincialibus quoad substantiam non fuit mutatum, salvis quibusdam mutationibus et exceptionibus transitoriis et accidentalibus [16].

Concilium Lateranense IV (a. 1215) [17] primum fuit Concilium oecumenicum in Ecclesia Occidentali celebratum, quod

[10] V. g. c. 2 Conc. Constantinop. (a. 381), iura Conciliorum provincialium contra Patriarchas defenduntur; *Hefele*, l. c. t. II, p. 17; c. 17, 19, Conc. Chalced. (a. 451); c. 1 Conc. Avernens. (a. 535).

[11] Cfr. cp. 4, 6 Conc. Nicaen. (a. 325); c. 4, 9, 14 sq., 19 sq. Conc. Antioch. (a. 341); c. 1, 4 Conc. Carthagin. XI, (a. 407); c. 1 Conc. Gerund. (a. 517); c. 1 Conc. Lugdun. (a. 567).

[12] Cfr. cit. canon. Conc. Antioch. (a. 341) in not. praeced.

[13] Concil. Tolet. IV, canon 4, (a. 633); *Hefele*, l. c. t. I, p. 70 sq.

[14] *Bouix*, De Conc. prov. p. 357 sq., praxi, nonnisi per Sixtum V obligatorio modo praescriptae, nimiam vindicat antiquitatem et inter diversa Concilia et genera consensus non satis distinguit. Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 3, n. 1 sq., de decretis *dogmaticis* antiquorum Conciliorum particularium ex sese non *infallibilibus*, nisi accessisset confirmatio Rom. Pontificum vel consensus magisterii dispersi. Cfr. *Wilmers*, l. c. p. 402 sq.

[15] V. g. in Hispania et in Gallia interdum ex permissu vel iussione regum celebrata sunt Concilia provincialia; cfr. Conc. Caesaraug. (a. 592); Conc. Emerit. (a. 666), c. 5; Conc. Bracar. (a. 563).

[16] V. g. saeculo nono in Conciliis provincialibus commemorantur etiam *Chorepiscopi*; postea ex saeculo undecimo quandoque a Legatis Sedis Apostolicae Concilia provincialia fuerunt convocata.

[17] Cap. 6, 30, = cap. 25, X. de accusat. V, 1, et cap. 29, X. de praeb. III, 5; *Thomassin.*, l. c. cap. 57.

praxim mitiorem de Conciliis provincialibus *semel* tantum *in anno* cogendis lege scripta et universali expresse approbaret. At praxis illi canoni frequenter non fuit conformis. Hinc iam in Concilio Constantiensi actum est de Conciliis provincialibus *tertio quoque anno* convocandis. Quod statutum Martinus V (a. 1425) probavit, reformatores quoque Basileenses suo modo adoptarunt [18], atque Leo X in Sess. X Conc. Later. V, 4 Maii 1515, suae Const. « *Regimini* » i. f. inseruit.

Concilium Tridentinum Sess. XXIV cap. 2 de ref. innovato decreto de triennio et de poena suspensionis ab officio ferendae sententiae cap. 25, X. de accus. V, 1 iam statuta, alia decreta de iure convocandi, tempore celebrationis et obligatione Episcoporum exemptorum accedendi ad Concilium provinciale denuo publicavit; at recognitionem vel confirmationem decretorum provincialium per Sedem Apostolicam nondum praescripsit.

Quae *recognitio* a Sixt. V Const. « *Immensa* » 22 Ian. 1589 obligatorio modo praecepta S. Congregationi Concilii fuit demandata [19]. Inde a Sixto V ius constitutum de Conciliis provincialibus celebrandis immutationem non subiit. Quodsi teste Cardinali De Luca [20] Archiepiscopis Italiae saeculo decimo septimo prohibita est convocatio Conciliorum provincialium *inconsulta* S. C. C., id nitebatur specialibus et transitoriis rationibus, non derogationi iuris communis. Neque ultimo saeculo, cum disciplina celebrationis Conciliorum provincialium esset restaurata, facta quaedam singularia praeviae licentiae, ex superabundantia petitae, constituebant novam disciplinam iurisque necessitatem [21]. Denique quod in schemate Vaticano [22] propositum est, nonnisi

[18] *Hefele*, l. c. t. VII, p. 410; *Hinschius*, l. c. p. 502 sq.

[19] Quae *Hinschius*, l. c. p. 504, novae ordinationi Sixti V obicit solido fundamento carent; Collect. Lac. t. I, col. 1 sq.

[20] *De Luca*, Adnot. ad Conc. Trid. disc. 30, n. 4, 5, iunct. Collect. Lac. t. VI, col. 1, 134, 219, 255, 285.

[21] Collect. Lac. t. V, 231 sq., 723 sq.; ubi refertur *petitio* Archiep. Coloniensis, a. 1859, et Archiep. Ultraiect., a. 1865, Pio IX proposita ad celebrandum Conc. provinciale.

[22] *Martin*, Collect. docum. Conc. Vatican. p. 232 sq. Cfr. quoque Leon. XIII, Epist. 24 Aug. 1889, ad Episcopos Italiae et insularum adiacentium atque, 25 Iun. 1891, ad Episcopos Lusitaniae de *collationibus episcopalibus* (singulis annis) celebrandis.

singulis quinquenniis Concilia provincialia esse cogenda, vim legis scriptae nondum obtinuerat.

535. Praeter Concilia provincialia a primis saeculis celebrata sunt Concilia, in quibus Episcopi *complurium provinciarum ecclesiasticarum* convenerunt. Cuius praxis vestigia iam saeculo tertio [23] et quarto [24] occurrunt, nec mirum est, quod huiusmodi Concilia dicantur *plenaria* vel *universalia* sive *generalia*.

Inter ista Concilia plenaria sane eminent quae audiunt generalia Concilia Ecclesiae *Orientalis*, v. g. Conc. Constantinop. (a. 381) vel Ecclesiae *Occidentalis*, v. g. Conc. Arelat. (a. 314) [25]. At maximam celebritatem nacta sunt Concilia plenaria in Africa (Concilia Carthagin.) et Hispania (Concilia Toletana) usque ad invasionem arabum. Etenim ex *determinato* territorio ecclesiastico (ex Africa septentrionali et regno Visigothorum), cui certi Praelati ecclesiastici (Archiep. Carthag. et Tolet.) ut *Primates praefuerunt*, Episcopi universi *stabili* quadam ratione ad illa Concilia convenerunt [26].

Similia Concilia plenaria vel nationalia toto medio aevo etiam in Gallia, Germania et Anglia celebrata sunt [27]. Singularem autem mentionem merentur illa, quae ipsos Romanos Pontifices vel eorum Legatos praesides habuerunt et ad Concilia Ecclesiae Occidentalis atque adeo universalis proxime accesserunt [28].

---

[23] *Euseb.*, l. c. l. VII, cap. 7; *Hefele*, l. c. t. I, p. 104 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 325 sq.

[24] Conc. Illiberit. (a. 300-306); Conc. Ancyran. (a. 314); Conc. Alexandrin. (a. 320); *Hefele*, l. c. t. I, p. 148 sq.

[25] *Hefele*, l. c. t. I, p. 211 sq., t. II, p. 1 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 514 sq.

[26] Quae Concilia *generalia* in *Africa* ex decreto Conc. Hippon. (a. 393), et c. 8 Conc. Carthag. VI, (a. 401), *singulis annis* fuerunt celebranda. Qui rigor c. 1 Conc. Carthag. XI, (a. 407), ita temperatus est ut nonnisi ex necessaria causa, universam Africam attingente, essent convocanda. Cfr. *Hefele*, l. c. t. II, p. 53 sq., 60. Concilia *Toletana*, ab a. 589 ad 701 celebrata, praesertim repraesentant singularem speciem Conciliorum nationalium medii aevi quae appellantur *Concilia mixta*. Illa ex ordinatione vel convocatione regis sunt coacta et in iisdem etiam intervenerunt *optimates* regni communique consilio et approbatione regia statuerunt de causis ecclesiasticis et mixtis. Cfr. *Hefele*, l. c. t. II, p. 48 sq.

[27] Cfr. v. g. Conc. Aurel. II, (a. 533), et *Hefele*, l. c. t. II, p. 755; Conc. Matiscon. (a. 585), can. 20, et Conc. Paris. V, (a. 614), iunct. *Hefele*, l. c. t. III, p. 39 sq., 67 sq.; Conc. Germanicum (a. 742), et Littinense (a. 745); cfr. *Hefele*, l. c. p. 497 sq., 522 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 539 sq.

[28] Conc. Roman. (a. 1059); Conc. Claromont. (a. 1095); Conc. Tu-

Orto magno schismate occidentali cum deprimi coeptae essent praerogativae Sedis Apostolicae, denuo crevit potestas principum civilium in convocandis Episcopis regni ad comitia quaedam ecclesiastica [29]. Quare congregationes illae Episcoporum, licet ob singulares plane rationes coactae stabilem normam non suppeditarint, tamen multum contulerunt ad promovendam falsam notionem Conciliorum nationalium et iurium principum catholicorum, praesertim regis christianissimi. Inde factum est ut ex saeculo decimo sexto inter libertates gallicanas etiam recensetur ius regis christianissimi coadunandi ipsa *Concilia* nationalia. Quo iure reges Galliae practice usi sunt in convocandis comitiis generalibus cleri gallicani ad concedendas contributiones pecuniarias et in impediendis Conciliis provincialibus [30]. Ultimi vero surculi falsae theoriae et praxis de Conciliis nationalibus sunt errores *Febronii* et *Synodi Pistoriensis* a Pio VI, Const. «*Auctorem fidei*» 28 Aug. 1794, prop. 85 proscripti, articuli organici in Gallia (a. 1802) n. 3, 4 usque in hodiernum diem retenti et convocatio Synodi nationalis per Napoleonem I a. 1811 facta [31]. Accesserunt in aliis quoque regionibus regalismi placita et decreta et errores *Nuytz* in Syllabo prop. 35, 36, 37 damnati, ubi pro more Febronii et Pistoriensium Conciliis nationalibus *supremam* potestatem in Ecclesia et independentiam a R. Pontifice *vindicat*.

Nostra aetate postquam genuina *principia canonica* de Conciliis plenariis vel nationalibus denuo fuerunt in memoriam revocata [32], mox etiam legitima praxis secuta est [33].

---

ron. (a. 1163); *Hefele*, l. c. t. IV, p. 800 sq., t. V, 220 sq., 611 sq.; *Thomassin.*, l. c.; cap. 50 sq.

[29] V. g. Carolus VI, a. 1395 et 1408, convocavit Episcopos Galliae in civitatem Parisiensem, ut de tollendo schismate deliberarent. Cfr. *Hefele*, l. c. t. VI, p. 975 sq., 986 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 578 sq.

[30] *Pithou*, Liberté de l'église gallicane n. 10; *Bouix*, l. c. p. 49 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 579 sq.

[31] Collect. Lac. t. IV, col. 1223 sq.

[32] Cfr. negativum responsum Pii IX, 17 Maii 1849, ad postulatum Episcoporum Germaniae (a. 1848), celebrandi «*Concilium nationale*» in Collect. Lac. t. V, col. 990, et 994 sq. Idem fere responsum acceperunt Episcopi Galliae, 17 Maii 1849, cum mense Februario eiusdem anni a Sede Apostolica peterent licentiam ad celebrationem «*Concilii plenarii totius gentis Gallicanae*». Cfr. Collect. Lac. t. IV, col. 2 sq.

[33] Cfr. v. g. Concilia plenaria Baltimorensia (a. 1852, 1866, 1884);

§ II. Disciplina vigens

A) *Quae Concilii plenarii sunt propria*

536. I. **Concilia plenaria,** licet ex iure Codicis iam sint dicenda in genere permissa, nihilominus ut celebrentur opus est *venia* Rom. Pontificis, ad quem spectat circumscribere territorium ex quo Metropolitae et Episcopi ad Concilium conveniant, cum numerus provinciarum non satis designetur per vocem *plenarium*, itemque designare Legatum qui Concilium convocet eique praesit (can. 281). Etenim nullus Metropolita in alios Metropolitas superiorem habet auctoritatem, sed omnes sunt aequales et *immediate* subiecti Sedi Apostolicae; Primates vero aut omnino non existunt, aut si qui sunt, merum titulum *honorificum*, non plenam iurisdictionem habent (can. 271), aut si quid iurisdictionis primatialis retinuerunt iamdiu in ea non amplius continetur ius convocandi Concilia plenaria aut nationalia sine licentia Sedis Apostolicae [34].

II. *Convocatio* per Legatum designatum fieri debet omnium qui *tenentur* Concilio assistere. Porro *debent* assistere *cum suffragio deliberativo*, praeter ipsum Legatum Apostolicum qui praesidentiam habet, quotquot sunt in territorio legitime circumscripto Metropolitae, Episcopi residentiales, Administratores Apostolici dioecesium, Abbates vel Praelati *nullius*, Vicarii Apostolici, Praefecti Apostolici vel Vicarii Capitulares. — Si qui Metropolitae vel Episcopi Coadiutorem vel Auxiliarem Episcopum

Synodum plenariam Hiberniae (a. 1875); Concilia plenaria Australiae (a. 1885, 1895), Americae latinae (a. 1899). Quidam Episcopi Galliae in Concilio Vaticano postularunt, ut *interdum Concilia plenaria* Episcoporum cuiusque gentis convocarentur et de modo illa celebrandi leges conderentur. Cfr. *Martin*, l. c. p. 157 sq.

[34] Pii IX responsa ad Episcopos Galliae, Germaniae et Austriae in Collect. Lac. t. IV, col. 3 sq., t. V, col. 994 sq., 1336 sq.; *Bouix*, l. c. p. 12 sq.; *Nilles*, l. c. p. 16, 19 sq. Quodsi iuxta decreta Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 209 sq. et Synod. Alex. (a. 1898), p. 234, Patriarchae Syrorum et Coptorum tribuitur ius convocandi Concilium « *nationale* » a Concilio provinciali distinctum, quoties necessitas id exigat aut quinto quoque anno, neque ulla fit mentio praeviae licentiae a Sede Apostolica petendae, vix in praxi fieri poterit ut illa convocatio fiat ignorante et non consentiente Rom. Pontifice.

habeant, illum sui loco et cum eodem suffragii iure in Concilium mittere possunt (can. 282, § 1) [35].

Utrum sint necne vocandi Episcopi *titulares* pendet ab instructionibus a Legato Pontificio receptis; si tamen ad illarum tenorem vocentur, adesse tenentur et gaudent iure suffragii deliberativi, nisi aliud expresse cautum fuerit (ibid., § 2).

Quodsi ex utroque clero alii fuerint invitati, ii suffragio non gaudent nisi *consultivo* (ibid., § 3).

III. *Tempus* et *locus* Concilii plenarii celebrandi ex natura rei non debuit a iure determinari, hoc ipso quod adunari nequeat sine praevia licentia Rom. Pontificis, cuius erit et tempus et locum electum approbare vel alium designare [36].

B) *Quae propria sunt Concilii provincialis*

537. I. *Convocandi* ius pertinet ad Metropolitam *verum* cuiusque *provinciae* ecclesiasticae post acceptum pallium (can. 276, 284, 2°); quod si ipse fuerit impeditus aut sedes archiepiscopalis vacet, ad Suffraganeum antiquiorem promotione ad aliquam ecclesiam illius provinciae (can. 284).

II. Convocandi autem sunt et convenire *debent* cum voto *deliberativo*:

1) Omnes Episcopi *suffraganei* sive comprovinciales dioecesium provinciae post Bullas provisionis suae rite praesentatas, etiamsi nondum sint consecrati [37]. Quibus omnino aequiparantur

[35] Ad Concilium Plenarium Americae Latinae Romae celebrandum convenire iussi sunt, praeter omnes Archiepiscopos et Episcopos qui in aliqua Republica soli invenirentur, unus vel plures (non omnes) ex suffraganeis cuiusque provinciae, ab ipsis suffraganeis cum suo Metropolita designandi et ceterorum loco et nomine mittendi. Quae temperatio adhibita fuit, ne toto tempore Concilii vastissima illa mundi pars propriis pastoribus *omnibus* destitueretur, in Urbe ideoque remotissimo loco commorantibus (Acta Conc., I, pag. XV).

[36] Cfr. Decretum S. C. Consist. 22 Febr. 1919, et eiusdem S. C. Litteras ad Episcopos Italiae 22 Martii 1919, de substituendis in Italia, ob specialem conditionem circumscriptionis dioecesium, in locum Conciliorum provincialium Conciliis plenariis seu regionalibus, exceptis quibusdam regionibus, in Act. Apost. Sed., XI, p. 72 sq., 175 sq.

[37] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 2, de ref.; *Fagnan.*, l. c. n. 28; *Nilles*, *l.* c. P. I, p. 68.

Administratores Apostolici et Coadiutores Episcoporum, qui cum plena potestate dioecesim gubernant, item Vicarii Capitulares et Vicarii aut Praefecti Apostolici, qui dioecesim vel Vicariatum aut Praefecturam Apostolicam intra provinciam regunt (can. 286).

2) Episcopi *exempti* vel Praelati *nullius*, qui nulli Archiepiscopo subiciuntur itemque Archiepiscopi Suffraganeis carentes; ii quippe omnes, semel pro semper, praevia Sedis Apostolicae approbatione tenentur ex Metropolitanis vicinis unum sibi eligere, in cuius Concilio provinciali deinde cum aliis *interesse debeant* [38], et quae in illo Concilio ordinata fuerint pro ipsorum territoriis vim habent Concilii provincialis, tametsi ad provinciam ecclesiasticam Metropolitani convocantis non pertineant (can. 285).

3) Quod attinet ad *Episcopos titulares* in provincia constitutos, ii non habent strictum ius ut cum voto *decisivo* ad Concilium provinciale vocentur; possunt tamen a praeside vocari si maior pars Ordinariorum comprovincialium et aliorum qui ius habent in vocationem consentiat. Quodsi ita admissi et vocati fuerint, gaudent quidem voto deliberativo, nisi aliud expresse in convocatione cautum fuerit, sed non gaudent *praecedentia supra ceteros*, licet *antea consecrationem* acceperint, nec Episcopis *exemptis* sunt aequiparandi (c. 286, § 2).

Cum voto autem *consultivo* vocandi et admittendi sunt:

1) *Procuratores* capitulorum cathedralium vel consultorum dioecesanorum cuiusvis dioecesis, cuius Ordinarius intervenire debet. Invitatio dirigitur ad ipsum Capitulum cathedrale vel ad corpus consultorum quod capitulum supplet, ex qua invitatione exurgit obligatio collegialiter designandi et mittendi duos ex capitularibus vel consultoribus, qui ita Capitulum seu corpus consultorum repraesentant (ibid., § 3).

2) Superiores maiores religionum clericalium exemptarum et Congregationum monasticarum, qui in provincia resideant. Hi invitandi sunt, et invitati adesse *debent*, aut impedimentum, quo detinentur, Concilio notum facere (ibid., § 4).

---

[38] Cfr. Conc. Trid. l. c.; S. C. C. 6 Apr. 1595, iunct. Collect. Lac. t. VI, col. 219; S. C. C. 28 Maii 1725, apud *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 8, n. 14, et l. II, cap. 2, n,.6, cap. 4, n. 3 sq.

3) Procuratores absentium sive ex iusta causa excusatorum.

III. **Celebrationis locus et tempus.** Concilium provinciale celebrandum est saltem vicesimo quoque anno (can. 283) [39]. Quamvis *locus* maxime conveniens, quo Concilium provinciale celebretur, est metropolis et in ipsa metropoli ecclesia cathedralis, quam si adsint necessariae commoditates nec obstet legitimum impedimentum Archiepiscopus relinquere *non debet*, ut iam suo tempore declaraverat S. C. C. in responso citato apud Fagnanum (in cap. 25, X. de accus. V, 1, n. 27), cum tamen in casibus particularibus circumstantiae speciales occurrere possunt, is, ad quem pertinet convocatio, alium locum intra provinciae territorium designare potest, auditis tamen omnibus qui assistere debent cum suffragio deliberativo (can. 284, 1°).

C) *Quae Concilio plenario et provinciali communia sunt*

538. I. **Absentia et permansio in Concilio.** Quicumque Concilio plenario aut provinciali interesse debent cum suffragio deliberativo, si iusto impedimento detineantur, allegata iusta causa impedimentum probare debent et procuratorem mittere. Qui procurator potest quidem esse unus ex ipsis Patribus Concilii, cui tamen non inde competit ius *duplicis* suffragii; si vero non fuerit ex Patribus, ei non competit nisi suffragium consultivum (can. 287).

Inchoato Concilio, nemini eorum qui interesse debent licet discedere, nisi iustam ob causam, quae in Concilio plenario a Legato pontificio, in provinciali a Concilii Patribus fuerit probata (can. 289).

539. II. **Constitutio, potestas et competentia, celebratio,** *a*) *Constitutio Concilii plenarii* legitima non est nisi *praesit Delegatus*

---

[39] Antiqua disputatio de vi consuetudinis in non celebrandis Conciliis provincialibus, cum ius esset de singulis *trienniis*, iam videtur carere fundamento. Cfr. *Santi*, l. I, tit. 31, n. 153; *Bouix*, l. c. p. 38 sq.; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, p. 349. Quodsi mitigatio circa tempus excessit postulata in Concilio Vaticano proposita de restringenda obligatione ad singula quinquennia, frequentior celebratio Concilii provincialis apte suppletur pro conditione nostri temporis per Conferentias Episcopales saltem quinto quoque anno celebrandas (can, 292).

Sedis Apostolicae. Quoad reliquos Praelatos et clericos, qui cum voto decisivo vel consultivo intervenire possunt et debent, standum est tenori decreti generalis, quo Delegatus Sedis Apostolicae Concilium plenarium indixit; deinde servata proportione eae leges attendendae sunt quibus Concilia provincialia reguntur [40].

b) Potestas et *competentia Concilii plenarii* licet ex iure praecedenti potius *delegata* quam *ordinaria* dicenda esset, cum saltem in Ecclesia Occidentali niteretur commissione Sedis Apostolicae, non iure proprio et sanctionibus iuris communis, iure tamen Codicis dici posse videtur *ordinaria* ob rationem contrariam [41]. Porro primo loco in ea *obiecta* sese extendit, de quibus ex speciali mandato R. Pontificis disceptatio et definitio conciliaris est facienda [42]. Deinde comprehendit ius ad condenda *decreta disciplinaria pro toto illo territorio,* ex quo Concilium plenarium coactum est. Quae decreta, utpote a superiore auctoritate lata, maiorem habent vim quam decreta Concilii provincialis, a quo decretis Concilii plenarii derogari non poterit.

c) Celebrationi Conciliorum plenariorum Delegatus Sedis Apostolicae *praesidere* debet; in reliquis vero quoad ordinem, deliberationem, suffragationem et dissolutionem eaedem valent normae atque pro Conciliis provincialibus.

d) Constitutio Concilii provincialis rite facta est:

1° Si eidem *praesit* Metropolitanus, vel is, qui legitime eius vices gerit [43].

2° Si saltem Praelati *voto decisivo* instructi conveniant; at secundum analogiam Capitulorum ecclesiarum cathedralium aut Ordinum religiosorum (expressa enim lex hac de re non existit) non requiritur, ut *omnes* et *singuli* illi Praelati congregentur, sed duae tertiae partes cum legitimo praeside *sufficiunt* ut Concilium provinciale declaretur legitime congregatum [44]. Multo

---

[40] Collect. Lac. t. II, col. 129, 325 sq., 769, 1083 sq., 1107.

[41] Cfr. iurisdictionem Legati, Administratoris Apostolici etc., quae tantum in *extraordinariis* casibus exercetur, nec idcirco est stricte delegata.

[42] Collect. Lac. t. III, col. 325, 328 sq.

[43] Cfr. de iure antiquo c. 20 Conc. Antioch. (a. 341).

[44] Cfr. cap. 1, de his, quae fiunt a maiore p. III, 10, cui consonat ius Codicis can. 162 § 3. Quodsi *Hinschius,* l. c. p. 540, cui consensit

minus opus est exspectare adventum omnium illorum, qui solummodo *iure voti consultivi* gaudent aut tantum *invitati* fuerunt ut venire *possint.*

e) Potestas et *competentia Concilii provincialis* optime potest vocari *ordinaria;* nititur enim *iuris* dispositione et iure nomineque *proprio* exercetur. Porro complectitur potestatem legislativam [45], administrativam [46], iudiciariam [47] et coercitivam [48] *in universam provinciam,* ad tramites iuris communis quoad personas [49] et causas permissas *disciplinae ecclesiasticae* [50], exercendam.

Saegmueller, Lehrb. p. 395, putavit omnino *requiri* ad rite constituendum Conc. provinciale, ut saltem adsit *maior pars Episcoporum comprovincialium,* id ex positiva iuris dispositione probare nequit; argumenta vero ex natura rei petita intentum non probant; secus tandem aliquando sequeretur etiam Concilium oecumenicum, quod repraesentat Ecclesiam *universalem,* non esse legitime constitutum, nisi *maior* pars Episcoporum *orbis catholici* conveniat, quo plane falsum est. Cfr. *Scherer,* l. c. p. 674, qui *praeter* praesidem, Concilium provinciale convocantem, tantum duos alios Praelatos voto decisivo praeditos absolute *requiri* et sufficere exsistimat, sed argumentis allatis non demonstrat. Certe tres faciunt collegium atque in ipsis Congregationibus Romanis ad sessionem plenariam tres saltem Cardinales requiruntur et ut solummodo duo negotium expedire possint, licentia R. Pontificis est necessaria. Cfr. in Collect. Lac. inter acta Conc. prov. primam sessionem sollemnem.

[45] Conc. Trid. l. c.; Collect. Lac.; *Fagnan.,* l. c. n. 35 sq., 81, 18.

[46] Cfr. cap. 25, X. de accus. V, 1, de constituendis *testibus* synodalibus iunct. schemati Vatic. de Conc. prov.; Conc. Trid. Sess. VI, cap. 1, de ref. et Sess. XXIII, cap. 1, de ref. (de residentia), Sess. XXIII, cap. 18, de ref. (de urgenda erectione Seminariorum), Sess. XXIV, cap. 3, de ref. (de approbandis causis ad visitationem dioecesis Suffraganei per Metropolitam), l. c. cap. 13, de ref. (de praeparatione unionis vel melioris dotationis dioecesium). Sess. XXV, cap. 10, de ref (de designandis iudicibus synodalibus); *Bouix,* l. c. p. 518 sq.

[47] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 2, de ref.; *Fagnan.,* l. c. n. 52 sq.

[48] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 5, de ref. (de minoribus causis criminalibus Episcoporum a Concilio provinciali iudicandis) iunct. Sess. XIII, cap. 6 sq. de ref. et *Bouix,* l. c. p. 467 sq.; *Fagnan., l. c.* n. 40 sq.; Collect. Lac. t. I, col. 635 sq.; Conc Trid. l. c. cap. 18, (de examinatoribus simoniacis puniendis). Sess. XXV, cap. 22, de regul. (de supplenda negligentia Episcoporum in promotione disciplinae regularis).

[49] *Suarez,* De leg. l. IV, cap. 20, *Fagnan.,* l. c. n. 87 sq.

[50] Quamvis Concilia provincialia non possint authentice dirimere controversias fidei et infallibiliter definire doctrinam catholicam, tamen

Quae partes potestatis seu competentiae de iure praecedenti firmatae ex fontibus in notis allegatis, etiam in iure Codicis, saltem si excipiatur potestas stricte iudiciaria, hodie vix practica, satis indicantur in ambitu competentiae definito per can. 290 pro utroque Concilio plenario et provinciali: « inquirant et decernant quae ad fidei incrementum, ad moderandos mores, ad corrigendos abusus, ad controversias componendas, ad unam eamdemque disciplinam servandam vel inducendam, opportuna fore pro suo cuiusque territorio videantur ».

f) Celebratio Concilii provincialis, postquam illud in forma legitima constitutum et apertum est, initium capit a fidei professione ad normam can. 1406 § 1, 1.° emittenda tum ab ipso Concilii praeside tum a ceteris qui intersunt cum voto sive consultivo sive deliberativo. Deinde ita fiat oportet ut penes *Metropolitam*, vel qui locum eius tenet, sit vera *directio negotiorum*, sed ad instar *praesidis* alicuius senatus [51], non per modum Rom. Pontificis in Conciliis oecumenicis. Ipse enim Metropolita est potius primus inter pares et unum tantum habet suffragium decisivum, quod plane *aequale* est suffragio singulis Episcopis suffraganeis proprio. Penes totum vero *collegium* Praelatorum cum voto decisivo congregatorum in Concilio est suprema potestas, quae per vota maiora exercetur etiam contra Metropolitam, forte suffragium cum minore parte ferentem [52].

Decreta Concilii provincialis cum rite sint condenda, accurate *praeparentur, libere* et *ordinate* [53] discutiantur necesse est. Quare ex praxi nunc vigenti a Metropolita etiam collatis con-

---

non prohibentur, quatenus opus sit, ab expositione doctrinae catholicae iam aliunde certae, etsi nondum pro *supremo gradu definitae*, cfr. can. 1326; *Benedict. XIV*, De Synod. dioeces. l. VII, cap. 1 sq.; *Bouix*, l. c. p. 504 sq.; *Santi*, l. c. n. 157. Quare *Hinschius*, l. c. p. 645 sq., confundens doctrinam *theologice certam* cum dogmate *definito*, perperam recentiora Concilia provincialia de violata competentia accusat, si doctrinam de infallibilitate R. Pontificis ut rem *indubitatam* proposuerunt.

[51] S. C. C. apud *Fagnan.*, l. c. n. 98, 99. Quaestiones de *ordine sedendi* reliquorum synodalium dirimuntur secundum leges canonicas *de praecedentia* suis locis in codice propositas, v. gr. can. 106, 239, 280, 347, 370 et 480; cfr. *Bouix*, l. c. p. 185 sq.

[52] *Fagnan.*, l. c. n. 33 sq., 104, refert decisionem S. D. N.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 2, n. 4.

[53] Caeremon. Episcop. l. c.; *Bouix*, l. c. p. 538 sq.; Collect. Lac. v. g. t. V, col. 729 sq.; Concil. plenar. Baltimorens. III, (a. 1884), p. XXXIV sq.

siliis cum Episcopis comprovincialibus schemata decretorum praeparantur. Quae schemata tum in comitiis Praelatorum cum suffragio decisivo, tum in *commissionibus* specialibus vel in *congregationibus generalibus* disceptantur et denique in *sessionibus publicis* sollemniter approbantur. Ordo autem in examinandis et discutiendis quaestionibus a praeside de *consensu* Patrum est determinandus (can. 288).

Metropolitanus quamvis solus pro suo iure *convocet* Concilium provinciale, tamen *absque consensu* Patrum *nequit transferre, prorogare aut dissolvere* Synodum legitime congregatam (can. 288).

540. III. Concilii confirmatio. Licet confirmatio *Conciliis* sive *plenariis* sive *provincialibus* per *Rom. Pontificem* Litteris Apostolicis in forma communi vel etiam specifica dari possit, tamen de iure non est necessaria et ex disciplina vigenti, ordinarie saltem, in forma *specifica* non conceditur. At praeses Concilii etiam in Ecclesiis Orientalibus antequam Concilium provinciale *licite* et *valide promulget*, omnia eius *acta et decreta* ad Sedem Apostolicam transmittere debet, ut ibidem de more expendantur et *recognoscantur* sive per S. C. C. sive per S. C. de Prop. F., si provincia ecclesiastica huic S. C. sit subiecta [54].

Quae *recognitio* est *correctio* atque *censura*, qua expenditur, numquid fortasse in iisdem actis et decretis aut vigenti iuri communi contrarium aut nimis rigidum aut minus rationi et iustitiae atque aequitati canonicae congruum *actum* vel *statutum* reperiatur. Huiusmodi *correctio*, quae haud raro fieri non potest, nisi aliquid *dematur* vel etiam *addatur* [55], sane non efficit, ut decreta Concilii transformentur in decreta *pontificia* et ad *universalem* Ecclesiam extendantur, vel ut omnia et singula in *actis*

---

[54] Cfr. Sixt. V Const. « *Immensa* »; Collect. Lac. t. II, col. 66, 410, 577, 579, 555 sq., 1 sq.; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 211 sq.; Synod. Alex. (a. 1898), p. 211 sq.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 3, n. 1 sq., 3 sq.; *Nilles*, l. c. P. I, p. 36 sq.; *Bouix*, l. c. p. 219 sq.

[55] Auctores postulati apud *Martin*, l. c. p. 158, nimium voluerunt restringere potestatem corrigendi Congregationum Romanarum. Cfr. Collect. Lac. t. II, l. c. Multo magis *Hinschius*, l. c. p. 646 sq., legitimam revisionem SS. CC. ad angustiores limitat terminos et absque ullo solido fundamento carpit praxim Curiae Romanae et fingit studium quoddam augendi dominationem pontificiam.

relata et in decretis statuta, si forte aliqua sint falsa vel invalida, suprema auctoritate *approbentur* aut *valida* reddantur [56]; attamen non ita est deprimenda, quasi *nihil auctoritatis addat* actis et decretis Concilii provincialis. Etenim est *testimonium* authenticum Superioris competentis Concilium *rite* fuisse *convocatum* et *celebratum* neque in decretis, correctione facta, aliquid reperiri *censura dignum*. Inde fit ut decreta illa etsi *maneant decreta Concilii*, tamen facilius executioni mandentur et ab impugnationibus magis sint immunia [57].

541. IV. **Concilii promulgatio.** *Concilii* sive *plenarii* sive *provincialis* promulgatio *post* revisionem facienda est eo modo quem ipsi Concilii Patres designaverint, ad quos pariter spectat definire tempus quo decreta promulgata obligare incipiant. Quae promulgatio in forma legitima facta *sufficit*, ut *statim* decreta plenam vim habeant integrosque sortiantur effectus in toto territorio [58], nisi vacatio quaedam in decretis publicatis fuisset statuta [59].

Qua promulgatione facta etiam Metropolitanus decretis conciliaribus fit subiectus, neque *solus* ille immutare vel abrogare valet, immo ne interpretari quidem authentice potest, nisi Concilium provinciale ipsi hanc facultatem concesserit forte certis clausulis limitatam, v. g. *collatis* prius *consiliis* cum reliquis Episcopis comprovincialibus [60]. Facultas vero dispensandi in decretis Concilii, sive plenarii sive provincialis, competit singulis Ordinariis pro suis subditis, sed tantum in casibus particularibus et iusta de causa (can. 291, § 2 iunct. can. 82).

---

[56] *Nilles*, l. c. p. 38 sq.; *Benedict. XIV*, l. c. n. 3, 4, 5.

[57] *Nilles*, l. c. p. 41 sq.; *Zallinger*, Inst. iur. eccles. l. II, tit. 30 §§ 456 sq., 463 sq.,

[58] Synod. Mont. Liban. (a. 1736), in Collect. Lac. t. II, col. 408, declaravit sua decreta sub peccato *mortali* non obligare, « *nisi id secum de sui natura aut de iure ferat gravitas materiae aut pro eius observantia addatur praeceptum sanctae obedientiae aut dicatur graviter oneratam esse delinquentis conscientiam vel in transgressores indignationem Omnipotentis Dei, suspensionem sive excommunicationem comminemur aut infligamus, vel contemptus et pertinacia scandalum grave et lethalis criminis reatum inducant* ». *Nilles*, l. c. p. 27 sq.; *Bouix*, l. c. p. 89. Conc. plenar. Baltimor. III, (a. 1884) tit. ulti. Cfr. decis. S. C. Consist. 2 Aug. 1918, de Conc. provincialibus Westmonasteriensibus vim suam retinentibus in universo territorio illius provinciae, postquam haec dismembrata fuit creatis ex ea novis quatuor provinciis, in Act. Apost. Sed. X, p. 365.

[59] Conc. provinc. Ravennat. (a. 1855) in Collect. Lac. t, VI, col. 211.

D) *De conferentiis Episcoporum* (can. 292)

542. Si Conciliis provincialibus celebrandis intervallum viginti annorum fuit assignatum, illa iuris praecedentis mitigatio satis compensatur per conferentias seu collationes Episcoporum quae saltem quinto quoque anno [61] stato tempore in loco territorii Metropolitani aut alterius Episcopi comprovincialis haberi debent, quibus minus necessaria redditur frequentior synodi provincialis convocatio, eisque *practice* fit satis voto Concilii Vaticani de synodo provinciali quinto quoque anno adunanda. In illis quippe agendum est de iis, quae ad bonum religionis promovendum videantur necessaria, et convenienter praeparatur Concilium provinciale suo tempore celebrandum (can. 292 § 1).

Quod ius novum de conferentiis episcopalibus ex obligatione habendis iam fuerat praeformatum ipsa praxi plurium regionum [62] itemque per approbationem a Romanis Pontificibus datam et per laudes tributas illi praxi atque adeo per exhortationes et commendationes, ut illae conferentiae, ubi in usu non essent, introducerentur [63]. Quae laudes et commendationes per-

---

[60] Cfr. *Bouix*, l. c. p. 90 sq., de simili facultate certis limitibus circumscripta a nonnullis Conciliis Metropolitae concessa.

[61] Pro Italia standum est praescriptis S. C. Cons. 22 Mart. 1919, circa conferentias regionales singulis annis habendas(A. A. S., XIX, 177).

[62] Cfr. exempla plurima in Collect. Lac. v. gr. t. II, col. 7854, 1203, 1097, t. V, col. 941 sq., 1917 sq. etc.

[63] Cfr. Litt. Apost. Pii IX, « *Maximae* » 18 Aug. 1864, in Collect. Lac. t. V, col. 1200; Leonis XIII Epist. 3 Mart. 1891, ad Imperii Austriaci Antistites eiusdem 24 Aug. 1889, ad Episc. Italiae et ad Episc. Lusitaniae 25 Iun. 1891, et Epist. « *Litteras vobis* » 2 Iulii 1894, ad Archiep. et Episc. Brasiliae; Conc. Plen. Amer. Latinae art. 208; Instructionem S. C. Episc. et Reg. 22 Iun. 1898 in Archiv. f. k. K. LXXX, 331, ubi traditur norma pro huiusmodi conventibus celebrandis et designantur puncta tractanda. Unde nihil mirum si iam ante Codicem in decreto « *A remotissima antiquitate* » et regulis adnexis de ordine servando in *relatione* de Statu eccles. iuberetur Metropolita referre (art. 31), « an provinciale Concilium, aut saltem collationes seu *conferentias* episco-

tinebant sive ad conferentias Episcoporum unius provinciae sive etiam diversarum provinciarum unius regionis. Sed ius commune vere obligatorium solum per Codicem (can. 292) fuit constitutum.

Itaque ex iure Codicis in qualibet provincia ecclesiastica, nisi aliter a Sede Apostolica provisum fuerit (v. gr. per permissos conventus Episcoporum totius regionis plures provincias comprehendentis) saltem quinto quoque anno habenda est conferentia Episcoporum. Cuius convocatio pertinet ad Metropolitam, eoque impedito ad Suffraganeum antiquiorem. Convocari autem et convenire debent etiam Archiepiscopi Suffraganeis carentes, Episcopi exempti, Abbates seu Praelati *nullius*, qui ad tenorem can. 285 illum Metropolitam elegerint, cuius Concilio provinciali intersint, et in quolibet conventu locus seu sedes futuri conventus designandus est. Materia seu obiectum conferentiae iis continetur, quae inserviant ad promovendum bonum religionis [64] et praeparandum futurum Concilium provinciale; quare vel conveniunt inter se de communi et uniformi agendi ratione circa aliquam rem, vel per communes litteras aut commune statutum decernunt et denuntiant suis populis quae communi consilio constituerint.

Tametsi ea, quae in conferentiis constituta sunt, non sint subicienda revisioni Sanctae Sedis ad instar alicuius Concilii provincialis, expedit tamen ut saltem de praecipuis et gravioribus Apost. Sedes doceatur [65].

---

pales habuerit, et quoties ». (Act. Apost. Sed., II, pag. 20). Multo magis id decernitur in Nova formula » pro Relationibus cap. I, n. 2, Act. Apost. Sed., X, p. 488).

[64] Cfr. cit. Instruct. S. C. Episc. et Reg. n. V.

[65] Cfr. cit. Instruct. S. C. Episc. et Reg. n. VI; citat. Instr. de Ordine servando in Relatione de Statu dioecesis art. 31.

CAPUT VIII

De Vicariis et Praefectis Apostolicis

543. Fontes: Urbanus VIII, Const. « *Ex debito* » 22 Febr. 1633; Clemens IX, Const. « *Speculatores* » 13 Sept. 1667; Benedict XIV. Const. « *Apostolic. minist.* » 30 Maii 1753, « *Ad militantis* » 30 Mart. 1742, « *Ex sublimi* » 26 Ianuar 1753, « *Quam ex sublimi* » 8 Aug. 1755. Collectanea S. C. de P. F. v. Vicarius, Vicariatus, Praefectus, Praefectura. Sylloge praecipuorum documentorum recentium Summorum Pontificum et S. Congregationis de P. F. necnon aliarum SS. CC. Romanarum.

Scriptores: *Zitelli*, Apparatus iur. eccl. p. 127; *Verm.-Cr.*, Epitome I, 402 sq., Periodica VII, p. (9) sq., (37) sq.; *Ferreres*, Inst. I, n. 600 sq.; *Benedict. XIV*, De Syn. dioec. l. II, cap. 10; *Chelodi*, n. 183 sq.; *Vromant*, Ius missionariorum, II, p. 49 sq.

Praenotiones

544. I. Notio. Christus D. ad duplex munus Apostolos destinavit: 1°) ad munus convertendi mundum (« *euntes docete omnes gentes* », Matth. 28, 19); 2°) ad munus pascendi homines conversos, eos docendo et regendo (*docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis,* Matth. 28, 20). Apostoli tali praecepto Christi D. obtemperantes statim se accinxerunt ad duplex illud opus Evangelium praedicandi et informandi fideles ad vitam et mores christianos. In Ecclesiae primordiis ex natura rei praedicatio primas partes habere debuit, Ecclesia erat imprimis fundanda; hinc statim in populis sua praedicatione conversis Apostoli Episcopos constituebant, qui illos regerent, ut ipsi essent liberiores in dilatando per praedicationem regno Christi [1].

Episcopi licet Apostolorum successores sint in praedicatione verbi Dei, in administratione mysteriorum et in fidelium regimine, ac proinde in eorum munere episcopali, qua verbi Dei praecones sunt, aliqua ratione contineatur cura fidei propagandae, nihilominus in munere Apostoli stricte tali fundatorum Ecclesiae non succedunt. Quare cum Episcopi constituantur in munere docendi, sanctificandi et regendi partem gregis Christi am-

[1] *Vermeersch*, Periodica VII, p. (9).

bitu territorii determinatam, cura fidei propagandae extra illius territorii ambitum ipsis convenire non potuit ex officio; sed solummodo ex charitate, qua impellente sine detrimento gregis sibi commissi etiam ad alios populos ad Christum adducendos haud raro suam operam praestiterunt, ut factum est primis saeculis a sanctis Episcopis.

At Rom. Pontifici, in quo plenitudo apostolatus residet, ex natura rei etiam incumbit cura non solum fideles omnes regendi, sed etiam alias oves quas Christus habet, i. e. omnes homines ipsius sanguine redemptos, in ovile Christi adducendi. Hoc opus exercet mittendo ad populos infideles et haereticos suos Vicarios, qui idcirco dicuntur Vicarii Apostolici, in qua re praesertim utitur opera S. Congr. de Prop. Fide.

Sunt ergo **Vicarii Apostolici** Praelati, qui in aliqua regione infideli vel haereticorum vicem gerunt Rom. Pontificis, qui ibi per ipsos implet munus suum apostolicum dilatandi regnum Christi per infidelium et haereticorum conversionem. Merito censentur inter Praelatos, qui de iurisdictione pontificia sunt iure ecclesiastico participes; totam enim suam iurisdictionem in respectivo territorio a R. Pontifice acceptam nomine et vice ipsius R. Pontificis exercent.

Praefecti Apostolici similis est notio, nisi quod constituuntur in locis missionum, in quibus religionis status est imperfectior quam in Vicariatu Apostolico. Ita enim procedi solet in terris missionum seu in locis infidelium et haereticorum, in quibus aut numquam adhuc introducta fuit ordinaria hierarchia ecclesiastica, vel illa primitus existens eversa fuit et nondum potuit denuo restaurari, ut primo ibi constituatur *missio autonoma*, directe dependens a S. C. de P. F. Huic missioni praeficitur Superior ecclesiasticus, cui applicandi sunt, servatis servandis, canones qui agunt de Vicariis et Praefectis Apostolicis, ut patet ex declaratione S. C. de P. F. pro Audientia Sanctissimi d. 7 nov. 1929. Cfr. Sylloge, p. 349. Semel ac ex laboribus missionariorum bona spes exsurgat conversionis infidelium vel haereticorum, erigitur in territorio iam accurate suis limitibus circumscripto *Praefectura Apostolica* cui praeficitur *Praefectus Apostolicus,* regulariter charactere episcopali non insignitus. Cum status rerum perfectior evadit, tum multitudine conversorum tum praesertim missionariorum copia, Praefectura Apostolica convertitur

in *Vicariatum Apostolicum,* cui praeficitur *Vicarius Apostolicus;* hic generatim solet esse Episcopus titularis. Quodsi Vicariatus Apostolicus adeo prosperum in statum devenit, ut ordinarium Ecclesiae regimen ibi constitui possit, tum demum inducitur hierarchia ecclesiastica, erigendo aliquam provinciam ecclesiasticam cum Metropolita et aliquot Episcopis suffraganeis.

Atque inde patet vis can. 293 § 1, dum edicitur: « territoria quae erecta non sunt in dioeceses regi per Vicarios aut Praefectos Apostolicos » [2].

II. **Nominatio** tam Vicarii quam Praefecti Apostolici ex natura rei et ex positiva iuris sanctione (can. 293 § 1) est reservata Rom. Pontifici, qui ea in re utitur opera S. C. de P. F. cui commissum est regimen missionum; Vicarii nominantur litteris apostolicis, Praefecti litteris seu decreto ipsius S. Congregationis.

III. **Possessionem** sui territorii capiunt Vicarius et Praefectus Apostolicus, ille litteras Apostolicas, hic patentes litteras seu decretum S. Congregationis ostendentes ei, qui eo tempore regit provisoria ratione Vicariatum vel Praefecturam; quem actum ponere possunt sive per se sive per designatum procuratorem. Ita legitime capta possessione, potestatis receptae plenum habent exercitium.

§ I. De potestate et iuribus Vicarii et Praefecti Apostolici

545. **Potestas** Vicarii et Praefecti Apostolici continetur eodem ambitu iurium et facultatum in suo territorio exercendarum, quae in propriis dioecesibus competunt Episcopis residentialibus, nisi aliquid Sedes Apostolica sibi reservaverit. Sunt veri *Ordinarii loci* (can. 198) ac iuribus et facultatibus in Codice Episcopis residentialibus concessis, perinde ac Episcopi, utuntur, non

[2] Inde patet Vicarios Apostolicos, de quibus hoc loco agitur, distingui ab antiquis illis Vicariis Apost. primarum sedium, v. gr. Thessalonicensis, vel a Legatis maioribus medii aevi qui haud raro v. gr. a Gregorio VII, Paschali II, et Callixto II pariter nomen Vicariorum sortiti sunt. Omnino etiam distinguuntur ab iis quibus Rom. Pontifex committit administrationem alicuius sedis episcopalis sive vacantis sive impeditae, qui pariter vocabantur Vicarii Apostolici, (cfr. *Andreucci,* Dissert. De Vicariis); qui nunc accuratius distincta terminologia dicuntur Administratores Apostolici, de quibus Codex agit in sequenti capite.

tanquam facultatibus delegatis sed velut ordinariis, quippe eorum potestas est *ordinaria* sicut illa Episcoporum, licet *vicaria* sit, i. e. vice Rom. Pontificis in proprio ipsorum territorio exercenda et ad nutum ipsius Rom. Pontificis revocabilis. Quare ab Episcopis residentialibus maxime in hoc differunt, quod illi praeficiuntur tanquam ordinarii et immediati pastores *ecclesiae particulari* cui vinculo perpetuo tanquam sponsi devinciuntur, eamque ex religionis et iustitiae debito tanquam suam administrare debent. At in Vicariatu seu Praefectura Apostolica particularis ecclesia nondum est erecta, ideoque Vicarius vel Praefectus non regit et administrat ecclesiam, cuius sit sponsus; sed in territorio non suo, ad supremi Pastoris sollicitudinem pertinente, munus amplificandae fidei exercet constrictus vinculo obedientiae et fidelitatis erga Rom. Pontificem a quo mittitur.

Quod Vicarii et Praefecti recenseantur inter Ordinarios loci non neccesario importat quod ipsi possint sibi constituere Vicarium generalem, qui ex iure unam cum ipsis personam efficere censeatur perinde ac contingit cum Episcopis ceterisque Praelatis dioecesanis. Hanc facultatem potius videtur excludere can. 198, dum enumerat *Ordinarios,* et de Vicario generali Vicarii aut Praefecti Apostolici silet, commemorat autem Vicarium generalem Episcopi. Atque ita illum canonem intellexit S. C. de P. F. (Epist. 8 Dec. 1918). Solum ex generali principio can. 199 § 1 poterant suam ordinariam iurisdictionem, sive in casibus particularibus sive ad universitatem causarum, alteri delegare [3] qui delegatus etiam ad universitatem causarum omnino differt a Vicario generali, prout huius munus tum ante Codicem explicabatur tum maxime iure Codicis intelligitur. At in memorata Epistola S. Congregatio ex audientia SS.mi omnibus Vicariis et Praefectis Apostolicis facultatem fecit nominandi, si eo indigeant, *Vicarium Delegatum* [4*], cui practice

[3] Haec facultas etiam generaliter et permanenter delegandi iam agnoscebatur in responso S. C. de P. F. (9 dec. 1822, in Collect. I, n. 777).

[4*] Non conveniunt auctores circa naturam potestatis Vicario delegato concessae. Alii enim asserunt hanc potestatem esse delegatam, ut iam ipsum nomen indicare videtur; cfr. v. gr. Creusen, Epit. i. c. I, n. 405; Vromant, Ius missionariorum, II, p. 122; alii vero eam vocant vicariam ordinariam; cfr. Pugliese in Apollinaris, VI, p. 196, ubi plures defensores huius opinionis recensentur. S. C. de Prop. Fide quaesita

concessa sit omnis iurisdictio in spiritualibus et temporalibus, qua ex Codice uti potest Vicarius generalis in dioecesi; atque de numero et de officio horum Vicariorum delegatorum eadem valent quae de Vicario generali in Codice sanciuntur (A. A. S., XII, p. 120).

546. In particulari Codex enumerat speciales facultates Vicariorum et Praefectorum:

I. Relate ad exercitium potestatis *ordinis,* etiam ii qui carent episcopali charactere possunt: *a*) impertiri omnes benedictiones Episcopis reservatas, una pontificali excepta; *b*) consecrare calices, patenas et altaria portatilia sed cum sacris oleis ab Episcopo benedictis; *c*) concedere indulgentias centum dierum; *d*) confirmationem administrare [5]; *e*) conferre primam tonsuram et ordines minores tum propriis subditis, tum aliis qui litteras dimissorias iure requisitas exhibeant. Usus tamen *validus* harum facultatum est restrictus et ambitu territorii et duratione muneris, it ut extra territorium et cessante munere nihil agant (can. 294 § 2).

II. *Relate ad missionarios*: Vicarii et Praefecti Apostolici ab omnibus missionariis, etiam religiosis, possunt ac debent exigere ut suas patentes seu alias quasvis eorum missionis, destinationis, constitutionis ac deputationis litteras exhibeant, easque exhibere recusantibus exercitium cuiusvis ministerii ecclesiastici prohibere.

Omnes autem missionarii, non exclusis regularibus, licentiam sacri ministerii in Vicariatu vel Praefectura exercendi petere omnino debent a respectivo Vicario vel Praefecto Apostolico; hi autem licentiam denegare non debent, nisi forte singulis et gravem ob causam (can. 295).

III. *Missionariorum subiectio.* Omnes quotquot sunt in Vicariatu et Praefectura missionarii, tametsi *regulares* sint ideoque exempti, subiciuntur Vicarii et Praefecti Apostolici *iurisdictioni, visitationi* et *correctioni.* Materia subiectionis, cum in iis qui religiosi non sunt complectatur ea omnia, in quibus cle-

de hac re, in litteris datis ad procuratorem generalem Missionariorum SS. Cordis Iesu d. 16 nov. 1937 respondit iurisdictionem Vicarii delegati esse ordinariam; cfr. Rassegna di Morale e Diritto, VII, 144.

[5] Cfr. Instructionem pro simplici sacerdote, sacr. Confirmationem ex delegatione R. P. administrante, in A. S. S., VII, p. 306 sq.

rici sunt subiecti respectivis ipsorum Episcopis, quoad religiosos restringitur ad ea quae pertinent ad missionis regimen, curam animarum, Sacramentorum administrationem, scholarum directionem, oblationes intuitu missionis factas et implementum piarum voluntatum in favorem eiusdem missionis.

A competentia Vicarii et Praefecti Apostolici exclusa est ingerentia in disciplinam religiosam, etiam religiosorum non exemptorum, quae a Superiore religioso dependet, nisi agatur de casibus in iure ipso determinatis, in quibus Ordinariis locorum aliquis interventus conceditur etiam in rebus ad disciplinam religiosam pertinentibus [6*]

Quodsi in iis rebus, in quibus missionarii subduntur iurisdictioni, visitationi et correctioni Vicarii seu Praefecti Apostolici, conflictus oriatur inter huius mandatum et mandatum Superioris religiosi, praevalere debet mandatum Vicarii aut Praefecti, salvo iure recursus in devolutivo ad Sanctam Sedem et salvis peculiaribus statutis a Sede Apostolica probatis (can. 296).

IV. *Cura animarum.* Quamvis in Vicariatu et Praefectura Apostolica incumbendum sit fidei propagationi seu conversioni infidelium et haereticorum, hoc studium conversionis ex natura rei debet esse coniunctum cum diligenti cura impensa in eos, qui iam sunt conversi, in fide retinendos et perficiendos ulteriore ac perfectiore instructione eosque sanctificandos per mysteriorum et sacramentorum dispensationem. Quare Vicariorum et Praefectorum praecipua sollicitudo esse debet, ut non desint qui curam animarum in fideles conversos stabili ratione et ex officio exerceant. Qua in re, deficientibus e clero saeculari sacerdotibus, possunt, audito eorum Superiore, cogere religiosos, etiam exemptos, vicariatui vel praefecturae addictos, ad animarum curam exercendam, salvis peculiaribus statutis a Sede Apostolica probatis (can. 297).

Si qua dissidia in iis quae ad curam animarum pertinent,

[6*] De propria atque legitima in gubernandis missionibus auctoritate, quae competit tum Vicariis et Praefectis Apostolicis tum Superioribus Institutorum, quibus missiones commissae sunt videnda est Instructio S. C. de Prop. Fide d. d. 8 dec. 1929; cfr. A. A. S. XXII, 111. Vide etiam apud *Massarei*, « De missionum institutione ac de relationibus inter Superiores missionum et Superiores religiosos, Romae 1940 » hanc Instructionem commentariis auctam.

sive inter singulos missionarios, sive inter diversas religiones, sive inter missionarios et alios quoslibet oriri contigerit, ea quamprimum componi debent a Vicariis et Praefectis; quae compositio si per ipsorum interventum obtineri non possit, ipsi auctoritative suo decreto dirimere debent rem, ubi id postulat necessitas v. gr. evitandi scandalum aut animarum detrimentum; ab illo autem decreto rem dirimente datur quidem recursus ad Sedem Apostolicam sed sine effectu suspensivo (can. 298).

547. Scholion. Haec pauca in Codice sub hoc capite ponuntur specialia de iuribus Vicariorum ac Praefectorum, ubi supponuntur, quae omnibus locorum Ordinariis sunt communia. At sicut de spiritu et modo, quo Episcopi residentiales debent exercere suam auctoritatem, praeter leges illam auctoritatem definientes, plurima documenta in SS. Patribus et Conciliis et penes Pontificia diplomata ab antiquissimo aevo ad haec usque tempora continentur, quibus non attentis exercitium auctoritatis episcopalis a spiritu Christi D. et a mente Ecclesiae alienum quoad modum erit, ita Rom. Pontifices non destiterunt plures Instructiones edere de spiritu et modo regiminis per Vicarios et Praefectos Apostolicos exercendi necnon de agendi ratione ipsorum missionariorum in infidelium et haereticorum conversione. Cfr. imprimis Instr. S. C. de P. F. primis Vicariis Apostolicis e Societate Missionum ad exteros iam a. 1659 datam optimis monitis, consiliis et praeceptivis exhortationibus plenam in Collect. eiusd. Congr. (2ª ed.) I, n. 135, et ultimam eiusd. S. C. Instruct. (6 Ian. 1920) « De abiciendis a missionariis rerum saecularium curis »; cfr. etiam Epist. Ap. Benedicti XV « *Maximum illud* » d. 30 nov. 1919 in A. A. S., XI, 440, et Litt. Encycl. Pii XI « *Rerum Ecclesiae* » d. 25 febr. 1926 in A. A. S., VIII, 65.

548. Iura honorifica. Vicariis et Praefectis, qui charactere episcopali sunt aucti, competunt privilegia honorifica, quae ius concedit Episcopis titularibus et infra recensentur in titulo de Episcopis. Si vero careant episcopali charactere, tantum habent durante munere et in proprio territorio insignia et privilegia Protonotariorum apostolicorum de numero participantium; quae insignia et privilegia nunc sunt desumenda ex *motu proprio* Pii X « *Inter multiplices* » 21 Febr. 1905 (Act. S. S., 37, p. 493 (can. 308).

§ II. De obligationibus Vicarii et Praefecti Apostolici

549. I. Sacrorum Liminum visitatio incumbit Vicariis Apostolicis, non Praefectis, eodem modo quo ex can. 341 Episcopis residentialibus; ac proinde, si extra Europam sunt, obligationi satisfaciunt per visitationem alternis quinquenniis factam. Ipsis tamen conceditur ut, si gravis causa obstet quominus visitationem *personaliter* faciant, possint eam facere per *procuratorem* etiam in Urbe degentem.

Relationem plenam et accuratam de suo pastorali officio Sedi Apostolicae singulis quinquenniis exhibere debent *tam Vicarii quam Praefecti* Apostolici; in qua relatione plena informatio est tradenda de omnibus quae quavis ratione pertinent ad statum vicariatus vel praefecturae, ad missionarios, ad religiosos, ad populi disciplinam, ad scholarum frequentiam et ad fidelium salutem. Quam relationem scriptam subscribere debet, praeter Vicarium vel Praefectum, saltem unus ex consiliariis.

Praeterea sub finem cuiusque anni debent separatim ad Sanctam Sedem mittere elenchum seu numerum conversorum, baptizatorum et annuae sacramentorum administrationis una cum aliis notatu dignioribus (can. 300) [7].

Quaestiones pro relatione S. C. de P. F. exhibenda habentur in Epist. ipsius S. C. d. 16 apr. 1922; cfr. A. A. S., XIV, 287; Sylloge, p. 169.

II. **Residentiae** obligatio ex natura rei cum eorum munere coniuncta rigorosius quam in Episcopis residentialibus urgetur in Vicariis et Praefectis, quippe facultas singulis annis per duos tresve menses abeundi Episcopis facta ad Vicarios et Praefectos non extenditur; quin immo ut a sua regione per notabile [8*] tempus absint etiam existente gravi et urgenti causa li-

---

[7] Cfr. Litter S. C. de P. F. 24 Dec. 1849, (Collect. n. 101), ubi visitatio Liminum potius praecipiebatur fieri per procuratorem, non personaliter, nisi ad personalem visitationem data esset dispensatio. Cfr. quoque ib. n. 109.

[8*] Duo vel tres menses sufficiunt secundum Creusen ad notabile tempus constituendum (Epit. i. c. I, n. 419) dum Vromant sex menses ad hoc requirit (Ius mission. II, p. 149).

centiam Sanctae Sedis implorare debent (can. 301, § 1) [9]. Residentia pro ipsis intelligitur *in regione sibi commissa,* sine speciali obligatione, Episcopis imposita, penes ecclesiam cathedralem, praesertim certis anni temporibus, residendi, qua propria cathedrali ecclesia carent Vicarii et Praefecti.

III. **Pastoralem Visitationem** regionis sibi concreditae Vicarii et Praefecti peragere debent ipsi per se, vel, si legitime impediti fuerint, per alium quandocumque opus sit, ac proinde sine determinatione temporis intra quod integrae regionis visitatio sit absolvenda. Qua in visitatione, licet eundem habet finem et obiectum ac visitatio ab Episcopis peragenda, peculiariter ipsis commendatur, ut expendant quae ad fidem, bonos mores, sacramentorum administrationem, praedicationem verbi Dei, festorum observantiam, cultum divinum, iuventutis institutionem et disciplinam ecclesiasticam referuntur (can. 301 § 2). Ceterum ad obiectum visitationis generatim pertinent ea omnia, de quibus in relatione Sanctae Sedi exhibenda rationem reddere debent. Quoad modum vero in visitatione peragenda tenendum, ob paritatem officii pastoralis, pro ipsis valent quae Episcopis iniunguntur.

IV. **Consilium consultorum** ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis libere eligendis constituere debent, quorum sententiam, saltem per epistolam, audiant in gravioribus et difficilioribus negotiis (can. 302). Quod consilium aliqua ratione vices gerit Capituli cathedralis vel Consilii consultorum pro Episcopis [10*].

V. **Collationes missionariorum.** Missionarios saltem praecipuos tum religiosos tum saeculares, quatenus id per adiuncta fieri possit, saltem semel in anno congregare debent, ut possint ex singulorum experientia et consilio melius cognoscere quae sint ordinanda perfectius (can. 303) [11].

---

[9] Cfr. Litteras S. C. de P. F. 24 Apr. 1861, in Collect. cit. n. 103.

[10*] Instituendum est etiam Consilium Administrationis; possunt tamen iidem consultores inservire tam pro negotiis ecclesiasticis quam pro rebus temporalibus. Cfr. citat. Epist. S. C. de P. Fide d. 16 apr. 1922, n. 85; Sylloge, p. 187.

[11] Quae collationes ex Litt. S. C. de P. F. (8 Dec. 1869, in Collect. S. C. n. 108), sunt diversae a collationibus de re morali et liturgica, quippe directe ordinantur « ad animorum unitatem, sacri ministerii profectum, et uniformem disciplinae rationem servandam ». Iisdem tamen litteris

VI. Demum inter obligationes Vicariorum et Praefectorum recensentur leges quae de *Archivo* constituendo praescribuntur Episcopis, cuius archivi necessitas pro recta administratione Vicariatus aut Praefecturae ex natura rei intelligitur.

550. Concilia et Synodi. Concilium sive plenarium aut regionale sive provinciale supponit hierarchiam ecclesiasticam ordinario modo constitutam; plenarium seu regionale supponit saltem duas provincias ecclesiasticas cum Metropolita et aliquot Suffraganeis erectas; una saltem provincia ecclesiastica est necessaria ut verum Concilium provinciale haberi possit. Licet autem regimen per Vicariatus et Praefecturas ibi habeatur ubi ordinaria hierarchia non adest, plures tamen Vicariatus et Praefecturae sunt erectae in terris missionum, ubi iam regimen per Archiepiscopos et Episcopos est introductum, quae nihilominus dependent a S. Congr. de Prop. Fide, nec illi Vicariatus et Praefecturae ullam habent dependentiam ab aliquo Archiepiscopo vel Episcopo regionis. Ubi in regione nulla adest provincia ecclesiastica erecta evidenter nec Concilium plenarium aut regionale nec Concilium provinciale haberi potest. At in regionibus *missionis* habentibus aliquam vel aliquas provincias ecclesiasticas illa Concilia haberi possunt; ad has regiones missionum a S. C. de P. F. dependentes refertur dispositio can. 304 § 2, qua quae praescripta sunt generatim de Conciliis plenariis, regionalibus et provincialibus, dicuntur memoratis regionibus applicari debere, congrua congruis referendo, licet pro talibus Conciliis celebrandis nullum sit praestitutum tempus; unde practice ad eorum celebrationem erit imploranda venia S. Congregationis. Quare congruenter ad praescriptum huius canonis in cap. VII huius tituli, can. 282 § 1, et can. 286 § 1, ad Concilium plenarium et provinciale dicuntur vocandi atque assistere debere cum voto deliberativo Vicarii ac Praefecti Apostolici. Quodsi Concilia plenaria et provincialia in aliis regionibus celebrata antequam promulgentur sunt subicienda recognitioni S. C. Concilii, ex regionibus S. C. de P. F. subiectis mittenda sunt pro recognitione huic S. Congregationi (can. 304 § 2).

---

collationes ad casus morales discutiendos ac solvendos valde commendantur, ubi circumstantiae id non prohibeant, tum ad studium Theologiae moralis promovendum, tum ut opinionum difformitas, quantum possibile est, amoveatur.

Relate ad Synodum dioecesanam, cum sit adunatio cleri dioecesani, nihil obstat quominus in Vicariatibus et Praefecturis possit adunari Synodus in quam convocentur missionarii sub praesidentia Vicarii aut Praefecti; canon autem 304 § 2 solummodo loquitur de Synodo *Vicariatus* Apostolici; unde in Praefectura Apostolica non est celebranda Synodus, sed sufficit adunatio missionariorum praecipuorum quae can. 303 praescribitur saltem semel in anno habenda. In ipsa autem Synodo vicariatus, cum quoad personas vocandas non habeant applicationem quae can. 358 statuuntur de Synodo dioecesana, Vicarius Apostolicus ex praedicto canone debet desumere criterium de numero missionariorum qui ad Synodum sine animarum detrimento vocari possunt, ita tamen ut universus clerus Vicariatus sit repraesentatus.

551. Cleri indigenae educatio. Praxis Ecclesiae omni tempore iam inde ab aevo apostolico, quam Summi Pontifices praesertim a saec. XVI saepius commendatam voluerunt, illa fuit ut in qualibet regione clerici et sacerdotes indigenae rite instituti ordinarentur [12]. Quae cleri indigenae institutio et ordinatio omnino necessaria est ad hoc ut religio catholica in regione aliqua radices agat et velut naturalis soli ipsius planta crescat et vivat.

Hanc praxim Codex quoque can. 305 sollicitudini Vicariorum et Praefectorum commendat studiosissime, onerando ipsorum conscientiam. Quodsi attendantur documenta pontificia in nota ad hunc Codicis canonem allegata, illa institutio cleri indigenae non eo dumtaxat spectat ut ordinentur ex indigenis sacerdotes, qui missionariis peregrinis sint adiumento tantum quasi sacerdotes inferioris conditionis; sed ita ad omnem scientiam et pietatem efformandi et in sacro ministerio sedulo exercendi sunt, ut, quod iamdudum Apostolica Sedes in votis habet, ad ecclesiastica quaevis munia atque ad ipsum Missionum regimen idonei fiant et episcopali etiam charactere digni existant.

---

[12] Cfr. praesertim Instr. S. C. de P. F. 23 Nov. 1845, ubi antiquiora documenta commemorantur (Collect. I, [ed. 2ª] n. 1002), et aliam Instr. 8 Sept. 1869. (Collect. II, n. 1346). Huc quoque spectant Litterae encycl. Leonis XIII, « *Ad extremos Orientis* » 24 Iunii 1893, Litterae Apostol. Benedicti XV, « *Maximum illud* » 30 Nov. 1919, Litt. encycl. Pii XI, « *Rerum Ecclesiae* » 28 Febr. 1926, Epist. encyclica Pii XII, « *Saeculo exeunte octavo* » 13 Iun. 1940.

552. Missa pro populo. Licet S. Congr. de P. F. alias declarasset Vicarios Apostolicos et missionarios non teneri ex iustitia nec ex stricta obligatione caritatis applicare missam pro populo (5 Aug. 1860, 18 Aug. 1866), Codex tamen illam obligationem (can. 306) Vicariis ac Praefectis Apostolicis imponit, quamvis magis restrictam quoad numerum dierum, cum solum in undecim diebus sollemnibus ea obligatio urgeatur, videlicet: in sex festis Domini seu Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, Ascensionis et Corporis Christi, in duobus festis B. Virginis, sc. Immaculatae Conceptionis et Assumptionis; in tribus festis Sanctorum, sc. S. Ioseph (19 Martii), Sanctorum Ap. Petri et Pauli et Omnium Sanctorum. Cum autem Codex hoc canone provocet ad can. 339, § 2 et sq., ubi sermo est de simili obligatione Episcoporum, ille numerus missarum applicandarum exhibetur tamquam minimus.

553. Discessus missionariorum a sua missione. Vicarii et Praefecti Apostolici nequeunt inconsulta Sede Apostolica: 1°) concedere missionariis ut *in perpetuum* deserant suum territorium sive cum animo deserendi munus missionarii, sive etiam ut in aliud territorium missionum transeant; 2°) missionarios quoquo modo expellere a vicariatu vel praefectura [13*].

In casu autem publici scandali possunt, ob rationem boni communis, audito suo Consilio, praemonitoque, quantum fieri possit si agatur de religiosis, respectivo eorum Superiore, missionarium statim removere, facta tamen ilico certiore Apostolica Sede.

III. Regimen vicariatus et praefecturae vacantis

554. I. Singularem habet difficultatem providere apto modo regimini vicariatus aut praefecturae vacantis, cum ex una parte in locis missionum desint ordinaria media quibus consulitur regimini provisorio ecclesiae episcopalis vacantis, ex alia autem parte maxima locorum distantia aut saltem valde difficilis communicatio cum Sede Apostolica efficiat ut notitia vacationis

[13*] Agitur, ut patet, de missionariis a S. Sede missis vel de sacerdotibus, qui titulo missionis ordinati sunt aut iuramentum missionis praestiterunt. Cfr. *Verm.-Cr.*, Epit. i. c. I, n. 427; *Vromant*, Ius Missionar. II, p. 187.

cito non possit pervenire ad Rom. Pontificem, cuius est missioni novum Vicarium aut Praefectum praeponere. Quare praeteritis temporibus saepe fuerat provisum per nominationem Coadiutoris cum iure successionis; quod tamen medium incommodis non satis obvenire experientia ipsa comprobavit. Quare Benedictus XIV melius providendum censuit per Pro-Vicarios et Pro-Praefectos Apostolicos; quod primum praestitit Const. « *Ex sublimi* » 26 Ian. 1753, pro Indiis Orientalibus; deinde eandem disciplinam ad alias missiones extendit Const. « *Quam ex sublimi* » 8 Aug. 1755, et est disciplina quam quoad substantiam retulit Codex.

II. Itaque: *a*) Vicarii et Praefecti, ubi primum in territorium suum advenerint, tenentur deputare ex uno vel altero clero Pro-vicarium vel Pro-praefectum idoneum, nisi iam ipsis a Sede Apostolica Coadiutor cum futura successione datus fuerit.

b) Huiusmodi Pro-vicarius vel Pro-praefectus est, qui deficiente Vicario aut Praefecto, totum debet regimen assumere et in hoc munere permanere, donec a Sancta Sede aliter fuerit provisum.

c) Pariter a Pro-vicariis vel Pro-praefectis regimen est suscipiendum, si Vicarius vel Praefectus ab administratione vicariatus vel praefecturae ob captivitatem, relegationem, exilium aut inhabilitatem fuerit ita impeditus, ut ne per litteras quidem cum suo clero et fidelibus communicare possit.

d) Quoniam autem ipsorum munus totum pertinet ad regimen vacans vel impeditum, vivente Vicario aut Praefecto, eoque ut supra non impedito, Pro-vicarii et Pro-praefecti nullam habent potestatem, nisi quae sibi a Vicario aut Praefecto fuerit commissa.

e) Pari modo Pro-Vicarius aut Pro-praefectus, qui titulari successerit, statim ac regimen suscepit debet deputare ecclesiasticum virum, qui sibi, ut supra, succedat in munere.

f) Quodsi forte contingat, ut nemo sive a titulari sive a pro-titulari ut administrator fuerit designatus, tunc senior in vicariatu vel praefectura, is nempe, qui sit praesens in territorio et suas destinationis litteras prius exhibuerit, censetur delegatus a Sede Apostolica ut regimen assumat, et inter plures aeque seniores antiquior sacerdotio (can. 309).

Ex quibus iuris praescriptis efficitur ut continuo adsit in missione cui regimen sit authentice demandatum.

III. *Successoris in regimine iura* tam ordinis quam iurisdictionis sunt eadem, quae, sive ut ordinaria sive ut delegata competunt Vicariis aut Praefectis, exceptis, quoad facultates delegatas, iis quae fuerint commissae ob industriam personae (can. 310 § 2).

IV. *Successoris in regimine obligationes* sunt: 1°) debet quamprimum monere Sedem Apostolicam seu S. Congregationem de facto suscepti regiminis et de eius rei causa; 2°) debet ibi permanere donec novus successor sive titularis sive provisorius fuerit a S. Sede designatus (can. 309, § 2, 310 § 1).

V. Tandem quicumque sive ut titularis sive provisorio modo *ad certum tempus* regimini vicariatus aut praefecturae fuerit a S. Sede praepositus, etiam praeterlapso definito tempore pro quo fuerat constitutus, debet in regimine cum omnibus facultatibus sibi concessis permanere, donec successor canonicam sui muneris possessionem ceperit.

555. Scholion. Praeter iura, quae Codex concedit sive Episcopis sive Vicariis et Praefectis S. C. de P. F. subiectis, haec S. Congregatio solet concedere facultates extraordinarias et *delegatas;* quae nunc dantur per duas formulas de novo a S. C. exaratas.

Unaquaeque formula tria continet capita facultatum hoc ordine disposita: *A*) Circa Sacramenta et Sacros Ritus; *B*) Circa Absolutiones, Benedictiones, Indulgentias etc.; *C*) Pro ipso Ordinario.

Animadversiones subiunguntur: 1.ª quod non omnes indiscriminatim *subdelegari* possint, sed eae solae quae asterisco notantur; 2.ª quod Ordinarius sive per se sive per alios iis uti valeat tantum *intra fines suae iurisdictionis* et quod eas gratis et sine ulla mercede exerceat, facta insuper mentione apostolicae delegationis; 3.ª quod si ultra praefinitum tempus eas Ordinarius vel eius delegatus *ex oblivione vel inadvertentia* forte exercuerint, actus ita positi validi habendi sunt. Item *datis* ab Ordinario *precibus* pro *renovatione* seu prorogatione, facultates in suo robore *perseverare* censentur, usquedum responsum S. C. ad eundem Ordinarium pervenerit [14].

---

[14] Cfr. commentaria in has formulas a *Vermeersch* edita apud Periodica de re canonica, XI, 35 sq.

CAPUT IX

De Administratoribus Apostolicis

556. Iurisdictio contenta in Primatu R. Pontificis est iurisdictio vere episcopalis, ordinaria et immediata tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles (can. 218 § 2). Inde occurrente necessitate potest R. Pontifex sibi assumere per aliquod tempus regimen particularis ecclesiae seu dioecesis, et hoc facit, cum alicui dioecesi praeficit Administratorem Apostolicum, qui vice R. Pontificis dictam ecclesiam administret seu regat.

557. Notio. Administrator Apostolicus est clericus, plerumque charactere episcopali insignitus, cui R. Pontifex ob graves vel speciales causas regimen alicuius dioecesis, sede plena aut vacante, vel in perpetuum vel ad tempus committit (can. 312). Ex praemissis autem apparet Administratorem Apostolicum merito censeri inter eos, qui iure ecclesiastico aliqua ratione de iurisdictione pontificia participant, cum eam, quam in dioecesi exercet, ex speciali pontificia commissione recipiat et a R. Pontificis nutu dependentem habeat.

Causa ob quam ex praxi recepta solent constitui Administratores Apostolici *sede plena* est plerumque inhabilitas Episcopi ad utile regimen suae ecclesiae, sive incursa sit absque ulla culpa Episcopi, sive etiam cum culpa, quae tamen non est causa sufficiens ad depositionem vel privationem. V. gr. agitur de Episcopo qui male gubernat ex imperitia, aut est senio affectus vel mentis impos, aut a Gubernio iniuste deponitur atque ex dioecesi expellitur vel in officio pastorali impeditur.

Pariter *sede vacante* graves et speciales causae in praxi habentur violenta mors Episcopi, dissensus Capituli in eligendo Vicario Capitulari, electio indigni vel inhabilis Vicarii Capitularis et longa sedis vacatio undecumque ea proveniat.

Singularis est casus Administratoris Apostolici in dioecesibus quae suppressioni sunt destinatae, dum ob varias causas illa suppressio ad effectum deduci non potest; quae difficultas suppressionis augeretur, si dioecesis provideretur de titulari; ad eam

autem quantum fieri potest removendam pertinet constitutio Administratoris Apostolici [1].

Divisio. In Codice distinguuntur: I. Administratores qui dantur *sede plena* et Administratores qui dantur *sede vacante*.

II. Distinguuntur in eos qui dantur *ad tempus*, i. e. durante causa propter quam constituuntur, et in eos qui dantur *in perpetuum* seu constituuntur *permanenter* (cfr. can. 315) v. gr. dum vivit eius titularis, vel deficiente titulari constituuntur in tempus indefinitum, non ad solum intervallum legale sedis vacantis.

558. Possessionis apprehensio. Cum ex natura rei sit valde conveniens, ut exercitium officii iam recepti, praesertim importantis superioritatem et iurisdictionem in subditos, initium sumat ab actu captae seu receptae possessionis ipsius officii, etiam Administratores Apostolici alicuius dioecesis debent suum munus auspicari ab actu apprehensae possessionis; secus authentice sciri non posset utrum perseveret in dioecesi regimen ordinarium iuris communis, an potius hoc cessaverit et locum cesserit regimini extraordinario Administratoris Apostolici. Quam possessionem apprehendit, si dioecesi datus fuit sede plena, ostendendo litteras suae nominationis tum Episcopo, nisi hic fuerit mentis impos aut in dioecesi non moretur, tum etiam Capitulo praesente ipsius Capituli secretario vel Curiae cancellario qui rem in acta referat. Quodsi Episcopus sit absens a dioecesi vel mentis impos aut Administrator detur sedi vacanti, Administrator possessionem apprehendit per ostensionem litterarum suae nominationis soli Capitulo modo dicto factam, perinde ac Episcopi (can. 313).

559. Iura, obligationes et privilegia. Haec imprimis desumenda sunt ex litteris suae deputationis, cum diversitas causae propter quam Administratores deputantur possit efficere ut distincta auctoritas et potestas concedatur (can. 314). Quodsi in litteris

[1] Cfr. *Ferreres*, Inst. I, 622, ubi similem casum refert de dioecesibus ex Concordato suppressis, quarum territorium vicinis dioecesibus erat adnectendum; sed nec Episcopi vicini illam adnexionem sollicitarunt, cum iam propria dioecesis satis ampla ipsorum labores absumeret, et populus dioecesis suppressae non sinat se privari praecipuo suo ornamento, episcopali nempe sede. Similis fuit casus de sede episcopali ex Concordato in aliam urbem transferenda, cui translationi populus sese vehementer opposuit, allegata sedis antiquitate.

nominationis nihil speciale ponatur, sed simpliciter deputetur dioecesis Administrator, tunc: 1°) Administrator *permanenter* constitutus iisdem iuribus et honoribus fruitur iisdemque obligationibus tenetur ac Episcopus residentialis; solent autem ita constitui clerici episcopali charactere insigniti. 2°) Administrator constitutus ad tempus: *a*) *iura* et *officia* eadem habet ac Vicarius Capitularis, cum hoc tamen discrimine quod ipse etiam sede plena potest dioecesim canonice visitare nec tenetur obligatione applicandae missae pro populo, quae obligatio sede plena manet in Episcopo; *b*) quoad *privilegia honorifica*, Administratori charactere episcopali aucto ea competunt quae ius concedit Episcopis titularibus; si autem charactere episcopali careat, habet tantum durante munere et in proprio territorio, insignia et privilegia Protonotariorum Apostolicorum de numero participantium, desumenda ex motu propr. Pii X « *Inter multiplices* » 12 Febr. 1905. Si tamen Episcopus translatus ad aliam sedem prioris retinet administrationem, in hac quoque omnia Episcoporum residentialium *honorifica privilegia* conservat (can. 315).

Si attendantur antiquae decisiones SS. CC., a sententiis Administratorum Apostolicorum, non obstante eorum deputatione pontificia, ad Metropolitam appellari *potest*, neque ad Rom. Pontificem appellari *debet*. (S. C. Ep. et Reg. in caus. Salernit. 7 Iulii 1580, in caus. Caputaq. 22 Apr. 1686).

560. *Relationes inter Administratorem sede plena et Episcopum eiusque Vicarium Generalem* ita definiuntur: 1°) Capta ab Administratore canonica possessione, statim suspenditur iurisdictio Episcopi et Vicarii Generalis. 2°) Administrator auctoritati Episcopi non subditur. 3°) Administrator autem in causis ipsum Episcopum spectantibus se immiscere non debet, nec potest in eius Vicarium Generalem iudicium seu processum instruere aut eum reprehendere vel in eum animadvertere ob acta praeteritae administrationis (can. 316).

Si Administrator Apostolicus quavis ex causa fuerit impeditus ab exercitio iurisdictionis aut deficiat, v. gr. per mortem, Sedes Apostolica statim monenda est. Interim autem, si dioecesis vacet aut Episcopus non sit sui compos, regimen dioecesis transit ad Vicarium Capitularem a Capitulo designatum ad normam can. 429 sq. Si autem Episcopus sit compos sui et in dioecesi

commoretur ad ipsum devolvitur regimen, nisi aliud Sedes Apostolica praestituerit (can. 317).

Cessatio muneris. Munus et iurisdictio Administratoris Apostolici non cessat neque per obitum Episcopi, neque per obitum Rom. Pontificis; sed tunc solum cessat cum novus Episcopus dioecesis vacantis possessionem legitime ceperit (can. 318).

CAPUT X

De Praelatis inferioribus

561. Fontes: Decret. Grat. C. IX, q. 3; C. XXV, q. 2. — Comp. antiq. et comp. corp. iur. can. tit. cit. l. I, tit. 31, de off. iud. ord. tit. 33, de M. et O., l. V, tit. 33, de privileg. — Conc. Trid. Sess. XXIV, c. 11, de ref. cum declar. S. C. C. in ed. *Richt.*, p. 346 sq.; Benedict. XIV, Const. « *Apostolicae servitutis* » 14 Mart. 1743, Const. « *Inter multa* » 4 Apr. 1747, Const. « *Causarum* » 16 Nov. 1747; Collect. S. C. de Prop. F. n. 243 sq.; A. S. Sed., II. p. 342 sq., III, p. 65 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decr. in cit. tit. v. g. *Schmalzgr.*, l. I, t. 31, n. 32 sq. — *Devoti, Inst. can.* l. I, t. 3, sect. 6, de Prael. infer.; *Phillips*, l. c. t. V, p. 129 sq.; *Scherer*, l. c. p. 422 sq.; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 329 sq., 343 sq. — *De Prosperis*, De territorio separato; *Tamburini*, De iure Abbatum et Praelatorum ... Episcopis inferiorum; *Chokier*, De iurisdict. Ordinarior. in exemptos; *Ferraris*, l. c. v. Regulares art. 2; *Bouix*, De Episcopo t. l. p. 519 sq.; *Cavagnis*, l. c. P. II, p. 396 sq. (de organiz. territor.) — *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 3, cap. 29 sq.; Kirchenlex. v. Exemption. — *Chelodi*, n. 198; *Ferreres*, Inst. I. 622 sq.; *Verm.-Cr.*, Epit. I, n. 437 sq.; *C. a Coronata*, Inst. i. c. I, p. 460 ss.

Praenotiones

562. Quemadmodum interdum *Praelati maiores* hierarchiae ecclesiasticae, salvo semper primatu Rom. Pontificis, a iurisdictione sui *immediati* Superioris ecclesiastici fuerunt *liberati* sive *exempti*, v. g. Primas a Patriarcha, Metropolitanus ab Exarcha vel Primate, Episcopus a Metropolitano [1], vel *manserunt* in *nativa* sua et immediata dependentia a solo Romano Pontifice, ita inter Episcopum et parochos *Praelati* quidam *medii* sive *minores*

[1] *Schmalzgr.*, l. c. l. V, tit. 33, n. 246 sq.; *Thomassin.*, l. c. c. 41; *Hinschius*, l. c. p. 329 sq.

vel *inferiores* reperiuntur [2], qui licet sint aliqua ratione *intra dioecesim* constituti, tamen maiori minorive ambitu *eximuntur a iurisdictione* ordinarii Episcopi.

Art. 1. — Ius praecedens de Praelatis inferioribus

563. I. Species illorum Praelatorum. Si spectetur ius praecedens et doctrina Doctorum de illo iure, Praelatorum inferiorum triplex agnoscebatur species sc. *infima, media et suprema* [3].

a) Alii sunt quidem *in dioecesi*, non *de dioecesi*, sed ob privilegium saltem **passivae** *exemptionis* potestati Episcopi subtracti, praesunt cum *quasi-episcopali* iurisdictione *tantum* certo generi personarum *intra septa* alicuius *ecclesiae* vel *monasterii* vel *conventus habitantium*, non *populo* et *clero extra illa septa* degentibus, v. g. Superiores Generales regularium [4].

b) Alii pariter sunt *intra dioecesim*, non *de dioecesi*, sed privilegio *activae exemptionis* a potestate Episcopi donati cum quasi-episcopali iurisdictione praesident **clero et populo** *alicuius* **regionis** *in dioecesi* sitae [5].

c) Denique alii *habent proprium* territorium ad instar quasi-dioeceseos a cuiusvis Episcopi *dioecesi* **separatum,** in quo in *clerum* et **populum,** ex privilegio **activae** *exemptionis* a potestate Episcopi, ad instar Ordinariorum, *paucis* iuribus *exceptis*, exer-

[2] Cfr. summar. cap. 6, de privil. V, 7, in Sext.

[3] *Benedict.* XIV cit. Const. in font. et De Synod. dioeces. l. II, cap. 11; *Schmalzgr.*, l. c. n. 247, 248; *Bouix*, De Episcop. t. I, p. 532 sq. Quodammodo quartam quandam speciem Praelatorum inferiorum constituunt illi Vicarii castrenses sive Capellani maiores quorundam exercituum, v. g. in Hispania, qui propriam quidem *quasi-dioecesim* a dioecesibus Episcoporum *separatam non* habent, sed in personas sibi subiectas a potestate Episcoporum exemptas *plena fere iurisdictione* episcopali potiuntur. Cfr. *Scherer*, l. c. p. 655 sq.; *Hinschius*, l. c. t. II. p. 334 sq.; *Ferreres*, Inst. I, n. 629, ubi agit non solum de iurisdictione castrensi sed etiam de iurisdictione Palatina in Hispania.

[4] Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 20, de regular.

[5] Cap. 15, 13, X, de praescr. II, 26; Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 10, de ref., Sess. XXV, cap. 11, de regular.; *Bouix*, l. c. p. 519 sq. et *Scherer*, l. c. p. 424 sq., *de maioribus cappellanis* regiis in Gallia, Hispania et Austria.

cent *plenam* iurisdictionem *episcopalem* ideoque sensu stricto dicuntur *Praelati nullius*[6].

Porro distinguebantur Praelati inferiores in *saeculares* et *regulares*, v. g. Abbates Generales Ordinum, deinde in Praelatos ex gratia Sedis Apostolicae *usu pontificalium* gaudentes aut illo favore *carentes*[7].

Denique *ex titulo*, quo nitebatur *exemptio* Praelatorum inferiorum, dicebantur exempti ratione *originis, privilegii, vel praescriptionis, ob exemptionem* sive *nativam* sive *dativam* sive *praescriptivam*[8]. *Nativa* in hoc consistit, quod Praelatura illa inferior, v. g. Abbatia in aliquo loco fuerit fundata, *antequam* ibidem existeret Episcopus cum dioecesi atque etiam *post* erectam dioecesim in nativa sua et immediata dependentia a Sede Apostolica non fuerit turbata. Quare haec exemptio *solis* Praelatis nullius potest competere. *Dativa* nititur *expresso privilegio* apostolico. *Praescriptiva* fundata fuit titulo *praescriptionis*, ita ut exemptio *suprema* Praelati nullius per *solam* consuetudinem *immemorialem* cum omnibus suis requisitis rite *probatam*, exemptio vero mediae vel infimae speciei per praescriptionem *quadragenariam* cum titulo *colorato* dicebatur acquiri posse[9].

564. II. Principia fundamentalia. Illud ius praecedens his *principiis fundamentalibus* nitebatur, quae etiam iure Codicis suum retinent iuridicum valorem.

1°) *Romani Pontifices*, quorum est dioeceses describere ac suos cuique subditos sacra potestate regendos adscribere, Episcopis in certa *territoria* dioecesis certasque *personas* et *causas* iurisdictionem *denegare* valent. Inde fit ut illae personae, a potestate Episcopi *liberatae*, nihilominus propter *primatum* Romani Pontificis pergant *immediate* subesse Sedi Apostolicae, quae illis proprios et immediatos Superiores ab Ordinarii loci distinctos assignare, aut Episcopis sive ut Ordinariis sive ut Delegatis saltem partem potestatis in easdem relinquere potest.

2°) *Episcopi* ex iure sibi proprio ne *passivam* quidem ex-

[6] Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 10, de ref., Sess. XXIV, cap. 9, de ref, Cfr. quoque cap. 19, X. de praescr. II, 26, (de Abbate S. Martini in Pannon.) iunct. *Scherer*, l. c. p. 426, not. 15, p. 430, not. 36.

[7] *Giraldi*, Expos. iur. pontif. P. I, sect. 888.

[8] *Bouix*, l. c. p. 535 sq.; Act. S. Sed., III, p. 67 sq.

[9] Cap. 1, de praescr. II, 13, in Sext.; cap. 7, de privileg. V, 7, in

emptionem Praelatis inferioribus concedere possunt. Ipsi enim ex *mandato apostolico* in determinata territoria certasque personas et causas acceperunt iurisdictionem episcopalem. Quod mandatum Sedis Apostolicae *inferior* Praelatus elidere nequit; id vero omnino fieret, si *partem* e sua dioecesi dismembraret per *divisionem* Sedi Apostolicae reservatam et cum *praeiudicio* sui successoris, vel si in perpetuum *personas* a *sua* iurisdictione eximeret, in quas Sedes Apostolica eidem curam et regimen praescripsit. Quare si quid potestatis in exemptione a *propria* iurisdictione concedenda Episcopis competat, id ex tacita vel expressa concessione Rom. Pontificis est derivandum[10]. Eadem limitatio potestatis Episcoporum etiam exinde efficitur, quod *circumscriptio dioecesium* soli R. Pontifici sit reservata.

3°) Quae exemptio inferiorum Praelatorum a iurisdictione Ordinariorum, ut summopere *opportuna* est, si ob iustas causas et cum moderatione concedatur, ita graves potest inducere perturbationes et relaxationem disciplinae, quamprimum nimis frequenter et exorbitanter et sine sufficientibus causis introducatur et ad tuendos abusus acriter defendatur[11].

Qua de re supremum iudicium spectat ad *Romanum Pontificem*. Omnia igitur edicta *potestatis civilis* contra exemptionem inferiorum Praelatorum a iurisdictione Ordinariorum publi-

Sext. iunct. cap. 3, X. de integr. I, 41; cap. 15, 18, X. de praescr. II, 26. Cfr. quoque cit. Const. Benedict. XIV; decisionem S. C. C. 2 Ian. 1721, a Rom. Pont. 14 Ian. eiusdem anni approbatam in ed. *Richt.*, Conc. Trid, p. 346 sq., et decis. 27 Nov. 1856, in Act. S. Sed., l. c. p. 65 sq., 85; *Schmalzgr.*, l. c. l. t. 26, n. 52 sq. l. V, t. 33, n. 259; *Scherer*, l. c. p. 423, not. 5, ubi rem aliter propositam sufficienter non probat.

[10] Leon. XIII Const. « *Romanos Pontifices* » 8 Maii 1881; *Schmalzgr.*, l. V, t. 33, n. 257; *Bouix*, l. c. p. 537, qui illam potestatem Episcopis vindicant saltem ex iure *antiquo*. Cfr. de stauropegio, quo *Patriarcha* dedit exemptionem a iurisdictione Episcopi: Benedict. XIV Const. « *Causarum* » § Nec alia; *Thomassin.*, l. c. cap. 34. Cfr. quoque *Scherer*, l. c. p. 423, not. 2.

[11] Cap. 12, 16, 17, X. de excessib. Praelat. V, 31; cap. 3, X. de privileg. V, 33; cap. 1, 7, de privil. V, 7, in Sext.; cap. unic. de excess. Praelat. V, 6, in Clem.; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 11, de ref.; Leon. XIII cit. Const. « *Romanos Pontifices* »; *Buck*, De exemptione regularium conservanda (a. 1869); *Martin*, Collect. doc. Conc. Vatic. p. 194 sq.

cata [12] iam ob defectum *competentiae* fuerunt prorsus *invalida* et haud raro etiam ex *motivis* aliunde *perversis* profecta.

565. Evolutio historica illius iuris sic breviter adumbrari potest. Primis saeculis, quibus vel ipsi Abbates monasteriorum iurisdictioni Episcoporum fuerunt subiecti, exemptiones a potestate episcopali non reperiuntur [13]. Quae disciplina ex saeculo sexto paulatim ita immutari coepta est, ut non solum in *temporalibus*, sed etiam in *spiritualibus* potestas Episcoporum in Abbates et monachos magis magisque coarctaretur. Immo Abbates etiam extra monasterium in clerum et populum sui territorii iura quaedam episcopalia consecuti sunt [14]. At ante saeculum nonum vel decimum vix existunt Praelati vere nullius, quibus competat territorium cum plena iurisdictione episcopali a dioecesi *separatum* [15], nisi huiusmodi territoriis velis illas Abbatias adnumerare, quorum Abbates simul fuerunt Episcopi dioecesani [16]

Postquam Romani Pontifices ex saeculo septimo et octavo certis Abbatibus dederunt expressa privilegia, quibus praeter *protectionem* in rebus *temporalibus* obtinuerunt exemptionem a iurisdictione Episcoporum [17], magnum ortum est studium similia sibi procurandi privilegia. Hinc non raro factum est, ut ex generalibus favoribus, v. g. *protectionis, concessis* perperam deduceretur privilegium *exemptionis* a iurisdictione Episcoporum [18].

[12] V. g. in Gallia art. 10 organ. (a. 1802): *Tout privilège portant exemption ou attribution de la juridiction épiscopale est aboli;* in Austria decreta aulica Iosephi II, 24 Mart. 1781, 30 Maii, 11 Sept. 1782, in *Borussia* § 116, cod. civ. P. II, t. 11.

[13] Cfr. c. 4, 8, Conc. Chalced. (a. 451); c. 19 Conc. Aurel. I, (a. 511) = c. 16, C. XVIII, 9, 2; *Thomassin.*, l. c. P. I, cap. 26 sq.

[14] Synod. Carthag. (a. 525) et Synod. Carthag. (a. 534); *Hefele*, l. c. t. II, p. 713 sq., 760; *Thomassin.*, l. c. cap. 29 sq.

[15] Benedict. XIV cit. Const. « *Inter multa* »; Act. S. Sed., III, p. 67. Cfr. v. g. de monasterio Cluniacensi: Conc. Ass. Paul. (a. 1025), iunct. *Hefele*, l. c. t. III, p. 680, et *Thomassin.*, l. c. cap. 28, n. 4, cap. 36, n. 2.

[16] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 7, n. 14 sq.; *Scherer*, l. c. p. 556 sq.

[17] Cfr. de privilegiis monast. Turonensi S. Martini et Fuldensi concessis: *Thomassin.*, l. c. cap. 30, n. 7 sq.; *Scherer*, l. c. t. II, p. 739; *Kober*, in Kirchenlex. v. Exemption.

[18] Cfr. cap. 8, 18, X. de privil. V, 33; cap. 6, 10, eod. V, 7, in Sext.; Benedict. XIV cit. Const. « *Causarum* »; *Schmalzgr.*, l. c. n. 268 sq.;

Cum verae vel allegatae exemptiones inferiorum Praelatorum nimis multiplicarentur, ab Episcopis tandem graves motae sunt querelae [19]. Hinc iam Martinus V in Conc. Constantiensi a. 1418, Sess. XLI, c .1, exemptiones tempore schismatis sine consensu Ordinariorum concessas revocavit atque futuris exemptionibus concedendis modum statuit, a Leone X in Conc. Lateranensi V, Sess. X, 4 Maii 1515, Const. « *Regimini* » etiam singulari rigore auctum. Concilium Tridentinum vero, reiecto postulato principum et Episcoporum Germaniae revocandi *omnes* exemptiones a iurisdictione Ordinariorum, non pauca iura in exemptis limitavit vel Episcopis tanquam Delegatis Sedis Apostolicae subiecit [20]. Post Tridentinum Sedes Apostolica novis Praelatis inferioribus exemptionem saltem cum separato territorio denuo aegre concessit, nisi huc referatur nova illa exemptio Cappellani maioris vel Vicarii castrensis [21]. Immo ultimo saeculo Sedes Apostolica huiusmodi Praelaturas nullius sustulit aut saltem limitavit [22]; plenam autem abrogationem in Concilio Vaticano complures Episcopi postularunt [23]. At illa postulatio de plena abrogatione non fuit admissa, et etiam ultimo tempore ob peculiares circumstantias novae Praelaturae *nullius* fuerunt erectae [24].

Hinschius, l. c. t. V, p. 330 sq., ubi recte agit contra *Blumenstok*, qui nimium extendit vim protectionis pontificiae tempore medii aevi.

[19] Cfr. cap. unic. de excess. Prael. V, 6, in Clem.

[20] *Thomassin.*, l. c. cap. 39, 40; *Scherer*, l. c. t. I. p. 428 sq.

[21] Benedict. XIV in cit. Const. in quibus complures controversias de exemptione Praelatorum inferiorum diremit; Pii VI Const. « *Inter cetera* » 12 Octob. 1778, iunct. *Scherer*, l. c. p. 655 sq., de Vic. castr. in Austria.

[22] V. g. in Gallia omnes Praelati inferiores cum activa exemptione, sive supremae et mediae speciei, per conventionem a. 1801 sunt sublati; in Hispania quoque Pius IX, Const. « *Quae diversa* » 14 Iul. 1873, Praelatos inferiores exemptos quorum numerus iam ex conventione a. 1851, art. 9, 11, fuerat arctatus, paucis exceptionibus factis, v. g. *passiva* exemptione Praelatorum *regularium*, penitus abrogavit. Cfr. Act. S. Sed., VII, p. 485 sq.; *Nussi*, l. c. p. 21, 22.

[23] *Martin*, l. c. p. 194 sq.

[24] V. g. Pius IX, 2 Mart. 1867, in Australia instituit Abbatiam nullius Novae Nursiae, et Leo XIII in Albania ad eandem dignitatem evexit Abbatiam S. Alexandri. Pariter Benedictus XV recentius in Brasilia erexit Praelaturas nullius *Acrensem* et *Puruensem* in dioecesi Amazonensi et De Bono Jesu de Gurguera de-Pianhy in dioecesi Piahunensi cum spe-

Art. 2. — Ius Codicis de Praelatis inferioribus

566. Codex hoc capite solummodo commemorat *Abbates* seu *Praelatos nullius*, i. e. illos Praelatos qui iure praecedenti dicebantur Praelati *exempti* (*classis supremae*) ab ordinaria iurisdictione Episcoporum. Sed, licet de ipsis hoc loco non agat, procul dubio admittit Praelatos regulares exemptos (qui iure praecedenti dicebantur *infimae classis*), hoc ipso quod admittat regularium exemptionem, cuius iuridica consequentia est exemptio Praelatorum, quibus subiciuntur regulares. Praelatos *mediae speciei*, qui plerumque dicebantur Praelati *quasi-nullius*, a Codice expresse non commemorantur; sed ex praemissis cum ipsis habent similitudinem plures iurisdictiones exemptae, sive directe exercendae in personas (velut Cappellani seu Vicarii castrenses), sive etiam cum iurisdictione in determinato loco intra dioecesim sito (velut certae iurisdictiones Palatinae), de quibus tamen non erat cur Codex in particulari ageret, quia nituntur specialibus nec uniformibus concessionibus.

Ergo iure Codicis soli *Praelati nullius* pertinent ad normalem modum iuris communis, quo per ipsum Codicem fuit distributa hierarchia ecclesiastica, salvo iure speciali religiosorum Praelatorum in titulis de religiosis explicando.

Notio. Praelati qui praesunt territorio proprio, separato ab omni dioecesi, cum clero et populo, dicuntur Abbates vel Praelati *nullius*, i. e. habentes iurisdictionem in territorio ad *nullam dioecesim* pertinente. Si ipsorum ecclesia gaudet dignitate abbatiali, dicuntur Abbates; si tantum praelatitia, vocantur Praelati (can. 319, § 1) [25].

---

ciali circumstantia quod ad modum dioecesis suffraganeae ipsas subiecit determinato Archiepiscopo et voluit ut Praelatus charactere episcopali esset insignitus (A. S. S., XII p. 5 sq., 553 sq.). Sed in pontificio diplomate clare innuitur Praelaturam fieri per divisionem dioecesis et praeparare locum erectioni verae dioecesis novae. Sine subiectione ad Archiepiscopum in perpetuum erexit Abbatiam nullius *S. Petri apud Muenster* (6 Maii 1921).

[25] Ecclesiae *saeculares*, quae abbatiae titulo donantur vel quarum rector titulum habet Abbatis, plerumque fuerunt ecclesiae monasterii monachorum aut canonicorum regularium, quibus primitus praeerat Abbas regularis; postea aut, deficientibus iniuria temporum monachis vel canonicis regularibus, in illis saeculares clerici instituti sunt qui

Hi Abbates vel Praelati dicuntur *exempti*, eadem prorsus ratione qua exempti dicuntur Episcopi nulli Metropolitano subiecti, sed immediate Sedi Apostolicae subordinati. Sed cum territorium in quo deficit ordinarium regimen Episcopi, ex natura Primatus R. Pontificis ad ipsius R. P. regimen devolvitur, ideo Abbates et Praelati nullius commemorantur sub titulo VII inter Praelatos, qui de potestate suprema sunt iure ecclesiastico participes, inter quos ob contrariam rationem non enumerantur Episcopi Sedi Apostolicae immediate subiecti.

Appellatio autem *inferioris*, his Praelatis data, videtur dicere respectum ad Praelatos charactere episcopali insignitos (ideoque *maiores*), cum sive ex origine historica harum praelaturarum sive ex praxi recepta, qui praesunt his abbatiis vel praelaturis per se charactere episcopali non insigniantur, et omnino per accidens est quod sint consecrati Episcopi.

Ut autem Abbatia seu Praelatura *nullius* obnoxia sit legibus hoc capite traditis, necesse est ut saltem tribus constet paroeciis; secus speciali iure regitur (can. 319, § 2) ex peculiari apostolico diplomate desumendo.

567. Nominatio. Ex natura rei, cum iurisdictione episcopali potiantur, a Rom. Pontifice nominari et institui debent; si vero aliis legitime competit ius electionis aut praesentationis, ad R. Pontificem saltem pertinet confirmatio electi et institutio praesentati (can. 320, § 1). Quod ius electionis, ubi alicui collegio competit, v. gr. monachis monasterii aut Capitulo canonicorum, ad eius valorem requiritur, ut in personam electam concurrat absolute maior pars suffragiorum, nisi peculiari iure maior adhuc suffragiorum numerus sit requisitus, v. gr. duae tertiae partes (can. 321).

Qualitates in promovendis ad abbatias et praelaturas nullius eaedem requiruntur, quae postulantur in Episcopis (can. 320, § 2).

568. Apprehensio possessionis et benedictio. Semel legitime nominati tenentur possessionem capere abbatiae aut praelaturae

---

nomen Abbatis retinuerunt, aut collegium religiosorum auctoritate pontificia conversum est in collegium clericorum seu canonicorum saecularium, retenta pariter in praeside appellatione Abbatis. Non desunt tamen ecclesiae saeculares, quae abbatiae titulum habent ex lege fundationis. Cfr. *Tamburini*, De iure Abbatum, disp. 2, q. 6 .

eodem modo ac Episcopi, i. e. exhibendo litteras Apostolicas nominationis, confirmationis vel institutionis pro diverso casu vel Capitulo conventuali vel Capitulo canonicorum. Ante captam possessionem non possunt quovis titulo sive per se sive per alios se ingerere in regimen abbatiae vel praelaturae (can. 332, § 1).

Pariter, sicut Episcopo imponitur obligatio infra tres menses a canonica provisione recipiendi consecrationem episcopalem, ita Abbatibus et Praelatis *nullius* iniungitur obligatio recipiendi intra tres menses benedictionem; quae permittitur peti ab Episcopo libere eligendo. Illa autem benedictio non absolute praescribitur recipienda a quolibet Abbate vel Praelato *nullius*, sed tantum in casu quo id exigant aut praescriptum apostolicum aut propriae religionis constitutiones. Generatim illa benedictio, attento Pontificali Romano, pertinet ad Abbates regulares.

Benedictio ea est, quae habetur in Pontificali Romano, tit. « *De benedictione Abbatis* ». Ibi autem duplex distinguitur benedictio: alia que confertur *auctoritate Apostolica*, alia quae *auctoritate Ordinarii* seu sine mandato apostolico tribuitur. Porro distinguitur benedictio Abbatis usum mitrae habentis et benedictio Abbatis usu mitrae carentis. Prior illa benedictio, quae ad tenorem Pontificalis Romani auctoritate Apostolica est conferenda pertinet ad Abbates exemptos. Cum Abbates *nullius* vere sint exempti et habeant usum pontificalium (can. 325) procul dubio de hac sollemniori benedictione sermo est in can. 322, § 2, quae tamen ab Abbatibus *nullius* potest postulari a quolibet Episcopo, nec amplius requiritur speciale mandatum apostolicum. Cfr. Benedicti XV Brev. « *Pro benedictione Abbatum* » 19 Iun. 1921; *Acta* A. S. XIII, 416, ubi Abbatibus Benedictionis conceditur speciale privilegium circa benedictionem ab Episcopo petendam. Cfr. quoque *De Herdt*, Praxis pont. II, n. 369.

Quod *Abbates saeculares nullius* aut *Praelati nullius* sint benedicendi unice proveniet ex praescripto Apostolico. Quinam Abbates regulares sint benedicendi declarat Const. Benedicti XIII « *Commissi* » 6 Maii 1725.

569. Iura et obligationes. Cum iamdiu Abbates et Praelati nullius recenserentur inter Ordinarios locorum [26], quod denuo firmatum fuit can. 198, et praesint territorio separato a territorio cuiuslibet dioecesis, Codex eos aequiparavit quoad *iura* et *obli-*

[26] Cfr. S. O. litt. 20 Febr. 1888.

gationes Episcopis residentialibus, salvis differentiis quas ex natura rei importat carentia characteris episcopalis (can. 323), ideoque sustulit limitationes, quibus eorum potestas restringebatur iure praecedenti [27].

Etiam quoad potestatem ordinis, tametsi charactere episcopali, ut plerumque accidit, careant, eisdem tribuuntur facultates, quae ex iure (can. 294, § 2) competunt Vicariis et Praefectis Apostolicis charactere episcopali carentibus, modo benedictionem receperint, si ad eam recipiendam obligantur; insuper possunt ecclesias et altaria immobilia consecrare (can. 323, § 2) [28*]. Item in proprio territorio utuntur insignibus pontificalibus cum throno ac baldachino et iure ibidem officia divina ritu pontificali peragendi; crucem autem pectoralem, annulum cum gemma, ac pileolum violaceum etiam extra territorium deferre possunt (can. 325).

570. Regimen praelaturae vacantis vel impeditae. Sicut pro iuvamine in regimine praelaturae possunt sibi constituere Vicarium Generalem perinde ac Episcopi (can. 323, § 2), ita in his rebus in quibus Episcopi dependent a consensu vel consilio Capituli cathedralis, Abbates vel Praelati *nullius* dependent a Capitulo abbatiae vel praelaturae; quod Capitulum in abbatia regulari est Capitulum religiosum, in abbatia vel praelatura saeculari est Capitulum canonicorum. Quodsi Capitulum canonicorum in praelatura saeculari defecerit, tunc constituendum est consilium consultorum ad normam can. 423 sq., prout fieri debet

[27] Ita non poterant *subditis suis saecularibus* ne *dimissorias* quidem dare ad ordines, sed illorum ordinatio spectabat ad Episcopum viciniorem et ipsos subditos regulares non poterant dimittere nisi ad Episcopum viciniorem (*Gasparri*, De s. ordinat. n. 939, 935). Sine speciali privilegio non poterant convocare Synodum dioecesanam et consequenter nec deputare *examinatores synodales* et celebrare *concursus* paroeciales (*Benedict. XIV*, De Syn. dioec. l. II, cap. 11). Satis communiter denegabatur ipsis ius decidendi causas matrimoniales (Cfr. Inst. S. C. C. 22 Aug. 1840).

[28*] Haec facultas consecrandi ecclesias et altaria immobilia potest valide exerceri solummodo intra fines proprii territorii. Eo ipso quod c. 323 § 2 antequam loquatur de potestate consecrandi ecclesias et altaria immobilia remittat ad c. 294 § 2 quoad alias facultates, supponit *implicite* valere etiam in usu novae facultatis limitationem expresse appositam pro aliis in c. 294 § 2. Comm. I. Cod. 29 iun. 1931; A. A. S. XXIII, 110; Per. XX, 150; 139*.

in veris dioecesibus Capitulo canonicorum carentibus (can. 326).

Ad huiusmodi Capitulum sive regulare, sive canonicorum, sive consultorum devolvitur regimen abbatiae vel praelaturae vacantis, nisi quoad abbatiam regularem aliter disponant Ordinis constitutiones. Capitulum ad quod devolutum est regimen, tenetur intra octiduum deputare Vicarium Capitularem in quem transferat regimen ad se devolutum usque ad novi Abbatis vel Praelati electionem (can. 327, § 1).

Quodsi abbatia vel praelatura non quidem vacaverit, sed fuerit impedita, ipsi applicanda sunt praescripta can. 429 de dioecesi impedita.

TITULUS VIII

De potestate episcopali deque iis qui de eadem participant

CAPUT I

De Episcopis (can. 329-349)

571. **Fontes:** Cfr. font. in tit praec. cap. VI. — Gratian. Dist. 24 sq., passim. — Decretal. Gregor. IX, l. I, tit. 31, de off. iud. ord.; Decretal. Bonif. VIII, l. I, t. 16, de off. *ordinarii;* Const. Clem. V, l. I, t. 9, de off. iud. ordin.; Extravg. comm. l. I, t. 7, de off. iud. ord. — Conc. Trid. passim. cfr. indic. v. Episcop. — Decretal. Clem. Pap. VIII, ed. *Sentis,* p. 25 sq., l. I, t. 14, de off. ord. — Benedict. XIV Const. « *Ubi primum* » 3 Dec. 1740; Pii VI Const. « *Auctorem fidei* » 22 Aug. 1794, prop. 6, 7, 8; Pii IX Const. « *Qui pluribus* » 9 Nov. 1846. — Conc. Vatic. Sess. VI, Collect. Lac. in ind. v. Episcop.; Collect. S. C. de Prop. F. n. 38 sq.; Schema Conc. Vatic. de Episcopis apud *Martin,* Collect. docum. Conc. Vatic. p. 127 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decret. in cit tit. l. I, v. g. *Schmalzgr.,* n. 23 sq. — *S. Raymund.,* Summa, l. I, t. 27, de differentiis officior. § 4 de Episcopis; *Phillips,* l. c. t. II, § 74, t. VIII §§ 353 sq.; *Barbosa,* Pastoralis sollicitudinis sive de off. et pot. Ep.; *Ferraris,* l. c. v. Episcopus; *Andreucci,* De off. et pot. Episcopi (a. 1766); *Politi,* Ius Episcopale (a. 1798); *Bouix,* De Episcopo; *Thomassin.,* l. c. P. 1, l. 1, cap. 50 sq. *Kraus,* Real-Encykl. v. Bischof; *Michiels,* L'origine de l'épiscopat; *Ferreres,* Inst. I, 641 sq.; *Verm.-Cr.,* Epit. I, n. 443 ss.; *Chelodi,* n. 186 sq.; *C. a Coronata,* Inst. i. c. I, p. 467 ss.

Praenotiones

572. I. Connexio materiae. Non tantum *ordo* Episcoporum est unus ex tribus gradibus hierarchiae *ordinis* certissime a Deo institutis, sed etiam *officium* Episcoporum est *alter* gradus *hierarchiae iurisdictionis,* qui praeter primatum Romani Pontificis ipsum Christum Dominum, etsi *dispari ratione,* habet *immediatum auctorem* [1]: omnes alii gradus potestatis infra iurisdictionem

[1] Conc. Vatic. Sess. IV, Const. « *Pastor aeternus* » prooem.; *Grande-*

episcopalem sunt quaedam participatio potestatis episcopalis, in adiutorium regiminis dioecesani ab Ecclesia instituti et episcopali iurisdictioni ad normam iuris subordinati. Atque inde apparet apta connexio huius tituli Codicis cum titulo praecedenti.

II. **Nomen et definitio.** Episcopi (ἐπίσκοποι) [2], qui ex antiqua [3] praxi Ecclesiae quamplurimis aliis nominibus ornantur, sunt *Praelati* [4] ecclesiastici plenitudine *sacerdotii* novi testamenti sive *ordine* episcopali insigniti [5]; quibus insuper *vi officii* a Christo in genere instituti [6] *iurisdictio* [7] ad regendas particulares dioeceses [8] competit.

---

rath, Const. dogm. Conc. Vatic. p. 132 sq.; *Bouix*, l. c. t. I, p.104 sq.; *Wilmers*, De Christi Ecclesia p. 287 sq., 11 sq.; *Suarez*, De leg. l. IV, cap. 4, n. 17 sq.

[2] Episcopus (cfr. c. 1, § 7, D. 21), vi vocis est inspector, praefectus, praeses. Quod verbum apud septuaginta interpretes (cfr. Num. IV, 16, XXXI, 14) sive in ordine religioso sive in ordine civili designat munus quoddam publicum, cui aliqua *iurisdictio* adnexa est. Ille usus loquendi translatus est in religionem christianam. Cfr. Act. Apost. I, 20, XX, 28; I Tim. IV, 16; II Tim. IV, 2 sq.; *Dunin-Borkowski*, in Act. theol. Oenip. t. 27, p. 62 sq., 181 sq., t. 28, p. 217 sq.; *Bruders*, Verfassung d. Kirche bis 175, p. 358 sq.

[3] *Kraus*, l. c.; *Bouix*, *l.* c. t. I, p. 4 sq.; *Phillips*, l. c. t. II, § 74.

[4] Προεστεὼς τῆς ἐκκλησίας, praepositus ecclesiae, cfr. Hebr. XI, 17: « *Obedite praepositis vestris* ».

[5] *Bouix*, l. c. 88 sq., ubi quoad rem tantum dat definitionem Episcopi, qui est in sacra hierarchia *ordinis;* at hoc loco potissimum praeponenda est notio Episcopi in hierarchia *iurisdictionis* constituti.

[6] Cfr. text. cit. in not. 1, h. tit.

[7] *Suarez*, De leg. l. IV, cap. 4, ubi fuse probat hanc assertionem: « *Episcopos habere* **potestatem legislativam** *in suis dioecesibus iure* **ordinario humano** *fundato aliquo modo in iure divino* ».

[8] Dioecesis nostra aetate in Ecclesia Occidentali intelligitur territorium Episcopo subiectum et secundum modum loquendi nunc usitatum *distinguitur a paroecia*, cum ex praxi antiqua potius nostrae dioeceses dicerentur *paroeciae*. Cfr. c. 13, Apost.; c. 18, Conc. Ancyr. (a. 314); c. 9, 18, Conc. Antioch. (a. 341); Urban. II, scr. (a. 1088-1089) in c. 10, C. IX, q. 2; Alex. III in cap. 2, X, de mag. V, 5; scr. a. 1159-1181, ubi παροικία sive paroecia = dioecesis. Vicissim in iure antiquo saepe verbum *dioeceseos* designavit etiam complexum quendam provinciarum (eparchiarum) ecclesiasticarum, cui praefuit Patriarca vel Exarcha. Cfr. c. 2 Conc. Constantinop. (a. 381); c. 9, 28, Conc. Chalced. (a. 451); *Hefele*, l. c. t. I, p. 389 sq., t. II, p. 16, 439. At iam ex saeculo quarto (cfr. c. 5 Conc. Carthag. II, [a. 390], = c. 50, C. XVI, q. 1; c. 20 Conc. Tolet. III, [a. 589], = c. 6. C. X. q. 3), dioecesis habet sensum nostra aetate receptum aut

III. **Divisio.** Episcopi distinguuntur *a*) in *Episcopos residentiales* sive *ordinarios* vel dioecesanos, qui ordine episcopali insigniti in dioecesi sibi commissa ordinarium regimen in clerum populumque *actu* exercent:

b) in Episcopos *titulares* [9] sive pro antiquo more loquendi etiam « *in partibus infidelium* » [10], qui solam *consecrationem* episcopalem [11] absque ulla iurisdictione adepti cum assignatione tituli [12] sive ecclesiae vel dioeceseos clero populoque carentis et in partibus *infidelium*, non acatholicorum sitae, ideoque obligationi residendi non sunt obnoxii [13];

c) in Episcopos *saeculares* et *regulares*, prout ex clero saeculari aut regulari sunt assumpti;

---

promiscue cum verbo paroeciae adhibetur. Cfr. l. III, t. 29 de paroeciis et alien. paroch. Denique dioecesis etiam designat eam partem territorii episcopalis, quae opponitur *civitati* (cfr. cap. 35, X. de resc. I, 3) ideoque denotavit simplicem *paroeciam ruralem*. Cfr. c. 8 Conc. Epaon. (a. 517), = c. 3, C. XII, q. 4: « *Presbyter, dum dioecesim tenet* ». Hinc c. 32 Conc. Agath. (a. 506), = c. 32, C. XII, q. 2, distinguuntur « *civitatenses* sive *dioecesani presbyteri* ». Cfr. *Hefele*, l. c. t. II, p. 658, not. 1.

[9] Leo XIII, a. 1882, istum modum loquendi antiquo substituit. Cfr. Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 2, de ref. Arch. f. k. K. t. 48, p. 211.

[10] *Thomassin.*, l. c. P. I, cap. 27, 28; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. II, cap. 7, n. 1 sq., l. XIII, cap. 8, n. 12; *Bouix*, l. c. t. I, p. 490 sq. Prima vestigia Episcoporum titularium sive in partibus infidelium occurrunt c. 37 Conc. Trull. (a. 692), quibus aliqua ratione sanctiones antiquorum canonum, (cfr. c. 37 Apost.; c. 18 Conc. Ancyr. (a. 314); c. 18 Conc. Antioch.) fuerunt applicatae. Cfr. *Hefele*, l. c. t. I, p. 337 sq., t. III, p. 335; Bonif. VIII, (a. 1301), in cap. 3, X. de elect. I, 3 in Extravg. com.; cap. 5, de elect. I, 2. in Clem.; *Benedict. XIV* Const. « *Cum a nobis* » 4 Aug. 1747.

[11] Quare Episcopis titularibus simpliciter adnumerandi non erant Episcopi, qui in Hungaria vocabantur « *titulares* ». Illi enim generatim ordine episcopali carebant et erant *presbyteri* a rege Hungariae *nominati* sive electi ad sedes episcopales olim ad Hungariam pertinentes cum quibusdam iuribus et praerogativis, qui a Romano Pontifice praeconizari non solebant, nisi duos excipias, qui etiam consecrationem episcopalem accipiebant. Cfr. *Nilles*, qui ex professo de illis Episcopis titularibus Hungariae agit et non paucos errores corrigit; Act. theol. Oenip. t. XV, p. 153 sq., 159 sq., iunct. t. XIX, p. 355 sq., t. XX, p. 158 sq.

[12] At etiam reperiuntur Episcopi vere consecrati, qui vel ipso titulo ecclesiae (in partibus infidelium) carent, Episcopi religiosi, qui renuntiarunt dignitati. Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 8, n. 12.

[13] Quibus Episcopis titularibus non raro ex *alio officio* competit iurisdictio et obligatio residendi, v. g. Vicariis Apostolicis ad ecclesias i. p. inf. promotis.

d) in Episcopos *suffraganeos*, qui « *suffragium* » ferunt in Synodis provincialibus et Metropolitae subiecti sunt, et *in exemptos*, qui Sedi Apostolicae immediate subduntur;

e) in Episcopos *auxiliares* sive *coadiutores* sive *Vicarios in pontificalibus*, qui solent esse Episcopi titulares cum assignatione dioeceseos, in qua Episcopo ordinario sive in universa dioecesi administranda sive saltem in pontificalibus exercendis subsidio veniunt [14].

Art. 1. — De institutione officii Episcoporum

§ 1. De institutione officii Episcoporum in genere

573. Episcopi ut in *hierarchia ordinis ex iure divino* supremum occupant gradum et potestate ordinis presbyteris sunt superiores [15], ita in *hierarchia iurisdictionis ex Christi institutione* proprium habent *officium spirituale*, non mere *oeconomicum* ad administrationem rerum temporalium ordinatum, ut vult *Harnack* [16].

Porro Episcopi, licet illorum officium pastorale ab *Apostolorum* officio propter disparem potestatem et praerogativas sit *vere distinctum*, tamen ex eadem divina ordinatione ipsi, non alii in *collegium Apostolorum succedunt*, ut sub S. Petro eiusque legitimis successoribus auctoritatem in collegio Apostolorum a Christo constitutam usque ad consummationem saeculorum con-

[14] Cfr. de *Chorepiscopis*: Conc. Neocaesar. (a. 314-325); Conc. Ancyr. (a. 314) c. 13; Conc. Antioch. (a. 341), c. 8, 10; Conc. Nicaen. (a. 325), c. 8; c. 46 Conc. Carthag. III, (a. 397); *Phillips*, l. c. t. II, p. 95 sq.; *Kraus*, Real-Encykl. v. Chorbisch.; *Scherer*, l. c. t. I, p. 597 sq. Cfr. de *Episcopis auxiliaribus* et *coadiutoribus*: *Bouix*, l. c. p. 497 sq.; *Scherer*, l. c. p. 598 sq.

[15] Conc. Trid. Sess. XXIII, vera et cath. doct. cap. 1 sq., 4, can. 1 sq. 6, 7.

[16] Conc. Trid. l. c. cap. 4, can. 7, 8; *Suarez*, De leg. l. IV, cap. 4, n. 1 sq., 4, 13, 14, 17 sq.; *Wilmers*, De Christi Ecclesia p. 115 sq., 287 sq., 300 sq., *Palmieri*, De R. Pontifice p. 59 sq.; *Phillips*, l. c. t. II, p. 1 sq., 90 sq. *Bouix*, De Episcopo t. I, p. l. sq.; *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 1, cap. 50, 51, 52, 53; *Nilles*, Kalendar. manuale utriusque Eccles. p. 460 sq.; *Pesch*, Praelect. dogm. t. I, n. 272 sq., 306 sq., 333 sq., 356 sq., 343 sq.

tinuent [17]: et hoc sensu vere sunt Apostolorum successores (can. 329).

Denique officio suo Episcopi non solum *iure divino* a presbyteris sunt *distincti*, sed iisdem etiam in hierarchia *iurisdictionis superiores*, Romano Pontifici tam seorsum singuli quam simul omnes *subordinati* [18].

Quae institutio officii sive muneris episcopalis Episcoporum facta est a Christo Domino per *praeceptum generale*, quo Apostolis et praecipue S. Petro eiusque successoribus iniunxit, *ut crearentur Episcopi*, qui tanquam principes et *pastores ordinarii* sub pastore supremo regerent Ecclesiam. Quod praeceptum generale est causa *remota*, non proxima et *immediata*, qua officium Episcoporum in particulari cum omnibus suis circumstantiis determinatum et institutum est.

Manifesta igitur est *differentia* inter *primatum* Romani Pontificis et *officium* Episcoporum. Etenim dignitas pontificia habet *certam* et *immutabilem potestatem* ex vi suae institutionis quoad *substantiam determinatam*, tum ex parte *subditorum* et territoriorum, tum ex parte *actionum* et materiarum in quibus versari potest, neque ullius *augmenti* vel *imminutionis* capax est. At officium Episcoporum sibi non habet adnexam ex vi iuris divini certam et determinatam potestatem sive in *territorio* et *personis subiectis* sive in *actibus* et *materia* regiminis. Nam *territoria* Episcoporum sunt inaequalia, augeri vel minui vel dividi vel uniri possunt. *Personae* in dioecesibus existentes non raro per Rom. Pontificem eximuntur. Ipsa vero competentia Episcoporum quoad *actus* et materias modo *limitatur*, v. g. quoad leges condendas de impedimentis matrimonii vel de irregularitatibus etc., modo *augetur*, v. g. quoad ius dispensandi super irregularitatibus vel absolvendi a casibus reservatis.

Quare Episcopi, qui sunt pastores particulares, ex iure divino semper in Ecclesia existere debent, neque unquam Rom. Pontifex absque Episcopis seu pastoribus particularibus potest

[17] *Wilmers*, l. c. p. 310 sq., 192, 353 sq.; *Palmieri*, l. c. p. 106 sq.; *Granderath*, l. c. p. 117, 132 sq.; *Suarez*, l. c. n. 21; *Cavagnis*, l. c. P. I, p. 431; *Bouix*, l. c. p. 7 sq., 41 sq.

[18] Conc. Trid. l. c. cap. 4; *Wilmers*, l. c. p. 328 sq., 334 sq.; *Cavagnis*, l. c. p. 523 sq.; Conc. Vatic. Sess. IV, cap. 3; *Granderath*, l. c. p. 223 sq.; *Wilmers*, l. c. p. 274 sq., 347; *Billot*, l. c. t. III. p. 91 sq. 217 sq.

regere Ecclesiam, sed ex statuto divinitus ordine in partem sollicitudinis vocet necesse est Episcopos particulares, qui potestate *ordinaria* et *immediata* particulares sibi commissos greges pascant et regant. Inde quoque efficitur Romanum Pontificem non posse ita *deprimere* et *limitare* officium Episcoporum, ut *praeceptum generale* Christi de institutione Episcoporum tanquam pastorum *ordinariorum* et immediatorum, non vicariorum vel delegatorum R. Pontificis, fiat illusorium [19].

574. Nequaquam enim cum Protestantibus, qui negata hierarchia *ordinis* et reiecto vero *sacerdotio* novi testamenti omnes fideles dixerunt esse sacerdotes [20], etiam in *regimine* Ecclesiae esse potest *aequalitas* omnium fidelium, vel reprobandus est sacer principatus ab ipsis presbyteris distinctus [21].

Illi quoque acatholici errant qui, v. g. Harnack [22] aliique, antiquissimum factum discriminis inter Episcopos et presbyteros admittentes illud discrimen ex *institutione* quadam *mere ecclesiastica* vel *consuetudine* repetunt [23].

Neque ab errore immunes sunt Anglicani aliique, ex quorum opinione officium Episcoporum ab *Apostolis, non ab ipso Christo,* est institutum [24].

Falsam quoque notionem officii Episcoporum tradiderunt quotquot inde ab Aërio [25] Episcopos etiam *iurisdictionis* potestate aequarunt presbyteris atque ex institutione Christi *superiores* esse negarunt.

---

[19] Pii VI Const. « *Super soliditate* » 28 Nov. 1786; *Suarez,* l. c. n. 13 sq.; *Granderath,* l. c. p. 118 sq.; *Cavagnis,* l. c. p. 452; *Phillips,* l. c. p. 311 sq.; ubi disserit de *erectione, divisione et unione* dioecesium; *Bouix,* l. c. p. 81, 104 sq.; *Billot,* l. c. p. 218 sq.

[20] Conc. Trid. l. c. can. 1 sq.; *Hinschius,* l. c. t. I, p. 1 sq., 163 sq., t. II, p. 38 sq.

[21] *Wilmers,* l. c. p. 117 sq.; *Cavagnis,* l. c. p. 444 sq.

[22] Lehrb. d. Dogmeng. t. I, p. 182; *Hinschius,* l. c. t. II, p. 512, ubi vestigia Retschl secutus absque fundamento solido et contra antiquiora documenta historica *fingit* tandem saeculo tertio officium Episcoporum factum esse munus quoddam speciale regiminis ecclesiastici.

[23] *Wilmers,* l. c. p. 287 sq.; *Bingham,* Origines l. 2, c. 1; *Neander,* Geschichte der christl. Kirche § 58.

[24] *Wilmers,* l. c. p. 304 sq.

[25] *Epiphanius,* Panarion, *Haeresis* 75, n. 4 sq.; *Migne,* P. G. XLII, 57 sq.; *Denzinger,* l. c. n. 426, de errore Marsilii Patavini, n. 569, de error. Wikleff et Hus, quos refutat *Wilmers,* l. c. p. 328 sq.

Denique doctrinam catholicam perverterunt Ianseniani, Gallicani, Febroniani, qui *officium* Episcoporum cum *ordine* episcopali inseparabiliter coniunctum esse existimantes etiam vicissim *iurisdictionem* Episcoporum absque *ordine* episcopali existere non posse opinati sunt [26].

§ II. De institutione, innovatione et suppressione officii Episcoporum in particularibus dioecesibus

575. Principia. Quamvis *officium* Episcoporum *in genere* (colleg. Episcop.) vere nitatur *institutione divina* usque ad finem saeculorum necessario duratura, tamen officium Episcopi, qui *particulari* dioecesi praeficitur, *iure mere humano* institutum est atque etiam *innovationi* vel *suppressioni* per competentem auctoritatem ecclesiasticam subicitur.

Quare omnis *erectio, divisio, unio, suppressio* vel qualiscumque *immutatio* status alicuius dioecesis unice ex iure *ecclesiastico,* non *divino,* est repetenda.

Quae auctoritas competens in erigendis vel innovandis vel supprimendis officiis vel dioecesibus Episcoporum ex natura rei, i. e. *monarchicae* constitutionis Ecclesiae, est R. Pontifex, nisi huiusmodi potestatem ex *tacita* vel *expressa* concessione *mediate* per alios Praelatos ecclesiasticos velit exercere aut ipsi potestati civili partes quasdam per consensum interveniendi tribuat. Optimo igitur iure in Syllabo Pii IX proscripta est propositio 51:

« *Immo laicum gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos* **neque tenetur** *obedire* **Romano Pontifici** *in iis, quae* **Episcopatuum** *et* Episcoporum *respiciunt* **institutionem** » [27].

576. Notae historicae [28]. Quemadmodum S. Paulus (Tit. I, 5) iniunxit S. Tito, ut in insula Creta constitueret Episcopos per civitates, ita primis temporibus nequaquam omnes et singulae dioeceses praesertim in Ecclesia Orientali immediate per R. Pon-

---

[26] *Wilmers,* l. c. p. 335 sq. *Bouix,* l. c. p. 30 sq.

[27] Conc. Vatic. Sess. IV, cap. 3; *Suarez,* l. c. n. 18, 19; *Phillips,* l. c. t. V, p. 311 sq.

[28] *Thomassin.,* l. c. P. I, l. 1, cap. 54 sq.; *Phillips,* l. c. t. V, § 219; *Card. Hergenroether-Kirsch,* l. c. t. I, p. 101 sq., 211 sq. 432 sq., 690 sq.

tificem *erectae* sunt, sed *per Apostolos* virosque apostolicos[29]. Deinde Antistites sedium apostolicarum, Patriarchae vel Exarchae[30] vel Metropolitae cum Episcopis comprovincialibus suam interposuerunt auctoritatem[31]. Quo in negotio neque necessaria existimabatur imperialis auctoritas, neque admissum fuit principium ex sola circumscriptione vel divisione dioecesium vel provinciarum *civilium* etiam dimetiendam esse circumscriptionem dioecesium ecclesiasticarum, multoque minus edictis Imperatorum in Ecclesia posse erigi dioeceses vel provincias, praesertim si per ambitionem Praelatorum ecclesiasticorum huiusmodi edicta potestatis civilis fraudulenter contra sacros canones fuerunt obtenta[32]. At in Ecclesia Orientali vel ipsi Praesules ecclesiastici nimis facile ordinem ecclesiasticum accommodarunt ordini civili[33].

In Ecclesia quoque *Occidentali* per S. Petrum eiusque successores teste Innocentio I, l. c. a. 415, in complures regiones Episcopi deputati sunt, qui ibidem ecclesias fundarunt. Qua in missione ius erigendi dioeceses manifeste fuit contentum[34]. At primis illis saeculis Romani Pontifices sibi ius immediate erigendi vel innovandi dioeceses nondum *reservant*. Hinc vel ipse S.

[29] Innocent. I, in epist. ad Decent. Eugub. c. 2; *Euseb.*, Hist. eccles. l. III, cap. 37; *Thomassin.*, l. c. cap. 54, n. 1, cap. 55, n. 6; *Ph. Hergenroether-Hollweck*, l. c. n. 398, not. 4, de diversa significatione nominum *paroeciae* et *dioecesis*.

[30] Ita S. Athanasius pro Aethiopia ordinavit S. Frumentium (*Socrates*, Historia eccles. lib I, cap. 19), S. Chrysostomus Willam pro Gothis (S. Chrys. ep. 123), S. Basilius S. Gregorium Nazianzenum in Cappadocia. Cfr. *Thomassin.*, l. c. cap. 54, n. 1 sq.; *Phillips.*, l. c. p. 313 sq.

[31] Conc. Sardic. (a. 343), c. 6, et Conc. Chalced. (a. 451), Act. XIII, iunct. *Hefele*, l. c. t. I, p. 583, t. II, p. 497 sq. Cfr. quoque c. 4 Conc. Nicaen. (a. 325); c. 8, 10, Conc. Antioch. (a. 341), et c. 12, 57, Conc. Laodic. (a. 343-381), iunct. *Hefele*, l. c. t. I, p. 382 sq., 773 s. Cfr. vero de praxi Ecclesiae Africanae: c. 5, 12, Conc. Carthag. (a. 390); c. 5 Conc. Carthag. (a. 397); c. 4 Conc. Carthag. (a. 407), iunct. *Hefele*, l. c. t. II, p. 100, not. 4; *Phillips*, l. c. p. 291, 329.

[32] Innoc. I, in epist. a. 415 scr.; c. 12 Conc. Chalced. (a. 451); *Thomassin.*, l. c. cap. 54, n. 7; *Hefele*, l. c. t. II, p. 462 sq., 497 sq., 517.

[33] Cfr. c. 9 Conc. Antioch. (a. 341); c. 17, 28, Conc. Chalced. (a. 451); *Hefele*, l. c. p. 463, not. 1; c. 38, Conc. Trullan. (a. 692); *Thomassin.*, l. c. cap. 56, n. 6.

[34] *Phillips*, l. c. p. 319 sq.; *Benedict.* XIV, De Synod. dioeces. l. II, cap. 7, n. 1; *Thomassin.*, l. c. cap. 55, n. 6, 15, cap. 56, n. 7 sq.

Leo[35] licet recursum Restituti, Episcopi Africani, contra dismembrationem dioeceseos admittat, tamen in epistola ad Episcopos Afric. prov. Mauritaniae Caesar. a. 446, solummodo praescribit, ut nonnisi in maioribus populis et frequentioribus civitatibus Episcopatus instituantur vel per *divisiones* erigantur. Quae praxis per Primatem vel Metropolitam cum Episcopis comprovincialibus perficiendi institutiones vel innovationes dioecesium, quatenus opus fuit, non solum in Africa, sed etiam in Hispania et Gallia diu saltem quoad substantiam videtur fuisse recepta[36].

At quemadmodum in Oriente Imperatores Byzantini in erigendis et dividendis dioecesibus non leves sibi vindicabant partes, ita etiam in Occidente reges Visigothorum in Hispania[37] et reges Francorum in Gallia[38] suam interposuerunt auctoritatem in innovandis dioecesibus et provinciis ecclesiasticis neque a veris iniuriis et usurpationibus semper fuerunt immunes[39].

Paulatim vero factum est, ut Romani Pontifices magis directe in causis erectionis vel innovationis dioecesium intervenirent. Cuius interventionis antiqua exempla praesertim reperiuntur in Italia[40], et etiam extra Italiam velut in Burgundia[41] non desunt, item in Gallia[42]. Quae immediata interventio Romanorum Pon-

[35] Cfr. c. 4, D. 80; cap. 1, X. de privil, V, 33; *Phillips*, l. c. p. 329 sq., 319 sq.; *Thomassin.*, l. c. cap. 54, n. 10.

[36] *Thomassin.*, l. c. cap. 54, n. 14, cap. 55, n. 1, 2, cap. 56, n. 4.

[37] Conc. Tolet. (a. 610), iunct. decreto Gundemar., regis Visigothorum, subscripto a 21 Archiepiscopis et Episcopis, inter quos S. Isidorus Hispal. principem locum occupat. Hinc patet reges et Episcopos *ex mutua concordia* retinuisse illam circumscriptionem provinciarum *ecclesiasticorum*, quae fuerit conformis provinciis *civilibus*. Cfr. *Hefele*, l. c. t. III, p. 66.

[38] Cfr. c. 11, (9), Conc. Paris. (a. 614). Cuius Concilii canones, generatim *mutuo consensu* regis Chlotari II et Episcoporum conditi tantum cum nonnullis limitationibus speciali edicto eiusdem regis 18 Oct. 615 confirmati sunt. Cfr. *Hefele*, l. c. p. 70.

[39] Cfr. Concil. Paris. (a. 573), iunct. *Hefele*, l. c. p. 31 sq., 118 sq., 337 sq. et *Card. Hergenroether-Kirsch*, l. c. t. I, p. 655 sq.

[40] Innoc. I, l. c.; S. Gregor. I, lib. IV, epist. 29; *Phillips*, l. c. p. 321 sq., 340 sq.

[41] Cfr. Leonis I epist. 10, ad Episc. prov. Vienn. (a. 435) in causa Hilarii Arelat.; *Hefele*, l. c. t. II, p. 303; *Phillips*, l. c. p. 340, 303 sq.

[42] Cfr. epist. Leonis, Arch. Senonensis, ad regem Childebertum (a. 539), in qua ad erectionem novae dioecesis *etiam* requirere videtur «*Papae notitiam*»; *Thomassin.*, l. c. cap. 55, n. 1.

tificum frequentior facta est, cum praesertim ex saeculo quinto supremi pastores Ecclesiae propagationem fidei inter barbaras gentes magno cum zelo promoverent, velut apud Scotos, Anglos Germanos et Slavos. Quorum populorum Apostoli, per Romanos Pontifices missi, etiam ex auctoritate apostolica dioeceses et provincias ecclesiasticas instituerunt, v. g. Palladius et Patricius, Augustinus et Bonifacius, Ebbo, Ansgarius, Bruno[43].

Quodsi Carolus Magnus et Otto M. sua munificentia *Episcopatus* inter Saxones et Slavos *dotarunt,* nequaquam exinde in hoc negotio *principales* partes habuerunt, sed Praesulum ecclesiasticorum et praesertim Romani Pontificis auctoritas imprimis fuit necessaria[44]. Quare si Romani Pontifices in erectione novarum dioecesium, quae hisce temporibus ordinarie absque dismembratione antiquarum dioecesium vel provinciarum fieri non potuit, expetierunt consensum Praelatorum principumque civilium interesse habentium, id spectat ad suavem et practicam executionem, etiamnunc passim retentam, non ad iuris necessitatem[45].

Inde vero ex saeculo undecimo et duodecimo ius instituendi vel dividendi vel uniendi Episcopatus Romano Pontifici fuit reservatum. Id enim manifeste eruitur ex epistola Urbani II ad Rainoldum, Archiepiscopum Remensem, scr. (a. 1092): « *Solius etenim Apostolici est Episcopatus coniungere, coniunctos disiungere aut etiam novos constituere* ». Quare mirum non est, quod in authenticis collectionibus iuris Decretalium illa potestas exclusiva Romani Pontificis tanquam indubia admittatur vel potius supponatur[46].

---

[43] *Phillips,* l. c. t. V, p. 325 sq.; *Thomassin.,* l. c. n. 3 sq., 13 sq., cap. 56, n. 7, 8, ubi n. 6, 9, Graecorum ignaviam et negligentiam reprehendit; *Hefele,* l. c. t. III, p. 494.

[44] Cfr. c. 22 Conc. Francoford. (a. 794); c. 8, 19, Conc. Aquisgran. (a. 789); Ioannis XII Const. de erigenda Archidioecesi Magdeburg. (a. 962); *Hefele,* l. c. t. IV, p. 607, 600, 628.

[45] *Thomassin.,* l. c. cap. 57, 58; *Phillips,* l. c. p. 337, 341 sq.; Reg. 22 Canc. Apost.; *Riganti,* l. c. Reg. 22 Conc. Apost. n. 78 sq., 118 sq. Quare *Hinschius,* l. c. t. II, p. 380 sq. confundens *facta* et *iura* minus accuratas sustinet assertiones.

[46] Cfr. Innoc. III Decretal. scr. a. 1198, = cap. 1, X. de transl. I, 7; idem a. 1200, in cap. 4, X. de off. leg. I, 30.

577. Disciplina vigens. Quae disciplina etiam subsequentibus saeculis non est immutata[47] et etiam nunc viget (can. 220, 1414 § 1).

Art. 2. — De concessione officii Episcoporum

§ I. Principia fundamentalia

578. De designatione personae[48]. Ius constituendi Episcopos proprio et nativo iure est penes *Romanum Pontificem.* Quodsi Episcopi comprovinciales vel Capitula ecclesiarum cathedralium vel principes saeculares aliique laici vel clerici partes quasdam obtinuerunt in nominandis Episcopis, id ex tacita vel expressa concessione Romani Pontificis est repetendum. Ecclesia enim non solum est societas perfecta et inaequalis sive *hierarchica,* sed vere *monarchica.* Quare nullus Episcopus est legitimus, nisi canonice sit missus et a Rom. Pontifice *immediate* vel *mediate* assumptus[49] sive per confirmationem ad communionem cum Sede Apostolica admissus.

579. De collatione iurisdictionis episcopalis. I. Iurisdictio *particularis,* quam *singuli* Episcopi vi officii pastoralis in suas dioeceses exercent, *non immediate a Deo,* sed *a Rom. Pontifice* tanquam ex *causa proxima* est derivanda. Profecto *Apostolis* immediate a Christo iurisdictio est collata, ut ex textibus sacrae Scripturae manifeste colligitur; at huiusmodi praerogativa ad Episcopos non fuit extensa. Quare nequaquam cum *Laynez* aliisque eo procedendum est, ut vel ipsis Apostolis per S. Petrum iuris-

---

[47] Ioann. XXII Decretales scr. a. 1317, = cap 5, 6, de praebend. III, 2, in Extravg. com.; *Phillips,* l. c. p. 345 sq.; *Giobbio,* l. II, n. 570 sq.

[48] *Tarquin.,* Inst. p. 106 sq.; *Cavagnis,* l. c. p. 481; *Wilmers,* l. c. p. 347 sq.; *Phillips,* l. c. t. V, p. 361 sq.; *Bouix,* l. c. p. 148 sq.; 183 sq.

[49] Pii IX Syllab prop. 19, 34, 50; Conc. Trid. Sess. XXIII, can. 7, 8; Pii VI Const. « *Super soliditate* » ubi approbat censuram facultatis Parisiensis contra propositionem Marci Antonii de Dominis: « **Monarchiae formam** *non fuisse immediate in Ecclesia a Christo institutam* »; Pii VI Respons. cit. ad Metropol. cap. 8, n. 25; scriptores in nota praecedente allegatos. Cfr. de assumptione et confirmatione Episcoporum per Metropolitam et Episcopos comprovinciales, per Primates et Patriarchas, per R. Pontificem: c. 4, 6, Conc. Nicaen. (a. 325); *Thomassin.,* l. c. P. II, l. 2, cap. 7, 8, 29, 30, 42, 43; Synod. Sciarf. Siror. (a. 1888), p. 223 sq.

dictio apostolica dicatur concessa. Quae exorbitans sententia recte a *Suaresio* aliisque reicitur[50]. Quodsi in isto *argumento* inefficaci a *Laynez* sit recedendum, tamen *sententia* per illum in Concilio Tridentino praeclare propugnata, non tamen definita, de immediata concessione iurisdictionis episcopalis per Rom. Pontificem adeo solidis nititur rationibus, ut ab antiquis et novis doctoribus multo communius recepta sit et iam *certa et indubitata* dici possit; contraria vero sententia, si demas Gallicanos, a paucis semper theologis et canonistis etiam argumentis debilibus defensa nostra aetate vix solidam quandam probabilitatem retinet. Quare mirum est, quod nonnulli scriptores recentiores huius opinionis *improbabilis* et iamiam antiquatae causaeque desperatae denuo susceperint patrocinium[51].

II. Et profecto Rom. Pontfex est proxima causa iurisdictionis episcopalis, si illam potestatem Episcopis concedere *potest* atque iuxta *praxim* et *traditionem* Ecclesiae etiam *de facto* concedit; argumenta vero pro immediata collatione iurisdictionis episcopalis per Christum nihil probant. Etenim si certum est Romanum Pontificem posse concedere iurisdictionem episcopalem, non est recurrendum ad *immediatam Dei actionem* nullo solido argumento demonstratam, cui insuper obstat praxis et traditio Ecclesiae, ita ut a *Benedicto XIV*, De Synod. dioec. l. I, cap. 4, n. 2, sententia supra asserta dicatur « *rationi et auctoritati conformior* ».

III. At imprimis dubitari nequit, quin Romanus Pontifex *possit* conferre iurisdictionem episcopalem. Nam ipse habet supremam et plenam, ordinariam et immediatam iurisdictionem in omnes fideles totius orbis terrarum. Quae iurisdictio pontificia ex natura rei et pro exigentia Ecclesiae sive ut ordinaria sive ut delegata partialiter in alios derivari potest. De facto quoque

[50] Matth. XXVIII, 18 sq.; Ioann. XX, 21; S. Paul. ad Galat. I, 1; I Cor. I, 1; *Suarez*, De fide disp. X, sect. 1, n. 3, De leg. l. IV, cap. 3, n. 4 sq.; 16; *Bellarmin.*, De Rom. Pont. l. IV cap. 23; *Pesch.* l. c. t. I, n. 369 sq.; *Wilmers*, l. c. p. 352 sq.; paulo aliter rem explicat *Billot*, l. c. t. III, p. 72 sq. Cfr. *Laynez*, Disp. de orig. iurisd. Episc. ed. *Grisar*, Disp. Trid. t. I, p. 77 sq., 319 sq.

[51] *Laynez*, l. c. p. 97 sq., 319 sq.; *Suarez*, De leg. IV, cap. 4; *Bellarmin.*, l. c. cap. 24, 25; *Willmers*, l. c. p. 355 sq.; *Card. Hergenroether*, K. Kirche u. chr. Staat, p. 855 sq., 880 sq.; *Bouix*, De Episcopo t. I, p. 54 sq.; Act. theol. Oenip. t. 11, p. 389 sq.; *Scherer*, l. c. p. 557 sq.

Legatis a latere vel Patriarchis, qui suam iurisdictionem in Episcopos et fideles Suffraganeorum certe a solo Romano Pontifice derivant, multo amplior et perfectior potestas data fuit quam quae in ordinaria iurisdictione Episcoporum continetur. Denique Rom. Pontifex Vicariis vel Administratoribus Apostolicis vel Vicariis Capitularibus, Episcopis confirmatis, qui Episcopi saltem consecrati saepe non sunt, eandem omnino ordinariam iurisdictionem concedere valet atque Episcopis consecratis et inthronizatis[52].

IV. Consonat quoque traditio praxisque Ecclesiae. Etenim iam S. Cyprianus in libro de unitate cap. 4, 5, comparat Petri cathedram *capiti, radici, soli, fonti* atque hisce similitudinibus satis indicat a S. Pontifice in Episcopos dimanare iurisdictionem. Porro S. Gregorius Nyssenus adversus eos, qui castigationes aegre ferunt, scribit: « *Per Petrum Episcopis dedit clavem coelestium honorum* »: Innocentius I vero, epist. 29, n. 1, et epist. 30, n. 3, docet: « *A sede Apostolica ipse episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit* ». Similibus locutionibus utuntur Optatus Milevitanus, De schism. Donatist. l. II, n. 2, 4, 6, l. VII, n. 3 et S. Leo epist. 10, n. 1, ad quas Pius VI, in Const. dogm. « *Supra soliditate* » infra citanda disertis verbis provocat.

Cui testimonio Sanct. Patrum accedit, quod hanc sententiam, demptis Gallicanis theologis paucisque aliis teste Zaccaria, praecipui omnium scholarum et regionum doctores tenuerunt velut S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus[53].

Porro Pius VI, in Const. « *Super soliditate* » 21 Nov. 1786, § 4, etsi a formali definitione et consuetis terminis theologicis abstineat, quoad rem eandem doctrinam proponit: « *Iste scriptor* (i. e. Eybel) *nihil non molitur, quo hanc Petri sedem modis omnibus vexet ac oppugnet, qua in sede constitutam Patres unanimi consensu cathedram eam coluerunt, qua in una unitas in omnibus servaretur, a* **qua in reliquas omnes venerandae communionis iura dimanant...** *Non ille veritus est fanaticam turbam vocare,* (qui S. Pontificem eum esse dicunt), **a quo ipsi Episcopi**

[52] Pii VI Responsio cit. ad Metropol. cap. 8; *Devoti*, Instit. can. I, II, t. 2, sect. 7, § 120, ubi bene exponit atque exemplis probat potestatem Episcoporum inde ab initio fuisse limitatam.

[53] *Laynez*, l. c. p. 101 sq., demptis textibus spuriis; *Wilmers*, l. c. p. 356.

auctoritatem suam recipiunt, quemadmodum ipse a Deo supremam suam auctoritatem accepit... *An ergo fanatica fuit vox Christi* (claves)... *Petro pollicentis, quas claves* **communicandas** **ceteris**, *post Tertullianum, Petrum solum accepisse Optatus Milevitanus profiteri non dubitavit... Et si quid Christus commune cum Petro ceteris voluit esse principibus, nunquam nisi* **per ipsum** *dedit*, quidquid **aliis** *non negavit* » (S. Leo)[54].

Maxime vero nostro saeculo complura Concilia provincialia diversarum regionum eandem doctrinam de origine iurisdictionis episcopalis in recognitione Romana non correctam manifeste tradiderunt[55].

V. Denique *argumentis adversariorum*[56] vis et efficacia penitus est neganda. Etenim si primo loco arguunt Episcopos esse successores Apostolorum, quibus Christus immediate concesserit iurisdictionem, non satis attendunt successionem Episcoporum sese nequaquam ad *omnem* potestatem Apostolorum extendere neque ad *eundem modum* concessionis iurisdictionis sive officii episcopalis. Quodsi *deinde* provocant ad Act. Ap. XX, 28, ubi Spiritus Sanctus dicitur posuisse Episcopos regere Ecclesiam Dei, sane exinde concludi potest *ex Dei voluntate* Ecclesiam etiam per *Episcopos* esse regendam, at minime sequitur potestatem ad illud regimen *immediate*, non tantum mediate, a Spiritu Sancto tanquam a causa *proxima* esse concessam; sufficit enim quod *Deus* sit auctor illius potestatis, per quam Apostoli vel

---

[54] Pius VI eandem doctrinam tradit in Const. « *Caritas* » 13 Apr. 1791, § 18: « **Haec porro iurisdictionis conferendae potestas** *ex nova disciplina a pluribus saeculis iam recepta, a Conciliis generalibus* et *ipsis concordatis confirmata* ne ad Metropolitanos *quidem potest ullo modo attinere utpote quae* **illuc reversa, unde discesserat, unice residet penes Apostolicam Sedem,** *ita ut hodie Romanus Pontifex ex muneris sui officio pastores singulis ecclesiis praeficiat, ut verbis utamur Concilii Tridentini* Sess. XXIV, cap. 1, de reform. ». Cfr. quoque Pii VI epist. « *Deessemus* » 16 Sept. 1788 ad Episc. Motulens.: « *Dignitatem episcopalem... quae quoad* **ordinem immediate est a Deo et quoad iurisdictionem ab Apostolica Sede** ». Cfr. quoque *Laynez*, l. c. p. 175, 162.

[55] Cfr. ex Conc. provinc. *Galliae* post a. 1848 celebratis: Conc. Albien., Lugdun., Burdigal., Aquens., Tolosan. in Collect. Lac. t. IV, col. 407, 468, 542, 965, 1034; ex Conc. Anglo-Americ.: Conc. Quebec. IV; Conc. colon. Angl. I, in Collect. Lac. t. III, col. 607, 1095, iunct. col. 1114, 1312.

[56] *Bouix*, l. c. p. 74 sq.; *Wilmers*, l. c. p. 363 sq.; *Laynez*, l. c. p. 176 sq., 161 sq.

Romani Pontifices assumunt Episcopos, quemadmodum Apostoli in Act. Ap. XV, 28 leges suas vi potestatis apostolicae latas tribuerunt Spiritui Sancto: « *Visum est* **Spiritui Sancto** et *nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria* ».

Praeterea praepostera plane ratione dicunt iurisdictionem a Deo concedi Episcopis aut in ipsa *consecratione* aut in *confirmatione* R. Pontificis aut (ut communius explicant) eo momento, quo iurisdictio in consecratione iam incomplete, sive ex parte principii activi data, *per confirmationem pontificiam* ex parte principii passivi (subditorum assignatione) accipiat suum complementum.

At nullus Episcopus *in sola consecratione* accipit *actualem* iurisdictionem potius in hanc quam in illam dioecesim, sed tantum potestatem *ordinis*, qua fit subiectum maxime *aptum* et rite *dispositum* etiam ad accipiendam aliunde iurisdictionem, quam *actu* ex sola consecratione nondum obtinet. Porro iurisdictio est essentialiter *relatio* inter *Superiorem et subditos determinatos;* sed omnis relatio supponit alterum terminum, ideoque illo non existente etiam iurisdictio non potest existere.

Neque *in sola confirmatione* Papae *a Deo* iurisdictio Episcopis confertur. Nam ex formula et Litteris Apostolicis confirmationis potius colligitur Romanum Pontificem *per iniunctionem* esse verum collatorem ipsius iurisdictionis; etenim in *mandato Rom. Pontificis, quo Episcopus* confirmatus *iubetur regere fideles* sibi assignatos, atque *populus fidelis obligatur* ad praestandam obedientiam Episcopo sibi praeposito, *vera continetur iniunctio iurisdictionis episcopalis* per R. Pontificem immediate facta, nisi quis laboret confusa notione *iniunctionis* iurisdictionis; ergo immediata quaedam concessio Christi est omnino superfluum figmentum[57].

Tandem tertius ille modus subtiliter confictus ut plane ineptus est reiciendus. Etenim ex certa et indubitata praxi Ecclesiae Episcopus confirmatus et inthronizatus, qui forte tantum est *subdiaconus* (ut iure Decretalium) vel *presbyter* (ut exigitur iure

---

[57] *Laynez*, l. c. p. 254 sq., ubi praeclare probat a Romano Pontifice per viam *iniunctionis*, non consecrationis, Episcopis concedi iurisdictionem, atque ut meram fictionem reicit illum modum concedendae iurisdictionis episcopalis, secundum quem *Papa* dicitur *assignare materiam* et *Deus dare potestatem*.

Codicis), iam habet plenam *iurisdictionem episcopalem;* ergo illam non obtinuit per consecrationem (nondum receptam) et per confirmationem R. Pontificis completam. Subsequens quaedam concessio iurisdictionis a Christo in consecratione peracta est omnino inutilis; theoria igitur adversariorum, quam *generaliter* defendunt, tota sua latitudine vera non est, nec duplex quaedam origo iurisdictionis incredibilis est fingenda. Ergo cum adversarii nullum modum rationabilem assignare possint, quo Deus immediate Episcopis concedat iurisdictionem, ipsorum sententia est reicienda.

580. Scholion. Quemadmodum Romanus Pontifex *singulis* Episcopis in suas *dioeceses* particulares concedit iurisdictionem, ita etiam iurisdictio, quae Episcopis alicuius *provinciae ecclesiasticae,* ut corpori sive collegio in Concilio provinciali vel plenario congregatis vere competit, a Romano Pontifice in eos derivatur. Immo vel ipsa iurisdictio a Patribus Conciliorum oecumenicorum in universam Ecclesiam exercitata nonnisi a Summo Pontifice est repetenda [58]. Neque ulla ratione admitti potest sententia *Bolgenii* [59], qui *particularem* quidem iurisdictionem Episcoporum in suas dioeceses a Romano Pontifice derivat, at *universalem* quandam iurisdictionem cum ipso charactere episcopali immediate a Deo Episcopis concedi defendit, non ut singulis, sed ut coadunatis in corpus. Etenim doctrina a Bolgenio propugnata novitatis notam non effugit [60], quia in suum favorem nullum theologum allegare potuit, et non nisi postea paucos quosdam sectatores, v. g. Phillips et Vering, nactus est. Porro gratis et sine ullo solido fundamento ista distinctio inter iurisdictionem universalem et particularem a Bolgenio conficta est, omnesque patroni nostrae sententiae simpliciter et generaliter, nulla facta distinctione, illam sententiam docent; ergo etiam iurisdictio universalis Episcoporum a Romano Pontifice est derivanda. Deinde Bolgenius perperam contendit illam per consecrationem episcopalem obtineri; incidit enim in easdem difficultates, ob quas etiam iurisdictio particularis in consecratione non acquiritur. Praeterea nequit sufficienter explicare, cur

[58] *Suarez,* De leg. l. IV, cap. 6; *Pesch,* l. c. t. I, n. 373 sq.
[59] *Bolgeni,* L'Episcopato t. I, cap. 2, n. 23.
[60] *Nilles,* in Act. theolog. Oenip. t. I, p. 287 sq.; *Bouix,* De Episcopo t. I, p. 83 sq.; *Wilmers,* l. c. p. 366 sq.

Episcopi mere consecrati ad Concilium oecumenicum stricto iure non sint vocandi, et unde simplices quidam presbyteri vel diaconi (Legati, Cardinales) in Conciliis oecumenicis habeant suffragium decisivum. Quodsi recurrat *ad iniunctionem* factam per Rom. Pontificem, ex eodem fonte etiam iurisdictio universalis Episcoporum absque novis fictionibus est derivanda. Tandem doctrina catholica de plenitudine potestatis *uni* Petro concessa cum assertionibus Bolgenii vix potest conciliari.

581. De inthronizatione sive institutione corporali. Concesso *titulo* officii episcopalis sane etiam Episcopus promotus capiet possessionem ecclesiae sibi assignatae. At cum in Romano Pontifice post acceptatam electionem ex natura rei iam sit plenitudo iurisdictionis, ita ut sollemnitas captae possessionis reducatur ad meram *caeremoniam,* in Episcopis etiam post collationem tituli a Romano Pontifice factam non tantum licitus, sed etiam *validus* usus iurisdictionis acceptae potest dependere *a conditione* captae possessionis quoad substantiam (i. e. per praesentationem Bullar. Apost.) prius impleta. Nihil vero obstat quominus Episcopus ipse apprehendat possessionem officii, neque ex natura rei requiritur ut *per alium* introducatur. Multo minus potestati *civili* competit ius quoddam nativum introducendi Episcopos in possessionem redituum *ecclesiasticorum* officii episcopalis. Quodsi Episcopi ex titulo quodam *civili,* v. g. *feudi,* singularia iura consequuntur, Ecclesia non impedit investituram Episcoporum per principes civiles. Cfr. pactum Callixtinum (a. 1122) et *Hefele,* l. c. t. V, p. 317 sq.

§ II. Notae historicae [61]

582. Primis temporibus ipsi Apostoli a Christo Domino immediate electi (Matth. XXVIII, 18) constituerunt Episcopos [62]. Cfr. Tit. I, 5; I Timoth. IV, 4; Act. Apost. XIV, 22. Idem ex mandato Apostolorum fecerunt illorum discipuli, v. g. S. Titus in insula Creta, aliique viri apostolici sive evangelistae [63]. Immo teste S.

[61] *Thomassin.,* l. c. P. II, l. 2, cap. 1 sq.; *Hefele,* l. c. t. I, p. 382 sq.; *Cavagnis,* l. c. P. I, p. 481 sq.; *Kraus,* Real-Encykl. v. Bischof.
[62] *Euseb.,* Histor. eccl. l. III, cap. 4, 11, iunct. not. 4, 5 Valesii.
[63] *Euseb.,* l. c. cap. 37; *Innoc. I,* (a. 415), in epist. ad Decent. *Eugub.* n. 2.

Clemente in epist. ad Corinth. cap. 44, ipsi Apostoli cognoscentes contentionem de nomine Episcopatus oborituram esse, ob eam causam etiam *ordinationem* dederunt, ut cum viri ab ipsis constituti decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent [64]. Qui modus a S. Clemente l. c. mox hisce verbis describitur: « *Itaque qui constituti sunt ab illis Apostolis vel deinceps* **ab aliis viris eximiis** (discipulis Apostolorum) **consentiente universa ecclesia...** *hos iudicamus munere suo non iuste deici* » [65].

583. Postea saeculo secundo et tertio in vices illorum virorum eximiorum potissimum successerunt Episcopi comprovinciales, quibuscum concurrit presbyterium et populus ecclesiae vacantis [66]. Id potissimum patet ex verbis S. Cypriani [67], qui tradit modum eligendi Episcopos « *fere per universas provincias* » receptum simulque accuratius definit, quae fuerint partes Episcoporum comprovincialium, cleri, populique in eligendo novo Episcopo.

Inde enim patet « *plebe praesente* » atque testimonium reddente de vita et conversatione promovendorum « *omnium suffragio* » et iudicio electionem fuisse celebratam [68]. Iam in illo « *universae fraternitatis suffragio* » sive « *populi universi suffragio* » certe *clerus* dioecesanus non fuit exclusus. At cum praeterea S. Cyprianus testetur Episcopos *eiusdem provinciae* proximos ad ordinandum novum praepositum convenire, qui « *de Episcoporum iudicio* » sive « *post Coepiscoporum consensum* » sit assumendus, facile patet *iudicium* sive approbationem quandam universi negotii ad *Episcopos* comprovinciales spectasse [69].

584. Deinde c. 4 Concilii Nicaeni (a. 325) = c. 1, D. 64, statutum est, ut *electio* (κατάστασις) novi Episcopi fieret ab omnibus Episcopis provinciae, in casu urgentis necessitatis *consecratio* (χειροτονία) saltem a tribus cum consensu scripto absentium Episcoporum perficeretur, universi autem negotii *confirmatio* (firmitas, τὸ κῦρος) pertineret ad Metropolitanum cuiusque provinciae [70].

Synodus quoque Sardicensis (a. 343) c. 6, ius a Concilio Nicaeno iam constitutum casibus difficilioribus (aliquantulum obscure) applicat [71]. Unde denuo eruitur penes Episcopos comprovinciales maximam fuisse auctoritatem in instituendis Episcopis et dioecesibus. Cfr. quoque c. 35 Apost. iunct. c. 9, 19, Conc. Antiocheni (a. 341) et *Hefele* l. c. t. I, p. 811. Porro Synodus Laodicena c. 12 (a. 341-381) = c. 4, D. 24, iubet electiones Episcoporum fieri iudicio Metropolitarum et Episcoporum, immo c. 13 iam omnem interventionem multitudinis in eligendis Episcopis videtur excludere; quod intelligendum est saltem de interventione quadam plebis *inordinata* et praepotente [72].

585. Ab illa praxi Ecclesiae Orientalis saeculo quarto et quinto et sexto non differebat disciplina Ecclesiae *Occidentalis*, ut constat ex Conc. Carthaginiensi III, (a. 397) atque ex aliis canonibus Ecclesiae Africanae [73]. Item ex canonibus Dist. 61, 62, 63 et 64 facile eruitur etiam in Italia, Gallia et Hispania in eligendis Episcopis principales partes habuisse Metropolitas et Episcopos comprovinciales, non excluso clero nec ordine optimatum et populo. Cfr. Innoc. I, ad Vict. Rothomag. (a. 404) in c. 5, D. 64; Coelestin. I ad Episc. Galliae (a. 428) in c. 13, D. 61 et c. 26, D. 63; Leo M. ad Episc. Vienn. prov. a. 445, in c. 27, D. 63; Hilarius Papa ad Ascan. et reliq. Episc. Tarraconens. provinc. (a. 465) apud *Thiel,* Epist. Rom. Pontif. t. I, p. 165 sq. 155 sq.; Gelasius I ad Episc. Dardaniae (a. 495) in c. 6, D. 63; c. 5, 6, 54, Conc. Arelat. II, (a. 443-452) iunct. *Hefele,* l. c. t. II, p. 229.

586. At quod maioris est momenti, inde ex saeculo quarto et quinto, licet *Romani Pontifices* sibi nondum *reservarent* nominationem vel confirmationem Episcoporum, tamen *immedia-*

---

[64] *Phillips,* l. c. t. V, p. 321 sq.
[65] *Funk,* Opera Patr. Apost. p. 116, n. 2.
[66] *Euseb.,* l. c. l. VI, cap. 10, 11, de Ecclesia Orientali.
[67] Epist. 67, (68), iunct. epist. 52, (55), et 55, (59).
[68] *Euseb.,* l. c. cap. 29, de electione Fabiani Papae (a. 236-250).
[69] *Hefele,* l. c. t. I, p. 384. Cfr. quoque c. 6 Conc. Nicaen. (a. 325), ubi idem ius Metropolitarum, quod sine ipsorum consensu Episcopus assumi non possit, denuo confirmatur, iunct. *Hefele,* l. c. p. 396; *Thomassin.,* l. c. p. II, l. 2, cap. 7, 8.
[70] Cfr. quoque c. 20 Conc. Arelat. (a. 314) et *Hefele,* l. c. p. 385 sq. de diversa interpretatione cit. c. 4 Conc. Nicaen. in Ecclesia Orientali et Occidentali.
[71] *Hefele, l.* c. p. 578 sq., ubi priorem partem obscuram canonis explicat.
[72] *Hefele, l.* c. p. 759 sq.
[73] *Hefele, l.* c. t. II, p. 65 sq., 55 sq.; *Thomassin.,* l. c. cap. 7.

te suam interposuerunt *auctoritatem* in urgenda et exequenda *recepta disciplina* ecclesiastica de *electione* et *ordinatione* Episcoporum.

Cuius rei vestigia iam reperiuntur in epistolis S. Cypriani, atque adeo S. Cornelius Papa iam diserte testatur se depositorum Episcoporum successores ordinasse eosque in loca illorum misisse [74]. Praesertim vero Innoc. I, (a. 404) c. 5, D. 64, constituit: « *ut extra conscientiam Metropolitani Episcopi nullus audeat ordinare Episcopum* ». Eandem regulam inculcarunt Bonifacius I, Leo M. et Hilarius. Et Leo M. quidem scribit: « *Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeamus, qui nec a clericis sunt electi nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus Episcopis cum Metropolitani iudicio consecrati* ». Quae consecratio ordinarie Metropolitis fuit concessa, nisi iure speciali una cum consecratione Metropolitarum etiam singulorum Episcoporum ordinatio Patriarchis esset reservata. Quo in casu nihilominus salvum mansit ius Metropolitarum suum praestandi consensum in *assumptionem* Episcopi consecrandi [75]. Neque desunt exempla quod etiam hac in re Romani Pontifices, saltem mediate, per Vicarios Apostolicos exercuerint suam auctoritatem. Ita, v. g. iam ex saeculo quarto et quinto inde a Siricio et Leone M., *sine consensu* Archiepiscopi Thessalonicensis, Vicarii Rom. Pontificum, in Illyrico Episcopus per clerum populumque electus a Metropolita consecrari non potuit [76].

587. Postquam Imperatores Romani facti sunt christiani, mox sibi partes quasdam in eligendis Episcopis vindicarunt. Cuius praxis prima exempla iam reperiuntur saeculo quarto, cum vel ipse Constantinus M. Antiocheno populo duos presbyteros ad Episcopatum proponeret [77]. At vere tyrannica usurpatio a Constantio exercitata est, qui dioecesibus Episcopos arianos obtrudebat [78]. Quod perversum exemplum complures Imperatores, v. g. Zeno, secuti sunt [79]. Si Ecclesia in eligendis Episcopis etiam studuit obtinere consensum Imperatorum, inde nequaquam sequitur ex iure quodam, illa aetate vigente, Episcopos valide absque consensu Imperatorum eligi non potuisse. Huius enim iuris imperialis, quod propugnat *Hinschius* l. c. t. II, p. 514, ex sacris canonibus non potest afferri probatio, ut ipse fatetur; facta autem Imperatorum contradicente Ecclesia non constituerunt iura [80].

588. Postquam in Gallia inde *a saeculo* quinto Franci fidem catholicam amplexi sunt, in ipsorum regno et regionibus finitimis electio Episcoporum pro more antiquitus recepto generatim videtur esse celebrata, i. e., quantum ex Conciliis provincialibus erui potest, a clero et populo cum consensu Metropolitae et Episcoporum comprovincialium [81]. At cum iam in c. 10 Concilii Aurelianensis V (a. 549) statueretur electionem Episcopi faciendam esse « *cum voluntate regis* », illa interventio regis, intra iustos limites ab Ecclesia permissa, facile degeneravit in usurpationem, ut constat ex c. 8 Conc. Paris. III, (a. 557) contra huiusmodi iniurias lato. Cum Episcopi c. 2 Conc. Paris. V (a. 614) denuo vindicarent iura Metropolitae, Episcoporum, cleri populique in electione Episcopi, rex Chlotarius II (a. 615) in edicto, quo canones illius Concilii approbavit, cit. canoni 2 addidit clausulam, quod Episcopus « *per ordinationem principis ordinetur* ». Cfr. quoque c. 25 Conc. Rom. (a. 624-625); c. 10 Conc. Cabil. (a. 644-656).

589. In *Hispania* etiam, post conversionem Visigothorum ad religionem catholicam (a. 587), Episcopi cum consensu cleri et populi et iudicio Metropolitae et Coepiscoporum electi sunt [82]. Cum Episcopi pro singulari indole huius regni essent

---

[74] *Phillips*, l. c. t. V, p. 732.

[75] Cfr. c. 4, 6, Conc. Nicaen. (a. 325); c. 25, 28, Chalced. (a. 451); *Hefele*, l. c. t. I, p. 381 sq., 389 sq., 396, t. II, p. 526 sq.; *Thomassin.*, l. c. cap. 8.

[76] *Phillips*, l. c. p. 345 sq.; *Thomassin.*, l. c. cap. 18, 19, 29, 30.

[77] *Eusebius*, Vita Constantini lib. III, cap. 62.

[78] *Socrates*, Historia eccles. l. II, cap. 6.

[79] *Hefele*, l. c. t. II, p. 568.

[80] Cfr. c. 31 Apost.; c. 3 Conc. Nicaen. (a. 787), = c. 7, D. 63; *Thomassin.*, l. c. cap. 9.

[81] Cfr. c. 2 Conc. Avern. I, (a. 485); c. 7 Conc. Aurel. II, (a. 533); c. 3 Conc. Aurel. III, (a. 538); c. 5 Conc. Aurel. IV, (a. 541); c. 10, 11, Conc. Aurel. V, (a. 549); *Thomassin.*, l. c. cap. 10, n. 8 sq., cap. 11, n. 3, cap. 13, 14.

[82] Cfr. c. 3, Conc. Barcin. II, (a. 599); c. 19, Conc. Tolet. IV, (a. 633); *Thomassin.*, l. c. cap. 11, n. 5.

simul optimates et electores regum, mox factum est ut reges Visigothorum in electione Episcoporum per suum consensum intervenirent, et tandem c. 6 Conc. Tolet. XII (a. 681) et c. 9 Conc. Tolet. XIII (a. 683) ius quoddam nominandi Episcopos consequerentur.

590. Quo magis imminuebatur pars, quam clerus populusque in electione Episcoporum habuit, ita ut paulatim populus penitus excluderetur, eo maiore ambitu praesertim ex saeculo octavo in regno Francorum aliisque in regionibus a regibus et principibus de facto exercitata est praerogativa nominandi Episcopos. Id potissimum obtinuit sub Carolo Martello. Neque Carolus M. ubique plenum liberumque ius eligendi Episcopos admisit; at pro sua devotione erga Ecclesiam praerogativis regiis in damnum religionis catholicae non est usus [83].

591. Quamvis Ecclesia non cessaret suam sibi vindicare independentiam in eligendis Episcopis [84], tamen in praxi plenam libertatem consecuta non est [85]. Immo propter concessionem Episcopatuum a principibus saecularibus per traditionem pontificalis baculi et annuli factam, cui non raro delictum simoniae accessit [86], ipsum discrimen utriusque potestatis in dubium vocatum est, ita ut Ecclesiae pro sua libertate et cleri honestate tandem supremum certamen esset subeundum. Quod certamen, in celeberrimo dissidio de investituris [87] susceptum, post multas vicissitudines quoad substantiam in favorem Ecclesiae finitum est [88]. Quare excluso populo, (cfr. c. 28 Conc. Lateran. II, a. 1139 = c. 35, D. 63), libera electio Episcoporum delata est ad sola Capitula ecclesiarum cathedralium. Quod

[83] Cfr. c. 3, Conc. Nicaen. (a. 787), = c. 7, D. 63, iunct. c. 22, Conc. Constantinop. (a. 869), et *Hefele* l. c. t. III, p. 278, p. 476; *Thomassin.*, l. c. cap. 20 sq., 24 sq.

[84] Capit. III, Aquisgr. (a. 817), capitul. 2; c. 5, Conc. Roman. (a. 826); *Thomassin.*, l. c. cap. 21. Cfr. *Hefele*, l. c. p. 354.

[85] Cap. 2, Synodi prope villam Theodon. (a. 844); c. 7, Conc. Valent. (a. 855); *Thomassin.*, l. c. cap. 24 sq.

[86] Cfr. c. 1, 2, Conc. Remens. (a. 1049); c. 1, Conc. Turon. (a. 1060).

[87] *Hefele*, l. c. t. V, p. 22 sq.; *Phillips*, l. c. t. III, p. 137 sq.

[88] *Hefele*, l. c. t. V, p. 223 sq.; 278, 373 sq., 413, 422; *Thomassin.*, l. c. cap. 31 sq.

ius potissimum in authenticis collectionibus Gregorii IX et Bonifacii VIII continetur l. I, tit. 6, de elect. [89].

592. Ex saeculo decimo quarto Romani Pontifices sibi coeperunt *reservare* [90] provisionem canonicam Episcoporum atque exinde ius *commune Decretalium*, quo libera electio Episcoporum fuit Capitulis cathedralibus concessa, paulatim ob iustas causas commutatum est in novam disciplinam *liberae collationis* Episcopatuum per *Romanum Pontificem*. Cum qua innovatione etiam illa coniuncta [91] fuit, quod Romani Pontifices sibi saltem reservarent *confirmationem electionis Episcoporum*, ubi libera collatio non fuit introducta.

Quae commutatio in non paucis regionibus magis theoreticum quam practicum valorem habuit. Nam Romani Pontifices iam ante Concilium Tridentinum compluribus principibus, v. g. regibus Galliae et Hispaniae, indulserunt ius quoddam *nominandi* vel *praesentandi* Episcopos ad dioeceses in ipsorum regnis sitas, salvo iure suo immediate concedendi clericis sibi praesentatis *institutionem* canonicam [92]. Ita factum est ut usque ad initium ultimi saeculi praesertim triplex forma provisionis canonicae Episcoporum in praxi esset recepta, sc. libera collatio Romani Pontificis, electio Capitulorum cathedralium, nominatio sive praesentatio regia.

§ II. Disciplina vigens

593. In Ecclesia **Occidentali** ex iure *communi* nunc vigente nominatio Episcoporum fit *per liberam collationem Romani Pontificis* (can. 329, § 2); quo canone firmatur ius iamdiu inductum per Reg. 2 Cancellariae Apostolicae.

[89] Cap. 3, X. de caus. II, 12; cap. 56, X. de elect. I, 6; *Thomassin.*, l. c. cap. 38, 31. Cfr. de Ecclesia Orientali c. 3 Conc. Nicaen. (a. 787); c. 22 Conc. Constantinop. (a. 869); *Thomassin.*, l. c. cap. 26.

[90] Cap. 3; 13, de praeb. III, 2, in Extravg. com.; cap. 4, de elect. I, 3, in Extravg. com.; Reg. 2 Canc. Apost.; *Thomassin.*, l. c. cap. 30, n. 2, 3, cap. 33, 40; *Phillips.*, l. c. t. V, p. 388 sq.; *Riganti*, l. c. Reg. 2 Canc. Apost. § 1.

[91] *Thomassin.*, l. c. cap. 43.

[92] *Riganti*, l. c. § 1, n. 12 sq., 56 sq.; *Phillips*, l. c. p. 401 sq.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 7, n. 4 sq.

Quae libera collatio Romani Pontificis, quae vim habet electionis simul et confirmationis, ordinarie post praemissas informationes nunc duplici modo fit:

I. Per *absolute liberam nominationem*, quae ne praeviam quidem supplicationem vel commendationem Capituli cathedralis vel Episcoporum comprovincialium supponit. Quae disciplina viget potissimum in nominandis Episcopis titularibus, Vicariis et Praefectis Apostolicis in terris missionum, qui dignitate episcopali sunt insigniti (can. 293 § 1); nisi probetur exceptio [93], in Episcopis coadiutoribus cum vel sine iure successionis (can. 350 § 1); demum per se et theoretice in promovendis Episcopis regni Italiae idem ius usque ad Concord. vigebat. At negari non potest liberum illud ius Romani Pontificis in Italia non solum limitatum vel impeditum fuisse non raro propter regium Exequatur, sed etiam ob praetensiones iuris patronatus vel privilegiorum [94]; neque in praxi legitima consilia vel desideria Capitulorum vel Episcoporum aut Superiorum religiosorum negligi solebant.

II. *Post praeviam commendationem* complurium candidatorum aut ab insignioribus clericis ecclesiae viduatae cum voto Episcoporum comprovincialium aut a *solis* Episcopis comprovincialibus factam. Qui modus simplicis commendationis *non est electio canonica* [95], atque Romanus Pontifex licet regulariter unum ex clericis sibi commendatis ad officium Episcopi assu-

[93] Cfr. Convent. Leon. XIII, p. 25, 134, 14 sq.; 110; Collect. S. C. de Prop. Fid. n. 38 sq.

[94] Leon. XIII Const. « *Immortalis* » 21 Sept. 1878, de seligendis Episc. in Italia; Convent. Leon. XIII, p. 101 sq., de modo procedendi in libera collatione Episcopatuum insul. Meliten. et Gaudisien; S. C. Inq. 29 Nov. 1875 *Friedberg-Ruffini*, l. c. p. 494 sq., 515, not. 7; *Hollweck*, D. k. Strafg. § 84; *Giobbio*, l. c. n. 131 sq.; *Baugen*, l. c. p. 87 sq., de processu inform. et examine Episc. * Vi art. 24 novi Concord. *Exsequatur* et *Regium Placet* abolita fuerunt. Electio Episcoporum ad S. Sedem spectat (art. 19).

[95] Collectanea S. C. de Prop. F. n. 40 sq., ubi *recentissima* decreta sunt attendenda; *Zitelli*, Apparatus iur. eccl. p. 3 sq. Decret. S. C. de Prop. F., 14 Iun. 1834, in Collect. Lac. t. III, col. 48. Modus autem illius commendationis faciendae nunc accuratius praescriptus fuit in decretis S. C. Cons. 25 Iul. 1916, pro Statibus Foederatis; 19 Mart. 1919, pro Canada et Terranova (A. A. S., VIII, 400 sq., XI, 124 sq.). Nimirum Epi-

mat, tamen etiam omissis candidatis commendatis alium clericum libere promovet. Commendatio illa viget in Statibus foederatis Americae septentrionalis, in Canada, Anglia, Hibernia, Belgio, Hollandia aliisque in regionibus.

Singularem mentionem meretur modus constitutus in ultimo Concordato cum Bavaria (29 Mart. 1924) et cum Polonia (10 Febr. 1925) inito. Pro Bavaria (art. 14 Concord.) Archiepiscoporum et Episcoporum nominatio libere ad S. Sedem pertinet. Occurrente vacatione Capitulum cathedrale mittit directe ad S. Sedem catalogum candidatorum. S. Sedes libere eligit ex illo catalogo vel ex alio, quem tertio quoque anno Capitula et Episcopi ad S. Sedem mittunt. Ante nominationis publicationem, communicatur Gubernio nomen electi, ut sciatur utrum ab hoc aliquid ordinis politici habeatur opponendum; *AAS*. XVII, p. 52.

Pro Polonia (art. XI Concordati) reservatur S. Sedi libera nominatio Archiepiscoporum, Episcoporum, Coadiutorum cum iure successionis et Episcopi Castrensis. Praesidi Reipublicae communicatur nomen electi, ut habeat opportunitatem, si casus ferat, proponendi difficultates ordinis politici; *AAS*. XVII. p. 277. Idem statuitur in art. 19 Concordati italici et in art. 10 Concordati lusitani. Cfr. *AAS*. XXI, p. 275; XXXII, p. 217.

594. Iure *particulari* in Ecclesia latina fit etiam:

I. *Nominatione* vel *praesentatione catholicorum principum* vel praesidum civitatum. Quod ius praesentandi vel nominandi est merum ius designandi personam, non concedendi officium et

scopi cuiusvis provinciae, audita singillatim sententia consultorum dioecesis et parochorum inamovibilium, singulis bienniis unum vel alterum candidatorum nomen quos episcopatu dignos iudicent, ad Metropolitam mittunt. Deinde iidem Episcopi in coetum coëunt et, cuiusque meritis discussis, secretis suffragiis definiunt quinam tandem illo gradu digni existimandi sint, addito vel minus ordine praelationis. Elenchum demum conficiunt, quem ad R. Pontif. simul cum actis electionis et discussionis deferri curant. Quae omnia sub strictissimo secreto fieri debent. Ex ita designatis suo tempore R. Pontif. ad vacantes ecclesias deligit. Qui modus, potius quam commendationis, habet naturam praeviae investigationis circa eos qui possunt promoveri.

Similis praxis inducta est recentius in *Scotia* (Decr. S. C. Consist. 20 Nov. 1920), in *Brasilia* (Decr. eiusd. S. C. 19 Mart. 1921), in republica *Mexicana* (Decret. eiusd. S. C. 30 Apr. 1921). Cfr. A. A. S., XIII, p. 13 sq., 222 sq., 379 sq.

nititur aut *iure patronatus* aut *privilegio* Sedis Apostolicae sive in *concordatis* sive in specialibus *Constitutionibus* pontificiis concesso.

Huiusmodi disciplina viget in quibusdam Civitatibus *Americae latinae* (saltem *de facto*), at pro diversitate regionum non levibus modificationibus est obnoxia [96] et haud raro illud factum est mere *toleratum*.

II. *Electione* vel postulatione *Capitulorum cathedralium*. Quae forma promotionis Episcoporum ex iure speciali praescripta erat in *Austria* pro archidioecesibus Olmucensi et Salisburgensi, in omnibus dioecesibus *Borussiae* et principatuum provinciae ecclesiasticae *Rheni superioris*, in *Helvetia* quoad dioeceses S. Galli, Curiensem et Basileensem [97]. Quod ius Capitulorum cathedralium eligendi Episcopum dioecesanum pro diversis regionibus partim per expressas concessiones in concordatis factas, partim per consuetudines toleratas non leviter limitatum et a plane *libero* iure eligendi *multum* alienum erat [98].

---

[96] *Nussi*, Conventiones p. 29 sq.; Convent. Leon. XIII, p. 7, 25, 47, 48, 71; *Giobbio*, l. c. t. II, n. 69, sq. * In Hispania vi concordati a. 1851 initi, in quo confirmabantur privilegia in concordato anni 1753 memorata, reges catholici gaudebant iure patronatus quoad nominationes Episcoporum. *Mercati*, Raccolta di Concordati, pp. 425-795. Cfr. praeterea apud *Ferreres*, Instit. can. I, n. 647 novum decretum Regium concordatum 10 Mart. 1924, in quo creabatur coetus ecclesiasticus pro exercitio iuris patronatus. Confer demum conventionem initam inter S. Sedem et Gubernium hispanicum d. 7 iun. 1941; A. A. S., XXXIII, p. 480; Period. XXXI, p. 164.

[97] *Nussi*, l. c. p. 29 sq.; *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 138; *Saegmueller*, Lehrb. § 71*. In novo concordato austriaco (art. 4) hoc ius Capituli metropolitani Salisburgensis retentum fuit, sequenti mutatione addita, sc. quod S. Sedes praevie tres candidatos proponet Capitulo, a quo eligendus erit unus e tribus propositis. De iure speciali pro archidioecesi Olmucensi nulla fit mentio. Eodem modo fuit res composita in concordato borussico (art. 6), in quo tamen conceditur Capitulo Metropolitano aut cathedrali et Archiepiscopis et episcopis dioecesanis ius praesentandi S. Sedi nomina candidatorum canonice idoneorum Cfr. A. A. S. XXVI, p. 249; XXI, p. 521.

[98] Epist. Secret. Stat. ad Episc. Germ. 20 Iul. 1900; Arch. f. k. K. t. 78, p. 225 sq. Immutatis substantialiter conditionibus Statuum cum quibus concordata celebrata sunt, pariter in singulis casibus considerandum venit, utrum concordatum sit *res inter alios acta* et nova conventione opus sit. Cfr. Alloc. Benedict. XV, A. A. S. XIII, p. 521.

Scholion. Episcopi *residentiales* non possunt proprie *eligi* aut *praesentari*, sed tantum *postulari* aut *peti* pro alia dioecesi ad quam transferantur; vinculum enim quo cum sua Ecclesia devinciuntur reddit ipsos ineligibiles et impraesentabiles, cum in tali vinculo habeatur impedimentum de quo solus Rom. Pontifex dispensare potest. Cfr. *Vidal* in « Civiltà Cattolica » a. 1921, IV, p. 113 sq.

595. In Ecclesia **Orientali:**

I. Patriarchae Armenorum iuxta Pii IX Const. « *Reversurus* » 12 Iulii 1867 eliguntur a solis Episcopis universi Patriarchatus, exclusis clericis episcopali charactere non pollentibus atque laicis. Qui Patriarchae electi vel postulati priusquam inthronizantur vel ullam exercent iurisdictionem patriarchalem, a R. Pontifice confirmandi vel admittendi sunt et insuper ante pallii latini receptionem a certis actibus penitus abstinere debent.

Episcopi vero eiusdem Patriarchatus ita assumuntur, ut a Synodo universorum Episcoporum Patriarchatus Armenorum tres nominentur, e quibus Romanus Pontifex unum eligit quem ecclesiae viduatae praeficiat.

II. *Patriarchae* et *Episcopi* in *Patriarchatu Babylonensi Chaldaeorum* ex Pii IX Const. « *Cum ecclesiastica* » 31 Aug. 1869 eodem modo eliguntur, quo in Patriarchatu Ciliciae Armenorum promoventur ex cit. Const. « *Reversurus* », in qua Pius IX aperte edixerat se gravissimum hoc negotium de electione Antistitum in reliquis quoque Patriarchatibus (orientalibus) quamprimum esse moderaturum. At in solo Patriarchatu Babylonensi id ipsi perficere contigit.

III. *Patriarchae Syrorum* eliguntur in Synodo ex Metropolitis et Episcopis nationis canonice congregata secundum formam a Synodo Sciarfensi Syrorum (a. 1888) p. 218 sq. praescriptam. Cuius electionis confirmatio cum pallii latini praerogativa, *post consecrationem iam factam*, a Rom. Pontifice est petenda. *Episcoporum* electio apud Syros fit a Synodo Episcoporum nationis ex terna a clero et *magnatibus* dioecesis vacantis sibi praesentata. Qua in propositione si nullus candidatus idoneus reperiatur, secunda, immo etiam tertia vice nova terna est exhibenda. Quodsi ne tertia quidem terna dignam et idoneam personam contineat, ipsa Synodus libere Episco-

pum eligit. Qui Episcopus canonice electus *post obtentam confirmationem pontificiam* iuxta praescriptionem sacrorum canonum consecrationem episcopalem et possessionem sedis recipere potest et debet. Cfr. Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 223 sq.

IV. In *Patriarchatu Alexandrino Coptorum* ex decreto Synodi *Alexandr.* Coptor. (a. 1898) p. 187 sq. *Patriarchae* ita designantur, ut a Synodo Episcoporum, penitus exclusis laicis vel presbyteris, *tres candidati* in forma legitima nominentur et R. Pontifici praesententur, e quibus ipse Patriarcham eligat. *Episcopi* vero, si sedes vacet, pariter a sola Synodo Episcoporum nominantur, sed forma canonica servata *unus* tantum candidatus *vere eligitur* per consensum Patriarchae approbandus et a R. Pontifice *confirmandus*.

V. In reliquis Patriarchatibus vel Provinciis ritus orientalis, quamdiu Sedes Apostolica de electione Patriarcharum, Metropolitarum et Episcoporum novam ordinationem nondum promulgavit, omnino standum est iuri hucusque vigenti atque consuetudinibus a Sede Apostolica saltem toleratis[99].

Scholion. Post datam a R. Pontifice collationem vel confirmationem vel admissionem vel institutionem, Episcopi provisi quoad iuramentum obedientiae R. Pontifici, quoad Litteras Apostolicas Capitulo praesentandas, quoad recipiendam consecrationem episcopalem et inthronizationem iisdem obligationibus communibus tenentur alias expositis.

Art. 3 — Qualitates ad episcopatum requisitae

596. Cum generali ratione iam declaratae sint qualitates a iure requisitae ad officia et beneficia ecclesiastica, hic brevi-

[99] Collec. Lac. t. II, v. Episcopus n. 39 sq.; Synod. provinc. Ruthenor. (a. 1891), p. 117 sq. et Pii VII Const. « *In universalis* » 22 Febr. 1807, de privil. Imperatori Austriae concesso nominandi Episcopos Ruthen. in Galicia, reservato Metropolitae iure suos Suffraganeos ab Imperatore nominatos *instituendi* et *consecrandi;* quae tamen privilegia in concordato facta, ut in Statibus qui successerunt imperio valorem habeant, nova concessione opus est, cum priores concessiones sint *res inter alios actae*. Cfr. Allocutionem Benedict. XV, in Consistorio 21 Nov. 1921 in A. A. S., XIII, p. 521.

ter resumendae sunt quae in persona ad episcopatum evehenda adsint oportet.

I. Clericus ut sit idoneus officio episcopali, necesse est:

1°) ut sit natus ex legitimo matrimonio, nec sufficit legitimatio post nativitatem habita etiam per subsequens parentum matrimonium;

2°) ut sit constitutus in aetate saltem triginta annorum;

3°) ut saltem a quinquennio presbyteratum receperit;

4°) ut commendetur bonis moribus, pietate, animarum zelo, prudentia ceterisque dotibus, quibus aptus efficiatur ad gubernandam dioecesim pro qua promovetur;

5°) ut lauream doctoris vel saltem licentiam in theologia vel iure canonico receperit in Athenaeo aliquo vel in Instituto studiorum a Santa Sede probatis, vel saltem in iisdem disciplinis sit vere peritus. Quodsi promovendus sit religiosus, a suis Superioribus maioribus vel similem titulum vel saltem verae peritiae testimonium habere debet.

Enumeratae qualitates verificari etiam debent in electis, praesentatis vel quoquo modo designatis a qualibet persona privilegiata (can. 331).

II. *Processus idoneitatis.* Iudicare num quis idoneus sit, ad Apostolicam Sedem unice pertinet (ib., § 3). Ad idoneitatem comperiendam processus instituitur praesertim *de vita et moribus*. Extra Italiam processus instruitur a Nuntiis ad normam Const. Gregorii XIV « *Onus Apost. servitutis* » 15 maii 1591 et Const. Urbani VIII « *Si processus* » a. 1623, et ad S. Congregationem Consist. transmittitur. Intra Italiam documenta Secretariae Status traduntur a qua conficitur summarium examini S. C. Consist. exhibendum. (Ad processum promovendorum in Italia pertinent Const. Benedicti XIV « *Ad Apostolicae* » 17 Oct. 1740 et Leonis XIII « *Immortalis memoriae* » 18 Sept. 1878). Cfr. Decretum S. C. Consistorialis 29 Februarii 1924 in A. A. S., XVI, p. 160, sq. ubi tamen sustructio (15 Maii 1591) tributa Urbano VIII, nisi agatur de mera confirmatione sustructionis praecedentis, videtur tribuenda Gregorio XIII, cum Urbanus VIII fuerit electus Pontifex a. 1623.

Art. 4. — *Institutio canonica et possessio*

597. I. Iam ex principiis art. 2 praemissis deducitur necessitas interventus Rom. Pontificis in provisione episcopatuum; a solo videlicet Rom. Pontifice poni potest ille actus, in quo formaliter consistit provisio seu institutio canonica, etiamsi agatur de clerico, qui ab aliis fuerit electus, praesentatus aut quovis modo designatus (can. 332, § 1).

Ante canonicam institutionem, candidatus, praeter fidei professionem, iusiurandum fidelitatis erga Sanctam Sedem praestare debet secundum formulam ab Apostolica Sede probatam (ib., § 2).

Actus provisionis canonicae fit generatim in Consistorio secreto. Quoniam autem Consistorii celebratio interdum varias ob causas diutius differtur et sedium vacationem tamdiu producere non expedit, satis frequenter in vigente disciplina nominationes expediuntur per Bullam aut Breve et in proximo sequenti Consistorio promotiones iam factae publicantur. Promotionem subsequitur apostolicarum litterarum expeditio [100].

II. Obtento per provisionem titulo officii, sequatur oportet captio possessionis, a qua, non ex natura rei sed ex positiva valde convenienti iuris dispositione, vel ipse *validus* usus iurisdictionis, cum titulo officii acceptae, fit dependens. Quam canonicam possessionem Episcopi residentiales capiunt simul ac in ipsa dioecesi vel per se vel per procuratorem apostolicas litteras Capitulo cathedrali ostenderint, praesente secretario Capituli vel Cancellario Curiae, qui rem in acta referat (can. 334, § 3); ubi vero deest Capitulum subintrat coetus consultorum dioecesanorum (can. 427).

Nec ex natura rei nec ex stricta iuris praescriptione necesse est, ut apprehensionem possessionis praecedat Episcopi promoti consecratio; generatim tamen possessioni praemittitur consecratio, quae, ubi legitimum impedimentum non adsit, suscipienda est intra tres menses a receptis apostolicis litteris, et intra quatuor ab eodem termino ab Episcopo propria dioecesis est adeunda (can. 333) ad inchoandam residentiam, cuius obligatio tunc incipit urgere.

[100] Cfr. *Ferreres*, Inst. I, 648, de decem Bullis quae expediuntur in promotione Episcoporum Hispaniae.

Cum a capta possessione fiat dependens validus usus iurisdictionis receptae, Episcopus antequam possessionem canonice ceperit nequit per se aut per alios ullo sub titulo (v. gr. Vicarii vel Oeconomi) se ingerere in regimen dioecesis; si tamen ante promotionem iam esset legitime constitutus Vicarius Capitularis, officialis aut oeconomus, haec officia etiam post promotionem retinere et exercere posset [101] (can. 334, § 2).

Art. 5. — *De iuribus et obligationibus Episcoporum*

§ I. De iuribus Episcoporum

598. *Iura episcopalia* universam denotant potestatem Episcopi sive Ordinarii vel Dioecesani, quae non raro etiam aliis titulis insignita fuit, v. g. dicta est auctoritas pontificalis vel episcopalis (cap. 20, X. de iure patr. III, 38; cap. 13, X. de cens. III, 39), iurisdictio episcopalis (cap. 3, X. de integ. I, 41), ius episcopale vel dioecesanum (cap. 1, X. ne sede III. 9; cap. 49, X. de elect. I, 6), lex dioecesana, lex dioecesanae iurisdictionis [102]. Quae potestas episcopalis, praeter plenitudinem sacerdotii in *consecratione* obtentam et iuxta leges canonicas exercendam, complectitur veram et perfectam et immediatam *iurisdictionem* principis ecclesiastici *iniunctione* datam; per ipsam

[101] Controversia ante Codicem hac in re existens manet antiquata (Cfr. *Sanguineti*, Inst. n. 346; *Wernz*, Ius Decret. II, 795).

[102] Cfr. cap. 9, X. de maior. I, 33; cap. 9, X. de haeret. V, 7. Vocabula illa (« *lex dioecesana* ») sensu *generali* iurisdictionis episcopalis prima vice occurrunt in Conc. Ilerd. (a. 524-546) c. 3 = c. 3, C. X, p. 1, et c. 34, C. XVI, q. 1, atque paulatim tempore medii aevi a viris doctis et in Glossa et ipsis legibus ecclesiasticis, v. g. cap. 18, de off. iud. ord. I, 31, cap. 1, de V. S. V. 12, in Sext. ita distinguebantur a *lege iurisdictionis*, ut sensu restricto « *lex dioecesana* » designaret praesertim *iura utilia* Episcopi in exigendis *tributis* etc., « *lex vero iurisdictionis* » comprehenderet *reliqua iura* Episcopi. At tota illa distinctio diversis modis proposita nec in se erat satis clara et probata, nec in disciplina iamdiu vigente habebat practicam utilitatem. Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. I, cap. 4, n. 3, 4; *Scherer*, l. c. p. 560 sq.

efficiuntur ordinarii et immediati pastores in dioecesi sibi commissa (can. 334, § 1).

Dividuntur iura potestatis Episcoporum:

a) ratione *tituli*, in *ordinaria* vi officii episcopalis collata nomine iureque proprio exercenda, et in *delegata*, sive per delegationem *a iure* obtenta vel *ab homine* speciali commissione R. Pontificis, v. gr. per rescriptum vel facultates triennales concessa;

b) secundum *formam*, in iura potestatis legiferae, iudiciariae et coercitivae (can. 335, § 1);

c) secundum *materiam*, in iura *iurisdictionis* sive potestatis sacri magisterii et regiminis atque in iura *ordinis* sive potestatis sacri ministerii circa cultum divinum et sacramenta ac sacramentalia;

d) secundum *effectus*, in iura *onerosa, utilia et honorifica;*

e) secundum *naturam*, in *ecclesiastica* et *politica*, si pro diversitate regionum Episcopi etiam iura quaedam politica a potestate civili consequuntur.

599. Iura particularia Episcoporum quamvis in tractatu *singulari* de officio Episcoporum magna cum utilitate *singulatim* enumerentur[103], in disputationibus scholasticis tamen, retenta via quadam media, saltem per summa capita videntur esse recensenda.

I. **Iura iurisdictionis:**

a) Si attendatur *forma* qua Episcopi sua iurisdictione utuntur, ipsis competit:

α) *Potestas legislativa* tum in Synodo dioecesana tum extra illam exercenda in statutis, etiam perpetuis, condendis et sine praevia recognitione Sed. Ap. publicandis nec nimis gravi sanctione muniendis pro suis *subditis* dioecesanis praeter ius, *non contra* ius commune etiam contraria *consuetudine* forte iam sublatum vel in rebus, quas R. Pontifex specialiter sibi reservavit.

Inde quoque sequitur Episcopos suis legibus nihil posse *prohibere*, quod iure communi expresse et indubitanter est *permissum*, nisi ipsi sacri canones id eis aperte concedant, et vicissim nihil *permittere* quod iure communi est *prohibitum*.

Praeterea Episcopi suis legibus id accuratius definire valent,

[103] Cfr. *Bouix*, De episc. t. II, p. 80 sq.

quod legibus universalibus Ecclesiae tantum quoad *substantiam* est determinatum, relicta Episcopis potestate *modum, locum, tempus* aliasque circumstantias singulatim definiendi.

Quae leges episcopales, secundum modum ab ipso Episcopo determinatum promulgatae, statim a promulgatione obligare incipiunt, nisi aliud in ipsis caveatur (can. 335, § 2).

Quacum potestate legislativa Episcopi in propriam dioecesim intime coniuncta est potestas suis subditis dandi *praecepta*, aut *proprias* leges vel consuetudines particulares *dioecesis* interpretandi, applicandi, abrogandi aut per *dispensationes* relaxandi. Immo in non paucis casibus Episcopi in legibus suorum *Superiorum*, in quas per se nullam habent potestatem, partim expressa iuris concessione partim specialibus indultis pontificiis partim legitima consuetudine saltem tacite approbata, dispensationes concedere valent: v. gr. in legibus generalibus ad normam can. 81 et 291 § 2. Potestas illa dispensandi in iure communi, si Episcopis in ipso Codice est facta, ordinariae potestati merito aequiparatur, dum ipsi muneri episcopali cohaeret et cum munere, nullo alio intellecto, recepta intelligatur, atque ad omnes transeat ad quos transit potestas Episcopi ordinaria; est tamen potestas ordinaria non propria sed vicaria. Cfr. *De Meester*, Comp. iuris can. II, n. 681.

β) *Potestas iudiciaria* ita Episcopis propria est, ut causae ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes in *prima instantia* coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, nisi agatur de causis maioribus, ex natura sua vel iure positivo Sedi Apostolicae reservatis, v. g. causae fidei, canonizationis etc. Immo prima illa instantia in multis causis, v. g. quoad decreta edita in visitatione ad correctionem morum etc. tanto rigore Episcopo reservatur, ut contra huiusmodi decreta in *suspensivo* non liceat appellare, sed tantum aut *in devolutivo* aut per extraiudicialem recursum ad R. Pontificem (can. 345).

γ) *Potestas coërcitiva* ab Episcopis imprimis ea ratione est exercenda, ut executioni mandent poenas ipso iure iam inflictas aut de iure infligendas, servato tamen iuris ordine. Neque Episcopus prohibetur quominus poenis et censuris, etiam a se latis vel ferendis, in excessus clericorum et laicorum procedat, dummodo legitimam servet procedendi *formam* et in poenis infligendis *modum* non excedat. (Cfr. can. 2220 § 1).

Scholion. Episcopi fruuntur etiam potestate quadam *condonandi* et *abolendi* poenas in foro ecclesiastico inflictas. (Cfr. can. 2237).

Porro in foro divino per *indulgentias* intra terminos iure communi statutos poenas temporales remittere valent. Ita in dedicatione ecclesiae possunt concedere indulgentiam *unius anni*; in aliis vero casibus ex nova dispositione Pii XII, 20 Iun. 1942, indulgentiam centum *dierum*. Cfr. cap. 14, 15, X. de poenit. V, 38; S. C. Indulg. 14 Dec. 1877, 12 Ian. 1878, 20 Iun. 1891, 26 Maii 1898; Collect. S. C. de Prop. F., n. 1014 sq., 1026; *Beringer*, D. Ablaesse p. 46 sq.

Episcoporum quoque munus est *invigilandi* publicationi indulgentiarum, *iudicandi* de authentia rescriptorum antequam indulgentiae concessae populo notificentur, permittendi ut concessiones indulgentiarum typis mandentur, sed intra limites statutos (can. 919, 1388).

b) Si ratio habeatur *obiecti*, Episcopi explicare valent:

α) Potestatem *magisterii* [104]:

1) Quoad *doctrinae* catholicae *propagationem* et *custodiam* imprimis Episcopi praecepto divino constituti sunt *doctores*, qui oves sibi commissas doceant et fidem catholicam ad salutem necessariam omnibus, ad quos *missi* sunt, pro suo munere annuntient. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 1 de ref.; Leon. XIII, Encycl. « *Sapientiae* » 10 Ian. 1890, § « Huiusce ». Profecto controversias dogmatis definire nequeunt; at pro suo iure tanquam *Inquisitores* nati (cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 3 de ref.) errores ab Ecclesia iam proscriptos iubent cavendos, prohibent pravos libros, nisi ob rei gravitatem causa ad Sedem Apost. sit deferenda; subiciunt censurae omnes libros in sua dioecesi publicandos, quorum praevia revisio in foro ecclesiastico est praescripta nec Sedi Apostolicae reservata.

2) Quoad *praedicationem verbi Dei* et instructionem *catecheticam* ius est Episcoporum concedendi *missionem canonicam* ad exercendum officium praedicationis in dioecesi, atque etiam regulares exempti, si concio ad fideles communiter sit habenda, indigent facultate Episcopi dioecesani.

---

[104] *Benedict. XIV*, De Syn. dioec. l. VII, cap. 1 sq.; *Bouix*, l. c. p. 81 sq.

3) Quoad *institutionem* et educationem religiosam in *scholis*, Episcopi gaudent facultate ordinandi in omnibus scholis institutionem et educationem religiosam catholicae iuventutis atque praesertim curandi studia et educationem cleri in Seminariis et Universitatibus catholicis.

β) Potestatem *regiminis* de universa disciplina ecclesiastica in dioecesi, praesertim vero:

1) Quoad *clericos* per sacram *ordinationem* servitio dioecesis adscriptos et clero dioecesano, ut subditos Episcopi, *incorporatos* vel non.

2) Quoad *institutionem*, innovationem, suppressionem *officiorum ecclesiasticorum* eorumque *provisionem*, administrationem et amissionem item quoad convocationem et celebrationem *Synodi dioecesanae*, conferentiarum cleri, quoad confraternitates, congreg. religios. etc.

3) Quoad administrationem *bonorum ecclesiasticorum* et executionem piarum voluntatum. Huc quoque spectant omnia illa *iura utilia* Episcoporum, quae ab antiquis canonistis communi nomine *legis dioecesanae* comprehendebantur, sc. ius *honestae sustentationis* ex reditibus mensae episcopalis, ius *procurationis* tempore visitationis dioecesis, ius ad *cathedraticum* sive synodaticum, ius *seminaristici* vel alumnatici, ius ad *subsidium caritativum*, de quibus suis locis erit disputandum.

II. **Iura ordinis:**

a) *Ipse Episcopus* multiplici ratione valide et licite *exercere* potest tum iura ordinis, sibi cum presbyteris *communia*, tum iura ordini episcopali propria, vel *pontificalia* sive in sacra *liturgia cultuque divino* sive in administratione sacramentorum et sacramentalium. Quae iura Episcopi nituntur partim iure *divino* partim iure *humano*. In specie ad ipsum spectat sollemnis celebratio Missae pontificalis et administratio ordinaria omnium sacramentorum in tota sua dioecesi. Id potissimum valet de ordinaria administratione sacramenti confirmationis et de collatione ordinum. Porro Episcopis iure ordinario reservata est confectio olei catechumenorum et infirmorum et chrismatis, ecclesiarum et altarium consecratio, benedictio Abbatum et Abbatissarum, unctio regum catholicorum et generatim omnis benedictio, in qua sacra unctio adhibetur.

b) Episcopus potestate gaudet ea, quae ipso iure divino aut

legibus universalibus Ecclesiae *in cultu divino* et *administratione sacramentorum* non iam definita sunt, *suis legibus* accuratius determinandi. Quare ad Episcopum spectat invigilare impressioni *accuratae* librorum liturgicorum, v. g. Pontificalis Rom., Caeremon. Episcop. etc. atque in forma legitima post collationem factam concedere licentiam eosdem publicandi. Porro Episcopi est definire ordinem divini officii per publicationem kalendarii dioecesani, cui vel ipsi regulares proprio kalendario carentes sese conformare debent. Praeterea est indubitatum ius Episcopi *locum, tempus, modum* servitii divini vel processionum aliarumque publicarum devotionum praescribendi, quatenus iure communi non iam aliter cautum est. At non raro frequentius ipsi curandum erit, ut pro sua potestate *executionem* iuris communis urgeat et *abusus* corrigat, v. g. quoad reliquias approbandas alicuius in ordine ad cultum publicum vel nova miracula vel imagines insolitas. Nec quidquam fiat inconsulto Episcopo, ubi expresse *interventio auctoritatis episcopalis* praescripta est, v. g. in duabus Missis celebrandis, si necessitas populi eiusdem paroeciae id postulet, in expositione et asservatione SS. Sacramenti, vel in usu exorcismi, vel in confessionibus excipiendis. Deinde Episcopus caveat necesse est, ne in *licentiis* vel *dispensationibus* concedendis quoad cultum divinum vel administrationem sacramentorum limites suae potestatis *ordinariae* vel facultatum *extraordinariarum transgrediatur*.

III. **Specialia privilegia:**

Episcoporum privilegia plura in variis canonibus Codicis reperiuntur sparsa: praecipua vero a legislatore in can. 349 fuerunt collecta, ubi primo loco enumerantur quae communia sunt Episcopis residentialibus et titularibus, deinde quae residentialium sunt propria et a momento captae possessionis ipsis competunt.

1°) *Omnes Episcopi* ab accepta notitia peractae provisionis canonicae:

a) sibi suisque familiaribus eligere possunt sacerdotem confessionibus excipiendis, qui si iurisdictione caret, eam ipso iure obtinet, etiam quod spectat ad peccata et censuras, reservatas quoque, quamvis sint reservata sive peccata sive censurae Ordinario loci; solum excipiuntur censurae quae A. S. *specialissimo modo* reservatae sunt et illae quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii. Talem confessarium secum ducere extra propriam dioecesim potest, nec est necesse ut sit proprius subditus;

b) possunt ubique praedicare cum consensu saltem praesumpto Ordinarii loci;

c) possunt celebrare vel alii permittere ut coram se celebret unam Missam in feria V maioris hebdomadae, ac tres Missas in nocte Nativitatis Domini, dummodo non teneatur celebrare in cathedrali;

d) possunt benedicere, ritibus tamen praescriptis [105*] rosaria, coronas precatorias, numismata, scapularia sine onere inscriptionis, cum omnibus indulgentiis a S. Sede concedi solitis; pariter adhibendo praescriptos ritus possunt erigere stationes Viae Crucis in ecclesiis et oratoriis etiam privatis aliisque piis locis necnon benedicere Crucifixi icones cum applicatione indulgentiarum Viae Crucis pro fidelibus infirmis vel alia legitima ratione impeditis a percurrendis Viae Crucis Stationibus. Hanc tamen duplicem facultatem cum suis sacerdotibus communicare non possunt (S. Paenit. 18 Iulii 1919);

e) ubicumque degant possunt celebrare super aram portatilem et permittere ut alia Missa ipsis adstantibus celebretur [106]. Item possunt celebrare in mari, debitis adhibitis cautelis. Ubicumque celebrant, legere possunt missam proprio kalendario conformem ac fruuntur altari privilegiato personali cotidiano;

f) in propriis sacellis tam ipsi quam eorum familiares lucrari possunt indulgentias, ad quas adquirendas praescripta sit visitatio templi vel publicae aediculae civitatis seu loci;

g) impertiri possunt episcopalem benedictionem seu populo publice etiam per vias benedicere;

h) insignia episcopalia deferre possunt ad normam legum

[105*] Id autem intelligitur de sacris benedictionibus pro quibus *peculiaris* formula in libris liturgicis praescribitur, non vero de illis pro quibus tantum formula communis habetur. Comm. I. Cod., A. A. S. XXI, 170, Period. XVIII, 172.

[106] Cfr. concessionem iam factam a Leone XIII per decret. S. R. C. 8 iunii 1896.

liturgicarum [107]. Quoad insignia communia non est proprie privilegium.

2°) Episcopi residentiales a capta possessione habent praeterea ius:

a) percipiendi reditus mensae episcopalis, quod proprie non habet rationem privilegii, sed est ius cohaerens cum ipso beneficio episcopali;

b) concedendi indulgentias centum dierum in locis suae iurisdictionis [108*].

Nonnulla ex enumeratis privilegiis sunt iura honorifica vel insignia dignitatis. Ad eadem iura honorifica pertinet ius *praecedentiae,* quae praecedentia, si agatur de Episcopo *extra proprium territorium* versante, regulatur ad principia proposita in can. 106, vi cuius ordinate attendenda sunt dignitas personae, gradus ordinis, tempus promotionis et aetas. *In suo territorio* Episcopus cedit Cardinalibus, Legatis ac proprio Metropolitae, praecedit vero ceteris aliis Episcopis et Archiepiscopis. At ex urbanitate convenit ut Episcopi dioecesani honorent Episcopos peregrinos, et v. gr. ex decreto S. R. C. 12 Oct. 1889 etiam post Codicem vim suam retinente (S. R. C. 26 Nov. 1919) eis licet etiam usum throni concedere alieno Archiepiscopo vel Episcopo, loco sui in dioecesi pontificalia agenti [109*].

---

[107] De ornamentis pontificalibus et de vestibus Episcoporum, cfr. Pii VII Const. « *Decet Romanos* » 4 Iul. 1823, § 3; *Braun,* D. Pontifikalen Gewaender des Abendlandes; *Kraus,* Real-Encykl. t. II, p. 211 sq., v. Kleidung; Caeremoniale Episcop.; Collect. S. C. de Prop. F. n. 120 sq.; Pii IX Const. « *Ecclesiarum* » 17 Iun. 1867, qua omnes Antistites donavit facultate utendi pileolo violacei coloris, atque Leo XIII Const. « *Perpetuo* », 3 Febr. 1888, concessit ut Episcopi birreto violacei coloris uti possent. Cfr. quoque indultum Episcopis Italiae a Leone XIII, 21 Iun. 1897 concessum, si dimissa dioecesi eandem administrare pergunt, in Act. S. Sed., XXX, p. 638; S. R. C. 20 Iun. 1899, de facultate crucem pectoralem ubique detectam gestandi; S. C. Consist. 2 Maii 1910, de usu pileoli violacei iam a die electionis ante receptam consecrationem; S. R. C. Decret. 26 Nov. 1919, circa privilegia, insignia ac functiones Episcoporum.

[108*] Exemptio religiosa minime obstat quominus Episcopus possit concedere indulgentias vel ipsis religiosis exemptis vel in eorum ecclesiis. Comm. I. Cod., A. A. S., XXIII, 25; Period. XX, 147, XIX, 25.

[109*] Omnibus Episcopis, sive residentialibus sive titularibus tantum, titulus *Excellentiae Reverendissimae* est dandus. S. Cong. Caeremonialis; A. A. S., XXIII, 221; Period. XX, 130. De honoribus liturgicis qui com-

IV. **Iura politica:**

Ut Romanus Pontifex proprium obtinuit principatum civilem, ita olim multi Episcopi, v. g. omnes Antistites in antiquo imperio Germaniae, simul fuerunt principes civiles, feudatarii et optimates regni, vel saltem non paucis nec levibus iuribus politicis instructi, v. g. in Hungaria et Hispania. Cuius antiquae disciplinae usque ad nostram fere aetatem complura manserunt vestigia. Ita v. g. in Austria, praeter Archiepiscopos, octo Episcopi insigniti erant titulo *principis* et ex officio, sedi *episcopali* adnexo, habebant ius interveniendi in diaetis suae provinciae et in senatu imperii. Similes praerogativae senatorum regni competebant Episcopis Hungariae et saltem ex parte etiam in Hispania [110].

Scholion. Ultima honoris et reverentiae et caritatis signa Episcopo *defuncto* non sunt deneganda. Quare ad Capitulum ecclesiae cathedralis eiusque primam dignitatem spectat pro ipso funeralia peragere, officia divina et Missam sollemnem celebrare. Cfr. Caeremoniale Episc. l. II, cap. 38; S. C. C. 24 Martii 1873.

§ II. De obligationibus Episcoporum

600. Quamvis complura *iura* Episcoporum *onerosa* sint, quae magis *officiis* sint adnumeranda, v. g. convocatio Synodi dioecesanae, tamen non paucae obligationes episcopales *speciali* quadam ratione commemorandae sunt, quas Codex hoc loco in quinque puncta distribuit: 1°) obligatio residentiae; 2°) obligatio Missae pro populo applicandae; 3°) obligatio relationis S. Sedi exhibendae; 4°) obligatio S. Limina visitandi; 5°) obligatio visitandi dioecesim.

601. Definitio. Residentia est commoratio *assidua* beneficiarii in loco beneficii, *officii personaliter* praestandi causa.

Divisio. Residentia dividitur: 1°) in *materialem* sive passi-

---

petunt Episcopo nominato, i. e. personae cui decreto S. C. Consistorialis vel S. C. de Propaganda Fide pontificia nominatio significata fuerit, cfr. Period. XX, 140*.

[110] *Suarez,* De leg. l. IV, cap. 10; *Scherer,* l. c. p. 564 sq.; *Ferreres* Inst. I, 574.

vam et in *formalem* sive activam. Illa consistit in sola praesentia in loco beneficii *absque* proprii *officii* executione; altera est vera praesentia in loco beneficii, quae adiunctam habet *laboriosam* proprii officii executionem atque unice vera residentia dici potest.

2°) in *veram* et *fictam*. Prima est residentia formalis modo descripta; altera est *vera absentia* beneficiarii ob legitimam causam, quae tamen ex aequa *iuris* dispositione in ordine ad certos effectus censetur residentia.

3°) tandem distinguendae sunt *residentia* ipsa et *speciales circumstantiae* seu *modus* ipsius residentiae.

602. Notae historicae [111]. Obligatio residendi Episcoporum adeo evidens est ut c. 16 Conc. Nicaen. (a. 325), quo presbyteris, diaconis aliisque clericis lex residentiae inculcabatur, ne mentio quidem fieret Episcoporum. Severioribus legibus opus fuit, cum Episcopi inutilia facerent itinera et commorationem in aula Imperatorum praeferrent residentiae in propriis dioecesibus. Quae severiores sanctiones latae sunt c. 8, 9, 11, 12, Conc. Sardic. circ. a. 343, et in Novellis Imperatoris Iustiniani, v. gr. Novell. 123, cap 9; 67, cap. 3; 6, cap. 2 [112].

Neque minor fuit severitas Romanorum Pontificum in urgenda residentia Episcoporum [113]. Tempore medii aevi, praesertim saeculo octavo, in Episcopos vagantes explicatus est rigor ecclesiasticae disciplinae [114]. Qua in re Francorum reges suis capitularibus Ecclesiae subsidio fuerunt [115]. Ipse vero Carolus M., ubi utilitas Ecclesiae relaxationem rigoris disciplinae videbatur exigere, *a Sede Apostolica petiit* et obtinuit *dispensationem* [116].

Cum introducti fuissent Vicarii generales in spiritualibus aut in pontificalibus, non pauci fuerunt Episcopi, qui toto medio aevo legem residentiae graviter negligerent [117]. Hinc toties in conciliis atque etiam in decretis pontificiis obligatio residendi Episcopis in memoriam revocata est.

Cui abusui non residendi inveterato et ob nimiam *cumulationem* beneficiorum multum aucto, Concilium Tridentinum [118] fortiter resistens radicem mali, sc. cumulationem beneficiorum et sedium episcopalium, amputavit. Quod ius Tridentinum a Gregorio XIII et Clemente VIII magis fuit explicatum et tandem ab Urbano VIII ex parte immutatum. Benedict. XIV Const. «*Ad universae*» 3 Sept. 1746, est principalis lex pontificia hac de re saeculo decimo octavo lata [119].

603. Disciplina vigens. I. *De subiecto residentiae.* Episcopi quicunque etiam Patriarchae, Primates, Metropolitae, quibus hac in re merito aequiparantur Praelati nullius, tametsi habeant coadiutorem obligantur ad personalem residentiam in sua ecclesia vel dioecesi (can. 338 § 1).

II. *De loco residentiae.* Cui obligationi Episcopi, *saltem ad effugiendas poenas,* satisfaciunt si *intra fines dioeceseos vere resideant* [120]. At stricta quoque est obligatio Episcoporum residendi *prope ecclesiam cathedralem* saltem tempore Adventus et Quadragesimae, diebus Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi, *nisi* gravi et urgenti causa impediatur (ib. § 3 [121]. Quae residentia prope ecclesiam cathedralem in *palatio*

---

[111] Cfr. *Leuren.*, Forum beneficiale, P. I, q. 363; *Henry*, De resid. benefic. p. 40 sq.; *Thomassin.*, P. II, l. 3, cap. 30 sq.; 58 sq.; *Pallavic.*, Storia del Conc. di Trento, l. VII, c. 8, VIII, 2 18, XVI, 4 sq.; XVII, 1 sq., XIX, 7 sq., XXI, 11 sq.; *Theiner*, Act. Conc. Trid. t. I, p. 358 sq., t. II, p. 181 sq.; *Scherer*, in Arch. f. k. K. t. 46, p. 168 sq.

[112] Cfr. quoque c. 11 Conc. Antioc. (a. 341); c. 20 Conc. Milevit, (a. 402).

[113] Cfr. Gelasii statutum in c. 26 C. XXIII, q. 8, (a. 496), et Gregor. M. (a. 596), in c. 20, C. VII, q. 1.

[114] Cfr. c. 4 Conc. plenar. German. (a. 742); c. 5 Conc. Suession. (a. 744).

[115] Cfr. c. 6 Conc. Tolet. VIII, (a. 646), quo praxis longe diversa in Hispania stabilitur; ipsi enim Episcopi iubentur singulis annis per mensem in civitate Toletana apud regem et Primatem residere.

[116] *Henry*, l. c. p. 44; *Scherer*, l. c. p. 439.

[117] Synod. Francoford. c. 55, (a. 794).

[118] Cfr. sess. VI, cap. 1, 2, sess. VII, cap. 5, sess. XIII, cap. 1, sess. XXI, cap. 3, sess. XXII, cap. 3, sess. XXIII, cap. 1, sess. XXIV, cap. 12 de ref.

[119] Ultimo saeculo praesertim etiam *Vicariis Apostolicis et Praefectis* missionum antiqua decreta de ipsorum residentia lata denuo fuerunt a Sede Apostolica inculcanda. Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 103, 105 iunct. n. 84, 87, 244.

[120] Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 8, n. 10, iunct. decis. S. C. C. 18 Iun. 1624, et 11 Ian. 1783, et *Santi*, h. t. 4, n. 32; *Henry*, l. c. p. 97 sq.; *Hollweck*, D. k. Strafgs. § 290.

[121] Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 1, de ref.; S. C. C. 3 Sept. 1622, et alias apud *Ferraris*, v. Residentia n. 19.

episcopati, non in *domo* quadam *consanguineorum* est servanda [122].

III. *De tempore residentiae*. Episcopi singulis annis per duos aut ad summum per *tres menses* sive continuos sive interruptos extra proprias dioeceses commorari possunt, dummodo id *aequa* ex *causa* et absque ullo gregis detrimento fiat, et praeterea absentia non incidat in anni *tempora* supra *excepta* [123]. Quae aequa causa quamvis ad legitimam illam absentiam per duos vel tres menses omnino requiratur [124], tamen a Superiore ecclesiastico Episcoporum, v. g. a Metropolitano vel a Romano Pontifice, non est necessario approbanda, sed Episcoporum abscedentium *conscientiae* diiudicanda relinquitur [125].

IV. *De causis excusationis* et *dispensationis*. Ut Episcopi ultra tempus concessum trium mensium extra suas dioeceses commorari possint, legitimae requiruntur causae excusationis.

Talis legitima causa agnoscitur ab ipso iure *visitatio* Sacr. Liminum, assistentia in Concilio oecumenico, plenario aut provinciali aut in comitiis politicis ex officio cum *sede* episcopali coniuncto. Ita tamen hae causae approbantur, ut Episcopo non liceat coniungere tres menses absentiae sibi concessos cum tempore sibi concesso occasione suae promotionis, vel visitationis Sacr. Liminum, vel assistentiae Concilio, aut cum tempore vacationum anni subsequentis [126].

V. *Poenae in non residentes*. Vi can. 2381, 1°. qui generalem

---

[122] S. C. C. 8 Apr. 1603, 26 Aug. 1616.

[123] Benedict. XIV Const. « *Ad universae* ».

[124] Benedict. XIV l. c. Encycl. « *Ubi primum* » 3 Dec. 1740 § 4; *Henry*, l. c. p. 68 sq.

[125] S. C. C. 3 Febr. 1635; *Ferraris*, l. c. v. Episcopus art. 3, n. 30.

[126] Urbani VIII Const. « *Sancta Synodus* » 12 Dec. 1634; Benedict. XIV, l. c. Si Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 1, enumeravit praeterea quatuor genera causarum, quae excusarent a residentia, sc.: « christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens ecclesiae vel reipublicae utilitas », voluit tamen ut illa causa approbaretur a Superiore, i. e. vel a R. Pontifice, vel a Metropolita aut, eo absente, ab antiquiore Suffraganeo residente, qui Suffraganeus antiquior absentiam ipsius Metropolitae probare deberet. Sed post cit. Const. Urbani VIII, approbatio seu licentia peti debuit a Rom. Pontifice. Multo magis iure Codicis, ubi illa quatuor causarum capita non commemorantur, ut ex illis liceat a dioecesi discedere, licentia a Rom. Pontifice seu a S. C.

omnino sensum habet, Episcopus illegitime non residens fructus beneficii *ipso facto* non facit suos eosque, pro rata absentiae parte, in utilitatem ecclesiae suae et in pias causas erogare debet.

Huc quoque spectat praescriptio can. 338, § 4 vi cuius, si Episcopi ultra sex menses e dioecesi illegitime abfuerint, Episcopum Metropolita, ad normam can. 274, 4°, Metropolitam antiquior Suffraganeus residens Sedi Apostolicae denuntiare debet.

b) *Applicatio Missae pro populo*

604. Obligationem Missam pro populo offerendi in iis, qui curam animarum ex officio gerunt, Conc. Trid. (Sess. XXIII, cap. 1 de ref.) ex iure divino repetivit his verbis: « Cum *praecepto divino* mandatum sit *omnibus, quibus animarum cura commissa est*, oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre* etc. ». Et certe illud divinum praeceptum non obscure significat Apost. Paulus (Hebr. V, 1-3): « Omnis Pontifex... constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis ... et propterea debet, quemadmodum *pro populo*, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis ». Quodsi illa obligatio incumbit omnibus qui curam animarum gerunt, praecipua quadam ratione urget Episcopos, ad quos pastorale munus *immediate* et *principaliter* pertinet, cuius partem dumtaxat parochi exercent Ecclesiae auctoritate sibi demandatam [127]. Quae obligatio iuris divini urgetur et in particulari determinatur iure positivo (can. 339).

I. Quilibet Episcopus residentialis, quacumque dignitate etiam cardinalitia auctus, post captam sedis possessionem, omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, Missam pro populo sibi commisso applicare debet omnibus dominicis aliisque festis diebus de praecepto, etiam suppressis,

Festi dies, quibus praeter dominicos obligatio urget, non sunt illi soli, quos Codex statuit can. 1247, sed illi qui ut tales recensentur in Catalogo Urbani VIII (Commiss. pro Codice in-

---

Consist. est postulanda. Cfr. *Benedictum XIV*, De Syn. dioec. lib. XIII, cap. 6, n. 19; *Henry*, l. c. p. 71 sq.

[127] Cfr. Leonis XIII Const. « *In suprema* » 10 Iunii 1882.

terpret. 17 Febr. 1918 ad II)[128]; quibus addenda sunt festa *particularia* de praecepto ex concessione Sedis Apostolicae in *tota* dioecesi celebrata, tametsi non vigeant in aliis dioecesibus eiusdem provinciae ecclesiasticae vel nationis[129].

Ab illa obligatione generali etiam Episcopi *orientales* non sunt exempti, in quantum est divina seu praescindendo a particulari determinatione dierum et numeri missarum applicandarum. (Cfr. Decis. S. C. de P. F. 23 Maii 1863 et eiusdem S. C. Litteras ad Delegatos Apostolicos pro Oriente datas 8 Nov. 1882). At episcopi *titulares*, cum sedium suarum possessionem non capiant et clero populoque careant (cit. Const. Leonis XIII « *In suprema* », can. 348, § 1), huic oneri episcopali non sunt obnoxii; decet tamen ex caritate eos aliquando celebrare pro illis ecclesiis in tam misero statu positis (cit. Const. Leonis XIII, cui consonat can. 348, § 2).

I. In festo Nativitatis Domini, et si quod festum de praecepto in diem dominicam incidat, satis est ut Missam unicam pro populo applicent (can. 339, § 2). Item si festum ita transferatur ut in die *ad quem* non solum fiat officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die *ad quem;* secus in die *a quo* (ib., § 3)[130].

III. Illa obligatio in Episcopo est *personalis,* ita ut Missam diebus praescriptis *per se ipse* applicare debeat. Quodsi ab eius celebratione legitime impediatur, statis diebus debet applicare per alium; si neque id praestare possit, quamprimum vel per se ipse vel per alium applicet alio die (ib., § 4); unde aliquo vero sensu est etiam obligatio *realis,* quippe manet obligatio donec ei fuerit satisfactum alio die, si in die praescripto non fuerit adimpleta, tametsi defectus adimpletionis sit tribuendus impedimento legitimo[131].

IV. Si Episcopus regat duas aut plures dioeceses aeque prin-

[128] Catalogum denuo publicavit S. C. C. 28 Dec. 1919, (A. A. S., X, p. 42).

[129] *Ferreres,* Inst. I, 652; *Cappello,* De sacram., I, 643*. Immo, stare obligationem applicandi Missam pro populo diebus festis, olim ex iure particulari de praecepto, nunc autem suppressis, patet ex resolutione S. C. C. d. 19 iulii 1930. Cfr. A. A. S., XXII, 521; Period. XX, 86.

[130] *Cappello,* l. c. n. 647.

[131] *Cappello,* l. c. n. 650; *Many,* De Missa n. 91.

cipaliter unitas, aut, praeter propriam dioecesim, aliam vel alias in administrationem habeat, obligationi satisfacit per celebrationem et applicationem unius Missae pro universo populo sibi commisso (can. cit., § 5)[132*].

a) Visitatio Sacr. Liminum et relatio de statu dioecesis

605. Hae duae obligationes sunt valde inter se connexae, tum ratione finis ad quem ordinantur tum ratione temporis quo implendae sunt; ideoque convenienter simul exponendae videntur. Et de facto sub illa obligatione, Episcopis imposita et quoad substantiam antiquissima, *visitandi Limina*[133] *SS. Apostolorum,* iam communi canonistarum sensu intelligebatur comprehendi triplex actus; sc. visitatio *Basilicarum* SS. Apostolorum Petri et Pauli, *reverentia* et *obedientia* Romano Pontifici personaliter exhibita, traditio *relationis* scriptae de statu dioecesis eidem Sedi Apostolicae facta.

Iam inde patet quod *finis* illius visitationis non solum est pia *peregrinatio,* in qua sacri Antistites debita veneratione prosequantur SS. Apostolos, qui suo sanguine Urbem consecrarunt, sed maxime, ut S. Petri successorem singulari modo *honorent* et viva voce melius quam per scriptas epistolas de statu suarum dioecesium *informent* atque vicissim monita et consilia cum *obedientia* accipiant, quo arctioribus vinculis cum supremo Ecclesiae pastore *coniuncti* eo fortius proelia Domini proeliari pergant et maiore zelo religionem christianam *promoveant.* Cfr. Conc. Rom. (a. 1725) in Collect. Lac. t. II, col. 364; Instr. S. C. de Prop. F. 1 Iun. 1777, i. f.

606. Notae historicae. Quamvis ex antiquissima praxi Episcopi ad S. Petri Apostoli Sedem causas referrent[134], tamen uni-

[132*] Recte autem animadvertit *Creusen* (Epit. i. c. I, n. 455) Episcopum, plures dioeceses regentem, debere etiam pluries celebrare Missam pro populo, si dies festi Patronorum dioecesium sibi commissarum diebus diversis occurrant. Id evidenter eruitur ex resolutione S. C. C. d. 12 nov. 1927, etsi ea directe respiciat tantum parochum, cui plures paroeciae commissae fuerint. Cfr. AAS. XX, 84; Per. XVII, 64.

[133] *Du Cange,* Glossar. lat. v. Limina; *Kraus,* Real-Encykl. v. Limina; c. 7, C. XXX, q. 1; *Ferreres,* Inst. I, 653, not. 1.

[134] *Thomassin.,* l. c. P. II, l. 3, cap. 40 sq.; c. 3 Conc. Sardic. (a. 343);

versalis quaedam obligatio omnibus Episcopis Ecclesiae catholicae statis temporibus accedendi ad Limina Apostolorum primis saeculis non fuit statuta. Cuius obligationis prima vestigia reperiuntur in antiquissima illa praxi bis in anno celebrandi Concilia provincialia Episcoporum Italiae, qui ad provinciam Rom. Pontificis spectabant. At *S. Leo* iam saeculo quinto commemorat et inculcat illam consuetudinem quod *ex Sicilia singulis annis* solummodo *tres* Episcopi ad Concilium tempore autumnali celebrandum Romam conveniunt. Porro S. Gregorius M. tradit ex prisca consuetudine Episcopos Siciliae fuisse coactos singulis *trienniis* Romam proficiscendi, sed ob non levia incommoda et constitutum a se Vicarium Apostolicum in insula Siciliae Episcopis illud tempus ad *quinquennium* prorogavit. In Concilio quoque Romano (a. 743) a Zacharia Papa c. 4, = (c. 4, D. 93, falso Anacl. Pap. adscr.) decernitur: « *Ut iuxta Sanctorum Patrum et canonum statuta omnes Episcopi, qui huius Apostolicae sedis* **ordinationi** *subiacebunt,* **qui** *propinqui sunt, annue idibus Maii Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli liminibus praesententur, omni occasione seposita;* **qui** vero de *longinquo, iuxta chirographum suum impleant* ». Quae obligatio sane Episcopis Sedi Apostolicae quoad *ordinationem immediate* subiectis hoc canone dicitur imposita, at nondum *omnibus*.

Post hanc aetatem praeeunte praxi paulatim introducta est obligatio, ut imprimis ex saeculo undecimo *Metropolitae pallium* petituri atque mox etiam *Episcopi* sive per se sive per certum nuntium statis temporibus Limina Apostolorum visitarent. Certe iam ante compilationem authenticam Gregorii IX visitatio Episcopis fuit obligatoria, ut constat ex modo loquendi Paschalis II[135] et praesertim Innocentii III; in ipsis vero Decretalibus Gregorii IX, cap. 4, X. de iureiur. II, 24, continetur formula iuramenti, quo Episcopi ante suam consecrationem promittere debuerunt se singulis annis aut per se aut per nuntium Limina Apostolorum esse visitaturos, nisi Romanus Pontifex obligationem remittat. Hinc factum est, ut multi Episcopi per specialia indulta apostolica eximerentur ab onere visitandi Limina Apostolorum. Quae indulta omnia Alexand. IV, Const. « *Importuna* » 3 Aug. 1257, penitus abrogavit. Quare Sixtus V, Const. « *Rom. Pontifex* » 20 Dec. 1585, in qua Pontificale Romanum et responsum sui praedecessoris Greg. XIII secutus est[136], nequaquam obligationem plane novam introduxit, sed potius antiquam disciplinam reformatam novo vigore restauravit. Ipse enim singulis Episcopis congrua quadam ratione determinavit *tempora* simulque aliquos officiales constituit, qui *postulata* Episcoporum expenderent iisque opportuna darent *responsa*. Benedictus XIV, in Const. « *Quod sancta* » 23 Nov. 1740, eandem disciplinam denuo confirmatam etiam ad Praelatos nullius cum territorio separato extendit. Denique Pius X, Const. « *A remotissima* » nova quadam ratione tempus et modum relationis in visitatione sacrorum Liminum faciendae ordinavit. Cui Constitutioni nunc standum est, prout ea relata fuit in Codice (can. 340), nec amplius vigent suspensiones ab ingressu ecclesiae, ab administratione spiritualium et temporalium, a perceptione fructuum suarum ecclesiarum per cit. Const. Sixti V, *ipso facto* tamdiu incurrendae, donec huiusmodi Praelati a *contumacia* resipiscentes relaxationem suspensionis a Sede Apostolica meruerint obtinere, cum iam a Pio IX, Const. « *Apost. Sed.* » fuerint abrogatae, (Cfr. *Hollweck*, D. k. Strafg. § 294) nec in Codice fuerint denuo relatae.

607. Disciplina vigens. Itaque ex *disciplina* nunc *vigente* omnes Episcopi residentiales et ut suis locis explicatur ceteri locorum[137] Ordinarii, quibus dioecesani regiminis onus incumbit, obligatione tenentur singulis quinquenniis referendi ad Summum Pontificem de statu dioecesis sibi commissae. Quae quinquennia sunt fixa et communia et computari incipiunt a die 1 Ianuar. 1911. En ordo stabilitus: *a*) In primo quinquennii anno relationem lingua latina conficiendam exhibere debent Ordinarii Italiae et insu-

Benedict. XIV, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 6, n. 1 sq., 12, 13; *Phillips*, l. c. t. II, § 82; *Bianchi*, Della potestà etc. t. II, p. 377 sq.

[135] Cap. 4, X. de elect. I, 6, i. f. pars. decis. = epist. Paschal. II ad Arch. Coloc. scr. a. 1099-1118; *Thomassin.*, l. c. cap. 42, n. 4 sq.

[136] *Benedict. XIV*, l. c. n. 12.

[137] Videlicet comprehenduntur Praelati nullius ac Vicarii et Praefecti Apostolici. Cfr. de praecedenti iure cit. Const. « *Quod sancta* » Benedicti XIV, § 4, 5; S. C. de P. F. 1 Iun. 1877, in Collect. S. C. de P. F. (a. 1907), n. 1472, 1473; *Benedict. XIV*, De Syn. dioeces. l. II, cap. 7, n. 2, l. XIII, cap. 6, n. 5; Schema Conc. Vat. de oblig. visit. sacr. Lim. Apost. exhib. relat. stat. dioec. apud *Martin*, Docum. Conc. Vat. p. 131 sq.; *Cappello*, De visit. SS. Liminum t. I, p. 47 sq.

larum Corsicae, Sardiniae, Siciliae, Melitae aliarumque minorum adiacentium (sunt anni qui desinunt signo numerali 1 vel 6).

b) In altero, Ordinarii Hispaniae, Lusitaniae, Galliae, Belgii, Hollandiae, Angliae, Scotiae et Hiberniae, cum insulis adiacentibus (qui desinunt 2 vel 7).

c) In tertio, ceteri Episcopi Europae cum insulis adiacentibus (qui desinunt 3 vel 8).

d) In quarto Ordinarii totius Americae et insularum adiacentium (anni qui desinunt 4 vel 9).

e) In quinto, Ordinarii Africae, Asiae, Australiae et insularum his orbis partibus adiacentium (sunt anni qui desinunt 0 vel 5). Et ita per vices continuas singulis quae sequuntur quinquenniis [138].

In prima cuiusque Ordinarii relatione ad singula quaesita quae in « *Ordine servando* » continetur [139] distincta debet dari responsio; in relationibus sequentibus sufficit nova addidisse atque adiecisse, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerint monita et mandata quae S. Congregatio in responsione ad praecedentem relationem significaverit. Relatio subsignanda est tum ab Ordinario tum ab uno vel altero ex convisitatoribus [140] qui de statu dioecesis melius testificari possunt, a quibus ex gravi obligatione servandum est secretum circa ea, quae ex relatione noverint et publici iuris non sint.

[138] Qua in re nova disciplina in hoc differt ab antiqua, quod non amplius totum tempus quinquennii consideratur ut tempus habile ad relationem et visitationem, sed debent omnino fieri in anno cuique assignato, idque praecise significatur illis verbis quod quinquennia sunt *fixa* et *communia;* quo illud etiam commodum obtinetur ut R. Pontifex, ex accepta intra ambitum *unius anni* orali et scripta relatione *omnium* Ordinariorum eiusdem nationis, melius illius nationis statum perspectum habere potest. Intervalla a Sixto V in memorata Const. « *Romanus Pontifex* » assignata erant varia, sc. triennium, quadriennium, quinquennium et decennium, pro ratione distantiae ab urbe Roma et pro difficultate commeatus. Porro uniformi modo decurrebant pro omnibus regionibus a die promulgatae dictae Constitutionis (20 Dec. 1585), quod initium computationis etiam valebat pro dioecesibus de novo in eodem territorio erectis. Visitatio intra idem intervallum anticipari poterat.

[139] Antiquae Instructioni Benedicti XIII (a. 1725) substitutus est novus « Ordo servandus in relatione de statu ecclesiarum » S. C. Consist. 31 Dec. 1909, in Act. Ap. Sed., II, p. 17 sq. Novam hanc Instructionem amplissime commentatur *Cappello*, l. c. t. I, p. 65.

[140] De illis convisitatoribus cfr. *Cappello*, l. c. p. 53 sq.

Iidem Ordinarii, quo anno relationem exhibere debent, obligatione tenentur beatorum apostolorum Petri et Pauli sepulcra veneraturi Romam veniendi et R. Pontifici se sistendi, quamvis Ordinarii, qui extra Europam sunt, permittatur ut alternis tantum quinquenniis Urbem petant. Cui obligationi Ordinarius vel ipse per se vel per coadiutorem aut auxiliarem episcopum, si quem habet, satisfacit [141]; ut autem per idoneum sacerdotem, qui in eadem dioecesi stabilem commorationem teneat, satisfacere possit, requiruntur iustae causae a S. Sede probandae.

Quodsi annus exhibendae relationis assignatus ex toto vel ex parte in primum biennium ab inito dioecesis regimine inciderit, licet Ordinario a relatione exhibenda et a visitatione Sacrorum Liminum pro ea vice abstinere.

d) *Visitatio dioecesis*

608. Visitatio dioecesis tamquam res natura sua connexa cum officio pastorali omnibus Episcopis est praescripta.

I. **Notio.** Ea est *ius* atque imprimis *officium* Episcopi residentialis inspiciendi et examinandi, statutis a iure temporibus, singulas partes suae dioecesis, ut exploratis eius personis, institutis, ecclesiis et bonis, media idonea statuat quibus, exclusis haeresibus et pravis moribus, etiam pericula fidei et morum vitentur, et fides orthodoxa, honestas vitae, pietas ac disciplina ecclesiastica in populo et clero promoveantur. Atque hic est *finis* quem Codex (can. 343, § 1) visitationi assignat.

II. **Historia.** Visitatio dioecesis cum sit necessaria conditio praevia, ut dioecesis rite gubernari possit, inde *a primis saeculis* [142] inter gravissimas obligationes Episcopi recensetur. Postquam zelantissimi Episcopi, v. g. S. Gregorius Thaumaturgus (a. 251), S. Petrus Alexandrinus, S. Athanasius, S. Augustinus aliique in praxi suo officio visitandi dioecesim non defuerunt, tandem c. 8 Conc. Tarracon. (a. 516)=c. 15, C. X, q. 1. prima vice

[141] Quae permissio etiam iure praecedente fuerat facta; cfr. declar. Clementis VIII 25 Febr. 1592, apud *Benedictum XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, c. 6, n. 5.

[142] Cfr. de historia visit. episcop.; *Kraus*, l. c. v. Visitationem; *Tho-*

lege scripta « *decernitur, ut antiquae consuetudinis ordo servetur et annuis vicibus ab Episcopo dioeceses visitentur* ». Quae iuris sanctio mox ab aliis Conciliis provincialibus fuit repetita et accuratius definita. Cfr. Synod. ad Lucum (Lugo) a. 569; c. 1 Conc. Bracar. II (a. 572) et c. 36 Conc. Tolet. IV (a. 633)=c. 12, et 11, C. X. q. 1 In Italia v. g. tempore S. Gregorii atque in regno Francorum, ut testatur Gregorius Turonensis, eadem vigebat disciplina neque subsequentibus saeculis ab illa recessum est. Cfr. c. 9, C. X, q. 1, = can. Conc. Tribur. (a. 895), non Tolet., ut tradit Grat.[143]. Tempore Decreti Gratiani et compilationum authenticarum obligatio visitandi dioecesim Episcopis fuit frequenter inculcata; at in iure Decretalium (cfr. l. III, t. 39, de cens. X.) potius abusus ob immoderatas exactiones in visitationibus fuerunt reprimendi. Negari quoque non potest in compluribus regionibus Episcopos officium visitationis nimis Archidiaconis dereliquisse. Quare a concilio Tridentino etiam hac in re disciplina ecclesiastica fuit reformanda[144].

III. **Ius vigens.** *Iuxta disciplinam vigentem* Episcopi cuiuscumque gradus per *seipsos,* aut si *legitime* impediti fuerint, per suum Vicarium Generalem aut *Visitatorem quotannis* dioecesim visitare possunt et debent. Quod si propter latitudinem dioecesis eam integram quotannis visitare non possint, saltem eius partem visitent, ita tamen ut visitationem *totius* dioecesis per se vel Visitatores suos *quinquennio* compleant. Quae lex Tridentina in schemate Vaticano ita proponebatur moderanda, ut visitatio in ordinariis dioecesibus quolibet *triennio,* in amplis dioecesibus saltem singulis *quinquenniis compleretur*[145].

Obiectum visitationis episcopalis (can. 344 § 1) sunt *loca pia,* i. e. ecclesiae aliaque aedificia ecclesiastica, coemeteria etc., *res* i. e. sacra suppellex, vasa sacra, reliquiae et imagines Sancto-

massin., l. c. P. II, l. 3, cap. 77 sq.; Arch. f. k. K. t. 31, p. 385 sq.; c. 5, D. 80, = can. 57, Conc. Laodic. (a. 343-381); c. 19, 11, 12, C. X. q. 1; Conc. Trid. Sess. XXIV, can. 3, de ref. cum declar. S. C. C. in ed. *Richter,* Conc. Trid. p. 332 sq.

[143] Cfr. *Thomassin.*, l. c. cap. 79; *Molitor*, Canon. Gerichtsverf, p. 54 sq. (de iudiciis synodalibus).

[144] *Thomassin.*, l. c. cap. 80; Conc. Trident. Sess. XXIV, cap. 3, de ref.

[145] *Martin,* l. c. p. 130 sq., cap. 3, de visitatione dioeces.; *Card. Melchers,* De canonic. visitat. dioeces.; *Phillips,* l. c. t. VII, § 365 sq.

rum, legata pia, hospitalia, scholae, seminaria, bona temporalia Ecclesiae, *munera sacra,* i. e. praedicatio verbi Dei, administratio sacramentorum etc., *personae,* i. e. clerus et moniales, confraternitates, magistri scholarum populusque fidelis. Ab illa visitatione episcopali nemo immunitatem praetendere potest, nisi speciali privilegio apostolico exemptionis munitus sit; immo non obstante *generali* exemptione visitatio Episcopi etiam ab exemptis declinari non potest, si privilegium exemptionis a visitatione episcopali ad determinatum obiectum sese *non extendit,* v. g. ad ecclesias exemptas quibus *cura animarum incumbit* (cfr. Conc. Trid. Sess. VII, cap. 7, de ref., Sess. XXV, cap. 11, 12, 13, de regular.). Religiosos autem exemptos Episcopus visitare non potest nisi in casibus in iure expressis (can. 344, § 2), aut Episcopi ex auctoritate apostolica tanquam *Delegati S. Sedis* etiam personas exemptas visitare valent. Cfr. v. g. Conc. Trid. Sess. VI, cap. 3, 4, de ref., Sess. VII, cap. 8, de ref., Sess. XXI, cap. 8, de ref., Sess. XXIV, cap. 9, 10, de ref.; *Zitelli,* Apparat. iur. eccl. p. 89 sq.

Modus, quo visitatio episcopalis ex mente Ecclesiae perfici debet, est potius *paternus,* non *iudicialis*[146]. Hinc etiamsi castigatio in visitatione non excluditur, tamen *poenae* imponuntur *minores* ad obtinendam *correctionem,* non *ordinarie* ad vindictam. Inde etiam contra decreta in visitatione episcopali lata non datur *appellatio* in *suspensivo,* sed tantum in *devolutivo,* neque Episcopus ut suspectus *recusari* potest. At in causis, quae ad obiectum et finem visitationis non pertinent, Episcopus servatis iuris normis procedere debet[147]. Visitatio ne propter procurationes exactas ipsis visitatis gravis sit et molesta, ab Episcopo quam celerrime, sine inutilibus moris, debita tamen cum diligentia absolvatur. Cavendum quoque est, ne ipsi vel illorum socii pro se suisve dona cuiusvis generis petant aut accipiant, reprobata quavis contraria consuetudine. Circa victualia vero Episcopo eiusque sociis ministranda vel procurationes et ex-

[146] Can. 345, iunct. cap. 17, X. de off. iud. ordin. I, 31, in part. decis.; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 3, de ref.

[147] Cit. can. 354, iunct, cap. 13, X. de off. iud. ordin.; Conc. Trid. l. c. cap. 10, iunct. Sess. XIII, cap. 1, de ref., Sess. XIV, cap. 4, et declar. S. C. C. in ed. *Richt.*, Conc. Trid. p. 71 sq.; Benedict. XIV Const. « *Ad militantis* » 30 Mart. 1742 §§ 5 sq.

pensas itineris, servanda est legitima locorum consuetudo (can. 346)[148].

Quae expensae etiam inde nimium excedere possent, si Episcopus modesto comitatu non esset contentus. Codex (can. 343, § 2) Episcopo permittit, ut clericos *duos* etiam e Capitulo sive cathedrali sive collegiali sibi adsciscat visitationis comites atque adiutores; porro horum clericorum libera omnino electio ipsi Episcopo relinquitur, reprobato quovis privilegio vel consuetudine illam plenam libertatem restringente.

Visitatione peracta Episcopus curare debet, ut quae laudabiliter sunt *decreta* etiam executioni mandentur, quo spectat opera praestanda a Vicario foraneo ad normam can. 447 § 1, 2°[149].

Art. 6. — De restrictione et amissione officii Episcoporum

§ 1. De restrictione officii Episcoporum

609. Si de restrictione officii Episcoporum quaeratur, sane ipsorum *potestas ordinis,* quatenus charactere indelebili et iure divino nititur, neque in se neque in valido usu restringi potest. Quare omnis limitatio potestatis ordinis episcopalis validique usus restringenda est ad ea iura ordinis, quae fundantur solummodo in iure ecclesiastico. At ordo episcopalis *iure divino* institutus etsi in se et quoad validam executionem in Romano Pontifice et Episcopis sit omnino aequalis, tamen *licitus* usus est plane dispar et in Episcopis multiplici ratione legibus ecclesiasticis restrictus. Cfr. supra tit. VII.

De *limitatione* potestatis *iurisdictionis* Episcoporum profecto nequit admitti illud principium: Episcopus in sua dioecesi facere potest quidquid Romano Pontifici pro *universa* Ecclesia est permissum, exceptis iis quae Romanus Pontifex sibi *specialiter* reservavit[150], sed potius alterum tenendum est principium hisce fere verbis conceptum: Episcopi non habent in suis dioecesibus *plenitudinem* potestatis, sed illam tantum *partem* sollicitudinis sive iurisdictionis ecclesiasticae obtinent, ad quam pro necessaria et conveniente administratione *muneris episcopalis* secundum sanctiones canonicas a Romano Pontifice vocati sunt[151].

[148] Cfr. c. 1, 7, 8, C. X. q. 1; cap. 6, 23, X. de censib. exact. et procur. III, 39; cap. 1, 2, 3, eod. III, 20 in Sext.; cap. 2. eod. III in Clem.; cap. unic. eod. III, 10, in Extravag. com.; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 3, de ref. cum declar. S. C. C. in ed. *Richt.*, Conc. Trid. p. 332 sq.; *Ferraris,* l. c. v. Procuratio; *Melchers,* l. c. p. 24 sq.; *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. X. cap. 10, n. 6.

[149] Cfr. de iuribus et obligationibus Episcoporum orientalium: Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 225 sq.; Synod. Alexandr. Copt. (1898) p. 194 sq.

Nam ut supra demonstratum est, Episcopi universam suam iurisdictionem ecclesiasticam recipiunt a Romano Pontifice; ergo illam solummodo habent, quam Rom. Pontifex sive expresse sive tacite de iure communi vel speciali commissione ut ordinariam vel delegatam ipsis concessit. Porro ipso iure divino complures facultates *solo Romano Pontifici* competunt, v. g. potestas infalliiliter definiendi articulos fidei vel canonizandi sanctos; ergo non requiritur ut Rom. Pontifex huiusmodi facultatem sibi specialiter reservet aut Episcopis expresse neget; nam illam ne potest quidem aliis, v. g. per delegationem, concedere. Denique *ex natura rei* secluso expresso vel tacito consensu inferior nihil potest contra leges superioris; ergo Episcopus, ut contra illas leges, v. g. per dispensationem agere possit, speciali concessione munitus sit oportet; neque mera *omissio* prohibitionis sufficit, praesertim quia in generali concessione ea, quae sunt singularia et difficiliora, non comprehenduntur, sed per se potius excipiuntur. Cfr. *Fagnan.*, l. c. l. I, t. 31, cap. 1, n. 28; *Benedict. XV*, De Synod. dioec. l. IX, cap. 1, n. 5.

610. In *specie* vero potestas Episcoporum limitatur:

I. *Materia;* multae enim causae fori interni et externi non solum ex natura rei, v. g. definitiones fidei, sed etiam iure positivo reservatae sunt, v. g. concessio oratorii privati[152].

II. *Tempore;* nam facultates quaedam extraordinariae saepe ipsis tantum ad tempus, v. g. ad triennium vel quinquennium, conceduntur.

III. *Modo,* quo facultatibus acceptis uti debent. Etenim ne-

[150] Cfr. cap. 2, pr. de elect. I, 3, in Clem.; cap. unic., § Quidam autem, tit. 7, in Extravag. Ioann. XXII; Pii VI Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794, prop. 6, 7, 8; *Suarez,* De legib. l. VI, cap. 14, n. 4 sq.; *Bouix,* l. c. p. 101 sq.

[151] Cfr. cap. 4, X. de auctor. I, 8; *Suarez.* l. c. n. 6.

[152] *Suarez,* l. c. n. 6; *Bouix,* l. c. p. 104 sq.

gotia sibi commissa generatim expedire debent servatis sanctionibus iuris communis, v. g. in iudiciis exercendis vel poenis imponendis. Porro in non paucis casibus requiritur, ut Episcopi exigant consilium atque adeo obtineant consensum Capituli ecclesiae cathedralis vel aliarum personarum, quibus id a iure est permissum.

IV. *Loco;* unicuique Episcopo ex antiquissima Ecclesiae praxi [153] determinatum distinctumque territorium assignatum est, extra quod saltem *ordinarie* iura episcopalia cum apparatu pontificali exercere nequit, et idcirco eidem non paretur impune [154]. Quare Episcopus *regulariter* prohibetur extra suam dioecesim exercere iurisdictionem contentiosam, nisi verificetur casus can. 1637, non autem voluntariam (can. 201 § 3). Item in facultatibus extraordinariis forte adiuncta est clausula, quod Episcopus illis tantum uti possit *in locis* suae dioeceseos [155]. Neque quidquam obstat quominus *Rom. Pontifex* certum locum dioecesis sive plenissime sive partialiter iurisdictioni Episcopi subducat.

V. *Personis.* Episcopus fideles saltem ratione *domicilii* vel *quasi-domicilii* in paroecia dioecesis degentes tamquam veros *subditos* etiam vi iurisdictionis *personalis* sibi habet subiectos adeoque eos *ubique* a peccatis absolvit (can. 881, § 2) at nullus Episcopus alienus absolvere potest subditos a proprio suo Episcopo censura ab homine multatos, nisi ille consensum praestet (can. 2236 § 1). Porro quemadmodum Romanus Pontifex quoad locum, ita etiam certas personas intra dioecesim constitutas potest eximere a iurisdictione Episcopi. Qua duplice limitatione quoad *locum* et *personas* nititur praesertim illa restrictio ordinariae iurisdictionis episcopalis, quae inducta est per *exemptionem* v. g. regularium. Qui exempti cum subducti sint iurisdictioni Episcoporum, consequenter manent immediate subiecti soli Romano Pontifici exceptis casibus, ad quos R. Pontifex exemptionem ab

---

[153] Cfr. c. 17 Conc. Arelat. (a. 314); c. 9, 13, Conc. Antioc. (a. 341); c. 5 Conc. Carthag. (a. 345-348), iunct. *Hefele.* l. c. t. I, p. 599.

[154] Cap. 2, de const. I, 2, in Sext.; cap. unic. de foro comp. II, 2, in Clem.; Conc. Trid. Sess. VI, cap. 5, de ref., Sess. XIV, cap. 2, de ref., *Antonellus*, De loco legali.

[155] Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 145, 158, 1432, 1466 sq.

ordinaria iurisdictione Episcoporum non extendit aut eosdem constituit Episcopos Delegatos Sedis Apostolicae.

§ II. De amissione officii Episcoporum

611. Potestas *ordinis episcopalis,* quatenus nititur iure divino, in se et quoad usum validum amitti nequit, at quoad usum licitum amitti potest, ut late expositum est supra tit. VII.

At potestas *iurisdictionis* ita totaliter ab Episcopis amitti potest, ut actus forte in contrarium gesti non solum sint *illiciti,* sed etiam *invalidi.* Generatim vero Episcopi iisdem modis suam iurisdictionem amittunt, qui supra agendo de officiis in genere explicati sunt, sc.:

I. *Morte naturali,* per quam iurisdictio etiam in *Vicario generali* unum idemque tribunal cum Episcopo constituente *ipso facto* cessat atque in *Capitulum* ecclesiae cathedralis transfertur, saltem quatenus *ordinaria* est aut speciali iure de *extraordinariis* quoque facultatibus cautum est.

II. *Renuntiatione, permutatione, translatione,* prout supra expositum fuit.

III. *Extraordinaria dispositione Romani Pontificis,* etiamsi nullum delictum ab Episcopo commissum fuerit. Quae dispositio Rom. Pontificis valida et licita est, si fiat ob iustam et proportionatam causam; at ex sententia supra de origine iurisdictionis episcopalis propugnata necessario illud consequitur, quod Romanus Pontifex etiam *sine causa* possit *valide* privare Episcopum suo officio, etsi *licite* id facere nequeat. Cfr. *Bouix,* l. c. t. I, p. 360, sq.

IV. *Privatione* ob delictum patratum sive *ipso facto* incurrenda sive a Romano Pontifice per sententiam *condemnatoriam* infligenda. Quae amissio officii episcopalis a fortiori habet locum, si Episcopus incurrat poenam *depositionis* vel degradationis [156].

Quodsi de officio civili, ut Cancellarii, Ministri regii, v. g. Card. Ximenez et Richelieu, agatur, profecto potestas civilis ad tramites iustarum legum civilium Episcopum huiusmodi officio privare potest. At officium Episcoporum spirituale sive ec-

---

[156] *Bouix,* De Episcopo, t. I. p. 317 sq.; *Kober,* D. Depos. p. 379 sq.

clesiasticum, quod a potestate civili concedi nequit, etiam per depositionem a magistratibus civilibus statutam auferri non potest. Nam causae criminales contra Episcopos ab ipso tantum Romano Pontifice cognoscuntur et terminantur (can. 1557 § 1, 3°). Qui Romanus Pontifex providebit per privationem officii vel saltem administrationis episcopalis, si Episcopus propter delictum in foro civili commissum ineptus efficeretur ad dioecesim rite gubernandam vel a gubernio civili, speciatim ob rebellionem legitime probatam, apud Sedem Apostolicam in ius vocaretur. In praxi autem ita procedi solet, ut causa privationis sufficienter probata Episcopus invitetur ad resignationem officii sponte transmittendam; quod si renuat, etiam invitus privatur.

CAPUT II

De Coadiutoribus et Auxiliaribus Episcoporum

612. Fontes: Decr. Grat. C. VII, q. 1, C. VIII, q. 1. Compl. I, l. 1, t. 20, de offic. vicarii eiusque beneficio; cpl. III, l. I, t. 17, de off. vic.; cpl. V, l. I, t. 15, eod. — Decret. Gregor. IX, l. I, t. 28, de off. vic.; Decr. Bonif. VIII, l. I, t. 13, eod. — Conc. Trident. Sess. XIV, cap. 2, de ref., Sess. XXVI, cap. 7; cfr. de iure Eccl. Orient. Collect. Lac. t. II, v. Vicarius, Chorepiscopus, Periodeutae.

Scriptores: Comment. iur. Decret. in cit. titul.; *Zech*, Hierarchia eccl. tit. 26, de Coad. Episc. tit. 27, de var. Episc. Vicar.; *Sbrozius*, De Vicar. Episcop.; *Leuren.*, Tract... de Episcop. Vicar.; *Andreucci*, De tripl. Vicar.; *Pellegrinus*, Praxis Vicar.; *Ferraris*, v. v. Coadiut. Episcop. art. 7; *Thomassin.*, P. I, l. II, cap. 1, 2, cap. 55 sq.; *Zitelli*, App. iur. eccl. p. 104 sq.; *Benedict.* XIV, De Syn. dioec. l. XIII, c. 14; *Verm.-Cr.*, Epitome i. c. n. 464 ss.; *C. a Coronata*, Inst. i. c. I, p. 485 ss.

§ 1. Praenotiones

613. Notio et divisio. I. *Coadiutoria* in genere est officium adiuvandi beneficiarium in regimine beneficii[1]. Quod autem

[1] Cfr. de notione et divisione coadiutoris vel coadiutoriae in genere; *Leuren.*, Tract.. de Episcop. Vicar. q. 306 sq.; *Reiffenstuel*, l. III, tit. 6, n. 22 sq.

Episcopus aliorum adiutorio indigeat ex multis causis provenire potest: vel quia ab officio explendo aut ex toto aut ex parte est impeditus, v. gr. amentia, morbo, senio, aut licet sit sanus et viribus pollens, tamen vel ob amplitudinem dioecesis aut saltem ob multitudinem negotiorum quae in dioecesi etiam non valde ampla occurrunt aut propter eminentem dignitatem, qua fulget ipse Episcopus, necesse est aut valde utile et decens ut aliorum Praelatorum iuvamen habeat in sui muneris exercitio. A commentatoribus iuris Decretalium, is qui dabatur in auxilium Episcopo impedito praesertim dicebatur *Coadiutor*, qui vero Episcopo valenti *Vicarius*.

Horum Adiutorum Episcopi plures species distinguebantur: 1°) Alii dicebantur *Vicarii Episcopi in divinis*, inter quos maxime eminet *Vicarius in Pontificalibus* sive *Episcopus auxiliaris*, praesertim datus Episcopo ad exercitium variarum functionum pontificalium, nonnunquam etiam dictus Episcopus Suffraganeus. Alii dicebantur *Vicarii Episcopi in iurisdictione*, quibus praesertim admunerandus erat *Vicarius Generalis*, qui successit antiquis Archidiaconis.

2°) Distinguebantur Vicarii *ipso iure* instituti, quorum officium potius spectaret ad ordinariam administrationem dioecesis, ut olim Archidiaconus, deinde Vicarius Generalis. Alii erant ab homine constituti propter extraordinarias circumstantias cum congruis facultatibus, v. gr. *Coadiutor*.

3°) Quemadmodum in ipso Episcopo potestas *ordinis* et iurisdictionis simul coniunguntur, ita etiam non raro Vicarius Episcopo constituebatur utraque potestate pollens atque tum in divinis sive in pontificalibus tum in iurisdictione sive in spiritualibus eiusdem vices agens, ut frequenter accidebat in *Coadiutoribus* ordine episcopali insignitis.

Atque haec, ut intelligatur doctrina canonistarum, qui ante Codicem scripserunt, et applicari illa possit iuri Codicis; in quo de iuvamine ad ordinariam administrationem dioecesis cuiuslibet sub propria rubrica agitur sequentibus capitibus huius tituli, praesertim cap. IV, ubi de Vicario Generali.

II. *Iure Codicis* speciale iuvamen determinatis Episcopis aut dioecesibus datum continetur munere *Coadiutoris* vel *Auxiliaris*.

Coadiutor est Episcopus legitima auctoritate Ordinario loci

adiunctus ad eum iuvandum sive in administranda dioecesi sive in pontificalibus exercendis.

Distinguitur *Coadiutor* datus *personae* ob peculiares circumstantias, v. gr. infirmitatis, senii, multitudinis negotiorum, et *Coadiutor* datus *dioecesi*, v. gr. ob ipsius amplitudinem. Coadiutor qui datur personae *cum iure successionis* et qui datur sine illo iure et peculiari nomine dicitur Auxiliaris, et est ille ipse qui solebat vocari Vicarius in Pontificalibus et in pluribus locis Suffraganeus (can. 350).

Generatim quidem Coadiutores dantur *personae*, raro *sedi* et praescindendo a peculiaribus conditionibus personae, quae sedi praeest, ideoque sedi datus magis pendet in competentia ab Episcopo qui dioecesim in titulum habet, qui forte viribus pollens plura per se agere velit.

§ II. Notae historicae

614. A) *De Vicariis seu Auxiliaribus Episcoporum.* I. Cum religio christiana etiam extra civitates imperii Romani, in quibus Episcopi residere solebant, magis propagaretur, in subsidium Episcoporum civitatensium ruri quoque constituti sunt Episcopi seu potius Chorepiscopi. Qui Chorepiscopi sive ruris Episcopi quoad rem iam a. 269, in epistola Synodi Antiochenae contra Paulum Samosatenum commemorantur [2] et expressis verbis in Conciliis saeculo quarto in Ecclesia Orientali [3] celebratis. At utrum fuerint vero *ordine episcopali* insigniti, an potius *presbyteri* cum aliquibus praerogativis episcopalibus, usque in hodiernum diem inter doctores controvertitur [4]. Profecto Concilium Laodicenum (a. 343-381) c. 57, prohibuit institutionem Chorepiscoporum et in illorum locum voluit substituere *visitatores* (presbyteros) [5]. Qui canon Concilii particularis ne in ipsa quidem Ecclesia *Orientali* plenam vim obtinuit; nam subsequentibus quoque saeculis Chorepiscopi ibidem reperiuntur [6]. At paulatim etiam in Oriente Chorepiscopi, nomen retinentes, ad gradum quendam superiorum *presbyterorum* sunt reducti, nisi interdum potius omnino fuerunt exstincti. Qua ratione ibidem *Chorepiscopi* ad *instar* Vicariorum foraneorum praesunt tanquam inspectores super regionem, quae ad *civitatem* cathedrae episcopalis pertinet, cum *Periodeutae* per modum Decanorum *ruralium* praesint *pagis* dioecesis. Cfr. Synod. Montis Liban. (a. 1736) in Collect. Lac. t. II, col. 283 sq.; Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888) p. 246 sq.

II. In Ecclesia *Occidentali* Chorepiscopi pro more Ecclesiae Orientalis constituti expressis verbis non commemorantur; at cum ibidem iam saeculo tertio etiam ruri in parvis vicis et oppidis, praesertim in Africa, Episcopi quamplurimi instituerentur, quoad rem Episcopi rurales non defuerunt, eo tantum discrimine quod contra praxim orientalem Episcopo civitatensi

---

[2] *Euseb.*, Histor. eccl. l. VII, cap. 30, n. 10

[3] Cfr. c. 14, Conc. Neocaesar. (a. 314-325), (Chorepiscopi sunt imitatores 70 discipulorum Christi); c. 13 Conc. Ancyr. (a. 314), iunct. *Hefele,* l. c. t. I, p. 231 sq.; unde constat Chorepiscopis ordinationem presbyterorum et diaconorum non fuisse permissam; c. 8 Conc. Nicaen. (a. 325), de retinendis Episcopis conversis ut Chorepiscopis; c. 8, 10, Conc. Antioch. (a. 341), ubi decernitur Chorepiscopos *etiamsi ordinationem episcopalem recepissent,* non posse ordinare presbyteros vel diaconos sine consensu Episcopi civitatis, ad quam Chorepiscopus pertineat; at ordinatio lectorum, subdiaconorum et exorcistarum eisdem non fuit interdicta; c. 6 Conc. Sardic. (a. 343), prohibetur ordinatio *Episcopi* in *vico* aut in modica civitate, cui sufficiat unus *presbyter.*

[4] *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 1, 2; *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. III, cap. 3, n. 6, 7; *Phillips,* l. c. t. II, p. 97 sq. aliique, v. g. *Petavius,* Chorepiscopos saltem antiquos vero *ordine episcopali* insignitos fuisse defendunt; alii, v. g. *Wandinger* in Kirchenl. v. Chorbisch. cum Thomassino viam quandam mediam tenent, si Chorepiscopos *ordinarie presbyteros* fuisse opinantur, hinc inde vero *Episcopos;* denique *Hinschius,* l. c. t. II, p. 162, aliique, suas opiniones falsas de successiva origine Episcoporum applicantes, Chorepiscopos dicunt *praesides presbyteriorum* ruralium. Inter diversas opiniones illa merito praefertur quae tenet *antiquos* Chorepiscopos, in Ecclesia *Orientali* saltem, ordinarie fuisse insignitos vero *ordine episcopali.* Id manifeste colligitur ex cit. c. 10 Conc. Antiocheni; porro in Conciliis Neocaesariensi, Nicaeno, et Ephesino *medios* inter alios Episcopos decreta subscripserunt. Cfr. *Phillips,* t. c.; *Hinschius,* t. II, p. 162 sq.; *Pesch,* Praelect. dogmat. t. VII, n. 669; *Gillmann,* Chorbischoefe im Orient. (1903).

[5] *Hefele,* l. c. t. I, p. 773 sq.

[6] Cfr. c. 2 Conc. Chalced. (a. 451); L. 42 § 9, D. de Episc. I, 3, (a. 528); c. 14 Conc. Nicaen. II (a. 787) Chorepiscopi secundum morem antiquum ex mandato Episcopi dicuntur posse ordinare lectores.

non fuerint *subiecti*, sed ut comprovinciales coordinati[7]. Propter multas exiguasque dioeceses etiam in *Italia* Chorepiscopi non reperiuntur, et pro *Hispania* hucusque saltem certa demonstratio non existit (cfr. *Hefele*, l. c. t. II, p. 592). Porro c. 3 Conc. Regensis (Riez) (a. 439) in *Gallia* sane Episcopus Armentarius in poenam delicti secundum allegatum c. 8 Concilii Nicaeni (a. 325) dicitur redigendus ad *nomen Chorepiscopi* vel ad communionem peregrinam[8]. Quo ex facto singulari officium Chorepiscopi in Gallia illo tempore *generatim* fuisse receptum sufficienter non probatur; multoque minus aliquid eruitur ex Pseudo-Isidoro aliisque fontibus spuriis[9].

Negari autem non potest saeculo octavo in regno Francorum nomen et officium Chorepiscoporum denuo reperiri, e quibus nequaquam *omnes in* presbyteratus gradu constituti videntur caruisse *ordine episcopali*, v. g. Lullus aliique Chorepiscopi, qui Episcopis missionariis ad ministerium apostolicum implendum dati sunt. Id autem valet a fortiori de iis Chorepiscopis, quibus Rabanus Maurus tribuit potestatem iuxta praecepta suorum Episcoporum diaconos et presbyteros *ordinandi et confirmandi*[10].

At vix in dubium vocari potest ex nova illa institutione mox graves abusus ortos esse[11]. Hinc mirum non est quod iam ante Pseudo-Isidorum potestas Chorepiscoporum per ipsa Conciliorum decreta[12] fuerit limitata. Contra Chorepiscopos potissimum insurrexerunt Hincmarus Remensis et Pseudo-Isidorus[13],

---

[7] Cfr. Conc. Hippon. (a. 394), c. 6, (sec. ser.); Conc. Cart. III, (a. 397), c. 5; c. 4, Conc. Tolet. XII, (a. 681).

[8] *Hefele*, l. c. t. II, p. 289 sq.

[9] *Phillips*, l. c. p. 105, 107; *Hinschius*, t. II, p. 164.

[10] Epist. Zachariae Papae ad Pippinum (a. 447); epist. S. Bonif. ad Stephan. III, (a. 755); *Scherer*, l. c. p. 597; *Hinschius*, l. c. p. 164 sq.

[11] Cfr. c. 4 Synod. Aquisgran. (a. 836) de vita infer., ubi carpitur avaritia Chorepiscoporum; c. 44 Conc. Meldens. (a. 845) de Chorepiscopis propter desidiam et saecularem pervagationem Episcoporum assumptis; *Phillips*, l. c. p. 105 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 165 sq.

[12] Cfr. c. 27 Conc. Paris. (a. 829), ubi confirmatio aliaque Episcopis reservata illis interdicuntur; c. 44 Conc. Meldens. (a. 845), quo Chorepiscopis prohibetur conficere chrisma, confirmare, consecrare ecclesias et conferre illos ordines, in quibus *impositio manuum* adhibetur.

[13] *Phillips*, l. c. p. 107 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 164, 167 sq. Cfr. quoque c. 8 Synod. Metens. (a. 888), iunct. *Hefele*, l. c. t. IV p. 546.

cum Rabanus Maurus susciperet ipsorum patrocinium[14]; ipsi Romani Pontifices eodem saeculo nono Chorepiscopis nondum fuerunt contrarii[15]. Nihilominus graves abusus iuncti acri illi impugnationi atque auctoritati spuriarum Decretalium Pseudo-Isidori, quas postea etiam Gratianus[16] suo Decreto inseruit, tandem effecerunt ut officium Chorepiscoporum in Gallia ex saeculo decimo, vix retento nomine, fere penitus exstingueretur. Quae exstinctio vel potius transformatio officii Chorepiscoporum in officia Archidiaconorum vel Archipresbyterorum vel Decanorum ruralium in Germania, Anglia et Hibernia[17] in remotiora incidit tempora; at saeculo duodecimo et decimo tertio etiam ibidem Chorepiscopi evanescunt.

III. Abrogatis Chorepiscopis, in subsidium Episcoporum praesertim ad functiones pontificales peragendas, paulatim introducti fuerunt Vicarii in pontificalibus. Illi Vicarii, qui nunc Episcopi titulares esse solent et praepositi alicui sedi, clero populoque carenti, ordinarie in partibus infidelium sitae, suam originem repetunt ex Episcopis saeculo septimo et octavo suis sedibus in Oriente et Hispania pulsis. Qui Episcopi iuribus in suas sedes nequaquam censebantur spoliati[18], immo ipsis defunctis interdum novi ordinabantur successores[19]; interim vero Episcopis, a quibus hospitio fuerant recepti, suppetias tulerunt[20].

Postquam regiones orientales, per expeditiones in terram

---

[14] *Raban. Maur.*, De instit. clericor. cap. 5, De Chorepiscopis (Si liceat Chorepiscopis presbyteros et diaconos ordinare cum consensu Episcopi sui) apud *Migne*, P. L. CVII, 301, CX, 1195 sq.

[15] Cfr. epist. Nicolai M. († a. 867), ad Oswald. Chorep. in c. 6, 39, D. 50.

[16] Cfr. c. 4, 5, D. 68; c. 25. C. I, q. 7, cum dicto Gratiani.

[17] Synod. nation. Hibern. (a. 1152), iunct. *Hefele*, l. c. t. V, p. 531 sq. et const. Simon., Episc. Mid. a. 1216.

[18] Cfr. c. 37 Conc. Trullan. (a. 692), iunct. c. 37 Apost. et c. 18 Conc. Antioch. (a. 341), et *Hefele*, l. c. t. III, p. 335; *Kohn*, in Arch. f. k. K. t. 46, (a. 1881), p. 201 sq.

[19] Cuius rei rarum exemplum est Caesarius Abbas, qui in Synod. Compostell. (a. 971), promotus fuit ad sedem archiepiscopalem civitatis Tarraconensis a Saracenis occupatae. Cfr. *Hefele*, l. c. t. IV, p. 570.

[20] Cfr. Synod. Oveten. in Hispania (a. 877?); *Mansi*, Collect. Conc. t. VIII, p. 219; *Hefele*, l. c. p. 509; *Scherer*, l. c. p. 598; *Hinschius*, l. c. p. 171 sq.

sanctam a christianis recuperatae, denuo subiectae fuerunt dominationi infidelium vel schismaticorum [21], inde a saeculo decimo tertio Episcopi catholici praesertim ritus latini, qui ibidem fuerant constituti, suis sedibus depulsi in regiones occidentales migrarunt et ab Episcopis residentialibus in subsidium functionum pontificalium admissi sunt. Quodsi ex illis Episcopis, qui interdum fuerunt plane ignoti et vagabundi, non levia damna orta sunt [22], insuper gravissimus abusus accessit, quod multi, praesertim religiosi, nec digni nec idonei frequenter et improvide ad titulum ecclesiarum in partibus infidelium consecrarentur Episcopi. Quare ineunte saeculo decimo quarto Clemens V, cap. 5, de elect. I, 3, in Clem. provisionem dioecesium clero populoque carentium Sedi Apostolicae reservavit. Inde factum est ut ab Episcopis, ob amplitudinem dioecesium aliasque ob causas ad assumendos Vicarios in pontificalibus adactis, necessario Romanus Pontifex fuerit adeundus. Qui compluribus in regionibus, v. g. in Germania, saeculo decimo quinto huiusmodi Vicarios in pontificalibus (sive Episcopos *titulares*, auxiliares suffraganeos, annulares, nullatenses, in partibus infidelium) communiter et stabiliter propter rationes haud spernendas concessit Episcopis [23]. In ipsa quoque Curia romana introducta est praxis assumendi Episcopos titulares, ut Romano Pontifici praesto essent clerici, qui cum dignitate et auctoritate negotia Sedis Apostolicae tractarent.

At vel ex solis actis et decretis Concilii Tridentini [24] luculenter patet Constitutione Clementis V non omnes abusus Episcoporum titularium fuisse ablatos, in quibus auferendis Tridentina illa decreta meliorem exitum habuerunt.

615. B) *De Episcoporum Coadiutoribus.* Primis Ecclesiae temporibus cum haud raro clerici aetate iam provecti ad officium Episcoporum promoverentur, facile accidit, ut Episcopus senio morbisque confectus suo muneri non iam solus plene satisfacere posset. Porro Ecclesia pro suo principio constanter retento: « *Afflicto afflictio non est addenda* », non eo procedere consuevit, ut Episcopum aegrotum et debilitatum a suo officio *invitum removeret*, sed eidem potius cooperatorem quendam constituit [25]. Idem pariter obtinuit, si praeter senium vel morbum *aliae* essent causae, ob quas Episcopus sive ad tempus sive in perpetuum a perfecta dioecesis administratione impediretur et aliena indigeret opera.

Cuius disciplinae prima vestigia iam occurrunt ineunte saeculo tertio, cum a. 212 Alexander, Episcopus in Cappadocia ordinatus [26], a fratribus ecclesiae Hierosolymitanae et consentientibus Episcopis vicinarum ecclesiarum *Coadiutor* [27] daretur Narcisso, Episcopo Hierosolymitano et seni 116 annorum. Similiter saeculo quarto S. Gregorius (theologus) in functionibus episcopalibus adiuvit patrem suum, qui fuerat Episcopus Nazianzenus, et S. Basilius quoque idem fere auxilium praestitit Eusebio, Episcopo Caesariensi. Celeberrimum vero exemplum suppeditat S. Augustinus, qui exposcente Valerio, Episcopo Hipponensi, cum acclamatione universae plebis et approbatione vicinorum Episcoporum et Primatis Numidiae et Archiepiscopi Carthaginiensis (a. 395-396), coepiscopus consecratus est [28]. Quod propter Concilii Nicaeni (a. 325) vetitum (c. 8) fieri non debuisse, et ipse Valerius et Augustinus quoque (ut ipse fatetur) eo tempore penitus ignorabant [29]. Quodsi ex iure antiquo prospiciendum fuit ne *duo* simul essent in una ecclesia Episcopi (Sacerdotes [30]) pariter sacris canonibus non fuit consonum,

---

[21] *Kohn*, l. c.; *Scherer*, l. c. p. 599; *Hinschius*, l. c. p. 172.

[22] Cfr. c. 49 Synod. Mogunt. (a. 1261); c. 24 Synod. Ravennat. (a. 1311); c. 4 Synod. Ravennat. (a. 1314).

[23] *Hefele*, l. c. t. VI, p. 553, 617, 997.

[24] Sess. XIV, cap. 2, de ref.; *Theiner*, Acta gen. Conc. Trid. t. II, p. 265. Cfr. quoque c. 8 Synod. Petrocov. in Polonia (a. 1520); decret. reform. Ratisbon. (a. 1524), art. 20; *Pallavicin.*, Storia del Conc. di Trento l. XX, c. 4, 6, 8. Cfr. de Episcopis honorariis sive titularibus et coadiutoribus in Ecclesia Orientali: Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 242 sq.; Synod. Alexandr. (a. 1898). p. 200.

[25] Cfr. c. 2, C. VII, q. 1 (S. Greg. a. 591); cap. 5, X. de cler. aegr. iunct. reliq. cap. eiusd. tit.

[26] *Euseb.*, Histor. eccl. l. VII, cap. 11.

[27] Cap. 5, de cleric. aegr. (Innoc. III, a. 1204).

[28] *Possidius*, Vita S. August. cap. 5, 8; *S. Paulinus* Nolan., in Epist. scr. a. 396 = c. 12, C. VII, q. 1.

[29] Possidius, l. c. cap. 8; S. August. epist. 213, n. 4, apud *Migne*, P. L. XXXIII, 967; *Hefele*, l. c. t. I, p. 411, not. 2.

[30] S. Cypr. in c. 5, 6, C. VII, q. 1; c. 8, Conc. Nicaen. (a. 325); Hilarii Papae epist. ad Ascan. Tarracon. (a. 465), cap. 3, apud *Thiel*, Epist. Rom. Pont. p. 170, iunct. p. 168; cap. 14, X. de off. iud. ord. I, 31,

si ipsi Episcopi vivi sibi constituerunt Coadiutores cum iure successionis tantum [31].

Quare Romani Pontifices et Concilia provincialia, cum Episcopus aegrotus vel debilis simplici presbytero non posset committere functiones *ordinis episcopalis* [32], viam quandam mediam tenuerunt atque Episcopum quendam vicinum requirendum esse statuerunt ut *dispensatorem* [33], qui pro more tempore sedis vacantis recepto auxilia praestaret.

Quae praxis in casibus particularibus difficultate non caruit; ideo mirum non est, quod Romani Pontifices subsequentibus saeculis hinc inde ab illa recesserint. Qua ratione S. Bonifacius a. 748 a Zacharia Papa aegre obtinuit potestatem, ut ipse sibi ordinaret successorem [34]. Neque desunt casus in quibus Episcopis aegrotis et debilibus dati fuerint Coadiutores cum iure successionis [35].

At Bonifacius VIII primus fuit Romanus Pontifex [36], qui indubitanter expressisque verbis concessionem Coadiutoris episcopalis sive *temporanei* sive *perpetui* cum iure successionis *Sedi Apostolicae reservavit,* salva imprimis illa limitatione, quod praecipue in remotis regionibus Episcopus, senio vel alias *perpetuo* impeditus, de consilio et assensu maioris partis sui Capituli ex auctoritate apostolica *posset* assumere unum vel duos Coadiutores. Si vero Episcopus *demens* factus esset, ipsum Capitulum, dummodo duae tertiae partes consentirent, ex eadem auctoritate apostolica assumere valeret unum, vel duos

[31] Cfr. c. 76 Apost. iunct. c. 23 Conc. Antioch. (a. 341); Synodus Romana (a. 462), et c. 5 Synod. Rom. (a. 465) Hilarii Papae contra abusus in Gallia et Hispania iunct. *Hefele,* l. c. t. II, p. 589 sq., 592 sq.; c. 12 Conc. Aurel. V, (a. 549); c. 3, (2), Conc. Paris. (a. 614); c. 22 Conc. Latunens. (a. 670-673), iunct. *Hefele,* l. c. t. III, p. 107 sq. Quae disciplina in Africa pleno rigore non videtur fuisse recepta. Cfr. S. Aug. cit. epit. 213, apud *Migne,* l. c. n. 966 sq.

[32] Cfr. c. 30 Conc. Arausic. (a. 441).

[33] S. Gregor. M. (a. 601) et Nicol. M. (a. 858-867), in cit. c. 1, 4, C. VII, q. 1; can. 30 cit. Conc. Arausic.

[34] Cfr. c. 17, C. VII, q. 1.

[35] *Hinschius,* l. c. p. 251.

[36] Innoc. III. cit. cap. 5, X.de cler. aegr. III, 6, concessionem Coadiutoris etiam temporalis *nondum* expressis verbis Rom. Pontifici reservatam esse statuit. Cfr. *Passerin.,* Comment. in cap. unic. de cleric. aegr. III, 5, in Sext. n. 11; *Scherer,* l. c. p. 601, not. 20,

Coadiutores ea conditione adiecta, ut quam primum universum negotium ad Sedem Apostolicam referretur. Quae relatio pariter a Capitulo erat facienda, si Episcopus perpetuo impeditus, de quo supra, non obstante requisitione Capituli nollet assumere Coadiutorem [37]. Quae sanctio Bonifacii VIII et disciplina in Curia Romana probata eam acceperat interpretationem, ut Capitulum, salvo officio Vicarii generalis iam existentis et omissa constitutione Coadiutoris, casum dementiae quamprimum ad Sedem Apostolicam deferret, licet ius Bonifacii VIII de Coadiutoribus *Episcoporum* per *generalem* legem Concilii Tridentini Sess. XXIV cap. 19, de ref., qua mandata de providendo, exspectativae et similia indulta abrogabantur, per se non fuisset sublatum. Immo quamvis ex Sess. XXV, cap. 7, de ref., posthac coadiutoriae cum futura successione generatim in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis non amplius permitterentur, tamen ab illa prohibitione disertis verbis excepti fuerunt casus, in quibus ecclesiae cathedralis aut monasterii urgens necessitas aut evidens utilitas postularet Praelato dari Coadiutorem a Romano Pontifice.

§ III. Disciplina vigens

616. I. Constitutio Coadiutoris vel Vicarii nunc est reservata Rom. Pontifici (can. 350 § 1). Quodsi in non paucis dioecesibus, v. gr. in Germania, Hungaria, Hispania, Lusitania, Italia etc., Auxiliares seu Vicarii in pontificalibus forte iam ex compluribus saeculis ad instar *stabilium* Officialium dioecesis assumi *solent,* id ex *privilegio* expresso Sedis Apostolicae vel ex legitima *consuetudine* est repetendum [38]. Quare cum ad illud munus deputentur Episcopi titulares, non Archiepiscopi titulares, ubicumque in aliqua dioecesi stabiliter Auxiliaris constituitur, successori idem titulus dioecesis non conceditur quem obtinuerat praedecessor, ne paulatim invalescat opinio titulum illum adnexum esse officio Auxiliaris in illa dioecesi obeundo [39].

[37] Cap. unic. de cleric. aegr. III, 5, in Sext.; *Passerin.,* l. c. in cap. unic. de cler. aegr. in Sext.; *Scherer,* l. c. p. 601, not. 20, ubi recte nimiam extensionem illius cap. unic. ad *omnes* dioeceses (cfr. *Hinschius,* l. c. t. II, p. 252), etiam non sitas in remotis regionibus reicit.

[38] *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. II, cap. 7, XIII, cap. 14, n. 5 sq.

[39] *Benedict. XIV,* l. c. l. XIII. cap. 14, n. 8 sq., 11 sq. Cfr. *Ferreres,*

Coadiutoris quoque constitutio, cum iure successionis, ita est reservata Romano Pontifici, ut neque Capitula iure eligendi praedita neque Gubernia, quibus competit ius praesentandi vel nominandi, possint eligere vel praesentare Coadiutorem cum futura successione. Nam in ordinario iure eligendi vel praesentandi vel nominandi ex constanti praxi S. Sedis eadem facultas non censetur concessa etiam in ordine ad designandum Coadiutorem cum futura successione, nisi disertis verbis exprimatur in indulto apostolico. (Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 7, de ref.). Immo etiamsi agatur de Coadiutore Episcopi *sine futura successione*, huiusmodi causa tanquam maior iam ex Bonifacii VIII, cap. unic., de cleric. aegr. III, 5, in Sext., Sedi Apostolicae erat reservata; limitationes vero memorati cap., supra in notis historicis allatae, per Codicem fuerunt sublatae, cum iam ex disciplina vigente pro facilitate commercii non amplius erant practici momenti, eo quod Sedes Apostolica iamdiu solebat directe et per se, non per potestatem delegatam, providere dioecesi, si Episcopus in officio suo exercendo esset perpetuo impeditus [40].

617. II. **Causae,** ob quas Coadiutor Episcopo est concedendus, a Romano Pontifice sunt diligenter cognoscendae. (Cfr.

Inst. I, 665. Quare v. gr. decreta Gubernii gallici 7 Ian. 1808 aliaeque ordinationes, hisce decretis innixae, valore iuridico caruerunt; *Giobbio*, Lez. di diplom. eccl. t. II, n. 282 sq. Facile tamen S. Sedes clericum ab Episcopo in supplicatione commendatum ad officium Auxiliaris promovet, audito voto S. C. Consistorialis. Nequaquam vero Auxiliaris necessario ex canonicis eccl. cathedralis assumi debet, ut expresse declaravit *Card. Consalvi*, Esposizione d. sent. di S. Sant. (Pii VII), a. 1819.

[40] *Schmalzgr.*, l. c. l. III, tit. 6, n. 12 sq.; *Santi*, l. c. eod. lib. et tit. n. 7; *Leuren.*, l. c. q. 326 sq., 330 sq.; *Giobbio*, l. c. t. II, n. 286 sq. Quodsi agatur de ecclesia cathedrali, quae praevia *electione* Capituli vel *nominatione* regia concedi solet, consensus eorum, qui iure eligendi vel nominandi potiuntur, a Sede Apostolica de facto solet praerequiri, si agitur de dando Coadiutore *cum iure successionis*, nisi R. Pontifex ob speciales circumstantias de suo iure consensum Capituli vel votum principis non exigendum esse putet. *Leuren.*, l. c. q. 352 sq., 424 sq.; *Benedict. XIV*, l. c. l. XII, cap. 10, n. 24; *Scherer*, p. 602, not. 23, ubi tamen ex unico exemplo contrario et plane singulari nimium deducit; *Giobbio*, l. c. t. II, n. 286, 287. Cfr. conventionem a S. Sede initam a. 1890 cum Gubernio Angliae pro Insula Melitensi: «*La quale pratica* (avviso preventivo al

Conc. Trid. l. c.). Id autem fit a S. C. Consistoriali, nisi forte Episcopo vel Vicario Apostolico, S. C. de Propaganda F. subiecto, Coadiutor sit deputandus. Quae causa ad Coadiutoriam temporalem generatim est *perpetuum impedimentum Coadiuti* in officio episcopali *rite* implendo, v. g. gravis infirmitas perpetua, senium etc.; ad concedendam vero Coadiutoriam *perpetuam*, praeter urgentem necessitatem vel evidentem utilitatem ecclesiae cathedralis a Conc. Trid. l. c. requisitam, *accedere* potest etiam favor quidam *Coadiutoris* deputandi, nec negliguntur aliae rationes extrinsecae a persona *Coadiuti* alienae, v. g. periculum discordiarum vel protractae vacationis vel perversionis plebis [41]. Cum vero nostra aetate iam in dioecesibus reperiantur Vicarii generales in spiritualibus et saepe Vicarii in pontificalibus cum ampla potestate, sane non tanta est necessitas Episcopo debili, sed pleno usu rationis gaudenti, constituendi Coadiutorem.

Minus graves causae solent requiri ad nominationem Auxiliaris, v. gr. dignitas Cardinalitia in Episcopo aut amplitudo dioecesis vel multitudo negotiorum.

Qualitates Coadiutoris Episcopi, si is cum iure *successionis* reputetur aut Episcopus titularis *consecretur,* quod ius Codicis supponit semper fieri, certe eaedem esse debent, quae a iure in Episcopis requiruntur. Cfr. Conc. Trid. l. c.

618. III. **Apprehensio possessionis.** Quilibet Coadiutor legitime nominatus necesse est ut ante exercitium muneris eius canonicam possessionem capiat; hoc autem fit per exhibitionem litterarum apostolicarum Episcopo coadiuto factam. Quodsi Coadiutor vel sedi fuerit datus vel personae, sed cum iure successionis, debet praeterea easdem litteras apostolicas exhibere

---

Governo inglese) *si estenderà ancora ai casi di nomine di Amministratori Apostolici e Coadiutori con futura successione*»; concordatum Pii VI cum regina Lusitaniae (a. 1778); «*Quod integrum liberumque sit Apostolicae Sedi ius admittendi pro lubitu cum futura successione Coadiutorias; quavis remota limitatione, perinde ac si praesens concessio minime peracta foret*».

[41] *Schmalzgr.*, l. c. n. 18 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 325 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 253, ubi *legitimas* illas rationes *extrinsecas* ab *abusibus recte notatis* non sufficienter videtur secernere. Cfr. quoque *Scherer*, l. c. p. 602, not. 22.

Capitulo cathedrali ea ipsa forma, quam pro Episcopo residentiali praescribit can. 334, § 3. Si vero Episcopus eum in statum inciderit, ut eliciendi actus humani sit impos, sufficit et requiritur ut litterae apostolicae soli Capitulo exhibeantur (can. 353 § 3). Sicut autem concessio Coadiutoriae cum iure successionis est concessio tituli dioecesis collata in tempus, quo Coadiutus aut obierit aut alia ratione titulum amiserit, ita apprehensio possessionis in ineundo munere Coadiutoris facta satis est ad suscipiendum sine nova possessione regimen dioecesis vacantis (c. 355, § 1).

619. Iura et officia. *Iura* Coadiutoris dati *personae* Episcopi distinguenda sunt a iuribus Coadiutoris dati *sedi*.

A) *Si Coadiutor datur sedi*, ipsi competit *in territorio* ea quae sunt ordinis Episcopalis exercere, excepta sacra ordinatione; in aliis rebus tantum potest, quantum eidem a S. Sede vel ab Episcopo fuerit commissum (can. 352). Videlicet est adiutorium datum Episcopo dioecesis, quo ipse pro suo prudenti arbitrio libere uti potest. Quodsi potestas ad ea quae sunt ordinis episcopalis videatur restricta ad territorium, id intelligendum est de potestate propria et vi muneris; quare ad exercitium pontificalium *extra dioecesim* non ipsi opus est *indulto Apostolico*, sed iuxta praxim receptam et ab ipsa S. C. C. 22 Aug. 1626 approbatam certe *sufficit*, ut obtenta venia discedendi a proprio Episcopo dioecesano etiam consensus Ordinarii loci accedat [42].

B) **Iura** Coadiutoris dati personae Episcopi ad haec reducuntur:

a) *Potestas* ipsius imprimis eruenda est ex tenore litterarum apostolicarum, quibus Coadiutor deputatus est sive ad *tempus cum onere* coadiuvandi Episcopum, sive in perpetuum aut cum iure successionis. In quantum in memoratis litteris deputationis aliud non caveatur:

1°) Si Coadiutor datur Episcopo *totaliter inhabili*, v. g.

[42] Cfr. *Fagnan.*, in cap. 1, X. V, 33, n. 48 sq.; *Benedict. XIV*, De Syn. dioec. l. XIII, cap. 14, n. 6,7, qui innititur decretis Pii IV, (a. 1565), et Pii V; at authentiam illius decreti Pii V concludenter non probat nec rationem decreti posterioris S. C. C. supra allegati attendit. Cfr. *Kohn*, in Archiv. f. k. K. t. 46, p. 245 sq.

amenti, *universa* potestas Episcopi sive ordinaria sive delegata in spiritualibus et temporalibus transit in Coadiutorem.

2°) Si Coadiutus non est prorsus inhabilis, Coadiutor quoad potestatem dependet ab illo et ea dumtaxat potest quae ipsi ille commiserit. Quare si Coadiutus sit *sui compos*, nequit Coadiutor invito Coadiuto sese immiscere in exercitio pontificalium vel iurisdictionalium facultatum, quibus Coadiutus *per seipsum* potest et vult defungi, aut quae per Coadiutorem fieri ex rationabili causa vetat. At ex altera parte Episcopus, si habeat Coadiutorem et impeditus sit, non potest functiones *alteri*, praesertim generaliter, *delegare* quam Coadiutori, qui illas per se exercere vult et potest [43], nec valet *revocare*, quae Coadiutor gessit in casibus sibi a iure permissis vel ex potestate in litteris deputationis sibi facta (can. 351 § 3).

3°) Cum Auxiliaris detur in subsidium ministerii *ordinis* episcopalis, huius potestas plerumque reducitur ad ius exercendi pontificalia iuxta *ordinationes* generales vel speciales ab Episcopo dioecesano datas. Non raro tamen tribuuntur ipsi aliae potestates in munere Auxiliaris non contentas, v. gr. nonnumquam simul fit Vicarius Generalis [44].

b) *Iura utilia* in *beneficium Coadiuti* non spectant ad Coadiutorem [45], sed ad Coadiutum; attamen Coadiutor vocatus ad *servitia* praestanda per se habet ius ut ipsi congrua *sustentatio* ex mensa episcopali et habitatio conveniens assignetur inde a die captae possessionis Coadiutoriae, nisi aliunde iam sit provisum. Quodsi mensa episcopalis huic oneri ferendo par non est, aliis modis ordinarie in litteris apostolicis iam expressis

[43] Cfr. S. C. Ep. et Reg. 25 Sept. 1623; *Ferraris*, l. c. n. 60, iunct. *Scherer*, l. c. p. 603, not. 29; *Leuren.*, l. c. q. 441, unde liquet per se Vicarium generalem Coadiuti non excludi.

[44] Ad potestatem Coadiutoris seu Auxiliaris aliqua ratione pertinet, quod Episcopus Coadiutus possit per illum visitationem SS. Liminum peragere (can. 342), et quod loco sui Coadiutorem mittere possit ad Concilium plenarium vel provinciale (can. 282, 286), et ad conferentias episcopales (can. 292).

[45] Cfr. cap. 1, X. de cleric. aegr. III, 6; *Schmalzgr.*, l. c. n. 8 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 421 sq.

Coadiutoris sustentatio est procuranda [46]; et idcirco de sustentatione Coadiutoris nihil in particulari memorat Codex.

c) *Iura honorifica* Coadiutorum, cum Episcopi *titulares* sint, facile innotescunt ex iis, quae de honoribus et privilegiis Episcoporum titularium can. 349 sanciuntur. In specie Coadiutori competit locus immediate *post* Coadiutum atque *praecedit* omnibus aliis, qui respectu illius sunt inferiores [47].

Obligationes Coadiutoris, qui datus est ad supplendam administrationem Coadiuti impediti, generatim in hoc consistunt ut ipsius *Episcopi* atque *ecclesiae*, pro cuius regimine adiuvando vocatus est, *curam gerat* ad tramites mandati apostolici; sicut autem ad hoc habet omnia iura Episcopi ita habet omnes obligationes (can. 351 § 2), excepta, ut videtur, applicatione Missae pro populo.

Quilibet Coadiutor ut suis obligationibus satisfacere possit, *residere* debet in loco residentiae *Coadiuti* salvo trimestri a iure concesso, neque inde discedere potest absque consensu eiusdem Coadiuti, etiamsi *ille* ab onere residendi pariter *non* sit exemptus. Porro tenetur, quoties fuerit a Coadiuto etiam non impedito requisitus, pontificalia aliasque functiones episcopales exercere ad quas Episcopus ipse teneretur (can. 351, § 4).

620. V. **Expirat** officium et potestas Coadiutoris *temporalis* seu Auxiliaris per *mortem* naturalem vel *resignationem* vel *privationem* Episcopi cuius est Auxiliaris, nisi aliud in litteris apostolicis caveatur.

Coadiutor vero *perpetuus* seu cum iure successionis, Coadiutoriam in casibus enumeratis vacationis ut *Coadiutoriam* veram pariter amittit, et ipsius *ius ad rem* ex concessione apostolica Coadiutoriae obtentum potius transit *in ius in re*, atque *ipso facto* vacationis sedis episcopalis et *sine nova collatione*

---

[46] Cfr. cap. unic. de cleric. aegr. III, 5, in Sext.; *Leuren.*, l. c. q. 423; *Ferraris*, l. c. n. 31 sq.

[47] Cfr. de huiusmodi iuribus honorificis et liturgicis resolutiones S. R. C. 21 Ian. 1561 (?) et Sept. 1698, apud *Ferraris*, l. c. n. 42 sq.. et S. R. C. 30 Sept. 1596. (Coadiutores cum futura successione in Conc. prov. sedent iuxta tempus eorum promotionum), 11 Mart. 1882, (Coadiutor Archiepiscopi cum fut. succ. non est nominandus in canone, sed Archiepiscopus coadiutus tantum) in Decr. auth. n. 60, 3538; *Leuren.* l. c. q. 403, 419.

fit proprius Episcopus dioecesis, in qua « *ex nunc, prout ex tunc* » Coadiutor Episcopi fuerat constitutus [48].

Tandem Coadiutor *sedi* datus etiam sede vacante in officio perseverat (can. 355 § 3).

CAPUT III

De Synodis dioecesanis

621. Fontes: Decret Grat. Dist. 18 — Cap. 9, X. de maior. et ob. I, 33; cap. 25, X. de accus. V, 1; cap. 17, X. de privil. V, 33; cap. 6, de privil. V, 7, in Sext. — Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 2, 18, de ref., Sess. XXV, cap. 2, 4, 10 de ref.; Benedict. XIV Const. " *Quamvis* ,, 26 Aug. 1741; Pii VI Const. " *Auctorem fidei* ,, 28 Aug. 1794, prop, 9, 10, 11; Leon. XIII Const. "*Rom. Pontifices*,, 8 Maii 1881. — Decis S. C. C. in ed. *Richt.*, Conc. Trid. post cit. Sess. v. g. p. 328 sq., 457 sq.; Collect. S. C. de Prop. F. n. 91, 100, 108, 228, i. f. 117, 311; Collect. Lac. t. II, v. Synod. dioec. (« *Hoc institutum* [in Ecclesiam Orientalem] *translatum est ex Ecclesia latina et proin huius iure regitur* »); Synod. Sciarf. (a. 1888) p. 235.

Scriptores: Comment. iur. Decret. in dissert. prooem. v. g. *Schmalzgr.*, n. 358, vel in comment. l. I, t. 31, v. g. *Santi*, l. c. n. 172 sq. — *Sanguineti*, l. c. n. 362 sq.; *Phillips*, l. c. t. VII §§ 365; *Scherer*, Kirchenrecht t. I, p. 679 sq.; *Hinschius*, l. c. t. III, p. 582 sq., 564 sq. — *Benedict XIV*, De Synod. dioec. (opus principale in hac materia); *Ferraris*, l. c. v. Synod. dioeces.; *Bouix*, De Episcopo t. II, p. 347 sq.; *Thomassin.*, l. c. P. II, l. 3, cap. 73 sq.; *Verm. - Cr.*, Epit. i. c. I, n. 469 ss.; *C. a Coronata*, Inst. i. c. I, p. 490 ss.; *Pistocchi*, De Synodo dioecesana.

Praenotiones

622. I. Connexio materiae. Clerici ab Episcopo ad Synodum dioecesanam convocati licet nec *definientes* legislatores aut iudices sint, ut Episcopi in Conciliis *oecumenicis*, nec ad instar Concilii provincialis cum suo Episcopo constituant collegium, in quo decreta conduntur per vota *decisiva* maioris partis, tamen coadunantur in *congregationem* quandam, quae clerum universum dioecesis repraesentat, et in deliberationibus solitis vota *consultiva* dare *potest*, immo in nonnullis casibus maio-

---

[48] *Schmalzgr.*, l. c. n. 29; *Leuren.*, l. c. q. 379 sq., 434 sq.

ris partis *consensus* ad valorem actus episcopalis plane requiritur. Quare convenienter Synodi dioecesanae adnumerantur inter instituta, quae de iurisdictione episcopali aliqua ratione participant.

II. **Definitio.** *Synodus*[1] *dioecesana* est legitima congregatio ab Episcopo coacta ex presbyteris et clericis suae dioecesis aliisve, qui ad eam accedere tenentur, *in qua* de his, quae curae suae pastorali incumbunt, agendum et deliberandum et decernendum est[2].

Ab illis *veris* Synodis dioecesanis distinguuntur *« conventus synodales »* vel *« conferentiae dioecesanae »* vel *« conventus cleri dioecesani »*[3], qui laudabiliter quidem celebrantur et Synodi dioecesanae *speciem* obtinent[4], sed *iura* et *privilegia verae* Synodi dioecesanae non consequuntur.

III. **Notae historicae**[5]. Cum Ecclesia principaliter in civitatibus propagata esset, ipsum presbyterium Episcopi locum tenuit Synodi dioecesanae. Quae praxis immutata est, postquam etiam ruri in dies maior numerus presbyterorum constitutus est, qui curam haberent fidelium christianorum. Hinc ex saeculo quarto prima reperiuntur vestigia Synodorum dioecesanarum sive congregationum, in quibus clerus dioecesanus cum

[1] Vocabulum *« Synodi »* etiam ex usu loquendi recepto promiscue adhibetur cum voce *« Concilii »*, si de Conciliis *Episcoporum* sive oecumenicis sive particularibus agatur; at verbum *« Concilii » iamdiu* non amplius in usu est ad significandam *Synodum dioecesanam.* Cfr. *Phillips,* l. c. t. II, p. 221; *Bouix,* De Episc. t. II, p. 348 sq. Antiquis temporibus Synodus dioecesana etiam audiit *Concilium* (Episcopi, episcopale, generale presbyterorum), Synodus (generalis, plena, plenaria, publica), Capitulum (generale) etc., donec ex saeculo decimo tertio magis magisque verbum *Synodi dioecesanae* fieret vocabulum artis. Immo si nomen *« Synodi »* sine ulla additione usurpetur, iam plerumque unice denotat Synodum dioecesanam. Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. I, cap. 1, n. 4, cap. 3, n. 1, de vitando nomine *« sanctae »* Synodi dioec.; *Hinschius,* l. c. p. 586 sq., 591.

[2] *Benedict. XIV*, l. c.; *Bouix*, l. c.

[3] Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. l. c. in font.; Conc. prov. Turon. (a. 1849), in Collect. Lac. t. IV, col. 258 sq.

[4] *Benedict. XIV*, l. c. l. I, cap. 2, n. 5. Cfr. quoque S. C. de Prop. F. 19 Iul. 1889, in cit. Collect. S. C. de Prop. F. n. 117, iunct. indulto S. C. C. Episc. Baion. 16 Febr. 1889, dato.

[5] Cfr. *Thomassin.*, et *Hinschius*, l. c. in font.

suo Episcopo coadunatur. Cuius disciplinae in Ecclesia *Orientali* primum exemplum hucusque notum est Congregatio cleri Alexandrini a Patriarcha Alexandro a. 321 convocata, in qua Arius depositus est[6]. Cui Synodo saeculo quinto accesserunt Synodus a Synnesio a. 411 Ptolemaide in Pentapoli celebrata et Synodus Hierosolymitana, quam Ioannes Episcopus contra Pelagianos coegerat[7]. In Ecclesia vero Occidentali prima vice, quantum ex monumentis historicis certo constat, commemoratur Synodus Antisiodor. (a. 585) in Gallia[8]. At cum in ista Synodo c. 7 iam *praescribatur, « ut medio Maio omnes presbyteri ad Synodum in civitatem veniant »* et eadem *lex de annuis Synodis dioecesanis* celebrandis mox etiam in Conciliis provincialibus reperiatur[9], sane *praxis* cogendi illos conventus cleri dioecesani est antiquior. Immo in compluribus Conciliis iam accuratius definitur, quibusdam de rebus in Synodis dioecesanis sit tractandum, v. g. de reddenda Episcopo ratione, de publicandis decretis Conciliorum provincialium[10].

Toto medio aevo *praxis*[11] Synodorum dioecesanarum non cessavit et in Conciliis *particularibus* ita fuit inculcata, ut interdum etiam *bis in anno* Synodus esset celebranda. At *prima vice* a Concilio Lateranensi IV (a. 1215) cap. 6 = cap. 25 X. de accus. V, 1 generaliter iureque communi statutum est, ut *« in*

[6] *Hefele,* l. c. t. I, p. 269 sq.

[7] *Hefele,* l. c. t. II, p. 103, 107 sq.

[8] *Hefele,* l. c. t. III, p. 42 sq., iunct. p. 14, ubi mentionem facit Synodorum circa a. 560, in Britannia minore celebratarum, quae pariter Synodis dioecesanis videntur esse adnumerandae, neque cum *Hinschius,* l. c. p. 583, confugiendum est ad *« institutionem quandam ecclesiae Caldensis »* plane fictae Cfr. *Funk,* in Kirchenlex. v. Culdeer.

[9] Cfr. c. 1 Conc. Oscensis (a. 598) in Hispania.

[10] Cfr. c. 26 Conc. Tolet. IV, (a. 633); c. 7 Conc. Tolet XVI, a 693, = c. 17, D. 18, qui canon non raro a canonistis allegatur ad instar textus iuris communis.

[11] Cfr. c. 4 Synodi gener. (a. 747) a Bonif. celebr.; c. 25 Conc. Cloveshov. (a. 747) in Anglia; c. 9 Conc. Tolosan. (a. 844). Pro singulari indole illius aetatis non raro accidit ut Synodi dioecesanae celebrarentur pro more Conciliorum *mixtorum*, in quibus etiam laici, viri nobiles, ministeriales et beneficiarii *principis* Episcopi intervenerunt. Item laici quoque sunt admissi, si Synodus habita est per modum iudicii synodalis. Cfr. *Phillips,* D. Dioecesan.-Syn. p. 53 sq.; *Hinschius,* l. c. p. 584 sq., 588 sq.

episcopalibus Synodis » annuatim per singulas dioeceses *celebratis* decreta Conciliorum provincialium publicarentur. Qua generali ordinatione consuetudines vel leges particulares de frequentiore Synodorum episcopalium celebratione non subierunt mutationem; at in praxi annuae Synodi novo iure communi praescriptae nequaquam ubique regulariter coactae sunt[12].

Concilium Tridentinum, insistens vestigiis antiquorum Conciliorum, non solum[13] Sess. XXIV, cap. 2 de ref. statuit, ut *Synodi quoque dioecesanae quotannis* celebrarentur, sed etiam melius definivit quibusnam incumberet obligatio ad illas *accedendi*. Praeterea non leviter auxit dignitatem et auctoritatem Synodorum dioecesanarum, cum *in illis* praescriberet fidei professionem (Sess. XXV, cap. 2 de ref.), permitteret reductionem[14] Missarum, iniungeret designationem iudicum synodalium (Sess. cit, cap. 10 de ref.) et praesertim *approbationem* examinatorum concursus paroecialis, quos Episcopus in Synodo proponere deberet (Sess. XXIV, cap. 18 de ref.) Quae reformatio Tridentina etsi ubique non ad amussim servaretur, tamen illud effecit ut in compluribus regionibus denuo frequentius celebrarentur Synodi dioecesanae[15]. Inde ex saeculo decimo septimo Episcopi rarius clerum dioecesanum ad Synodum convocarunt. Exeunte vero ultimo saeculo nonnulli, v. g. scriptores quidam in Gallia et Synodus Pistoriensis (a. 1786), de auctoritate Synodi dioecesanae in rebus fidei et disciplinae ecclesiasticae ea propugnarunt principia, quae a Pio VI Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794, prop. 9, 10, 11 tanquam *falsa, temeraria* et gravioribus quoque censuris theologicis fuerunt damnata.

Ultimo saeculo cum disciplina ecclesiastica magis magisque restauraretur ad tramites iuris communis, et inde ab a. 1848 magis sublata essent iniusta impedimenta potestatis civilis, etiam praxis celebrandi Synodos dioecesanas reflorescere coepit.

[12] *Thomassin.*, l. c. cap. 75; *Phillips*, l. c. p. 63; *Hinschius*, l. c. p. 591 sq.

[13] *Thomassin.*, l. c. n. 8 sq.

[14] Sess. XXV, cap. 4, de ref.; at *haec* permissio ad primam Synodum post Concilium Tridentinum restricta postea mansit sublata. Cfr. decis. S. C. C. in ed. *Richt.*, Conc. Trid. p. 139 sq.; *Benedict XIV*, l. c. l. V, cap. 10, l. XIII, cap. ult. (25).

[15] *Thomassin.*, l. c.; *Hinschius*, l. c. p. 597 sq.

Non defuerunt viri ecclesiastici, v. g. in Germania, qui etiam ultimo tempore perversas theorias de Synodis dioecesanis tenerent; at ista tentamina suo caruerunt effectu practico[16]. Cum autem vix negari posset in non paucis dioecesibus rigidum ius commune de Synodis dioecesanis nonnisi difficulter posse executioni mandari, complures Episcopi obtinuerunt indulta apostolica ad faciliorem Synodorum celebrationem[17]. In ipso quoque Concilio Vaticano schema de Synodo dioecesana proponitur, ubi renovato iure antiquo et praesertim decreto Tridentino, saltem singulis trienniis Synodum habendam esse edicitur, nisi a Sede Apostolica congrua provisio fuerit postulata et obtenta. Episcopi quoque in suis postulatis petierunt, ut praetermissis *apicibus iuris* praxis utilissima Synodorum dioecesanarum restauraretur[18]. Quae mitior disciplina tum quoad tempus tum quoad modum celebrationis tandem per Codicem inducta est.

§ I. De convocatione Synodi dioecesanae

623. Ius et obligationem convocandi Synodum dioecesanam habent:

I. *Episcopi* residentiales etiam nondum consecrati, postquam litteris apostolicis promotionis legitime praesentatis ecclesiae suae possessionem ceperunt[19]. Quod ius etiam Archie-

[16] Collect. Lat. t. V, col. 979, d. 995, c.

[17] Cfr. de indulto a S. C. C. d. 11 Iun. 1860 Episcopo Quinque-Ecclesiensi concesso; Arch. f. k. K. t. XII, p. 95. Similes facultates aliis Episcopis, v. g. Archiepiscopo Mechliniensi a. 1872, impertitae sunt. Cfr. Arch. f. k. K. t. XXIX, p. 160 sq. Cfr. quoque S. C. de Prop. F. ad Archiep. Milvaukiensem in Collect, S. C. n. 117.

[18] *Martin*, Collect. docum. Conc. Vatic. p. 133 sq., 156, 181.

[19] Cfr. de iure *Rom. Pontif.* convocandi Synodum tum in sua dioecesi Romana tum in aliena, v. g. per suum Legatum; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. II, cap. 1, 2; *Hinschius*, l. c. p. 664, 599, *Cardinales suburbicarii* ceteris Episcopis residentialibus aequiparantur (can. 240, § 1). At Episcopi *titulares* iure cogendi Synodum non potiuntur, ut iam late exposuit Benedictus XIV, l. c. l. II, cap. 7; hoc autem in disciplina iamdiu vigens de Episcopis titularibus est ex natura rei, cum nullam habeant potestatem in sua titulari dioecesi, cuius nec póssessionem capiunt (can. 348 § 1).

piscopo *ante* pallii receptionem non videtur esse negandum, cum in Synodo dioecesana nequaquam pallium gestare debeat vel possit [20]. *Obligatio* Synodum convocandi eosdem urget decimo saltem quoque anno [21].

Vicarius Generalis nisi *speciali* mandato ad convocandum Synodum deputetur, validae convocationis potestatem non habet (can. 357 § 1 iunct. can. 368 § 1) [22].

Quodsi Episcopus duas pluresve dioeceses aeque principaliter unitas regat, aut unam habeat in titulum, aliam vel alias in perpetuam administrationem, obligationi convocandi Synodum facit satis per unam tantum Synodum ex omnibus dioecesibus quas regit coadunatam, licet non prohibeatur *separatim* pro *unaquaque* dioecesi Synodum convocare (can. 356, § 2) [23].

II. Episcopis residentialibus in *iure* Synodum convocandi aequiparantur Vicarii et Praefecti Apostolici (can. 294); quamvis non sint obnoxii praescriptioni de tempore celebrationis, sed pro Synodi celebratione nullum ipsis est praefinitum tempus (can. 304) et consequenter *strictam obligationem* celebrandi Synodum non habent; nam in obligatione quae in certa dumtaxat tempora incidit, ubi tempus non praefinitur etiam stricta obligatio non imponitur [24].

III. *Administrator Apostolicus,* si sit *permanenter* constitutus, *ius* et *officium* habet statis temporibus Synodum convo-

[20] Aliter *Bouix,* l. c. p. 356, cum *Ferraris* aliisque, ubi provocat ad *Benedict. XIV,* De Synod. dioec. l. II, cap. 6, n. 4; at *Benedict. XIV,* l. c. et cap. 5, n. 8, agit de Synodo *provinciali* Archiepiscopo ante receptionem pallii interdicta, non de Synodo *dioecesana,* immo l. c. l. III, cap. 11, n. 7, expresse docet Archiepiscopo fas non esse in Synodo dioecesana gestare pallium. Cfr. *Scherer,* l. c. p. 680.

[21] Can. 356 § 1. Inde patet mitigationem iuris praecedentis esse factam ultra postulata proposita in schemate Concilii Vaticani.

[22] Ita iam declaraverat S. C. C. 4 Dec. 1655; *Benedict. XIV,* l. c. cap. 8, n. 3, 4, et. cap. 3, ubi *Cardinali Vicario* in Urbe docet competere ius celebrandi Synodum dioecesanam sine mandato speciali.

[23] Ita iam fuerat decisum a S. C. C. 11 Ian. 1783 et 24 Sept. 1649, in edit. *Richt.,* Conc. Trid. p. 35, n. 6, l. II, n. 9; *Benedict. XIV,* l. c. l. II, cap. 4, 5, 6; *Santi* l. c. l. I, t. 31, n. 172; ed. *Richt.,* Conc. Trid. p. 328 sq.

[24] Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 311; *Benedict. XIV,* l. c. cap. 10, n. 8, 9, 10.

candi (can. 315 § 1 iunct. can. 314). Quodsi *ad tempus* datus fuerit caret iure Synodum convocandi perinde ac Vicarius Capitularis, cui quoad iura et officia aequiparatur (can. 315, § 2; can. 357, § 1).

IV. Episcopis residentialibus plene aequiparantur *Abbates* vel *Praelati nullius,* in quorum abbatia seu praelatura adsint tres ut minimum paroeciae (can. 323, § 1, iunct. can. 319, § 2) [25].

624. Obligatio accedendi propter legitimam convocationem iure Codicis iisdem incumbit, quibus **ius** competit **ut vocentur** [26]. **Vocandi** autem **sunt** (can. 358):

I. *Vicarius Generalis*: si plures ad normam can. 366 § 3 fuerint legitime constituti, v. gr. ob rituum diversitatem, omnes vocandi videntur, cum non sit ratio cur potius unus quam alter vocetur.

II. *Canonici* ecclesiae cathedralis vel *consultores dioecesani* qui Capitulum supplent.

III. *Rector Seminarii* dioecesani *saltem maioris*; ideoque Rector Seminarii *minoris potest* vocari sed non necessario *debet*.

IV. *Vicarii foranei.*

V. *Deputatus* cuiusque ecclesiae collegialis a Capitulo eiusdem ecclesiae e gremio eligendus.

VI. *Parochi civitatis in qua* Synodus celebratur.

VII. *Unus saltem parochus* ex unoquoque *vicariatu foraneo,* eligendus ab omnibus qui curam animarum actu inibi habeant [27*], qui sibi pro tempore absentiae sufficere debet vicarium substitutum ab Ordinario probandum.

[25] Praecedenti iure non poterant sine speciali privilegio convocare Synodum et consequenter non poterant deputare examinatores synodales et celebrare concursus paroeciales. Cfr. *Benedictum XIV,* l. c. l. II, cap. 11, et l. III, cap. 5, n. 3, ubi affert decisionem S. C. C. 12 Febr. 1622, qua parochi, qui subsunt Praelato *nullius,* dicebantur obligati accedere ad Synodum dioecesanam illius Episcopi, qui tamquam vicinior poterat eos *visitare.*

[26] Ius praecedens (cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 2, de ref.), principaliter insistebat in *obligatione* accedendi *eorum,* qui legitime ad Synodum *vocati* essent; at interdum etiam statuebat in *Superiore obligationem* vocandi certos clericos, qui praeter *officium* accedendi *etiam* haberent *ius* ut ad Synodum *vocarentur* nec arbitrarie praetermitterentur. Vicissim clerici quidam tantum in nonnullis casibus, non ordinarie, ad Synodum dioecesanam a Superiore *cogi poterant.*

[27*] Inter eos qui, ob curam animarum actu in vicariatu foraneo exer-

VIII. *Abbates* cum iurisdictione et unus e *Superioribus cuiusque* religionis clericalis, designatus a Superiore provinciali, nisi domus provincialis sit in dioecesi et Superior provincialis interesse ipse maluerit.

Vocari possunt, si id Episcopus opportunum duxerit, alii a praedictis distincti, et etiam omnes canonici, parochi et Superiores religiosi et singuli sacerdotes saeculares totius dioecesis, iis tamen exceptis, qui necessarii sunt ne in paroeciis animarum cura desit. *Invitati* ius suffragii in omnibus habent perinde ac ceteri, nisi Episcopus in invitatione aliud expresse caverit [28].

Obligatio accedendi ad Synodum, nisi iustum impedimentum obstet, sequitur ex natura rei ex convocatione per legitimum Superiorem verbis praeceptivis facta. Quae tamen obligatio non videtur posse imponi iis, qui ex § 2 can. 358 *possunt* pro prudenti arbitrio Superioris vocari, cum hi in ipso legis textu dicantur *invitati;* invitatio autem strictam obligationem non videtur inducere. Nemo autem ex legitime vocatis *arbitrarie* et absque venia Episcopi *discedere* potest. Quare ad eundem Episcopum spectat *iudicium* num legitima causa impediverit accessum vel excuset discessum. Qua in probatione causae allegatae si clericus deficiat, Episcopus censuris aliisque poenis permissis coercere et compellere potest, non tamen exemptos religiosos, nisi hi parochi sint (can. 359) [29].

Denique qui legitime absunt, nec debent nec possunt mit-

---

citam, ius habent ad eligendum parochum in Synodum dioecesanam mittendum, includit *Pistocchi*, quem sequitur *C. a Coronata*, vicarios cooperatores et vicarios adiutores vel substitutos, dum e contra *Creusen* excludit a numero electorum vicarios cooperatores et asserit nec ipsos vicarios adiutores vel substitutos debere necessario in electione praedicta partem habere. Cfr. *Pistocchi*, o. c. p. 33; *C. a Coronata*, o. c. p. 492; *Verm.-Cr.*, o. c. n. 472.

[28] *Benedict. XIV*, l. c. l. III, cap. 6 sq., cap. 9, disserit qua ratione *laici* in Synodo intervenire *possint; Bouix*. l. c. p. 361. Cfr. quoque Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 235, ubi Synodus dioecesana dicitur habenda ab Episcopo cuiuslibet dioecesis: « *cum suo Vicario generali, Chorepiscopo, suis Periodeutis, Parochis, Superioribus monasteriorum, qui in sua dioecesi sunt* ».

[29] Cfr. *Benedict. XIV*, l. c. l. III, cap. 1, n. 10, 13, cap. 12, n. 1 sq., 3 sq.

tere *procuratores* ad Synodum, qui eorum nomine Synodo intersint; etenim nemo vocatur ad Synodum dioecesanam cum *voto decisivo* [30].

625. I. **Tempus** can. 356 ita definitum est, ut *decimo saltem quoque anno* sit convocanda: qua legis formula sicut frequentior celebratio non urgetur, ita etiam non prohibetur [31].

II. **Locus,** ad quem Synodus dioecesana convocari potest, est quodlibet oppidum congruum *intra dioecesim* situm. Quodsi impedimentum non obstat nec rationabilis causa aliud suadeat, omnino expedit ut Synodus in civitatem episcopalem convocetur et in ecclesia cathedrali celebretur (can. 357, § 2) [32].

III. **Forma** convocationis maxime conveniens est edictum publicum rite promulgatum, in quo *tempore locoque* accurate indicatis, per clausulam generalem omnes convocantur qui de iure Synodo intervenire debent vel loco illius clausulae singuli gradus clericorum indicantur, qui iubentur accedere aut sine vera obligatione dumtaxat invitantur [33].

§ II. De constitutione Synodi dioecesanae

626. I. Post convocationem rite factam Synodus censetur legitime constituta, si numerus *sufficiens* clericorum evocatorum conveniat, qui clerum dioecesanum *repraesentare* possit, neque quisquam repellatur, cui *ius* interveniendi competat [34].

II. Praeterea priusquam Synodi celebratio *inchoetur, ab Episcopo officiales* et *ministri sequentes* deputandi sunt:

---

[30] *Benedict XIV*, l. c. l. III, cap. 12, n. 7. rationem in textu allatam urget.

[31] Cfr. Collect. Lac. t. II, col. 319 sq., 409, ubi a Synod. Mont. Lib. (a. 1736), dicitur Synodus dioeces. singulis annis celebranda; idem statuitur a Synodo Sciarf. (a. 1888), p. 235. In Ecclesia latina, inspecta moderatione per Codicem inducta, tum quoad tempus celebrationis tum quoad personas convocandas, vix unquam dari poterit causa excusans a Synodi celebratione. Quare antiquae disputationes de vi consuetudinis ad abrogandam obligationem celebrandi Synodum videntur rebus antiquatis adnumerandae.

[32] Cfr. S. C. C. 17 Mai 1636; Benedict. XIV, l. c. cap. 5.

[33] *Bouix*, l. c. p. 400 sq., 413 sq.

[34] *Fagnanus*, Comment. in cap. 25, X. de accus. V, 1.

a) *Promotor*, cuius est urgere actiones synodales et curare, ut omnia in Synodo legitime et prompte gerantur.

b) *Secretarius*, ad componenda edicta aliasque scripturas.

c) *Notarius*, qui acta et instrumenta authentica Synodi conficit.

d) *Magistri caeremoniarum*, quibus incumbit cura ut ritus et caeremoniae in omnibus actis synodalibus accurate serventur.

e) *Procurator cleri*, qui nomine omnium in Synodo exponit, quae sint cleri dioecesani vota et postulata.

Quibus officialibus accedere possunt *iudices querelarum et excusationum*, confessarii, concionatores aliique ministri inferiores [35].

III. *Ordo sedendi* eorum [36], qui in Synodo interveniunt, definitur secundum generales leges et particulares consuetudines *de praecedentia*, v. g. Episcopus, Vicarius generalis, Capitulum cathedrale, Abbates, Capitulorum collegiatorum procuratores, Vicarii foranei, parochi.

IV. De veste sive habitu Episcopi et synodalium conferendi sunt libri liturgici, sc. Pontificale Roman. et Caeremoniale Episc. (Cfr. *Benedict. XIV*, l. c. libr. III, cap. II, n. 3, 9; *Bouix*, l. c. p. 365 sq.; *Gavant.*, Praxis Syn. part. I, cap. 13, n. 8 sq.).

627. Legislator in Synodo. In Synodo dioecesana *unicus* legislator et iudex est *Episcopus*, unus ipse subscribit synodalibus constitutionibus (can. 362), et proinde in decretis condendis convocati synodales votum tantum habent consultivum; nequaquam vero clerus dioecesanus cum Episcopo constituit *unum collegium*, quod per vota *decisiva* maioris partis, ut fit in Concilio provinciali, negotia expediat [37].

Porro quamvis Episcopus debeat iusto tempore *consilium* Capituli cathedralis requirere, antequam *statuta* dioecesana in Synodo promulget, tamen illud *sequi* non tenetur, nisi in casibus a iure expressis ad certos articulos statutorum etiam

[35] Caeremoniale Episc. l. I, cap. 31; *Benedict. XIV*, l. c. l. IV, cap. 1 sq.; *Bouix*, l. c. p. 368 sq. Plura de Synodi ministris et officialibus *Gavant.*, Praxis Synodi dioeces.

[36] Cfr. canones qui agunt de praecedentia velut can. 106, 370, 408, 450, 478, 491, iunct. *Benedict XIV*, l. c. l. III, cap. 10; *Bouix*, l. c. p. 362 sq.

[37] Pii VI Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794, prop. 9 sq.; *Benedict. XIV*, l. c. l. III, cap. 12, n. 7, l. XIII, cap. 1 sq.; Collect. Lac. t. III, col. 420, t. IV, col. 345, 581, t. V, col. 347.

consensus eiusdem Capituli sit necessarius. Multo minus potes-
tas Episcopi in Synodo eatenus est limitata, quatenus reliquo-
rum clericorum in Synodo congregatorum *consilium* sit prius
requirendum vel consensus maioris partis obtinendus, nisi in
paucis casibus a iure exceptis.

Satis communiter tradebatur teneri Episcopum petere con-
silium Capituli cathedralis antequam statuta toti dioecesi pro-
mulgaret sive in Synodo sive extra illam, quamvis consilium
sequi non teneretur; quodsi secus factum esset statuta firmitate
carere [38]. At in Codice tale requisitum nec pro legibus extra
Synodum promulgandis expresse praescribitur can. 335, nec
pro decretis seu statutis synodalibus exigitur, nisi in quantum
canonici ecclesiae cathedralis adnumerantur iis, qui in Syno-
dum venire debent et quorum liberae disceptationi supponen-
dum est schema decretorum. Ergo ad Capituli cathedralis con-
silium separatim ab aliis synodalibus requirendum non vide-
tur teneri Episcopus ex iure Codicis.

Ad *consensum* vero maioris partis synodalium obtinendum
tenetur in paucis casibus in iure expressis, sc. in electione exa-
minatorum synodalium et parochorum consultorum non infra
quatuor nec ultra duodecim (can. 385); in designandis iudici-
bus synodalibus non pluribus quam duodecim (can. 1574).

§ III. De celebratione Synodi dioecesanae

628. I. Synodus dioecesana celebrari debet *in ecclesia*.
Quod statutum Pontificalis Romani et Caeremonialis Episcopo-
rum intelligendum est de *solis sessionibus sollemnibus* sive pu-
blicis quae unice in citatis libris liturgicis commemorantur,
non de congregationibus generalibus vel particularibus. Illae
enim convenientius in seminario vel palatio episcopali vel alia
congrua domo coguntur.

Porro inter ecclesias civitatis episcopalis praeferenda est

[38] Illa obligatio minus clare deducebatur ex allegato cap. 5, X, de
his quae III, 10. Potius insistendum erat decisionibus S. C. C. allegatis
a Benedicto XIV, l. c. l. XIII, cap. 1, n. 9 sq. Cfr. quoque *Bouix*, l. c, p. 386
sq.; *Card. Petra*, in Const. 1 Benedicti XII, n. 17, tom. IV.

ecclesia cathedralis, nisi ex rationabili causa ab Episcopo alia ecclesia, v. g. seminarii, ob non levia commoda eligatur[39].

II. Quamvis olim etiam *tempus intra annum* ipso iure non raro fuerit statutum, quo Synodus esset celebranda[40], tamen ex disciplina vigente designatio *diei hebdomadae* pro more regionis et utiliore administratione paroeciarum relicta est prudenti arbitrio Episcopi.

Quodsi ex Pontificali Romano *duratio* Synodi dioecesanae ad *tres dies* videatur esse restricta, cum tribus diebus tres distinctae assignentur sessiones, id non ita intelligendum est, quasi Episcopus necessitate suadente Synodum non possit aliquantisper protrahere vel *duplici* atque adeo *unica* sessione absolvere[41].

III. Quoad *caeremonias* et *ritus* standum est Pontificali Romano et Caeremoniali Episcoporum. Inter illas caeremonias praesertim commemoranda est *professio fidei* quam ex can. 1406 § 1, 1° debet emittere praeses coram synodalibus, synodales coram praeside; cui praescriptioni fit satis, si Episcopo praeeunte omnes synodales fidem catholicam sollemniter profiteantur[42].

IV. Quamvis Episcopus pro iure suo celebrare possit tantum sessiones *sollemnes,* in quibus requisito consilio synodalium decreta sua promulget, tamen ex praxi, passim recepta et laudabiliter servata et in can. 360 § 1 commendata, iam *ante* Synodum celebrantur congregationes praesynodales in coetibus seu *commissionibus* ab Episcopo e clero civitatis et dioecesis nominatis, quarum scopus est res in Synodo tractandas parare. Ita fieri potest satis praescripto can. 360 § 2 de tradendo schemate decretorum omnibus synodalibus ante Synodi sessiones[43]. In ipsa vero Synodo *praeter sollemnes sessiones* etiam habentur *congregationes generales* omnium synodalium et *commis-*

---

[39] S. C. C. 17 Maii 1636, *Benedict. XIV*, l. c. l. I, cap. 5, n. 3, 5.
[40] Cfr. c. 7, Conc. Antissiodor. (a. 585); *Hinschius*, l. c. p. 658, 591.
[41] *Benedict. XIV*, l. c. l. V, cap. 1, n. 2; *Bouix*, l. c. p. 379 sq.
[42] *Benedict. XIV*, l. c. V, cap. 2, n. 3 s..; *Bouix*, l. c. p. 376 sq.
[43] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. III, cap. 11, n. 3, l. VI, cap. 1, n. 1, l. XIII, cap. 2, 7, unde etiam concluditur canonicos *cathedralis* non habere strictum *ius* interveniendi in illis praesynodalibus congregationibus.

siones particulares. Quibus in commissionibus vel congregationibus apta et libera *discussio* prudenter permittitur (can. 361); neque quidquam obstat quominus vota *consultiva* synodalium per verba: *Placet* vel *Non placet data colligantur* et *compulentur*[44].

Finita discussione solius Episcopi est, exclusis etiam canonicis, synodales constitutiones *sua subscriptione* firmare, cum ipse unicus sit legislator in Synodo[45].

§ IV. De competentia et decretis Synodi dioecesanae

629. *Competentia* Synodi dioecesanae generatim *non latius* patet quam competentia *Episcopi,* qui in Synodo est unicus legislator et iudex. Quare ibidem nihil statui potest, quod sit contra *ius commune* aut legem particularem a *superiore* auctoritate latam, v. g. a Concilio provinciali[46]. Praeterea *cavendum* est, ne quid in constitutionibus synodalibus decernatur de controversiis dogmaticis vel canonicis nondum diremptis. Neque quidquam statuendum, quod auctoritati et iuribus Sedis Apostolicae vel privilegiis regularium etc. refragari possit[47].

Quibus *limitibus* attentis et ob oculos habito fine Synodi dioecesanae, qui refertur ad vitia coercenda, virtutem promovendam, depravatos populi mores reformandos, ecclesiasticam disciplinam aut restaurandam aut fovendam, Episcopus in decretis synodalibus media necessaria et utilia ad illum scopum obtinendum praescribere potest[48].

Cum quaestione de competentia connexa est obligatio certos actus in Synodo peragendi. Ita, praeter iam commemoratam nominationem examinatorum ac iudicum synodalium et

---

[44] *Benedict. XIV*, l. c. l. XIII, cap. 1, 4, Conc. Plenar. Baltim. II (a. 1866), in Collect. Lac. t. III, col. 420; S. C. C. 29 Aug. 1767, in ed. *Richt.*, Conc. Trid., ubi nimium rigorem Episcopi in parochos excedentes coërcuit.
[45] S. C. C. 26 Nov. 1689; *Benedict. XIV*, l. c. l. XIII, cap. 2, n. 1.
[46] *Benedict. XIV*, l. c. l. XII, cap. 1 sq.
[47] *Benedict. XIV*, l. c. l. VII, VIII, IX.
[48] *Benedict. XIV*, l. c. l. VI, cap. 1 sq., l. V., cap. 1 sq. (De gerendis in Synodo).

parochorum consultorum, Ordinarii quantum fieri possit in dioecesana Synodo debent definire manualem Missarum stipem (can. 831 § 1); pariter peccata non debent reservare nisi re in Synodo dioecesana discussa aut saltem audito Capitulo cathedrali et aliis prudentibus viris (can. 895).

630. *Decreta* vel *statuta* vel *constitutiones* Synodi dioecesanae quae ex disciplina vigente non amplius *canones* appellari possunt [49], apta *methodo* et congruo *stylo* sunt *conscribenda* [50]. Porro condenda sunt imprimis *secundum ius*, ut iuris communis *executio* legitima ratione urgeatur, alia *praeter ius* accedere possunt; nihil vero contineat *contra ius* commune Ecclesiae vel provinciae. Licet periculum illud non prorsus absit, tamen statuta Synodi dioecesanae ante promulgationem ad instar decretorum Conciliorum provincialium recognitioni Rom. Pontificis vel Metropolitae non sunt subicienda, sed illico in Synodo dioecesana sollemniter riteque possunt promulgari [51]. Immo approbatio pontificia etsi forte petatur, de facto concedi non solet [52].

Quodsi quis statutis Synodi dioecesanae sese gravatum esse existimat, ab appellatione ad S. C. C. non prohibetur; at cum constitutiones synodales versentur plerumque in materia correctionis et reformationis nec unam personam per modum sententiae iudicialis, sed universam dioecesim ut *leges* respiciant, *appellatio* impropria tantum admittitur *in devolutivo*, non *in suspensivo* [53].

Post promulgationem legitime factam, constitutiones synodales absque vacatione nisi expresse aliud ab Episcopo statutum sit, *statim* ligant omnes ad quos *spectant*, atque de se sunt *perpetuae* sive in robore permanent, donec legitime revocentur vel tollantur [54].

---

[49] *Benedict. XIV*, l. I, cap. 3, n. 2 sq., 5.

[50] *Benedict. XIV*, l. c. l. VI, cap. 2.

[51] *Benedict. XIV*, l. c. l. XIII, cap. 4, n. 1; S. C. C. 30 Aug. 1732, apud *Benedict. XIV*, l. c. cap. 5, n. 14.

[52] S. C. C. 17 Iul. 1645; *Benedict. XIV*, l. c. l. XIII, cap. 3, n. 67.

[53] Cap. 13, X. de off. iud. ord. I, 31; cap. 3, X. de appell. II, 28; Conc. Trid. Sess. XII, cap. 1, de ref., Sess. XXIV, cap. 10, de ref.; Benedict. XIV Const. « *Ad militantis* » 30 Mart. 1742, § 21, et De Synod. dioec. l. c. cap. 5, n. 12, 13; *Wernz*, l. c.

[54] *Benedict. XIV*, l. c. l. XIII, cap. 4, n. 2 sq., cap. 5, n. 1 sq.

CAPUT IV

De Curia dioecesana

Canones praeliminares (can. 363-365)

631. Sicut Rom. Pontifex suam habet Curiam Romanam, quo iuvatur in regimine universalis Ecclesiae, ita servata proportione Episcopus suam propriam Curiam dioecesanam habere debet pluribus personis constantem, quarum opera utatur in dioecesis regimine.

I. **Notio.** Est ergo *Curia dioecesana* complexus personarum, quae in regimine dioeceseos Episcopum aut alium, qui eius loco dioecesi praeest, adiuvant.

Iure Codicis ad eam pertinent Vicarius generalis, Officialis, Cancellarius, promotor iustitiae, defensor vinculi, synodales iudices et examinatores, parochi consultores, auditores, notarii, cursores et apparitores, can. 363 § 2 [1].

II. **Nominatio** libere spectat ad Episcopum, qui eam nominationem scripto consignare debet ad normam can. 159 (can. 364 § 1).

III. **Obligationes.** De potestate, iuribus et obligationibus singulorum officiorum in particulari agitur in subsequentibus articulis. *Communes obligationes* sunt: 1°) semel ac nominati fuerint praestare iusiurandum in manibus Episcopi de munere fideliter exercendo, quavis personarum acceptione posthabita; 2°) negotia ad se spectantia sub auctoritate Episcopi tractare ad normam iuris; 3°) secretum servare intra fines et secundum modum, a iure vel ab Episcopo determinatum (ib. § 2, 3°).

Cum non pauca ex enumeratis officiis inserviant pro recta administratione iustitiae, de illis in particulari agitur in libr. IV « De processibus ».

---

[1] Plures alii administri in Curiis dioecesanis adesse solent, quibus tamen non competit verum officium eccl., sed munus seu servitium a pacto dependens. *Chelodi*, o. c. n. 201.

Art. 1. — De Vicario generali (can. 366-371)

632. Fontes: Cfr. Decret. Grat. c. 1, § 11, 12, (*Archidiac., Archipresbyt.*), D. 25; c. 3, D. 94; Compl. I. l. I, t. 20, de off. vicar. eiusque benefic.; cpl. III, l. I, tit. 17, de off. vic.; cpl. V, l. I, t. 15 eod. — Decret. Greg. IX, l. I, t. 23, t. 28; Decret. Bonif. VIII, l. I, t. 3, eod.; Const. Clem. V, l. 1, t. 7, eod.; Conc. Trid. Sess. VI, cap. 2, Sess. XXIV, cap. 16, 18, Sess. XXV, cap. 16. Cfr. de iure Eccles. Orientalis: Collect. Lac. t. II, n. 323, et v. Vicarius; Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 244 sq. (de officiis Vicar. Gener., Chorepisc., Periodeutae); Synod. Alexandr. (a. 1898), p. 201 sq. (de Vic. gen., Hegumeno, Archidiac.).

Scriptores: Comment. iur. Decr. in cit. tit. — *Zech*, Hierarch. eccles. tit. 27, de var. Episc. Vicar.; *Devoti*, Inst. can. l. I, tit. 3, sect 9; *Scherer*, l. c. t. I, p. 596 sq.; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 205 sq., 161 sq.; *Sbrozius*, De Vicar. Episc.; *Leuren.*, Tract... de Episcop. Vicariis; *Andreucci*, De tripl. Vicar.; *Pellegrinus*, Praxis Vicar.; *Bouix*, De iudic. t. I, p. 342 sq.; *Schmalz.*, De offic. seu vicar. gener.; *Fournier*, Les origines du Vicaire Gén. 1922; *Friedie*, in Arch. f. k. K. t. XV, p. 337 sq.; *Ferraris*, l. c. v. v. Archid. Vicar. gen. — *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 1, cp. 27 sq., l. 2, cp. 1 sq.; 17 sq.; *Kober*, in Act. theol. Tubing. t. 35, p. 535 sq.; *Hilling*, in Arch. f. k. K. t. 80, p. 80 sq. (de Archipresb. et Archidiac.) — *Giobbio*, Lezioni di diplom. eccl. n. 290 sq.

633. Praecipuus Episcopi adiutor in dioecesis administratione est Vicarius Generalis. Curia enim dioecesana nunc debet esse bipartita, divisis atque disiunctis negotiis quae pertinent ad iurisdictionem *contentiosam* ab iis, quae ad iurisdictionem *voluntariam* vel *ad administrativos* actus referuntur.

Priora sunt demandanda *Officiali;* reliqua, quae multo plura sunt et continua, committuntur *Vicario Generali.*

§ I. Notae historicae

634. I. Cum Ecclesia Christi magis magisque propagaretur, pro crescente in dies multitudine negotiorum novi administri Episcopis omnino fuerunt necessarii. Inter illos saltem iam ex saeculo quarto maxime eminet *Archidiaconus* [2]. Is fuit primus

[2] *Optat. Milevit.*, De Schism. Donat. l. 1, cap. 16, de Archidiacono Caeciliano, qui a. 311 electus fuit Archiepiscopus Carthaginiensis. Cfr. *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 17 sq. P. III, l. 2, cap. 32 sq.; *Krauss*, l. c. v. Archidiaconi; *Hefele*, in Kirchenlex. v. Archidiac.

inter *septem* diaconos, longo tempore in non paucis ecclesiis ad instar sacri cuiusdam numeri retentos [3], neque secundum annos *ordinis* sed pro sua *habilitate*, libere ad officium suum ab Episcopo deputatus [4]. Quo in munere potissimum cura externae administrationis fuit contenta. Hinc ad Archidiaconum spectabant cura pauperum, distributio oblationum fidelium, assistentia in sacris ordinationibus, regimen inferiorum clericorum, ius visitandi et corrigendi clericos etiam per verum iudicium [5].

II. Ex saeculo sexto, saltem in Gallia, prima occurrunt vestigia, quod praeter *Archidiaconum civitatis* etiam exstiterint *Archidiaconi rurales*, quibus iurisdictio in *distincta* et *propria territoria* fuerat assignata [6]. Quae divisio dioecesium in districtus quosdam archidiaconales subsequentibus saeculis paulatim etiam in Anglia, Germania, Italia, ubi parvitas dioecesium non obstabat, pariter fuit introducta [7]. Quacum innovatione, certe iam saeculo undecimo passim recepta, etiam illa fuit coniuncta quod Archidiaconi in suis territoriis (Archidiaconatibus vel Archidiaconiis), vi officii *ordinariam* stabilemque iurisdictionem consequerentur. Inde factum est ut Archidiaconi in dioecesibus fierent iudices ordinarii *primae instantiae*, a quibus ad Episcopum fuit appellandum. Cui iurisdictioni *contentiosae* accesserat amplissima iurisdictio sive potestas *administrandi* [8]. Quare Archidiaconi versus finem saeculi duodecimi et ineunte saecu-

[3] Cfr. c. 15 Con. Neocaes. (a. 314). Qui exiguus numerus diaconorum, quibus insuper administratio rerum temporalium fuerat commissa, haud raro effecit ut diaconi contempta *multitudine* presbyterorum non semper essent memores conditionis suae atque iura sibi non competentia usurparent. Cfr. c. 15, 18, Conc. Arelat. (a. 314); c. 18 Conc. Nicaen. (a. 325). Quare facile patet cur praesertim Archidiaconus non solum reliquos diaconos sibi subiectos, sed etiam simplices presbyteros auctoritate et potentia superaret.

[4] *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 17, n. 11; *Hinschius*, l. c. p. 184, not. 3. Cfr. quoque c. 23 Conc. Agath. (a. 506).

[5] Cfr. c. 1, § 11, D. 25; cap. 1, 2, 3, X. de off. archid. I, 23.

[6] Cfr. c. 26 Conc. Aurel. IV, (a. 541); *Scherer*, l. c. p. 605, not. 39; *Schmalz.*, l. c. p. 4 sq.

[7] Cap. 16, X. de M. et O. I, 33. Quodsi Hadrianus I, a. 773, dicitur approbasse divisionem dioecesis Argentorat. (Strassburg) in septem Archidiaconatus ab Episcopo Heddone factam, huiusmodi documentum est apocryphum.

[8] Cap. 7, 9, 10, X. de off. archid. I, 23.

lo decimo tertio tantam obtinuerunt potentiam, ut suis *subditis* frequenter essent molesti, auctoritati vero legitimae *Episcoporum* summopere periculosi[9]. Quod periculum auctum est, cum praeterea antiquo iuri Episcoporum *libere* conferendi officium Archidiaconorum succederet non raro designatio Archidiaconi per electionem Capituli vel nominationem regiam[10].

III. Mirum igitur non est, quod Episcopi studuerint limitare exorbitantia iura Archidiaconorum[11] atque sibi constituere Officiales magis a suo nutu dependentes. Quorum Officialium prima vestigia iam reperiuntur saeculo duodecimo[12], et quamvis novi adiutores Episcoporum, qui postea dicebantur *Vicarii generales* vel Officiales, in compilatione authentica Gregorii IX (a. 1234) in lib. I, tit. 28, de off. vicarii, non commemorentur, tamen exinde solummodo sequitur isto tempore praxim nominandi Vicarios generales in disciplinam quandam *universaliter* receptam nondum transiisse. Certe Episcopi tum *in civitate* sive in Curia tum *per dioecesim* ex saeculo decimo tertio sibi constituerunt Officiales ad nutum removibiles, e quibus is, qui in Curia functus est munere suo, dicebatur *Officialis principalis* sive *urbicus*, reliqui vero audiebant *Vicarii* vel *Officiales foranei*[13], a quorum sententiis ut plurimum ad Vicarium sive Officialem *principalem* appellatio interponi potuit. Qui Officialis principalis factus est Vicarius generalis Episcopi.

Quod officium Vicarii generalis certe *post* compilationem authenticam Gregorii IX ita divulgatum est, ut in Sexto[14] at-

[9] Cap. 6, 8, X. de off. archid; cap. 3, X. de poenis V, 37.

[10] *Scherer*, l. c. p. 606; *Kober*, l. c. p. 541 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 195 sq., 201 sq.

[11] Cfr. v. g. c. 8 Conc. Turon. (a. 1239).

[12] Cap. 3, X. de instit. III, 7, (Alex. III); c. 22 Conc. Rothomag. (a. 1190).

[13] Cap. 1, de off. ord. I, 16, in Sext.; cap. 2, de resc. I, 2, in Clem. Officialis Episcopi mentio quoque fit c. 13 Conc. Rothomag. (a. 1231); immo Innocentius IV, Const. « Romana Ecclesia » 17 Mart. 1246, = c. 1, de off. ordin. I, 16, in Sext. Metropolitis interdixit, ne in dioecesibus suorum Suffraganeorum sibi constituerent Officiales ad examinandas causas appellationis; item Officiales Metropolitarum ab infligendis censuris in Suffraganeos prohibentur. Cfr. *Laurin*, Introd. in corp. iur. can. p. 166 sq.

[14] Cap. 2, 3, de off. vic. I, 13, in Sext.; cap. 1, de off. ordin. I, 16, in

que in Clementinis[15] frequenter commemoretur novisque legibus ordinetur. Quare etsi non institutio, certe propagatio huius officii potissimum saeculo decimo tertio, inter a. 1234 et 1298, locum habuit. In maioribus autem dioecesibus Angliae, Belgii, Galliae, Germaniae ea introducta est distinctio, ut *Vicarius generalis* tantum haberet iurisdictionem *voluntariam* et administrationem, *Officialis* vero iurisdictionem *contentiosam* in causis civilibus et criminalibus. Quod discrimen in parvis dioecesibus Italiae non receptum sane in *iure communi* non habebat fundamentum. Nam verba Vicarii generalis et Officialis in iure Decretalium et decretis Tridentinis promiscue adhibentur et *unam eandemque designant personam*, non diversitatem officiorum[16].

IV. Qua nova Vicarii generalis vel Officialis institutione potestas antiqua *Archidiaconi* magnum detrimentum passa est[17]. Id principaliter factum est per Concilium Tridentinum, a quo Archidiaconis subducta est iurisdictio *primae instantiae* in causis matrimonialibus et criminalibus clericorum (Sess. XXIV, c. 20, de ref.) et speciatim in causis clericorum concubi-

Sext.; cap. 2, de consuet. I, 4, in Sext.; cap. 3, de temp. Ordin. I, 9, in Sext.; cap. 4 de off. et pot. iud. del. I, 14, in Sext. Cfr. quoque *Goffred. de Trano*, († a. 1245), Summa l. I, t. 28, de off. vic. n 2. sq., ubi iam *supponit* Officiales Episcoporum eosque potius *delegata* quam ordinaria iurisdictione instructos esse putat; hinc non sine haesitatione tenet a sententia Officialis ad Episcopum posse appellari. Qua in re *Hostiensis* († a. 1271), Summa l. I, t. 28, n. 2, a *Goffredo* recedit et Officialem Episcopi dicit esse iudicem *ordinarium*, qui unum idemque consistorium cum Episcopo habeat, a quo ad Metropolitam, non ad Episcopum, sit appellandum.

[15] Cap. 2 de rescr. I, 2, in Clem.; *Santi*, l. c. l. I, I, t. 28, n. 18, falso putat primum in Conc. Later. IV, (a. 1215) = cap. 14, X. de off. iud. ordin. I, 31, Episcopis *datam* esse *facultatem* instituendi Vicarios generales.

[16] Cfr. v. g. cap. 3, de off. vicar. I, 13, in Sext.; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 12, de ref.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. III, cap. 3, n. 2; *Scherer*, l. c. p. 609; *Fournier*, Les officialités au moyen-âge. Cfr. Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 244: « *In Ecclesiis autem orientalibus ut plurimum Episcopus assumebat Chorepiscopum, cui administrationem in pagis et vicis committebat, ipse autem regimen urbis suae Sedis sibi specialiter reservabat* ».

[17] His quae de historica origine Vicarii Generalis proposita sunt in textu,non levem difficultatem facessunt quae *Fournier* colligit in prae-

nariorum, immo etiam potestas excommunicandi (Sess. XXV, cap. 3, de ref.). Quare non obstantibus praeclaris encomiis, quibus Patres Tridentini, Sess. XXIV, cap. 12, de ref.) exornarunt Archidiaconos, ipsorum officium in plerisque regionibus omni iurisdictione destitutum ad meram *dignitatem honorificam in Capitulis* iamdiu fuerat reductam [18]. Codex illam distinctionem

---

clara monographia historico-canonica (Origines du Vicaire Général. 1922). Iuxta praeclarum Auctorem: 1°) Omni fundamento historico caret, quod Vicarii Generales originem ducant ex studio Episcoporum substituendi Archidiaconis novos officiales magis a se dependentes. 2°) Origine tenus munus *Officialis* pro causis iudicialibus iam a saec. XI existens nihil habet commune cum munere alio quod postea devenit munus Vicarii Generalis, ita ut confusio inter duo munera contra praxim communem solum fuerit facta in parvis dioecesibus Italiae, manente distinctione in aliis locis; ideoque Codex non ius primigenium immutasset, sed potius ad ipsum rediisset, relicta ultima doctrina canonistarum, quae nec in historia nec in textibus iuris Decretalium fundamentum habebat. 3°) Vicarii Generales ortum ducunt ab antiquis *procuratoribus generalibus*, iis videlicet quibus Episcopi *absentes* committebant plenam dioecesis administrationem durante eorum absentia. Qui usus constituendi *procuratorem generalem*, unum vel plures, maximum incrementum coepit saec. XIV, cum tot essent Episcopi a suis dioecesibus absentes fere permanenti modo et vix brevem moram in dioecesi facientes. 4°) Ab illa praxi constituendi *procuratorem generalem* in absentia facilis fuit transitus ad constituendum Vicarium cum eodem generali mandato permanenti modo, seu praesente etiam Episcopo. Qui transitus paulatim quidem factus est, sed iam sistitur factus sub initium saec. XIV. Ipsi characteres potestatis Vicarii Generalis respondent notis procuratoris generalis « *cum libera* ».

Quae accurate a praeclaro Auctore disputantur sunt omnino attentione digna. Si quid forte desit illi historicae inquisitioni, est investigatio de officio et potestate Archidiaconorum et qua ratione factum sit ut eorum ampla potestas paulatim fuerit restricta donec plene cessaverit atque ad merum nomen honorificum redacta fuerit. Quae cum contigerint simul cum evolutione muneris Vicarii Generalis, fortasse inter explicationem, quae hactenus fuerat recepta, et quae in nova inquisitione historica proponitur non sit vera et radicalis oppositio, sed sint duae explicationes quae apte concilientur et sese mutuo compleant; nequaquam enim concipienda est lucta contra Archidiaconos quasi indicta ex conspiratione quadam Episcoporum, sed coërcendo excessus Archidiaconorum potuerunt recurrere ad adiutorium permanens eorum, quorum opera utebantur in absentia aut aliis impedimentis distenti.

[18] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 20, de ref., ubi causae matrimoniales et criminales tribunali Archidiaconorum subducuntur, nisi doceatur de consuetudine *immemoriali*. Cfr. S. C. C. 23 Ian. 1598, 4 Maii 1726; *Gas-*

inter Vicarium Generalem et Officialem iam passim receptam sancivit, sicut etiam in Curia Romana firmavit similem negotiorum partitionem inter Congregationes et Tribunalia per Pium X inductam.

§ II. Disciplina vigens

635. Notio. *Vicarius generalis* nunc intelligitur clericus legitime deputatus ad exercendam *generaliter iurisdictionem* episcopalem vice Episcopi, ita ut actus eius ab Episcopo gesti censeantur [19].

Iure Codicis Vicarii generales commissum habent exercitium eorum, quae sunt iurisdictionis *voluntariae* et *administrationis*, et Officiali in dioecesi constituendo committendum est exercitium iurisdictionis *contentiosae;* si tamen dioecesis sit parva, utrumque officium in eadem persona cumulari potest (can. 1573 § 1), retenta tamen inter utrumque Officium distinctione et independentia (cfr. can. 1573, § 6).

Ubi autem plurima sunt negotia ad administrationem temporalem pertinentia, ad rerum temporalium administrationem convenienter constituitur proprius quidam Oeconomus.

636. De constitutione *officii Vicarii generalis.* I. Attento can. 198 *ius* constituendi Vicarium Generalem ad solos pertinet Episcopos residentiales necnon ad Abbates vel Praelatos *nullius.* Quare Vicariis et Praefectis Apostolicis illud ius ex se non competit; sed expressa concessione Benedicti XV stabili ratione obtinuerunt facultatem sibi constituendi unum aut plures *Vicarios delegatos*, quibus per talem designationem ea competentia obveniat quam ius tribuit Vicario Generali [20].

---

parri, De matrim.; Arch. f. k. K. t. 63. p. 1 sq., 81 sq., 98 sq.; *Leuren.*, l. c. q. 621 sq., 639 cq.

[19] Cfr. cap. 2, 3, de off. vicar. I, 13, in Sext.; cap. 3, de appell. II, 15, in Sext.; *Bouix*, l. c. p. 349 sq., 358; *Leuren.*, l. c. q. 1 sq. Cfr. de officio Vicarii generalis in Ecclesia Orientali l. c. in font. h. tit., ubi passim nunc praxis Ecclesiae Occidentalis adoptata est.

[20] A. A. S., XII p. 120. Si antea fuerat praescriptum Vicariis Apostolicis Coadiutore carentibus ut deputarent Vicarium Generalem (cfr. Benedict. XIV, Const. « *Ex sublimi* » 26 Ian. 1753, et Const. « *Quam ex sublimi* » 8 Aug. 1755, schema Conc. Vatic. apud *Martin*, p. 141 sq., Collect. Lac. t. III, col. 1114), id spectabat ad vitandas difficultates tem-

II. *Obligatio* constituendi Vicarium Generalem non imponitur *absolute*, sed quoties bonum dioecesis id postulat. Episcopum tamen negligentem S. Sedes potest constringere aut negligentiam supplere per directam designationem Vicarii Generalis; quo in casu Episcopus non poterit eum ad nutum removere (can. 366 § 1)[21].

III. *Numerus*. Per se *unus* dumtaxat constitui debet, non plures. Attamen secundum praeformationem iam factam a Benedicto XIV (Const. «*Etsi Pastoralis*» 28 maii 1742) permittitur ut ubi adsint plures fideles diversi ritus peculiaris Vicarius Generalis pro ipsis constituatur, itemque ubi amplitudo dioecesis id exigat (can. 366 § 3); cuius ultimi principii applicatio habetur in casu quo Episcopus habeat duas dioeceses principaliter unitas praesertim inter se distantes, si peculiarem Vicarium Generalem constituat in ea dioecesi in qua non residet.

Quodsi plures ex allegatis causis constituantur Vicarii Generales, excepto forte casu diversorum rituum, ille modus videtur aptior et magis respondens muneri Vicarii Generalis ut a iure definito, sc. ut illi plures constituantur in solidum[22], licet forte in praxi pro expeditiore administratione habeant inter se partita negotia. Quare officium, quod *singulari personae* ad normam iuris est concedendum, ex una parte non est transformandum in *collegium* quoddam (*Vicariatum generalem*), in quo per vota maiora et *decisiva* negotia expediantur[23]; nec verificatur notio Vicarii *Generalis*, si aut determinatum quoddam genus negotiorum singulis cum *exclusiva* potestate assignatur aut singuli per dioecesim distributi praeficiantur compluribus *distinctisque territorii* partibus cum aliorum exclusione.

---

pore obitus Vicarii Apostolici; quibus postea melius provisum fuit per iniunctam deputationem Pro-Vicarii. Cfr. supra ubi de Vicar. Apost.

[21] Cfr. praecedentem doctrinam apud *Ferraris*, v. Vic. Gen. art. I, n. 5, 6.

[22] Cfr. schema Conc. Vatic. apud *Martin*, p. 134 sq. «*Quibus vero in dioecesibus plures Vicarii generales deputari solent, hi numerum duorum vel trium non excedant omnesque* in solidum *seu* aeque principaliter *deputentur, ne forte quae ab eorum singulis provisa gestaque fuerint viribus careant*».

[23] Cfr. S. C. Ep. et Reg. 24 Sept. 1827; cui doctrinae non obstat, si Vicario Gener. assistat collegium assessorum seu consultorum.

Diversas praxes accommodare ad ius Codicis est mera quaestio bonae voluntatis.

637. Nominatio libere omnino spectat ad Episcopum cum plena independentia a consensu gubernii civilis aut a consensu vel consilio Capituli cathedralis seu consultorum dioecesanorum; semel nominatus est removibilis ad nutum ipsius Episcopi (can. 366, § 2), est enim officium fiduciae. At in remotione servandae sunt leges aequitatis et praesertim bono ipsius nomini est consulendum, si absque ulla ipsius culpa est removendus.

638. Qualitates. Vicarius Generalis actu *sacerdos* esse debet, e clero saeculari, trigesimum annum saltem inchoatum habens (annos natus *non minus triginta*), in theologia et iure canonico doctor aut licentiatus, vel saltem earum disciplinarum bene peritus; sana doctrina, probitate, prudentia ac rerum agendarum experientia commendatus.

Si dioecesis alicui *religioni* commissa fuerit, Vicarius Generalis potest esse alumnus eiusdem religionis; quae commissio dioecesis alicui religioni tunc fit, cum ad illam dioecesim regendam semper Episcopi ex illa religione assumuntur; quare non sufficit Episcopum esse religiosum ut iam inde Vicarium Generalem virum religiosum deputare possit.

Nihil vetat quominus Vicarius constituatur ex clericis eiusdem dioecesis[24]; at tale officium non debet committi *canonico poenitentiario*, aut Episcopi consanguineis, *praesertim* in primo gradu vel in secundo mixto cum primo, aut, seclusa necessitate, parocho ceterisque curam animarum habentibus (can. 367). Quae exclusio consanguineorum Episcopi satis intelligitur pertinere ad vitandas obtrectationes; poenitentiarius, parochus aliusve curatus excluditur, ne suspicionem ingerat quod in sua administratione utatur scientia confessionis, si forte in easdem personas deberet exercere fori externi iurisdictionem, in quas iurisdictionem fori interni actu exercet.

---

[24] Opinio contraria non paucorum doctorum in iure Codicem praecedente innitebatur quidem compluribus decisionibus *particularibus* SS. CC. C. et Ep. et Reg.; at responsa et decreta particularia, praesertim data ob speciales rationes alibi saepe non verificatas pro exiguis dioecesibus Italiae, et ipsum decretum Concilii particularis provinciae Romanae (a. 1725) non poterant constituere ius quoddam universale ubique absolute obligans.

Cum officio vero Episcopi Auxiliaris officium Vicarii Generalis apte coniungi potest et solet.

Forma specialis in constitutione Vicarii Generalis non est praescripta; nunc autem iure generali Codicis can. 159 eius nominatio scripto consignari debet.

639. Potestas Vicarii Generalis. I. Si quaestio est de *natura* seu *charactere* potestatis Vicario Generali competentis, iure Codicis nullum dubium esse potest, quin ipsius potestas sit vere et proprie *ordinaria*, licet vicaria. Nam potestas ipsis assignatur *vi officii* iure communi instituti et Vicarius Generalis inter eos adnumeratur qui simpliciter veniunt appellatione *Ordinarii* vel *Ordinarii loci* (can. 368, § 1, iunct. can. 197, 198). Quare disputationes doctorum ea de re usque ad ultima tempora continuatae, nunc ut prorsus antiquatae habendae sunt. Cfr. *De Meester*, o. c. II, n. 729.

II. *Ambitus* potestatis is est, ut ei vi legitimae nominationis competat in *universa* dioecesi ea iurisdictio in spiritualibus et temporalibus, quae ad Episcopum iure ordinario pertinet, exceptis iis: 1°) quae Episcopus sibi expresse reservaverit; 2°) quae ex iure requirunt speciale Episcopi mandatum (can. 368, § 1).

Quaenam sint illa quae *speciale mandatum* requirunt, cum ante Codicem, praeter certos casus indubitanter in iure expressos, alii censerentur contineri in quibusdam principiis generalibus plus minusve claris, v. gr. de negotiis *valde gravibus*, iure Codicis sunt accuratius determinata et *taxative* enumerata diversis locis, ita ut non amplius illa exceptio sit extendenda ad alios casus etiam similes. (Cfr. can. 113, 152, 357 § 1, 1155, 1162 § 1, 1183 § 2, 1423 § 2, 1466 § 2, 2220 § 2) [25]

Nisi aliud expresse cautum fuerit, Vicarius Generalis exequi potest rescripta apostolica, quae Episcopo vel praecedenti rectori dioecesis fuerint remissa, ac generatim ad ipsum quoque pertinent facultates habituales Ordinario loci a S. Sede concessae, ad normam can. 66 (can. 368, § 2).

[25] Cfr. *Ferreres*, Inst. canon. I, n. 672. Ab ambitu universae iurisdictionis episcopalis excludenda est iure Codicis can. 1573 § 1 iurisdictio contentiosa, quae normaliter demandanda est Officiali, nisi verificetur casus ibidem exceptus.

III. *Modus* in exercitio potestatis tenendus is est, ut: 1°) praecipua acta Curiae ad Episcopum referat, ipsumque certiorem faciat de iis, quae gesta aut gerenda sint ad tuendam in clero et populo disciplinam; 2°) ut contra mentem et voluntatem Episcopi sua potestate non utatur, firmo praescripto can. 44 § 2, ex quo gratia ab Episcopo negata *valide* concedi nequit a Vicario Generali, nisi de ipsius Episcopi consensu (can. 369).

640. Scholion. Quali potestate utatur Vicarius Generalis in negotiis, quae mandatum speciale requirunt, cum tali mandato est munitus, in controversia est; quam controversiam ius Codicis non inducit, cum in hac parte nihil differat a iure praecedenti nisi per *taxativam* enumerationem eorum, quae mandato speciali egent.

Porro admissum communiter erat a beneplacito Episcopi prorsus pendere, utrum in constitutione Vicarii Generalis pauca vel multa aut etiam omnia concederet *specialia*. Cum autem specialia non committantur nisi exprimantur, non deerant qui negarent committi *specialia* per formulam generalem, qua Vicario Generali fieret potestas plena et libera agendi omnia, quae potest ipse Episcopus etiam cum clausula « *etsi speciale mandatum requirant* », et inde exigerent ut Episcopus dictam facultatem concedens exprimeret aliquem vel aliquos de casibus speciale mandatum requirentibus [26]. Quae necessitas unum determinate exprimendi saltem indirecte iure Codicis videtur exclusa, hoc ipso quod taxative declaravit casus mandatum speciale requirentes, ideoque omne dubium circa casus speciales sustulerit.

Supposito vero mandato speciali efficaci, satis communiter admittebant a Vicario Generali procedi ex potestate ordinaria, si mandatum speciale fuerit datum in prima collatione vicariatus seu in formula qua Vicarius fuit institutus, quia tunc potestas ex mandato speciali accepta videtur veluti *adnexa* officio et officii *accessoria* et quodammodo *determinativa* potesta-

[26] *Schmalzgr.*, l. I, tit. 28, n. 24, iunct. reg. 81 iuris in VI; *Reiffenstuel*, eod. tit. n. 89; *Pirhing*, eod. tit. n. 42, qui n. 43 addit nec tunc comprehendi quae requirunt speciale mandatum, si post commissionem ad omnia factam excipiatur aliqua res mandatum speciale requirens. Aliter in iure Codicis tenet *Chelodi*, o. c. p. 307, not. 1, quamvis addat talem modum committendi specialia menti iuris esse minus conformem.

tis in officio contentae. Addebant tamen nonnulli, quod si deinde res speciale mandatum requirens committeretur Vicario *intuitu vicariatus* aut sub *nomine vicariatus* aut declarando Vicarii potestatem *ad illam rem extendi*, tunc quoque tribui Vicario in ea re potestatem ordinariam. Secus quae seorsim ac separatim per speciale mandatum committuntur, Vicario committi ut Episcopi delegato et Vicarium in his procedere ex potestate delegata [27].

Quae distinctio aliquantulum subtilis est. Certe nullus dubitare potest quin Episcopus, sicut alium quemlibet clericum, ita etiam suum Vicarium possit constituere *delegatum* ad aliquem actum non comprehensum in suo officio; at extensio potestatis Vicarii ad actum initio in prima commissione vere non comprehensum per speciale mandatum postea datum, non videtur esse modus aptus declarandi Vicarium delegatum Episcopi ad illum actum, praesertim si mandatum non datur ad *unum actum individuum*, sed ad quoslibet illius negotii occurrentes casus. Insuper ea est natura officii Vicarii Generalis, ut restrictionis et ampliationis capax sit ambitus potestatis in eo comprehensae, modo restrictio per reservationes non fiat tanta, ut destruatur mandatum *generale*. Quare sicut Episcopus auferens reservationem initio muneris factam, non videtur conferre *delegationem*, sed ampliare iurisdictionem ordinariam, ita per concessionem mandati specialis, tametsi non initio muneris factam, censerem fieri eamdem ampliationem potestatis ordinariae, nisi *expresse* constituatur *delegatus* ad unum actum mandatum speciale requirentem [28*].

Ceterum, exclusa potestate contentiosa iure Codicis Officiali committenda, in praxi discrimen erit in facultate delegandi, quam facultatem non posse negari Vicario Generali post additionem mandati specialis, inde patet quod saltem per eam constitueretur delegatus ad universitatem causarum. Ergo in

[27] Cfr. *Schmalzgrueber*, l. c. n. 24; *Reiffenstuel*, l. c. n. 83; *Pirhing*, l. c. n. 40.

[28*] Ita nunc plerique auctores; cfr. v. gr. *Verm.-Cr.*, Epitome i. c. I, n. 479; *Maroto*, Inst. i. c., I, n. 633, 3; *C. a Coronata*, Inst. i. c., I, p. 501. Contrariam sententiam tenent *Chelodi*, Ius de personis, p. 330, nota 4 et *Hilling* in Archiv. f. k. K.

praxi non videtur haberi magnum discrimen inter sententias antea commemoratas. Cfr. *De Meester*, l. c.

641. Singularis est illa praerogativa Vicarii generalis, praesertim cumulantis munus Officialis (cfr. can. 1573), quod habeat *unum idemque consistorium* sive tribunal cum Episcopo, sed in iis tantum, quae spectant ad *ordinariam* iurisdictionem Episcopi. Quare appellatio a sententia *definitiva* Vicarii generalis etiam ex mandato *speciali* lata *ad Episcopum* tanquam ab eodem ad eundem penitus reprobatur, sed interponenda est apud illum, ad quem ab Episcopo esset appellandum, nisi omnibus attentis Vicarius generalis vi mandati *specialis* fuisset merus delegatus Episcopi [29]. Qua ex unitate tribunalis Episcopi et Vicarii generalis illud quoque consequitur, quod Episcopus quidem non teneatur ex delictis et gestis a Vicario *extra suum* officium, at tenetur etiam ad resarcienda damna ex iniusta administratione Vicarii generalis, si sciens vel ex culpabili negligentia talem Vicarium elegit vel retinuit. Item Episcopus sententias *sui Vicarii* generalis solummodo eatenus annullare vel corrigere potest, quatenus id posset quoad actus *a seipso* gestos; potest tamen exigere tamquam praeviam conditionem ad determinati actus valorem ut actus suae approbationi subiciatur.

642. Inter iura Vicarii generalis etiam recensendum est: 1°) ius ad *congruum salarium* pro honesta sustentatione. Hinc cum officium Vicarii generalis non sit beneficium neque quisquam suis stipendiis debeat militare, *Episcopus tenetur* solvere illud salarium [30], nisi aliunde iam Vicario generali pro suo munere specialis retributio sit statuta, v. g. ex pensionibus gubernii. At salarium illud *a gubernio* solutum non raro secum fert restrictionem *libertatis* Episcopi in nominando Vicario generali.

[29] Cfr. Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 247, « *Episcopus non potest annullare iudicia, quae a suo Vicario emanant, quemadmodum non potest annullare iudicia, quae a seipso edita sunt. Sed si in iudicio Vicarii aliquid contingit, quod canonibus adversetur, soli Patriarchae competit illud indicium revisere per viam appellationis illudque rescindere, si id meretur* ». *Leurent.*, l. c. q. 73 sq.

[30] Cfr. *Leuren*, l. c. q. 284 sq.; *Ferraris*, l. c. v. Vicar. gener. art. 2, n. 15, 16 ubi tradit secundum decisionem S. C. Ep. et Reg. 16 Oct. 1604, emolumenta cancellariae loco salarii non posse assignari Vicario generali.

2°) *Iura honorifica* Episcopo ratione officii, dignitatis, ordinis episcopalis propria certe Vicario generali non competunt. At cum ipse habeat veram quandam *dignitatem* et intimam *unionem* cum Episcopo, etiam praesente Episcopo publice privatimque *praecedentiam* habet super omnibus dioecesis clericis non exclusis dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis[31*], etiam in choro et actibus capitularibus, nisi clericus charactere Episcopali praefulgeat et Vicarius generalis eodem careat[32]. Quodsi Vicarius sit Episcopus, v. gr. Auxiliaris, privilegia obtinet Episcoporum titularium; secus habet tantum, *durante munere,* privilegia et insignia Protonotarii apostolici titularis (can. 370).

643. De amissione *officii Vicarii generalis.*

Potestas Vicarii generalis praeter ipsius *mortem cessat*:

a) per *renuntiationem* sive expressam sive tacitam ad normam canonum 183-191.

b) per *revocationem* mandati ab Episcopo etiam sine causa *valide* factam; at ut *licite* fiat, ex ipso *iure naturali* habenda est ratio *honoris* Vicarii generalis, qui citra omnem culpam remotus in fama pateretur nisi adsit iusta et rationabilis causa, quae cohonestet illam substitutionem in officio fiduciae alterius Vicarii.

Quae remotio *ipsi* Vicario est rite *intimanda,* nec sufficit voluntas Episcopi etiam extrinsecus manifestata, ideoque acta Vicarii usque ad intimatam revocationem valent.

c) per remotionem seu privationem officii ad normam canonum factam. (Cfr. can. 192).

d) per sedis episcopalis vacationem. Si tamen simul sit Officialis, sede vacante, cessat quidem a Vicarii, non autem ab Officialis munere (can. 1573 § 6).

Scholion. Vicarii generalis iurisdictio suspenditur omnibus

[31*] Hoc tamen ius praecedentiae non fert secum iura et officia de quibus in c. 397; ea enim competunt solis dignitatibus et canonicis secundum ordinem praecedentiae, ut expresse dicitur in citato canone. Cfr. A. A. S. XXIII, 235; Period. XXI, 24.

[32] Cfr. de hac praecedentia decisionem S. C. C. 17 Maii 1919, in A. A. S., XI, p. 349; *Ferreres,* Inst. I, n. 673 de singulari difficultate in Hispania propter praecedentiam in choro tributam Decano vi articuli concordati.

illis modis quibus manet suspensa iurisdictio Episcopi, a cuius iurisdictione *principali secundaria* iurisdictio Vicarii Generalis plane dependet. At *suspensio* iurisdictionis in Episcopo, quae secum trahit suspensionem iurisdictionis Vicarii, non est confundenda cum aliis impedimentis iurisdictioni Episcopi appositis, quibus extantibus non inde aut amittitur aut suspenditur ex se iurisdictio Vicarii, qui eam conservat ad normam can. 429 § 1.

Art. 2. — De Cancellario aliisque notariis et archivo episcopali

§ I. De Cancellario et notariis

644. I. **Nomen.** *Cancellarii* a latinis dicti qui ad cancellos ianuae cubiculi assisterent, i. e. veluti ostiarii, quorum munus erat stare pro foribus et admissiones curare; quippe olim imperatorum ac procerum cubicula, qua patebant, non tantum *vela* sed et *cancellos* habebant, seu fenestratas ianuas (Cassiodor., 11 Variar. ep. 6). Inde qui eis assistebant dicti sunt *a velis, a cancellis* vel etiam *velarii, cancellarii.* Illis tamen haud raro commissa fuit custodia archivi; quare etiam archivi custodem ea vox significavit.

Cum autem etiam tribunalia haberent cancellata septa, quibus excluderentur turbae, illis cancellis praepositi etiam dicti sunt cancellarii, quorum aliqui iudicibus scribendo navabant operam (Cassiodor., l. c.). Digniores erant quam simplices scribae, eoque munere fungi etiam soliti sunt, quo ii funguntur qui apud nos *a secretis* dicuntur. Praesertim vero dicebatur cancellarius qui omnibus praeerat, qui olim dictus est Sacri Palatii quaestor. Cfr. *Forcellini,* Lexicon totius latinit. v. Cancellarius.

Quae vocis significatio apte cohaeret cum munere, quod Codex attribuit Cancellario custodiendi dioecesanum archivum et fungendi munere notarii atque actuarii.

Notarii dicti sunt, qui notis brevibus citissime scribebant quae quis dictabat aut orationes publice et pro concione recitatas (*Forcellini,* l. c. v. Notarius), quorum frequens erat usus apud romanos aeque ac inter graecos.

Cum autem paulatim adhiberentur etiam in conficiendis

testamentis, in actibus iudicialibus scripto consignandis et quae notis brevibus prius collegerant in communem postea scripturam transferrent, inde paulatim factus est transitus ad considerandos notarios tamquam probos viros, quorum scripturae haberentur authenticae et publicam fidem facientes.

II. **Notae historicae.** Notariorum frequens est usus in antiquitate christiana. Iam antiquissime in Ecclesia Romana habebantur constituti notarii regionarii, sub se alios notarios seu scriniarios habentes, qui sub vigilantia diaconi regionarii acta martyrum colligerent atque authentice describerent [33]. Quos initio constituisse ordinem clericalem satis verisimile est [34]. Similiter existebant in aliis ecclesiis. Illis praeterea munus demandatum est ut essent Episcopis ab epistolis, et ut documenta publica conscriberent velut instrumenta, donationes, testamenta, allegationes etc. [35], ea sancte custodirent et quoties causa quaedam exigeret, fideliter proferrent.

Speciatim sub imperio Caroli Magni coepit augeri Cancellariorum dignitas, dum uni ex notariis speciatim commissa fuit asservatio scrinii, ubi custodirentur leges, praecepta, aliaque publica documenta, quae, cum necesse esset, inde depromerent atque propria subscriptione munita exhiberent [36]. Inde Cancellarius habitus est veluti superintendens supra alios notarios, etiam cum hi adhibiti sunt non ad merum munus documenta publica notis excipiendi sed etiam ad ea plene scribendi.

In Iure Decretalium, cum cap. 11, X. de prob. II, 19 supponat in Episcopo potestatem constituendi notarios, a nonnullis canonistis cap. 8, X. ne cler. III, 50 intellectum fuit de prohibitione generali facta clericis illud munus exercendi, non solum in Curia saeculari, sed etiam in foro et Curia ecclesiastica [37]. Quae interpretatio visa fuit nimis rigida et contra universalem consuetudinem tota retro antiquitate vigentem, quae

[33] *Zaccaria*, Dissert. sopra i notai eccl. n. 3; *Thomassin.*, Vet. et nov. P. I., l. II, cap. 104, n. 1 sq.
[34] *Zaccaria*, l. c. n. 10; *Thomassin.*, l. c. n. 1.
[35] *Zaccaria*, l. c. n. 8.
[36] *Thomassin.*, l. c. cap. 105.
[37] *Fagnanus*, in cap. 8, X. ne cler. III, 50.

prohibitionem intellexerat de Curia et foro saeculari [38]. Cum autem passim laici etiam in foro ecclesiastico notarii munus exercerent et haud raro essent imperiti, Conc. Trid. Sess. XXII, c. 10 ampla facultate munivit Episcopos, ut notarios etiam apostolica, imperiali aut regia auctoritate creatos, diligenti examinationi subicerent, et quos inidoneos reperirent a munere in foro ecclesiastico exercendo arcerent atque ut delinquentes a munere in curiis ecclesiasticis gerendo ad tempus vel in perpetuum suspenderent.

III. **Notio.** *Cancellarius* est persona publica, cui incumbit munus quaelibet acta Curiae in archivo custodiendi cuique ex iuris dispositione per ipsam nominationem accedit munus notarii in respectiva Curia exercendi.

Notarius est persona ab auctoritate publica constituta, ut scripti ab ipsa actus publicam fidem faciant.

Munerum *necessitas* inde patet, quod cum plura inter personas sive physicas sive morales iura ut plurimum pendeant a variis initis pactis vel negotiis iuridicis, a sententiis iudicialibus aliisque huiusmodi gestis, maxime interest ut de his actibus constare possit, non tantum eo momento quo peraguntur, sed etiam postea; inde necessitas scripturae. At ipsa scripta, nisi a personis fide dignis conficiantur, fraudem continere possent; ergo ut in tuto scriptorum sinceritas poneretur convenienter institutus est coetus virorum integritate conspicuorum, quibus scripta concinnandi officium demandaretur et quorum sic scripto testimonio plena fides habenda iniungeretur [39]. Porro ut pro futuro tempore legalia scripta inservire possent, necesse fuit ut accurate custodirentur in securo archivo diligenti probi viri custodiae commendato, quo spectat officium Cancellarii.

645. Disciplina Codicis. (can. 372-374). I. *Obligatio* habendi Cancellarium in respectiva Curia dioecesana omnibus Episcopis imponitur, qui per ipsam nominationem Episcopi sortitur qualitatem seu auctoritatem *notarii.*

Quoad *qualitates*, solum exigitur ut sit *sacerdos;* at procul dubio ex adiecta qualitate notarii praeterea debet esse prae-

[38] Cfr. *Lega*, De iudic. eccl. vol. I, n. 156 sq.; *Bouix*, De iudiciis, vol. I, p. 482 sq.
[39] *Bouix*, l. c. p. 479.

ditus qualitatibus in notariis requisitis seu integra fama ac tali fidelitate, quae ipsum reddat omni suspicione maiorem.

Poscente necessitate, adiutor ei dari potest sub appellatione *vice-cancellarii* vel *vice-tabularii*.

II. Praeter Cancellarium, potest Episcopus alios notarios constituere: illos autem constituit aut ad quaelibet acta, aut ad acta iudicialia dumtaxat, aut ad acta determinatae causae vel negotii conficienda. Oportet ut sint personae integrae famae et omni suspicione maiores. Per se pro usu fori ecclesiastici munus notarii clericis est demandandum; solum in casu, quo clerici desint, possunt notarii e laicis assumi excluso interventu notarii laici in causis criminalibus clericorum.

III. Cancellarius et notarii *removeri* aut *suspendi* possunt ab eo, qui ipsos constituit, aut ab eius successore vel superiore. Vicarius Capitularis nequit eos removere sine consensu Capituli.

IV. *Notariorum officium* est: 1°) Acta seu instrumenta conscribere circa dispositiones, obligationes, citationes et intimationes iudiciales, decreta, sententias aliave circa quae eorum opera requiritur. 2°) In scriptis fideliter redigere quae geruntur, eaque cum significatione loci, diei, mensis et anni subsignare. 3°) Acta vel instrumenta legitime petenti ex regesto, servatis servandis, exhibere et eorum exemplaria cum autographo conformia declarare.

Acta autem legitima conscribere nequit aut extra territorium Episcopi a quo fuit constitutus aut de negotio pro quo legitime non fuit designatus.

Scholion. In multis Curiis ecclesiasticis loco Cancellarii existit *Secretarius* Episcopi, cui multa munera sunt commissa, quae proprie pertinent ad Vicarium Generalem. Qui modus a disciplina Codicis est alienus et facile per convenientem immutationem esset reformandus [40].

§ II. De Archivis dioecesanis (can. 375-384)

646. Nomen et historia. Archivum, alias archivium vel archium a graeca voce ἀρχεῖον, apud latinos designavit locum, in quo tabulae et acta publica asservantur. (Cfr. *Ulpianum* in

[40] Cfr. *Ferreres*, Inst. I, 674; *Muniz*, Procedimientos eclesiásticos, I, p. 136 sq., 159 sq.

L. 9, § 6, D. de poenis 48, 19 ubi etiam adhibet vocem graecam *grammatophylacium*). Haud raro adhibent quoque latini vocem *tabularium*.

Sicut civitates, ita et ecclesiae iam ab antiquissimo tempore sua habuerunt archiva, in quibus Codices, donationes piae et singula monumenta in tabulis conservarentur; praesertim vero in archivis custodiebantur antiquitus sacri codices, acta Conciliorum et Synodorum, constitutiones ad fidem, mores sacrosque ritus spectantes. Praesertim vero Ecclesiam Romanam saec. IV post finitas persecutiones sua habuisse tabularia iam testatur S. Hieronymus, a quo appellantur *Chartaceum*; generatim vero dicebantur *scrinium, scrinia*, quibus praepositi erant *scrinarii* cum *protoscriniario*.

Ecclesiarum exemplo monasteria sua habuisse archiva omnibus est notum; iis enim accepta referimus plurima antiquitatis monumenta, ibidem ab interitu praeservata.

Archiva tamen ecclesiastica orta sunt ex necessitate rei quae etiam efficit ut diligenter custodirentur, dispari tamen fortuna in diversis locis. Leges generales de archivis paucae admodum reperiuntur eaeque recentiores.

Tribuitur S. Carolo Borromeo satis accurata quaedam praescriptio de archivis dioecesanis, quae postea perfecta quadam ratione ordinata sunt in Const. « *Maxima vigilantia* » Benedicti XIII, 14 Ian. 1727 pro Italia. Atque inde Codex omnes fere praescriptiones desumpsit.

647. A) Archivum dioecesanum commune. I. Erigendi archivi seu tabularii dioecesani omnibus Episcopis obligatio imponitur, in quo instrumenta et scripturae, quae negotia dioecesana tum spiritualia tum temporalia spectant, apte dispositae et diligenter clausae custodiantur.

Quaenam sint illa instrumenta et scripturae Codex in particulari non explicat; longa enumeratio a S. Congregatione Concilii 5 Nov. 1625 facta esse dicitur a Pignatellio, qui eam retulit in Consult. 210, n. 4, t. 4. Similis quaedam enumeratio prostat in Appendice Conc. Romani a. 1725 [41].

Archivum debet esse constitutum in loco *tuto* et *commodo;*

[41] Cfr. S. C. C. in caus. *Sutrina* 23 Ian. 1773; *Pallottini*, l. c. v. Archiv. n. 71 sq., in notis; *Ferraris*, l. c. v. Arch. n. 13.

quae commoditas praesertim respicere debet dioecesanam administrationem ideoque plerumque locus aptior erit idem aedificium ubi adsint officinae Curiae. Tutus erit locus, si ita sit constructum archivum et in tali loco situm, ut arceantur quam maxime fieri possit pericula aut furti aut incendii aut humiditatis aliarumque causarum ex quibus documenta deperire possint [42].

Archivum clausum sit oportet et nemini illuc ingressus licere debet sine Episcopi aut Vicarii Generalis et Cancellarii licentia; Cancellarius autem *unus* illius clavem habere debet.

Cum *omnes* scripturae et instrumenta ibi servari debeant, Ordinarius sedulo chartas et scripturas forte alio distractas atque dispersas inquirere, et quaelibet necessaria remedia adhibere debet ut eaedem archivo restituantur.

II. *Inventarium* seu catalogus omnium documentorum, quae in archivo continentur omni diligentia ac sollicitudine conficiendum est cum brevi singularum scripturarum synopsi.

Quotannis, primo bimestri, inventario illae scripturae adiungendae sunt, quae anno praecedente confectae vel alias neglectae fuerunt.

Quoad modum conficiendi inventaria atque adeo collocandi documenta in archivis utiliter consuluntur auctores, qui de re archivistica aut diplomatica scripserunt [43].

III. *Custodia* archivi commissa est Cancellario, cuius hoc est praecipuum munus ex iure Codicis, et in ea re unice dependet ab Episcopo eiusque Vicario Generali. Cancellarius, si in-

[42] Cfr. Regulas traditas in Synodo Pisana XI, a. 1920, p. 339 sq.; *Sosio*, La Curia diocesana p. 95 sq.

[43] Cfr. v. gr. *Barone*, Lezioni di archivistica a. 1914; *Benigni*, Manuale di stile diplomatico, Part. II, a. 1920. Cfr. quoque *Muniz*, l. c. p. 7 sq., ubi proponit divisionem archivi in duas partes; *iudicialem* divisam in duas sectiones pro *causis contentiosis* et pro *causis criminalibus*, et partem *administrativam*. Partem *administrativam* dividit in sectiones XVIII, videlicet: Documenta Pontificia - Documenta civilia - De statu dioecesis - De statu clericorum - Sectio de beneficiis - De officiis non beneficialibus - Sectio de Capitulis - Sectio paroecialis - De religiosis - De piis associationibus - De Sacramentis - De locis et temporibus sacris - De cultu - De magisterio - De iure patronatus - De institutis ecclesiasticis caritatis aut beneficentiae - Sectio de bonis ecclesiasticis - Sectio de piis fundationibus.

digeat potest habere auxiliares, v. gr. Vice-cancellarium, si adsit, aut alios; qui, si nominati sint ab Episcopo, pariter debent respondere de diligenti custodia archivi, ita tamen ut Cancellarius ab onere respondendi numquam sit immunis.

Speciali cura debet Cancellarius invigilare circa scripturas, quae ex archivo cum causa legitima educantur; cuius extractionis hae sunt regulae constitutae: *a*) scripturas non licet efferre sine Episcopi vel Vicarii Generalis consensu; *b*) scripturae extractae *post tres dies* in suum locum reponendae sunt; *c*) solius Ordinarii est tempus trium dierum prorogare, quae tamen prorogatio etiam ab Ordinario nonnisi moderate concedi debet; *d*) Cancellarius exigere debet ab eo, qui scripturam effert, syngrapham subsignatam hoc ipsum significantem.

648. B) Archivum dioecesanum secretum. Prima vestigia archivi secreti habentur in Const. Benedicti XIV « *Satis vobis* » 17 Nov. 1741, ubi agit de describendis secretis seu *conscientiae* matrimoniis. Ipsa tamen natura plurium negotiorum, quae ex sese postulant secrete servari, effecit ut Episcopi iam in praxi aut separatum archivum secretum haberent, aut communis archivi partem cautius clausam et obseratam curarent, cui inspiciendae facultatem nemini facerent. Illud autem diligentius caveri debuit, ne occurrente sedis vacatione secretum archivum non amplius maneret secretum aut documenta ab eo per fraudem detrahi possent, quod praesertim praestitit Codex.

I. Ergo primo universaliter imponitur Episcopis obligatio habendi separatim secretum archivum, aut saltem in communi tabulario armarium seu scrinium omnino clausum et obseratum quodque de loco amoveri non possit. In eo autem cautissime custodiri debent scripturae secreto servandae.

Quaenam sint illae scripturae, ex maxima parte iam aliis locis Codicis indicatur. V. gr. 1°) liber dispensationum ab irregularitate occulta, quae concessae fuerint et executionem obtinuerint in foro interno non sacramentali (can. 991, § 4); 2°) liber dispensationum ab impedimentis matrimonialibus occultis, quae in eodem illo foro interno et non sacramentali per rescriptum S. Paenitentiariae datae fuerint (can. 1047); 3°) liber et documenta quae pertineant ad celebratum matrimonium *conscientiae* (can. 1107); 4°) documenta causarum criminalium *in materia morum*: haec autem documenta singulis annis com-

buri debent si rei vita cesserint vel sententia condemnatoria iam a decennio causae absolutae sunt, retento tamen facti brevi summario cum textu sententiae definitivae [44*]; 5°) tandem generaliter in archivo secreto custodiri debent documenta quae ex sua natura illud secretum postulant, quemadmodum plerumque erunt quae pertinent ad suspensiones *ex informata conscientia,* quae ad delictum sollicitationis, quae ad remotiones, itemque variae notae scriptae circa vitam et mores clericorum.

II. Huius quoque archivi seu secreti armarii conficiendum est inventarium.

III. *Custodia* huius archivi specialem ex iuris dispositione requirit cautionem, videlicet debet claudi duabus clavibus inter se diversis, quae a diversis personis asserventur, ita ut ad eius aperitionem requiratur interventus duplicis personae.

Una ex clavibus asservari debet ab eo qui actuale regimen dioecesis habet atque hac ratione transmittitur: statim ac Episcopus possessionem cepit debet designare sacerdotem, cui indicet locum ubi ipse clavem asservat ad hoc ut sede vacante aut impedita, clavem assumat custodiendam. Sacerdos designatus, occurrente sedis vacatione, una cum Vicario Generali, vel Vicario Generali non existente una cum Cancellario, statim tabularium vel armarium sigillis Curiae obsignabunt; quo peracto sacerdos designatus suam clavem tradet Vicario Capitulari electo, hic autem novo Episcopo cum advenerit.

Si sedes fuerit impedita, sacerdos designatus suam clavem tradet ei cui regimen dioecesis fuerit legitime commissum, vel si regimen manet penes Vicarium Generalem, eam ipse retinere debet.

Altera clavis debet esse penes Vicarium Generalem tam sede plena quam impedita, vel si non adsit Vicarius Generalis penes Cancellarium. Occurrente vacatione sedis, post apposita archivo sigilla, Vicarius Generalis vel Cancellarius eam tradet

[44*] Obligatio retinendi facti breve summarium cum textu sententiae definitivae non extenditur ad causas criminales in materia morum, quarum rei vita cesserint. Comm. Cod., 5 aug. 1941; cfr. A. A. S. XXXIII, 378; Period. XXXI, 190. Ex quo sponte sequitur obligatio comburendi singulis annis etiam ipsa summaria brevia post decennium facta, quae spectent ad reos, qui decursu praecedentis anni mortui fuerint.

primae dignitati Capituli aut, Capitulo deficiente, consultori dioecesano antiquiori, a quo, adveniente novo Episcopo, tradenda est novo Vicario Generali vel Cancellario [45].

IV. *Aperitio archivi.* Secretum archivum *solus* Episcopus vel Administrator apostolicus, nemine adstante, inspicere potest; proinde iis solis fas est illud aperire, repetita altera clavi.

Sede vacante, *Vicario Capitulari* solum ex urgenti necessitate permittitur, ut remotis sigillis archivum aperiat et inspiciat documenta, non autem secum afferat. Quae ut secure observentur, Vicario Capitulari assistere debent duo canonici vel consultores dioecesani, qui invigilare tenentur ne ulla scriptura auferatur et toto tempore debent esse praesentes dum Vicarius solus acta inspicit; deinde novo Episcopo reddenda ratio est illius urgentis necessitatis.

649. De ceteris dioecesis archivis (can. 383). Ad Episcopum pertinet curare, ut tum ecclesiae cathedrales, collegiatae, paroeciales tum etiam confraternitates et loca pia suum habeant archivum accurate ordinatum et custoditum; praeterea ut conficiant inventarium seu catalogum duobus exemplaribus, quorum alterum in proprio archivo, alterum in archivo dioecesano custodiatur.

Etiam ex hisce archivis documenta originalia efferri nequeunt, nisi ad normam can. 378 traditam pro archivo dioecesano.

Usus et consultatio archivorum. Documenta quae in paroeciarum et Curiarum archivis sub secreto servanda non sunt, fit cuilibet, cuius intersit, inspiciendi potestas itemque postulandi, ut sua impensa sibi legitimum eorum exemplar excribatur et tradatur.

Curiarum Cancellarii, parochi aliique archivorum custodes in communicandis documentis et eorum exemplaribus excribendis tradendisque, regulas a legitima auctoritate ecclesias-

[45] Si is qui primam dignitatem Capituli habet, eligeretur in Vicarium Capitularem, cum cautiones a Codice adhibitae eo videantur tendere, ne *utraque* clavis in unius manus unquam deveniat, videtur dicendum quod Vicarius Capitularis ita electus suam clavim debeat tradere *secundae* Capituli dignitati, i. e. primae dignitati habili ad eius custodiam. Cfr. *Muniz,* l. c. p. 15.

tica datas servare et in casibus dubiis Ordinarium consulere debent (can. 384).

Art. 3. — De examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus

650. Examinatorum synodalium institutio a Concilio Tridentino est repetenda, a quo cum statuta fuisset specialis forma examinis pro iis, qui essent assumendi ad munus paroeciale (Sess. XXIV, cap. 18 de ref.) etiam speciales examinatores fuerunt constituti, qui in Synodo dioecesana singulis annis essent designandi, Episcopo eos proponente et Synodo per consensum maioris partis approbante; atque inde dicti sunt examinatores *synodales*. Horum examinatorum munus per decret. S. C. Cons. «*Maxima cura*» 20 Aug. 1910 extensum fuit ad interventum in processibus pro remotione parochorum. Codex, retenta quoad substantiam praecedenti competentia, examinatoribus synodalibus tribuit praeterea interventum in processibus contra clericos non residentes vel concubinarios (can. 2168 sq., 2176 sq.), in translatione parochorum (can. 2162 sq.), in processu contra parochum in suis officiis adimplendis negligentem (can. 2182); praeterea adhibendi sunt in experimentis pro ordinatione clericorum, pro approbatione sacerdotum ad confessiones aut sacras conciones habendas et in examinibus annuis neo-sacerdotum, quamvis ad haec examina et experimenta, praetermissis examinatoribus synodalibus, aliorum opera Episcopus uti possit (can. 389, § 2).

Parochorum consultorum institutio debetur memorato decr. «*Maxima cura*» S. C. Cons., a quo primum inducti sunt ut in remotione administrativa parochorum reviderent cum Episcopo, in casu recursus, decretum remotionis ab Episcopo cum examinatoribus synodalibus latum. Ex iure Codicis adhibentur in processibus in quibus interveniunt examinatores synodales.

Codex hoc loco tantum agit de examinatorum et consultorum nominatione, duratione in munere et remotione; de exercitio muneris ipsis competentis in propriis locis agitur. Quae autem pertinent ad nominationem, durationem et remotionem promiscue sanciuntur de examinatoribus et consultoribus.

651. Qualitates nominandorum. Examinatores synodales et parochi consultores indiscriminatim assumi possunt e clero saeculari vel regulari, modo relate ad alterum munus regularis vere sit parochus. Pro parochis, praeter munus paroeciale, aliae qualitates non requiruntur expressa iuris dispositione; ex natura tamen muneris ad quod assumuntur postulantur in ipsis prudentia et experientia rerum ac ea bona fama, unde sperare liceat quod gaudeant fiducia ceterorum parochorum et quod sincero zelo boni publici ducantur.

Cum examinatores synodales sint illi ipsi, quos Conc. Tridentium (Sess. XXIV, cap. 18) iusserat eligi et adhiberi in examinibus pro collatione beneficiorum (S. C. Cons. 3 Oct. 1910), videntur in ipsis requirendae eaedem qualitates, quod sc. sint graduati in theologia vel iure canonico aut alii clerici regulares vel saeculares, qui magis videbuntur idonei (Conc. Trid., l. c.).

In parvis dioecesibus et quoties iusta aliqua causa intercedat etiam extradioecesanus aliquis clericus in examinatorem vel parochum consultorem assumi potest (S. C. Cons. 3 Oct. 1910 ad V). Vicarium Generalem tanquam examinatorem adhiberi non expedit (S. C. Cons. cit. ad VI). Unus et idem potest examinatorem et parochum consultorem agere, non tamen in eadem causa (can. 390); generatim tamen expedit ne plura officia in una eademque persona cumulentur (S. C. Cons. cit. ad VIII).

652. Electio examinatorum et parochorum consultorum. I. *Numerus eligendorum* relinquitur determinandus prudenti iudicio Episcopi sed intra hos terminos, ut non sint *infra quatuor* nec *ultra duodecim*. Decretum «*Maxima cura*» nullos assignaverat limites; Conc. Tridentinum minimum numerum sex examinatorum praescripserat (Sess. XXIV, cap. 18); deinde vero declaratum fuit non esse nominandos ultra viginti [46].

II. *Ratio nominandi* ea est, ut Episcopus eos *in Synodo proponat* et a Synodo *approbentur*. Propositio Episcopi fieri debet expresso nomine et cognomine, non solo titulo dignitatis, ne

---

[46] S. C. C., 15 Sept. 1874; *Benedict. XIV*, De Syn. dioec. IV, c. 7, n. 3, iunct. *Barbosa*. Collect. ad cap. 17, sess. XXIV, n. 85; *Ojetti*, Synopsis v. Exam. syn.

secus intelligatur electus quicumque in munere seu dignitate succedit[47]. Approbatio Synodi fieri debet per maiora suffragia eorum, qui in Synodo vocem habent, ut videtur ad normam can. 101, ita ut post secundam suffragationem dicenda sit sufficere maioritas relativa suffragiorum; suffragia autem, magis approbativa quam electiva, non necessario secrete sed etiam publice dari possunt[48].

Quodsi Synodus legitimo tempore non celebretur, eligendi sunt ab Episcopo requisito consilio Capituli cathedralis atque hoc modo electi dicuntur *pro-synodales* seu locum tenentes synodalium. Pariter eadem ratione pro-synodales eligendi sunt, ut substituant synodales inter unam et aliam Synodum demortuos aut quavis alia ratione a munere cessantes (can. 386).

III. *Duratio muneris.* Duratio normalis muneris ponitur decennium, seu illud tempus quod decurrit inter unam et alteram Synodum dioecesanam, cuius celebratio can. 356 § 1 decimo quoque anno praescribitur. Quoniam autem per se etiam ante decennium completum nova Synodus dioecesana celebrari potest et aliunde accidere potest quod Synodus aut non celebretur aut ultra decennium differatur, illud ratum fixumque esse debet, examinatores et consultores electos non durare in munere ultra novam Synodum nec ultra decennium; quare expleto decennio vel adveniente nova Synodo *ipso iure officio cadunt.* Possunt tamen, servatis servandis, de novo eligi ad aliud decennium. Qui vero durante decennio in locum alterius examinatoris vel consultoris deficientis constitutus est examinator vel consultor pro-synodalis, is tamdiu durat in officio, quamdiu perstitisset ille in cuius locum suffectus fuerat.

Ceterum qui adveniente tempore ex iuris dispositione officio cadunt, negotium iam coeptum ad exitum perducere possunt (can. 387 § 1).

IV. *Remotio* examinatoris vel parochi consultoris ante tem-

---

[47] S. C. C. 19 Sept. 1745; *Benedict. XIV*, l. c. n. 5; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 18, ed. Richter, n. 5. Unde videtur deduci nullitas designationis aliter factae.

[48] *Benedict. XIV*, l. c. S. C. C. 11 Iulii 1592; Conc. Trid. ed. Richter, l. c. n. 6.

pus pro quo ad iuris normam constituti sunt ab Episcopo fieri non potest, nisi ex gravi causa et de consilio Capituli cathedralis (can. 388).

CAPUT V

De Capitulis canonicorum (can. 391-422)

653. **Fontes:** Decret. Grat. c. 1, D. 25; c. 8, D. 74; c. 3, D. 94; c. 1, D. 21. — Compil. antiq. v. g. cpl. I, l. I, t. 15 sq., l. III, t. 9, de his, quae conced. ab *Episc.* sine cons. *canonic.*, t. 10, d. h. q. f. a. m. p. C. — Decretal. Gregor. IX, l. I, t. 23, t. 24-27, l. III, t. 5, 10, 11. — Conc. Trid. Sess. V, cap. 1, de ref. et alibi passim. — *Lingen* et *Reuss*, Causae selectae S. C. C. p. 523 sq.; *Nussi*, Conventiones v. v. Canonici, Capitula; Collect. Lac. v. v. Canonici, Capitulum. Cfr. de iure Ecclesiae Orientalis: Collect. Lac. t. II, col. 537, 552. Pro Capitulis apud Orient. valet ius occidentale; item pro Vicario capitulari sede vacante, nisi iure speciali aliter cautum sit, ut patet v. g. ex Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 217, 222; Synod. Alex. (a. 1898, p. 186, 191); Synod. prov. Ruthen. (a. 1891), p. 120 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decret. in cit. tit. — *Zech*, Hierarchia eccl. t. 28, de canon. tit. 29, de off. et pot. Cap. sede vac.; *Devoti*, Inst. canon. l. I, t. 3, sect. 7, 8; *Barbosa*, De canonicis etc.; *Ferraris*, Bibl. v. v. Canonicatus, Capitulum, Vicarius capit.; *Bouix*, De Capitulis; *Schneider*, D. bisch. Domcap; *Hermes*, De Capit. sede vac. vel imped. — *De Herdt*, Praxis capitularis; *Cappello*, De visit. Sacr. Limin. vol. I, p. 446 sq.; *Muniz*, Derecho Capitular; *Chelodi*, Ius de Personis, n. 204 sq.; *Ferreres*, Inst. I, 683 sq. — *Thomassin.*, l. c. P. I, t. 3, cap. 7 sq., 63 sq.; *Kraus*, Real-Encykl. v. v. Canonici, Presbyter; *Verm. Cr.*, Epitome i. c. I, n. 489 ss.; *C. a Coronata*, Inst. i. c. I, p. 512 ss.

Praenotiones

654. I. **Definitio.** Capitulum[1] in genere et sensu lato est collegium (corporatio, societas, universitas) *clericorum* alicuius ecclesiae auctoritate ecclesiastica institutum ad promovendum cultum divinum vel etiam ad alias functiones ecclesiasticas exercendas: quo sensu etiam in aliis ecclesiis praeter cathedralem et collegiatam existere possunt capitula clericorum.

---

[1] Cfr. cap. 1, X. de his quae III, 11, = cap. 16, Conc. Later. III, (a. 1179) regul. Chrodeg. (c. a. 760), cap. 8; *Bouix*, De Capit. p. 43 sq.

At sensu stricto Capitula ordinarie tantum dicuntur collegia *canonicorum* sive capitularium in ecclesiis *cathedralibus* vel collegiatis erecta. Et Capitulum quidem ecclesiae *cathedralis* est collegium clericorum a Romano Pontifice in ecclesia cathedrali erectum *principaliter* ad iuvandum et supplendum Episcopum in regimine dioecesis et *secundario* ad promovendum cultum divinum per servitium chori. Capitulum vero ecclesiae *collegiatae* est collegium clericorum a Romano Pontifice in ecclesia praestantiori extra ecclesiam cathedralem erectum, *potissimum* ad promovendum cultum divinum per servitium chori (can. 391 § 1) [2].

Inde iam facile patet, quod *canonici* [3] sive capitulares sint clerici Capitulo ecclesiae cathedralis vel collegiatae per officium et praebendam ut membra proprie dicta pleno iure adscripti.

II. **Divisio.** Capitula dividuntur:

a) in *cathedralia* et *collegiata*, si ratio habeatur *finis* et *loci* erectionis;

b) in *saecularia* et *regularia*, quatenus canonici clero saeculari vel regulari sunt adscripti;

c) in *clausa* sive numerata et in *non clausa* sive non numerata vel receptitia, prout Capitulum, qualescunque fuerint

---

[2] *De Herdt*, l. c. p. 2; *Bouix*, l. c. p. 44 sq., ubi recte notat ab antiquioribus commentatoribus non raro nimis vagam dari definitionem Capituli cathedralis, (vel collegiati), qua non satis distinguitur a qualibet *alia* societate vel corporatione ecclesiastica.

[3] Nomen « canonicorum » antiquissimum est; occurrit enim iam c. 11 Conc. Aurel. III, (a. 538), iunct. c. 14 Conc. Claromont. sive Arvernensis (a. 535), ubi « canonici » clerici dicuntur illi, qui canoni sive *ordini* vel *catalogo* clericorum alicuius ecclesiae sunt adscripti, ideoque cum servitio ecclesiae essent addicti, etiam ab illa perceperunt reditus et sustentationem. Cfr. *Hefele*, l. c. t. II, p. 762, 776, iunct. can. 16 Conc. Nicaen. (a. 325); c. 1, 2, 6, 11. Conc. Antioch. (a. 341); c. 2 Conc. Chalced. (a. 451); *Hefele*, l. c. t. I, p. 420. At ex saec. sexto et septimo paulatim potius illi canonici dicebantur, qui fuerunt *sub canone* sive certa *regula* constituti et vitam agebant *canonicam* iam ante reformationem Chrodegangi. Cfr. *Hefele*, l. c. t. III, p. 584; *Kraus*, l. c. v. Canonici; Kirchenlex. v. v. Canonica... vita, Canonici regulares, Canonikat; *De Herdt*, l. c. p. 26; Canonici Capitulorum tempore medii aevi etiam interdum audierunt *cardinales* (cfr. cap. 57, X. de elect. I, 6), vel *ordinarii* (cfr. cap. 11, X. de praescript. II, 26); *Phillips*, *l.* c. t. VI, p. 41 sq.; *Hinschius*, t. II, p. 61, not. 6.

reditus, ad *certum* determinatumque *numerum* canonicorum est adstrictum vel non, i. e. pro maiori minorive quantitate redituum maior vel minor instituitur numerus canonicorum [4].

d) in *exempta* et *non exempta*, quae iurisdictioni Episcoporum subducta soli Romano Pontifici subiciuntur aut potestati episcopali manent subiecta;

e) Capitula collegiata speciali modo subdividuntur in *perinsignia*, *insignia* et *non insignia*. Profecto unaquaeque ecclesia collegiata potest dici insignis vel potius excellentior, si comparetur cum ecclesia *paroeciali*, cui ecclesia collegiata semper praecedit. At si Capitula collegiata inter se comparentur, illa dicuntur *perinsignia* aut *insignia*, quae aut *expresse* a *Romano Pontifice* praerogativa insignitatis donata fuerunt, aut ob loci conditionem, *aedificii* qualitatem, *numerum* canonicorum aliasque circumstantias reliquis Capitulis collegiatis ita praestant, ut ex *communi aestimatione insignia* ab immemorabili habeantur. Capitula collegiata, quae hisce conditionibus carent, *non insignia* appellantur [5].

Quae divisio Capitulorum ipsis quoque *canonicis* est applicanda. Distinguuntur enim ex iure antiquo vel novo canonici *maiores* [6] vel *cathedrales* et *collegiales* [7], *saeculares* et *regulares* [8], *numerarii* et *supernumerarii* [9], *exempti* et *non exempti* [10].

---

[4] *Il Monitore eccl.*, XXXVIII, 173 sq., iunct. S. C. C. 17 Maii 1919, et *Monitore* XXXII, 72 sq.; *L'Ami du Clergé*, 1919, t. 36, p. 1226 sq.

[5] Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 12, de ref.; decis. S. C. C. in ed. *Richt.*, Conc. Trid. p. 250 sq.; *Bouix*, l. c. p. 47 sq.; Arch. f. k. K. t. 78, p. 570 sq.

[6] Cap. 11, X. de praescr. II, 26, « *de ordinariis maioris ecclesiae* », *Hinschius*, l. c. p. 62.

[7] *Ferraris*, l. c. v. Collegium n. 2, 5.

[8] Lib. II, t. 35, de statu monachorum et *canonicorum regularium*; *Bouix*, l. c. p. 55 sq.

[9] Canonicis supernumerariis potuerunt adnumerari illi, quibus ex iure antiquo concessa fuit *canonia absque* praebenda aut *expectativa* aut nostra aetate canonia *honoraria*. Cfr. cap. 9, X. de constit. I, 2, cap. 55, X. de elect. I, 6; cap. 32, X. de rescript. I, 3; cap. 9, 19, X. de praeb. III, 5; *Bouix*, l. c. p. 124 sq., 196 sq.; *Schneider*, l. c. p. 60 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 62 sq.

[10] Conc. Trid. Sess. XXV, c. 6, de ref.; *Thomassin.*, P. I, l. c.

Complures aliae divisiones canonicorum[11] magis spectant ad archaeologiam canonicam et usus vel non raro potius abusus particularium ecclesiarum; at commemoranda est divisio canonicatuum in *dignitates, personatus* et *officia*, aliter ab aliis explicata[12].

Haud raro a canonistis inter membra Capituli fiebat illa distinctio in *dignitates, personatus, simplices canonicatus* et *officia*.

Dignitates dicebantur canonicatus, quibus adnexa esset *praecedentia cum iurisdictione* in foro externo, v. g. Archidiaconatus; *personatus* vero dicebantur illi canonicatus, quibus competeret *praecedentia, sed sine iurisdictione* fori externi, v. g. custos; denique *officia* dicebantur canonicatus, qui haberent *administrationem* rerum ecclesiasticarum *sine aliqua praecedentia et iurisdictione* in foro externo, v. g. officia theologi et poenitentiarii; tandem simplices canonicatus dicti sunt qui carerent aliqua ex memoratis adiectis qualitatibus.

Quae divisio licet in theoria a viris doctis potuerit fingi, atque aliqua ratione in fontibus insinuaretur[13], tamen non obstante frequenti repetitione in praxi iamdiu non erat universaliter recepta. Etenim iam pridem *dignitates* in Capitulis propriam quandam et specialem *iurisdictionem* in foro externo non amplius habent, et pro diversitate regionum maxima est varietas in numerandis dignitatibus, personatibus et officiis. Manebat ergo in dignitatibus sola praerogativa *honoris* in praecedentia quoad reliquos capitulares, ideoque *de facto* non existebat fundamentum discriminis, quo dignitas a personatu differret, et practice plerumque iam non distinguebantur in Capitu-

[11] V. g. canonici seniores (antiquiores) et iuniores, capitulares et domicellares sive emancipati sive non emancipati vel scholares, canonici in floribus et fructibus, in pulvere, in herbis, praebendati vel semipraebendati, residentiales et forenses, de gratia et de officio, sacerdotales, diaconi, subdiaconi. Cfr. *Schneider*, l. c. p. 62 sq. 203 sq.; *Scherer*, l. c. p. 572 sq.

[12] *Bouix*, l. c. p. 68 sq.; *Schneider*, l. c. p. 84 sq.; *Fagnanus*, l. c. in cap. 13, X. de praeb. III, 5, n. 8; *Hinschius*, l. c. p. 88 sq., 110 sq.

[13] Cfr. cap. 13, 28, X. de praeb. III, 5; cap. 15, 16, 41, de praeb. III, 4, in Sext.

lis nisi *dignitates* et simplices *canonici*, qui inter se sunt aequales, nisi aliunde ex antiquitate vel ex qualitatibus requisitis in provisione repetatur distinctio canonicorum[14]. Cui modo considerandi membra Capituli adhaesit Codex can. 393 § 2.

Pariter distingui solebat *canonia* sive *canonicatus* per oppositionem ad *praebendam;* illa denotabat *officium* canonici, haec vero potius *beneficium* canonicatui adnexum sive *ius* perpetuum *ad reditus* propter officium sive canoniam[15]; quamvis non raro canonia et praebenda promiscue adhiberentur. *Canoniam* vero ut separatam a *praebenda* Codex excludit, dum canonicatum prohibeat erigi sine adnexis emolumentis can. 393 § 3.

III. **Notae historicae de Capitulis.** *Presbyterium* inde a primis temporibus Ecclesiae catholicae adstitit *Episcopo* in expediendis negotiis ecclesiasticis. Quod presbyterium certe ab initio constabat imprimis presbyteris et diaconis civitatis episcopalis, cum ordinum minorum ex duobus prioribus saeculis nonnisi levia habeantur vestigia[16]. At clerici illi inferiorum ordinum postquam in Ecclesia fuerunt instituti et recepti, saltem in causis gravioribus a presbyterio sive communi consilio Episcopi non sunt exclusi; etenim vel ipsa plebs consensu vel testimonio suas habuit partes[17].

In *Ecclesia Occidentali* perfectior coelibatus observantia faciliorem reddidit praxim vitae cuiusdam communis et canonicae clericorum, atque exemplum a monachis datum certe non sua caruit vi et efficacia. Hinc factum est, ut antiquior illa familiaris cohabitatio Episcopi cum suis clericis in eadem domo tandem S. Augustino duce et magistro ex fine saeculi quarti in perfectiorem redigeretur formam. Ipse enim « *monasterium* » condidit, in quo presbyteri, diaconi, subdiaconi congregati com-

[14] *Nussi*, Conventiones p. 50 sq.; *Bouix*, l. c. p. 70; *Schneider*, l. c. p. 74 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 74 sq.

[15] Cfr. rubr. l. III, t. 5, X. de praeb. et dignit.; *Ferraris*, l. c. v. Canonicatus art. 1; *Schneider*, l. c. p. 62; *Hinschius*, l. c. p. 62.

[16] Act. Ap. S. XX, 17, 28, VI, 1 sq.; *S. Clem.* in epist. ad Corinth cap. 40, n. 5; *S. Ignat.* († a. 107), in epist. ad Smyrn. cap. 8, n. 1, ad Ephes. cap. 2, n. 1, cap. 4, n. 1, ad Magnes. cap. 2, ad Trallan. c. 2, ad Philadelph. cap. 4, 5; *S. Cyprian.*, in epist. 14, iunct. epist. cleri Rom. (a. 250).

[17] Siric. in epist. ad divers. Ep. (a. 390); c. 6, C. XV, q. 7, (stat. Eccl. ant.); c. 7, C. XVI, q. 1, (S. Hier.); c. 5, D. 95, (S. Hieron.); c. 52, C. XII, q. 2 (S. Leo); c. 23, D. 86, (S. Gregor.); *Schneider*, l. c. p. 12 sq.

munem agebant vitam in orationibus, lectionibus et disputationibus. Ex illo monasterio S. Augustini non pauci prodierunt Episcopi, qui deinde in suis ecclesiis similia instituerunt monasteria [18].

In *Hispania* quoque et *Anglia* et *Italia* reperiuntur vestigia vitae cuiusdam communis Episcopi cum suo clero [19]. Praesertim vero *in Gallia*, ubi pariter iam pridem Episcopus in sua domo nonnisi clericos habuit socios et testes conversationis suae [20]. *S. Chrodegangus* († a. 766), Episcopus Metensis, institutum vitae communis et canonicae clericorum in peculiarem formam moribus monasticis regulaeque S. Benedicti magis accommodatam, sed a vita stricte regulari distinctam (c. a. 750) denuo restauravit multumque promovit [21]. Cum ipsi reges Francorum, Pippinus, Carolus M., Ludovicus Pius novam reformationem vitae canonicae singulari prosequerentur favore, brevi tempore Capitula (claustra) canonicorum, tum prope ecclesiam cathedralem sive in domo Episcopi, tum apud alias ecclesias etiam extra civitatem episcopalem, multum propagata novisque legibus latis melius ordinata [22] et constituta sunt. Inde ortum est discrimen inter Capitula *cathedralia* et *collegiata* [23].

At canonici illorum Capitulorum vitae communis et canonicae, nequaquam *voto paupertatis* veraeque vitae regulari erant adstricti [24]. Hinc iam ex saeculo nono relaxata vita communi pau-

---

[18] *S. Ambros.* in epist 72; *Possid.* in vita S. August. cap. 5 sq.

[19] Cfr. c. 21, 22, 23, Conc. Tolet. IV, (a. 633); *S. Beda Venerab.*, Hist. eccl. gent. Angl. l. I, cap. 27; *Thomassin.*, l. c. cap. 8.

[20] *Gregor. Turon*, Histor. Franc. l. I, cap. 31; c. 7, 10 sq. Conc. Turon. II, (a. 567).

[21] Cfr. c. 11 Conc. in Verno palatio (a. 755) et *Hefele*, l. c. t. III, p. 584, not. 2; regul. Chrodeg. apud *Harduin*, IV, 1181 sq.; *Thomassin.*, l. c. cap. 9; *Schneider*, l. c. p. 30 sq.; *Ebner*, Zur regula can. d. hl. Chrodeg. in Roem. Quartalsch. V, p. 83 sq.

[22] Cap. 72 Synod. Aquisgran. (a. 789), iunct. *Hefele*, l. c. t. III. p. 664 sq.; cap. 9 Synod, Mogunt. (a. 813), iunct. *Hefele*, l. c. p. 756 sq.; Synod. Aquisgran. (a. 817), iunct. *Hefele*, t. IV, p. 11 sq., ubi regula S. Chrodeg. ab Amalario, Diacono Metensi, in novam formam redacta denuo approbata et omnibus canonicis praescripta est; c. 7 Conc. Roman. (a. 826); capit. 8 Conc. Ticin. (a. 876).

[23] Conc. Turon. (a. 813), cap. 23, 24, 25; *Schneider*, l. c. p. 34, 39 sq.; *Hefele*, l. c. t. IV, p. 510.

[24] Cap 31, 42, regulae Chrodegangi; cap. 115, 120, 142 Synod. Aquisgr. (a. 817).

latim singulis canonicis distinctae domus et praebendae [25] assignatae sunt. Cuius divisionis bonorum communium primum exemplum a. 866 Coloniae occurrit quod nonnisi saeculo decimo canonici frequentius et gradatim secuti sunt [26].

Pii antistites, v. g. Petrus Damianus, Ivo Carnutensis aliique, quin et ipsi Rom. Pontifices, ut vitam communem magis magisque collapsam restaurarent atque radicem amputarent istius relaxationis, i. e. dominium privatum absque ullo voto paupertatis, praesertim saeculo undecimo canonicos saeculares studuerunt transformare in veros religiosos sive *canonicos regulares*. Quae reformatio licet in compluribus Capitulis fuerit introducta, tamen stabiliter et universaliter recepta non est [27].

Quodsi interna illa reformatio Capitulorum felicem exitum non habuit, certe inde ex saeculo duodecimo praesertim Capitula ecclesiarum *cathedralium* facta sunt corporationes ecclesiasticae *honoribus* et *iuribus* praestantes atque dignitatibus, personatibus et officiis solide constitutae. Ad ipsas enim v. g. delatum est ius exclusivum eligendi Episcopos, administrandi dioecesim sede vacante, exigendi sede plena ut in non paucis casibus Episcopus petat praevium consensum vel saltem consilium canonicorum cathedralium [28]. Quibus praerogativis si addas pingues reditus et in compluribus dioecesibus iura politica canonicorum haud levis momenti, v. g. in Germania, mirosque modos in provisione canonicatuum servatos, facile intelligitur quod in Capitula paulatim multi irrepserint *abusus*.

Ad istos abusus tollendos in Conciliis reformationis saecu-

---

[25] Cfr. c. 17 Conc. Aurel. III, (a. 538); c. 5 Conc. Lugdun. II, (a. 567); cap. 10, Capitul. Ludov. Pii a. 817, = c. 25, C. XXIII, q. 8.

[26] *Schneider*, l. c. p. 42 sq., *Hefele*, l, c.; *Hinschius*, l. c. p. 55 sq.

[27] Alex. II, a. 1063, in Synod. Rom. = c. 6, § 2, D. 32; Gregor. VIII, a. 1187, in cap. 9, X. de vit. et hon. III, 1; Clem. III, a. 1187, 1191, in saecular, in com. vivent.; *Thomassin.*, l. c. cap. 11, 19; *Schneider*, l. c. cap. 5, X. de stat. monach.; cap. 43, § 5, de elect. I, 6, in Sext. de canon. cap. 4, X. de statu monach. et can. reg. III, 35; Innoc. III, a. 1201, in p. 45 sq.; *Morin*, Réglements inédits du Pape St. Grégoire VII, pour les chanoines réguliers, in *Revue Bénédictine* (a. 1901), p. 177 sq.

[28] Capita l. I, t. 6, de elect., l. III, t. 10, de his quae fiunt a Prael. sine cons.; capita t. 11, de his quae fiunt a maiori; cap. 2, X. ne sede vac. III, 9; cap. 14, X. de maior. I, 33; *Hostiensis*, Summa l. III, t. 10; *Schneider*, l. c. p. 50 sq., 138 sq.

li decimi quinti (Constant. et Basil.) multa quidem verba facta sunt de *reformatione;* at practica vereque solida reformatio Capitulorum non fuit stabilita [29].

Patres Concilii Tridentini [30] singulari prudentia legitima *iura* quaesita Capitulorum sarta tectaque servantes eo maiore vigore obligationes in iure iam statutas canonicis in memoriam revocarunt et paucis aptisque decretis veram reformationem definiverunt.

Quae decreta Tridentina sane in compluribus Capitulis executioni mandata sunt, sed in aliis ob inveteratos abusus et praetensiones contrariarum consuetudinum non obtinuerunt effectum, donec tempore revolutionis gallicae in multis dioecesibus ipsa Capitula cum suis abusibus essent sublata.

Ultimo saeculo Capitula saltem ecclesiarum cathedralium in non paucis regionibus, v. g. Gallia, Germania, Anglia etc. sublatis antiquis abusibus denuo sunt restaturata, etsi dispari forma et constitutione pro diversitate regionum [31]. Neque putandum est Capitula ecclesiarum cathedralium, v. g. in Italia, Hispania et Austria semper retenta, ex mente Ecclesiae a dioecesibus recenter erectis esse aliena et novae disciplinae non amplius conformia [32].

Art. 1. - De constitutione Capitulorum

655. Capitula canonicorum sive cathedralia sive collegiata nequaquam ad instar ordinis Episcoporum sunt collegia quaedam ipso iure divino in gradu hierarchiae iurisdictionis constituta quae ex Christi voluntate necessario in adiutorium Episcoporum sint vocanda. Etenim huiusmodi iuris divini in sacra

[29] Cap. 32 Conc. Lateran. IV, (a. 1215), = cap. 30, X. de praeb. III, 5, (de abusu vicar.); cap. 37, X. de praeb. III, 5, (de abusu nobil. natal.); *Hefele*, l. c. t. VII, p. 548, 612; *Schneider*, l. c. p. 156 sq., 171 sq.

[30] Cfr. v. g. Sess. VI, cap. 1, 4, de ref.; Sess. XXII, cap. 4, de ref.; Sess. XXIV, cap. 8, 12, 16, 17, de ref., Sess. XXV, cap. 6, de ref.; *Thomassin.*, l. c. cap. 21, 22; *Schneider*, l. c. p. 166 sq.

[31] *Nussi*, Conventiones p. 49 sq.; Collect. Lac. t. III, col. 922 sq., 955 sq.

[32] Collect. Lac. l. c. col. 684, 686, 730. Cfr. de Capitulis cathedralibus in *Ecclesia orientali*: Synod. prov. Ruthenor. (a. 1891), p. 120 sq.; Conc. provinc. Alba-Iul. (a. 1872), p. 38 sq.

scriptura et traditione divina nullum existit vestigium, et ipsa varietas disciplinae in Capitulis luculenter probat illorum *institutionem* niti iure *mere humano* Ecclesiae [33].

At ubicumque in provinciis ecclesiasticis administratio dioecesium magis magisque reducitur ad tramites iuris communis et approbatam Ecclesiae disciplinam, Capitula ecclesiarum cathedralium constituunt *senatum consiliumque Episcopi* et necessariam partem in clero dioecesano rite ordinato [34]. Licet autem Ecclesia iuri consuetudinario suam vim non ademerit ad amplianda et restringenda iura Capitulorum, tamen a mente Rom. Pontificum penitus est alienum, si Capitula cathedralia ad meram umbram rediguntur et omnibus fere iuribus carent, quae eis ex iure communi competunt [35].

656. Erectio Capitulorum tum cathedralium tum collegiatorum, quatenus illa sunt corporationes quaedam ecclesiasticae, ex disciplina nunc vigente *soli Romano Pontifici* est reservata [36]. Exinde iam patet Capitula non esse societates *conventionales,* sed vera collegia *legitima,* quae ab auctoritate publica in Ecclesia constituta et propria persona iuridica corporationis ecclesiasticae donata sunt. Quare ad Capitulum erigendum saltem requiruntur *tria* membra (can. 100, § 2); at iura Capituli semel rite erecti non desinunt, etiamsi tantum *unicum* membrum supersit. Ceteroquin ad erectionem *convenientem* alicuius Capituli certe saltem tot requiruntur canonici, quot ad servitium ecclesiae et onera praestanda moraliter necessarii sunt. Qua de re iudicium est penes Romanum Pontificem [37]. In Capitulis

[33] *Suarez*, De leg. l. IV, cap. 4, n. 18, 20.

[34] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 12 de ref.; Pii VII Const. «*Ecclesia Christi*» 15 Aug. 1801, § 22, (pro Gallia); *Nussi*, l. c. praesertim p. 59, art. 15, concord. pro Hispan. (a. 1851); Collect. Lac. t. III, l. c.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 1, n. 5; *Bouix*, l. c. p. 34 sq., 340 sq.; *Schneider*, l. c. p. 195 sq.; *Zitelli*, Apparatus iur. eccl. p. 148, apposite refert, quod vel ipsa S. C. de Prop. F. Episcopos suae iurisdictioni subiectos hortari non desistat ad constituenda Capitula in propriis dioecesibus.

[35] Anal. iur. pont. a. 1863, col. 2009 sq.; *Bouix*, l. c. p. 344 sq.; *Saegmueller*, Lehrb. d. k. K. p. 357, not. 6; *Hinschius*, l. c. p. 160 sq.

[36] Cfr. decis. S. C. C. in ed. *Richt.*, Conc. Trid. p. 350, n. 1 sq.; *Bouix*, l. c. 190 sq.

[37] *De Herdt*, l. c. pag. 7; *Bouix*, l. c. pag. 65 sq.; *Schneider*, l. c. p. 200 sq. Cfr. L. 85, Dig. de verb. sign. L. 16. «*Neratius Priscus tres*

iam erectis tot esse debent praebendati quot praebendae, nisi agatur de Capitulis *non numeratis* seu ecclesiis *receptitiis* in quibus tot esse debent quot Episcopus, audito Capitulo, decenter sustentari posse iudicaverit.

Inter canonicos autem necessario debent existere **dignitates** et simplices **canonicatus.**

Episcopus saltem sensu lato potest dici unus ex Praelatis vel *dignitatibus* Capituli ecclesiae cathedralis, cum ipse ut *caput principale* cum suis fratribus canonicis tanquam membris constituat unum *corpus* atque *senatum* ecclesiae [38], quemadmodum Cardinales cum Romano Pontifice dicuntur facere unum corpus [39]. At in rigore iuris et sensu stricto Episcopus *distinguitur* a Capitulo, neque dici potest esse de Capitulo, cui potius tanquam caput *proprium* et *numerale* praeest *prima dignitas*. Neque ex iure communi *Vicarius generalis* vel *Coadiutor* sunt *vi muneris* membra Capituli ecclesiae cathedralis, nisi ibidem *canonicatum* obtineant [40].

Quodsi antiquiores canonistae generatim **dignitates** de Capitulo esse negarunt, huiusmodi controversia olim diversis modis resoluta, iamdiu praxi ipsa eam acceperat solutionem, quod dignitates in Capitulis receptae potius ex regula generali de gremio Capituli essent [41]. Multo magis id dicendum iure Codicis, ita ut ad excludendam dignitatem a gremio Capituli sit necessaria expressa dispositio legitimi statuti.

657. Notae historicae de dignitatibus et officiis. I. *Prima dignitas*, in Capitulis cathedralibus olim fuit ***Archidiaconatus,*** qui iam ex antiquissima praxi proximum post Episcopum obtinuit locum [42]. Is non raro simul obtinuit officium **Praepositi** in Capitulis [43]; at paulatim Archidiaconatus a Praepositura Capituli saltem quoad functiones commissas fuit distinctus [44].

II. Cum Archidiaconi et Praepositi multum rebus externis essent occupati, ex saeculo undecimo maxime **Decano,** qui simul fuit **Archipresbyter** [45], cura interna Capituli, servitii divini etc. est concessa. Qui Decanus sive Archipresbyter licet ad dignitatem sacerdotalem etiam ob curam animarum fuerit promovendus (cfr. cap. 7, § 2, X. de elect. I, 6, iunct. c. 1 sq., D. 60), tamen per se ex antiquo iure communi, nisi excipias Archipresbyterum Romanum, Archidiacono fuerat subordinatus. Cfr. cap. 7, §§ 2, 3, de off. archid. I, 23, et cap. 1, X. de off. archipresb. I, 24.

III. **Primicerius** [46]. Quod nomen generale est et designat primum inter plures eiusdem ordinis in tabula cerata sive in matricula, v. g. clericorum vel notariorum.

At quemadmodum Archipresbyter presbyteris, Archidiaconus diaconis ut primus praeerat, ita Primicerius sensu specifico dicebatur, qui clericis *inferioribus* et *iunioribus* instituendis in ecclesiis episcopalibus praepositus fuit. Quod officium saltem quoad scholas non raro postea in *Fratrem scholae* vel in

---

facere existimat collegium, et hoc magis sequendum est»; *Cavagnis*, Inst. iur. eccl. publ. P. I, p. 7 sq., (de personis moralibus) ed. 2; *Porsch*, in Arch. f. k. K. t. 57, p. 243 sq.

[38] Cfr. cap. 15, X. de conc. praeb. III, 8; cap. 4, X. de his, quae fiunt, III, 10; cap. 11, de appell. II, 15, in Sext.; Conc. prov. Avenion. (a. 1849) et Conc. prov. Aquens. (a. 1850), in Collect. Lac. t. IV, col. 345, 980; *Bouix*, l. c. p. 56 sq., 59.

[39] *Hangen*, Die Roemische Curie p. 32.

[40] Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 6, de ref. Cfr. de iure particulari *Galliae*: Anal. iur. pontif. a. 1863, col. 2009 sq., *Hispaniae*: art. 7, 14, concord. a. 1851, S. C. C., 15 Iul. 1885, in Act. S. Sed., XVIII, p. 294 sq.; *Italiae*: Conc. prov. Ravennat. a. 1855, in Collect. Lac. t. VI, col. 192; Bouix, l. c. et p. 409 sq.

[41] *Bouix*, l. c. p. 57 sq., 72 sq.; *Reiffenstuel*, l. III, tit. 11, n. 4 sq.; *Schmalzgr.* eod. tit. n. 3 sq.; S. C. C. in caus. Guadalaxarien. 3 Apr. 1841, iunct. Act. S. Sed. XV, p. 129 sq., XVI, p. 230 sq.

[42] *Devoti*, Ius canonic. l. I, t. 23, de off. archid. §§ 1 sq.; *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 17 sq., P. III, l. 2, cap. 32, 33; *Kraus*, Real-Encykl. v. Ἀρχιδιάκονοι; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 183 sq.; *De Herdt*, l. c. p. 59.

[43] V. g. in Reg. Chrodeg. cap. 3, statim post Episcopum commemorantur *Archidiaconus* et *Primicerius*.

[44] Synod. Aquisgr. (a. 817), cap. 139; Urbanus II, († a. 1095), in c. 8, § 2, C. I. q. 3; *Schneider*, l. c. p. 59, 84 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 88 sq.

[45] *Devoti*, l. c. l. I, tit. 24, de off. archipresb. §§ 1 sq.; *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 3 sq.; P. II, l. 3, cap. 74 sq.; *Phillips*, l. c. t. II, p. 115 sq.; *Riganti*, l. c. Reg. 4 Canc. Apost. §§ 1, 5; *Saegmueller*, D. Entwickl. d. Archipresb. u. Dekan.; *Hinschius*, l. c. p. 92 sq.; *De Herdt*, l. c. p. 56.

[46] Cfr. c. 1, § 13, D. 25; c. 10 Conc. Emerit. (a. 666); cap. 3, in reg. Chrodeg.; cap. unic. X. de off. primicer. I, 25; *Devoti*, l. c. in hoc. cap. unic. h. t., ubi Primicerio h. t. nimiam videtur tribuere dignitatem, ut patet ex ipsis verbis capitis et ex contextu titulorum; *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 103; *Hinschius*, l. c. p. 97 sq.

Scholasticum sive *Scholastrum* fuit translatum [47], cum cura cantus et servitii liturgici *Cantori* vel *Praecentori* vel Succentori esset propria [48].

IV. **Sacrista** [49] vocabatur is, qui praefuit sacrario sive sacristiae Capituli atque curam habuit sacrorum vasorum, indumentorum et universi thesauri ecclesiae. Inde factum est ut etiam *Thesaurarius* diceretur.

V. **Custos**, ut patet ex distincta rubrica l. I, t. 27, de off. custodis et ex distinctis muneribus sibi attributis et ex praxi Capitulorum, per se habuit officium a munere *sacristae* distinctum. Praeterea cap. 2, X. l. I, t. 27, Archidiaconus, Archipresbyter et Custos tanquam praecipui officiales ecclesiae recensentur, in quibus ecclesia ut in *tribus columnis* dicitur subsistere. Certe cum vita communis vigeret in Capitulis, Custodibus, ut ipsum nomen insinuat, custodia totius ecclesiae et mansionum claustri fuit commissa, simulque ipsis incubuit *immediata* cura et praeparatio servitii altaris et officii divini atque adeo cura quaedam animarum. Dissoluta vita communi canonicorum, custodia ecclesiae nondum fuit superflua; at paulatim officia sacristae et custodis saepe in unum officium vel *dignitatem* unita sunt [50].

VI. Canonicus **curatus** [51], canonicus **theologus**, canonicus **poenitentiarius** praecipuis officiis *Capitulorum* iam diu adnumerantur [52], eaque merito saltem beneficia *duplicia*, non tantum

---

[47] Cap. 8, X. de const. I, 2, iunct. parti decisae; « (Primiceriatus et) *Scholastria;* cap. 1, (Later. III, a. 1179), cap. 4, (Later. IV, a. 1215), X. de magistr. V, 5; *Schneider*, l. c. p. 96; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec.; *De Herdt*, l. c. p. 61.

[48] Cap. 11, X. de excess. Prael. V, 31; cap. 27, X. de sent. excom. V, 39; Conc. Trid. Sess. V, cap. 1, et Sess. XXIII, cap. 18, de ref.; *Schneider*, l. c. p. 94 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 100 sq.

[49] Cap. unic. X. de off. sacristae I, 26, iunct. c. 1, § 14, D. 25; *Devoti*, l. c. l. I, t. 26; *Schneider*, l. c. p. 98 sq.

[50] Cap. 27. 34, in reg. Chrodeg.; cap. 31, in reg. Synod. Aquisgran. (a. 817); *Thomassin.*, l. c. cap. 103; *Bouix*, l. c. p. 116 sq.; *Schneider*, l. c. p. 98 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 103 sq.

[51] Conc. Trid. Sess. VII, cap. 7, de ref.; S. C. C. in caus. Sarnen. 7 iul. 1731; *Bouix*, l. c. p. 231 sq.; *Schneider*, l. c. p 390 sq.

[52] De canonico *theologo* antiqui et novi commentatores iuris Decretalium agere solebant in *iure criminali* i. e. l. V, t. 5, X. de magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi. Cfr. v. g. *Santi* l. c. in h. t. 5. Praeeunte Eugenio II, (a. 824-827), (cfr. c. 12, D. 37), Alexand. III, in

simplicia habebantur secundum notionem quam de beneficio simplici et duplici tradebant canonistae in iure Decretalium.

VII. Praeter officia recensita praesertim in antiquis Capitulis non pauca alia reperiuntur, e quibus complura evidenter tantum practicam utilitatem habuerunt, quamdiu in Capitulis vigebat vita communis, v. g. officia *Portarii, Camerarii, Cellerarii, Hospitalarii, Eleemosynarii, Infirmarii* [53]. At *Punctatores*, qui canonicos *absentes* a choro *notant*, *Ministri* caeremoniarum, *Hebdomadarii* non sunt distincta officia in Capitulis, sed particulares *functiones* certis canonicis commissae [54].

658. Disciplina vigens. Quinam capitulares habeant *dignitatem* vel *officium*, quae sit prima dignitas, et quo *numero* et quo *ordine* dignitates in Capitulis sint constitutae, ex praecedenti iure communi scripto repeti non poterat. Nam iam *S. Raymundus* in Summa l. III, t. 27, § 5, scribit: « *De officio Archidiaco-*

Conc. Lateranensi III, (a. 1179). (cfr. cap. 1, X. de mag.), proprium *beneficium* in ecclesiis *cathedralibus* pro magistro clericorum institui iussit. Quam ordinationem Innoc. III, in Conc. Later. IV, (a. 1215), (cfr. c. 4, X. de mag. V, 5) approbavit atque *praeterea* statuit, ut unaquaeque ecclesia *metropolitana* suum *theologum* haberet, qui sacerdotes et alios doceret sacram paginam. Cum Basileenses Patres novum Innocentii III decretum ad omnes ecclesias *cathedrales* extendissent, Conc. Lateranense V, Sess. XI, sua auctoritate huiusmodi statutum potius corroboravit atque adeo iam supponit officium theologi inter *canonicatus* et praebendas ecclesiarum cathedralium recenseri. Denique Concilium Tridentinum Sess. V, cap. 1, de ref. *erectionem* officii theologalis inter *canonicatus cathedrales* stabili lege accuratius constituit simulque ad certas ecclesias collegiatas extendit.

Presbyteri poenitentiae praepositi certe iam primis saeculis totoque medio aevo occurrunt; at Innocentius III in Conc. Later. IV, (a. 1215), expresse praecepit (cfr. cap. 15, X. de off. iud. ordin. I, 31), « *tam in cathedralibus quam in aliis conventualibus ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coadiutores et cooperatores habere non solum in praedicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus et poenitentiis iniungendis* ». Quod officium postea haud raro canonicatibus, immo interdum dignitatibus Capitulorum fuit unitum, donec a Concilio Tridentino Sess. XXIV, cap. 8, de ref. pari *fere* ratione atque officium theologi adscriberetur canonicatibus cathedralibus. Cfr. *Schneider*, 1. c. p. 405 sq.

[53] Cfr. v. g. cap. 26, 27, 28, in reg. Chrodeg. et cap. 140, 141, in reg. Synod. Aquisgran. (a. 817); *Schneider*, 1. c. p. 102 sq.; *Hinschius*, 1. c. p. 105 sq.

[54] *Bouix*, 1. c. p. 119 sq., 140 sq.; *Schneider*, 1. c. p. 105 sq.

ni, Praepositi, Decani et aliorum non prosequor, quia circa eorum officia et *potestates fere quot sunt ecclesiae, tot sunt consuetudinum varietates* ».

Quam varietatem Concilium Tridentinum Sess. XXV, cap 6, de ref. non reprobavit, sed ratam habuit. Hinc commentatores iuris Decretalium usque ad ultima tempora remittere solebant ad consuetudines particulares et statuta uniuscuiusque Capituli vel dioecesis vel regni [55]. Ultimo vero tempore haud raro non tantum particularibus consuetudinibus, sed ipsis concordatis, v. g. in Hispania, Bavaria, Borussia etc. ea res erat determinata. Cui particulari iuri nunc quoque standum est in Capitulis ante Codicem iam erectis [56]. Dum autem Rom. Pontifex novum Capitulum erigit, solet etiam determinare numerum dignitatum earumque nomina.

Officia quae de iure communi existere debent in Capitulis cathedralibus sunt, officium canonici *theologi* et quantum fieri possit etiam canonici *poenitentiarii*. Quae duo officia etiam in Capitulis collegialibus, praesertim insignibus, constitui *possunt*, sed non necessario debent (can. 398) [57].

---

[55] Cfr. *Reiffenstuel*, Ius canonic. l. I, t. 23, n. 22, tit. 24, n. 9, t. 25, n. 7; *Devoti*, Ius can. univ. cit. tit. l. I; *Santi*, l. I, t. 23, n. 5, t. 24, n. 3, t. 25, n. 3; *Bouix*, l. c. p. 68 sq., 82 sq., 92 sq. Cfr. quoque *Riganti*, l. c. Reg. 4 Canc. Apost. § 1, n. 20 sq., § 2, n. 3 sq.

[56] Dignitates ex disciplina vigente magis receptae sunt: *Praepositus, Decanus, Archidiaconus, Archipresbyter;* quoad alias magna est varietas. Nec minor est diversitas quoad *numerum*. Sunt enim Capitula quae unam habent dignitatem, alia duas etc. atque adeo septem. Conformis quoque disciplina non reperitur in *gradatione* dignitatum. Nam *Decanus*, qui in *Hispania* est prima dignitas, in *Bavaria* est *secunda*. *Archidiaconus*, cui ex praxi antiqua, v. g. in *Gallia* retenta, competit prima dignitas, in *Austria* quandoque inter dignitates *tertium* locum occupat. Cfr. Conc. prov. Westmonast. I, (a. 1852), in Collect. Lac. t. III, col. 923; S. C. pro neg. eccl. extraord. in caus. Tarbien. 19 Iul. 1888. *Officia* sensu stricto nunc magis communiter recepta exercentur a canonico *theologo* et a *poenitentiario*. Cfr. Conc. Westmonaster. I, l. c. col. 948 sq.; *Lingen* et *Reuss*, Causae selectae S. C. C. n. 436, 437, de aliis officiis in Capitulis. *Nussi*, l. c. p. 50 sq:; Convent. Leon XIII, p. 8.

[57] Praeter memorata officia theologi et poenitentiarii iure particulari alia etiam adsunt officia cum propria praebenda, velut officium canonici *magistralis* et *doctòralis* in Hispania, Lusitania, Insulis Philippinis et America latina. Cfr. *Ferreres*, Inst. I, n. 686.

Ad constitutionem Capituli alia membra, praeter dignitates et canonicos, non sunt necessaria. Quare inferiores *beneficiarii, portionarii, participantes* aliique clerici, qui in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis reperiuntur, de *corpore* seu *gremio Capituli* non sunt, nisi forte ex titulo speciali aliquam partem iurium magis minusve limitatam cum canonicis habeant communem (can. 393 § 2) [58].

659. Postquam Capitulum quoddam a Romano Pontifice ut collegium cum suis dignitatibus et canonicatibus est erectum aut alias legitime constitutum, *Episcopus* ex auctoritate *propria* nequit de novo instituere:

I. **Dignitatem** sive *usitatam* sive *non usitatam* vel insolitam in Capitulis; at non prohibetur quominus *cum consensu Capituli* antiquam dignitatem **redintegret,** quae olim in sua ecclesia cathedrali exstitit et postea fuit suppressa (can. 394 § 2) [59].

II. **Canonicatus simplices** ex iure communi ab Episcopo *cum consensu Capituli* etiam in *numeratis* Capitulis possunt adiungi antiquis [60], nisi ab ipso Romano Pontifice numerus canonicorum fuerit *absolute* determinatus atque omne augmentum illius numeri prohibitum, forte etiam adiecta *clausula irritante,* aut legitima consuetudo obstet, aut canonici iuramentum emisissent de non augendo numero canonicorum. Quibus in casibus exceptis ad Rom. Pontificem est recurrendum. Id facile etiam fiet, si concordatis numerus canonicorum est definitus, atque Gubernia forte de suis iuribus violatis conquerantur. Multo magis cum consensu Capituli ab Episcopo erigi possunt novae praebendae beneficiales.

660. Canonici supranumerarii. In genere hoc nomine donantur, qui in canonicorum collegium aliqua ratione cooptantur et canonici creantur ultra numerum certum praebendarum et canonicatuum. Quare triplex species distinguebatur: 1ª) eo-

---

[58] Cfr. *De Herdt*, l. c. p. 120 sq.; Decis. S. C. C. in ed. *Richt*. Conc. Trid. 17, n. 1 sq.; *Lingen et Reuss*, Causae select. p. 715 sq.; *Bouix*, l. c. p. 96.

[59] Cfr. S. C. C. a. 1732, de dignitate cantoratus ab Episcopo in cap. cath. invalide instituta apud *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XII, cap. 1, n. 8; *Zitelli*, l. c. p. 150; Act. S. Sed. XV, p. 127 sq.

[60] Cap. 9, X. de vit. et hon. III, 1; S. C. C. apud. *Benedict*. XIV, l. c.; *Bouix*, l. c. p 65 sq, 126 sq,; 193 sq.

rum, qui a Rom. Pontifice creati sunt cum expectativa praebendae vel a Rom. Pontifice obtinuerunt canonicatum et praebendam primo in illa ecclesia vacaturam; 2ª eorum qui dicuntur canonici *honorarii* sine praebenda et sine expectativa; 3ª) eorum, qui ultra numerum antiquum, mediante fundatione et erectione novae praebendae, in canonicos recipiuntur (*De Herdt*, l. c. p. 98).

Cum concessio expectativae sit reservata R. Pontifici [61], et canonici honorarii nunc potius hoc altero nomine designentur, *supranumerarii* denominatio generatim reservatur canonicis in tertia specie commemoratis, qui etiam dici solent canonici *secundae erectionis* vel forte *tertiae* aut *quartae*. Qui cum sint vere et proprie canonici et capitulares, per se eadem iura ac privilegia habent, quibus in illa ecclesia gaudent antiqui canonici, nisi forte in erectione aliqua limitatio facta fuerit, si v. gr. Capitulum suum consensum ad erectionem non praestitit nisi cum aliqua restrictione circa eorum iura facta, quae et iusta sit et honesta nec repugnet naturae aut essentiae canonicatus. Singularis vero est difficultas quoad admissionem horum canonicorum ad participanda legata et emolumenta quae Capitulo seu minori numero canonicorum iam erant quaesita ante novam erectionem et per participationem canonicis novae erectionis concessam antiquorum canonicorum iura minuerentur.

661. Canonici honorarii [62], quibus exspectativae non competunt, immo nec canonia quaedam sive officium nec ordinarie votum in Capitulo vel alia iura extraordinaria [63], sed tantum nomina et iura honorifica et stallum in Choro, ab Episcopo, non autem a Vicario Generali nec a Vicario Capitulari, cum consilio Capituli cui nominandus adscribi debeat, institui seu nominari possunt sive dioecesani sive extra-dioecesani; quo tamen

[61] Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV, c. 7, de ref.; concord. Hispan. (a. 1737); art. 17, apud *Nussi*, p. 49; Collect. Lac. t. VI, col. 576. (Consess. Episc. Umbr., a. 1849, cui interfuit Leo XIII, cum esset Episc. Perusinus).

[62] Act. S. Sed. III, p. 138 sq., IV, p. 177 sq., 579 sq.; *Bouix*, l. c. p. 127 sq.; *Scherer*, l. c. t. I, p. 571 sq., 591; *Schneider*, l. c. p. 81 sq., 213 sq.; *De Herdt*, l. c. p. 100 sq.

[63] S. C. C. 17 Dec. 1837, declaravit Episcopos non posse canonicis honorariis concedere *votum* in Capitulo. Cfr. Act. S. Sed. IV; Conc. prov. Westmonast. (a. 1852), in Collect. Lac. t. III, col. 924.

iure iubetur raro et caute uti. Quod autem attinet ad sacerdotes extra-dioecesanos, antea ad valorem nominationis impetrandus est assensus Ordinarii, cui subiectus est nominandus, qui Ordinarius admonendus est de insignibus et privilegiis quorum usum nominandus exinde habiturus sit; quibus privilegiis et insignibus uti dumtaxat possunt in dioecesi ubi nominati sunt, non extra illam dioecesim nisi aut Episcopum comitentur aut Episcopum vel Capitulum legitime repraesentent. At canonici honorarii alicuius basilicae vel ecclesiae collegialis almae Urbis insignibus et privilegiis canonicatus honorarii uti dumtaxat possunt intra ambitum eiusdem basilicae vel collegiatae ecclesiae eiusque filialium.

Quoad *numerum*, canonici ad honorem extra-dioecesani, numero inferiores esse debent tertia parte canonicis titularibus (can. 406, 407) [64].

Ex notione data canonici honorarii, satis deducitur eos non esse de corpore Capituli, cuius sessionibus non debent interesse, multo minus vocem aut suffragium habent in capitularibus deliberationibus aut electionibus [65]. Porro sicut obligatione choro assistendi non adstringuntur, ita quando assistunt distributiones non accipiunt, nisi forte sive ex conventione sive ex consuetudine vel fundatione obligatio ipsis imponatur certis diebus assistendi choro aut alia quaedam onera sustinendi cum assignatione congruae alicuius retributionis.

Canonici honorarii locum habent in choro aliisque capitularibus congressibus post canonicos titulares [66].

662. Canonici coadiutores. Non obstante praescripto Conc. Tridentini (Sess. XXIV, c. 4, de ref., Sess. XXIV, c. 12, de ref.), quo canonici diebus statutis ordines per seipsos exercere iubentur et omnes divina officia per se et non per substitutos compelluntur obire, atque eiusdem Concilii prohibitione (Sess. XXV, c. 7, de ref.) concedendi coadiutoriam in quibuslibet beneficiis, usque ad nostram aetatem occurrunt canonici coadiutores *per-*

[64] Ius Codicis quoad substantiam iam constituerat Leo XIII suo Decreto 29 Ian. 1894.

[65] Cfr. Bullam « *De salute animarum* » (a. 1821) ubi pro regno Borussiae concedebatur canonicis honorariis ius suffragii in electionibus Episcoporum per Capitulum faciendis.

[66] *De Herdt*, l. c. p. 104, ubi citantur decisiones S. C. C.

petui seu cum iure successionis, praesertim in Italia et in Urbe a Rom. Pontifice nominati, qui illis decretis Tridentinis stricte non ligatur. Confer canonem 1433, ubi concessio coadiutoris cum vel sine futura successione dicitur reservata Sedi Apostolicae.

Huiusmodi coadiutores veri beneficiarii non sunt, nec ut veri canonici (*canonici ficti*) Capitulo adscribuntur, licet ii, qui cum iure successionis sunt constituti, habeant ius ad canonicatum canonici coadiuti, cum primum vacaverit, habendum.

Coadiutoris officium est supplere canonicum coadiutum; quoad iura vero imprimis standum est litteris coadiutoriae et inde potissimum colligendum, quae eius sit facultas et officium ac obligatio [67].

663. Innovatio Capitulorum, v. g. transformatio Capituli collegiati in Capitulum cathedrale vel vicissim, soli *R. Pontifici* est reservata. Id autem a fortiori valet de **suppressione** cuiuscumque Capituli. At *Episcopi* in ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi adeo tenues praebendae sunt una cum distributionibus quotidianis, ut sustentando canonicorum decori sint impares, possunt *aliquas praebendas* nimis tenues, si per *unionem* cum beneficiis simplicibus remedium afferri nequit, *audito Capitulo* et cum consensu patroni *laici*, si de iure patronatus *laicorum* sint, atque obtenta prius S. Sedis venia, *supprimere* et earum fructus *reliquis* praebendis per modum distributionis quotidianae applicare, dummodo tot remaneant, quot ad divinum cultum et dignitatem ecclesiae capitularis requiruntur (can. 394, § 3) [68].

Art. 2. — De provisione dignitatum, canonicatuum et officiorum in Capitulis

§ I. De potestate conferendi dignitates et officia in Capitulis

664. Notae historicae. Inde a primis temporibus Episcopi in ordinandis clericis et concedendis officiis ecclesiasticis procul

[67] Cfr. fuse de Coadiuto et Coadiutore disputantes: *De Herdt*, l. c. p. 109; *Cappello*, De visit. SS. Limin. I, p. 552 sq.; *García*, De benef. P. IV, cap. 5; *Bouix*, l. c. p. 123 sq.; *Schneider*, l. c. p. 216 sq.; *Ferraris*, v. Canonicatus art. 10.

[68] Ita iam statuerat Conc. Trident. Sess. XXIV, cap. 15, de ref. Cfr.

dubio libere functi sunt officio suo atque certe primarias habuerunt partes. Nihilominus ex disciplina probata clerici non fuerunt ordinandi, nisi consulto clero et populo testimonium reddente. Quae disciplina si religiose fuit servata, sine dubio etiam locum habuit, cum ageretur de diaconis et presbyteris ordinandis, qui cum Episcopo constituerunt presbyterium in Ecclesia.

Introducta vita *communi* in Capitulis tum cathedralibus tum collegiatis [69], quantum ex antiquis regulis colligi potest, ad Episcopum vel Praepositum receptio novorum canonicorum spectabat. Qua in re, pro more *monastico* in illis Capitulis servato et ex ipsa natura vitae communis coniuncta cum proprietate communi bonorum, videtur sequi quod etiam canonici in recipiendis novis canonicis sive per consilium sive forte etiam per consensum partes quasdam habuerint [70].

Mirum quoque non est quod, etiam post dissolutam vitam communem in Capitulis, non ilico communis quidem modus in provisione canonicatuum fuerit derelictus. Etenim non raro mansit communis massa bonorum unde percipiebantur reditus vel praebendae. Neque penitus obscurata fuit notio illa pulcherrima Capituli, quod canonici ut membra cum Episcopo tanquam capite coniuncta constituant unum corpus tendens communi actione in unum finem.

Nihilominus licet in nonnulis dioecesibus Episcopi sibi salvarent vel denuo obtinerent plenam libertatem in provisione canonicorum *cathedralium* [71], tamen paulatim iure consuetudinario Capitula cathedralia semper potiora obtinuerunt iura. Inde factum est, ut in nonnullis regionibus canonici non requisito Episcopi consensu ius plenum obtinerent providendi vacantibus canonicatibus [72], cum alibi provisio fieret *per turnum* aut *per si-*

Decis. S. C. C. apud *Lingen* et *Reuss*, l. c. p. 529 sq., 708 sq.; *Bouix*, l. c. p. 66 sq.; *Schneider*, l. c. p. 465 sq. Cfr. *Friedberg-Ruffini*, Trattato del dir eccl. p. 694 sq. de suppressione Capitulorum ecclesiarum collegiatarum in Italia per legem civilem, a. 1867, latam, et p. 703, 709, de Capitulis et canonicatibus iure italico recognitis.

[69] *Thomassin.*, l. c. cap. 36, n. 10 sq.

[70] Cap. 118, 119, in reg. Synod. Aquisgr.

[71] Cap. 5, X. de conc. praeb. III, 8; *Thomassin.*, l. c. n. 10; *Schneider*, l. c. p. 106 sq.

[72] Cap. 31, X. de elect. I, 6.

multaneam collationem Episcopi et Capituli [73]. Immo inde a saeculo decimo tertio a canonistis quibusdam (aliis tamen contradicentibus) propugnari coepta est illa *theoria*, quod ex iure communi in dignitatibus et officiis Capitulorum cathedralium ista *simultanea collatio* Episcopi et Capituli esset servanda [74]. Quibus iuribus provisionis saltem ex saeculo duodecimo accessit optio [75] canonicorum, qua, ex consuetudine *in iure* approbata, *ipse* dignitarius vel canonicus antiquior vacantem dignitatem vel praebendam canonicalem, relicta sua praebenda, intra legitimum tempus sibi eligeret et quasi propria auctoritate assumeret.

Deinde ipsi Romani Pontifices iam a saeculo duodecimo per preces vel mandata de providendo [76] vel per gratias expectativarum [77] in provisione canonicatuum suam interposuerunt auctoritatem. Quibus modis ab a. 1265 etiam accesserunt *generales reservationes* Rom. Pontificum [78].

Postea iure Tridentino a S. C. C. et Gregorio XIII authentice explicato decretum est ad *solum* Episcopum pertinere ius *designandi personam*, cui praebenda canonici *theologi* vel *poenitentiarii* esset *conferenda* salva auctoritate Romani Pontificis [79].

Denique iura *patronorum* vel alia suo tempore legitime quaesita per extraordinarias concessiones Sedis Apostolicae sive expressas sive tacitas in provisione canonicatuum non fuerunt sublata [80]; praesertim vero attendenda erant *concordata* et haud

[73] Cap. 2, (Conc. Later. III, a. 1179), 12, 15, X. de conc. praeb. III, 8; cap. 11, de appell. II, 15 in Sext; cap. unic. ne sede vac. III, 8, in Sext.; *Thomassin.*, l. c. n. 11; *Schneider*, l. c. p. 109 sq.

[74] *Fagnan.*, in cap. 31, X. de elect. I, 6, n. 1 sq.; *Garcia*, De benef. P. V, cap. 4. n. 11 sq.

[75] Cap. 4, de consuet. I, 4, in Sext.; *Thomassin.*, l. c. n. 12; *Schneider*, l. c. p. 112 sq.; *Sentis*, l. c. p. 39 sq.; *Riganti*, l. c. Reg. 9, Canc. Apost. P. I. § 5.

[76] Cap. 6, X. de praeb. III, 5; *Schneider*, l. c. p. 114 sq.

[77] Cap. 4, 11, de conc. praeb. III, 8.

[78] Cap. 2, de praeb. III, 4, in Sext.; Reg. 4, 9, Canc. Apost.; *Riganti*, l. c. Reg. 4 Canc. Apost. §§ 1 sq., Reg. 9 Canc. Apost. P. II, § 4.

[79] *Garcia*, l. c. n. 137 sq., 153 sq.; *Sentis*, D. Praebenda p. 20 sq., 45 sq.; *Bouix*, l. c. p. 97 sq., 113 sq.; *Ferraris*, l. c. v. Canonicatus art. 9, n. 10 sq., 53 sq.

[80] Schneider, l. c. p. 121 sq. de iure primarum precum.

raro etiam praxes et consuetudines a Sede Apostolica saltem toleratae [81].

665. Disciplina vigens. Iure Codicis collatio omnium *dignitatum*, tam in ecclesiis cathedralibus quam in collegiatis, ad Sedem Apostolicam pertinet salvis legitimis privilegiis ab ipsa concessis (can. 396 § 1). Reliqui omnes canonicatus et beneficia cathedralium et collegiatarum ecclesiarum ad Episcopi collationem, audito Capitulo, pertinent, sublata in praesenti et reprobata in futurum qualibet consuetudine in contrarium et revocato quocumque privilegio [82]. A collatione tamen episcopali subtracti sunt canonicatus aliaque beneficia inferiora, quando ad normam can. 1435 subintrat reservatio pontificia aut ius collationis manifeste ex lege fundationis ad alium pertinet (can. 403) [83*].

Quod ius commune Codicis, iure particulari praesertim per concordata sancito, plures ac maxime varias admittit exceptiones, quas enumerare difficile nunc est, cum de valore et perseverantia concordatorum cum pluribus Europae nationibus ante Codicem celebratorum non paucae subsint dubitandi causae, si nunc non amplius existat illa persona iuridica, cum qua illa concordata inita sunt [84].

Ille modus obtinendi novum canonicatum vel praebendam

[81] *Nussi*, l. c. p. 50 sq.; *Giobbio*, Lezioni d. dipl. eccl. t. II, p. 228 sq.

[82] Commissio Codicis, 26 Nov. 1922, declaravit quoad collationem canonicatuum can. 404 abrogatas fuisse leges particulares, revocata privilegia et reprobatas consuetudines, vi quarum canonicatus nonnisi indigenis seu civibus originariis civitatis, in qua sedem habet ecclesia, conferri possint, aut isti ceteris praeferri debeant; declaravit tamen praeservatam esse legem fundationis, statuta in concordatis et leges peculiares circa beneficia Romae fundata (A. A. S. XV, 139). Cfr. quoque «*Il Monitore*» XXXVI p. 111 sq., ubi tenet illam declarationem non pertinere ad alia beneficia ecclesiae cathedralis vel collegiatae; at si responsum est interpretatio legis etiam ad illa alia beneficia videtur pertinere.

[83*] In postulanda collatione beneficiorum non consistorialium, quae ad normam iuris Sedi Apostolicae sint reservata vel devoluta, observandae sunt normae a Dataria Apostolica praescriptae d. 11 novemb. 1930 et d. 1 ian. 1942. Cfr. A. A. S. XXII, 525; XXXIV, 113; Period. XX, 89; XXXI, 309.

[84] Cfr. de praxi in Borussia aliisque civitatibus *Germaniae* et in *Helvetia*: *Nussi*, p. 130 sq.; *Schneider*, l. c. p. 231 sq.; *Giobbio*, l. c. n.

per *optionem*, passim vigens in pluribus Capitulis, iure Codicis est prohibitus ita, ut reprobetur quaelibet consuetudo et solummodo sustineatur si in lege fundationis de tali optione cautum fuerit (can. 396, § 2); immo sicubi inductus fuerat ex indulto Apostolico, etiam tale indultum manet revocatum (Comm. Cod. 18 Oct. 1919) [85].

Beneficiorum in Capitulis inferiorum provisio ad quem pertineat iure Codicis non definitur, ideo iuribus ante Codicem legitime quaesitis standum est, eaque iura alleganda et probanda sunt, si quis infra Episcopum praetendat ad se pertinere provisionem, cum Episcopus, ex can. 1432 § 1, habeat intentionem in iure fundatam quoad provisionem beneficiorum sui territorii.

Generatim admittebatur ius commune esse illud ipsum quod obtinebat circa provisionem canonicatuum, i. e. ius simultaneae collationis per Episcopum et Capitulum aut cumulative aut alternis vicibus exercendum, nisi forte certo constaret beneficia mansionariorum fuisse conflata ex massa tantum Capitulari, quo in casu Capitulum sibi vindicabat ius exclusivum. Sed hac quoque in re maxima erat varietas iuris particularis.

---

243 sq.; de *America latina*: *Nussi*, p. 735 sq.; Conventiones Leonis XIII, p. 7 sq. *Giobbio*, l. c. n. 242 sq.; *Ferreres*, Instit. vol. I, n. 496 ter.; De *Hispania*: Concordatum a. 1851; *Ferreres*, Inst. I, n. 692 sq.

[85] *Optio* competebat canonico antiquiori, non ratione muneris, sed ratione longioris servitii; eo negligente vel recusante devolvebatur ad antiquiorem immediate sequentem. Duplex autem erat modus, prout praebenda esset inseparabiliter connexa cum canonicatu, vel a canonicatu determinato seiungi posset. In primo casu optio praebendae pinguioris etiam tituli optionem et mutationem necessario secum ferebat et consequenter optans amittebat priorem locum et ultimum occupare debebat nisi indulto Apostolico aliud permitteretur; erat enim nova provisio. In altero casu, priore canonicali titulo retento, bona tantum canonicatus per optionem mutabantur; non erat mutatio tituli, sed dumtaxat temporalitatis praebendae: inde canonicus senior optans digniorem suum locum in choro non amittebat. *De Herdt*, Praxis capitul. p. 37 sq.; *Cappello*, De visit. SS. Limin. I, p. 546 sq.

• Etiam haec optio ad praebendam, quae a canonicatu determinato seiungi possit, est prohibita; declaravit enim Comm. Codicis optionem ad praebendas *quomodocumque* canoniae seu titulo canonicali adnexas esse vetitam. Haec autem prohibitio non sese extendit ad domos, praedia aliaque bona a *praebendis* canonicalibus distincta. Cfr. A. A. S. XXII, 195; Period. XIX, 266.

§ II. De qualitatibus promovendorum canonicorum

666. Capitulares promovendi imprimis saltem omnibus illis qualitatibus instructi sint oportet, quae generatim in provisione canonica officiorum ecclesiasticorum requiruntur et in parte generali sunt expositae.

I. In particulari canonici omnes in quibuscumque Capitulis debent esse *sacerdotes* doctrina vitaeque integritate praestantes; (can. 404, § 1) nec amplius iure Codicis valet principium in plerisque beneficiis admissum de habilitate infra annum recipiendi ordinem a iure requisitum pro determinato beneficio, sed ordo requisitus debet actu haberi tempore collationis. Quae praescriptio de presbyteratu iam habito etiam ad illa Capitula pertinet, in quibus ad normam Concilii Tridentini (Sess. XXIV, cap. 12, de ref.) et can. 408, § 2, praebendae canonicales sunt distributae in tres ordines sc. presbyteralem, diaconalem et subdiaconalem.

Inter sacerdotes doctrina vitaeque integritate praestantes, ceteris paribus, praeferendi sunt hi qui in aliquo atheneo *doctores* in sacra theologia vel iure canonico renuntiati fuerint, *vel* laudabiliter ministerium ecclesiasticum aut magisterium exercuerint. Ratio quoque habenda est felicis exitus in examinibus, quae neo-sacerdotes ad normam can. 130 § 2 subire debent per triennium post expletum studiorum curriculum (can. 404, § 2). Qua formula legis de qualitatibus promovendorum ad canonicatus vix practice fieri poterit ut aliquis clericus possit efficaciter prosequi contra Episcopum querelam de contemptu in provisione canonicatus, si quaestio sit decidenda ex iure communi.

Quae sanctiones iuris communis non raro ex iure particulari multo maiore rigore requiruntur, sed interdum etiam particularibus concessionibus emolliuntur, addita necessitate aliarum qualitatum [86].

II. In promovendis ad officium canonici *theologi* et *poeni-*

---

[86] Cfr. de requisita aetate *triginta* annorum: *Nussi*, l. c. p. 45; de gradu *doctoris* in omnibus dignitatibus et canonicis requisito: *Schneider*, l. c. p. 250; de *indigenis* tantum promovendis: Art. 10 concord. bavar. (a. 1817), et art. alior. concord. apud *Nussi*, l. c. p. 56 sq.; de necessitate *nobilitatis*: Art. 22 concord. austr. (a. 1855); de *aliis requisitis*: *Nussi*, l. c. et *Schneider*, l. c. p. 249 sq.; pro Hispania, *Ferreres*, Inst. I, n. 692 sq.

tentiarii praeter qualitates pro omnibus canonicis requisitas iubentur eligi qui aptiores pro loci qualitate ad propria munera adimplenda reperiantur. Quo imprimis prae oculis habito, ceteris paribus est praeferendus doctor in sacra theologia, si agatur de canonico theologo, doctor in sacra theologia vel iure canonico si agatur de canonico poenitentiario. Insuper expedit, non stricto iure exigitur, ut qui ad canonicum poenitentiarium assumitur tricesimum aetatis annum iam expleverit, eique prohibetur aliud simul officium in dioecesi suscipere vel exercere, cui adnexa sit iurisdictio in foro externo, velut officium Vicarii Generalis.

Ut autem illi duplici officio praefigatur canonicus vere dignus, ante collationem debet collatori plane constare de vita, moribus et doctrina candidatorum, in quam rem congrua inquisitio est praemittenda; immo ubi iure speciali illa duplex praebenda conferenda est per concursum, obligatio talis concursus per Codicem urgetur (can. 399 § 2). Talis forma concursus in provisione servanda praecipitur in Italia et insulis adiacentibus per Benedicti XIII Const. « *Pastoralis* », 19 Maii 1725; reliquae vero conditiones in praedicta Constitutione requisitae, cum contineantur in lege particulari *praeter* ius commune Codicis, etiam nunc exigendae sunt, nisi adveniat S. Sedis derogatio.

Similis concursus exigitur in aliis locis sive ex concordato [87] sive ex consuetudinibus vel statutis particularibus, v. gr. in Anglia [88].

III. Pro *dignitatibus* in Capitulis speciales qualitates non requiruntur iure communi supra qualitates in omnibus canonicis requisitas, si excipiatur prima dignitas, quae saltem in Capitulo cathedrali, quantum fieri potest et ceteris paribus, conferenda est doctori in sacra theologia vel iure canonico (can. 396, § 3). At iure particulari etiam pro dignitatibus speciales qualitates requiri solent; quibus legibus particularibus per Codicem non est derogatum (can. 6, 22).

---

[87] Cfr. *Ferreres*, Inst. can. I, n. 692 19. Cfr. quoque *Muniz*, De Capitulis p. 85 sq., 449 sq. Conc. provinc. Quitense I, (a. 1863), in Collect. Lac. t. VI, col. 406; Conc. Provinc. Prag. (a. 1860), in Collect. Lac. t. V, col. 955, ubi in provisione canonici theologi et poenitentiarii praescribitur *concursus* secundum *formam* Const. Benedict. XIII « *Pastoralis* ».

[88] Conc. Prov. Westmonaster. (a. 1852), in Collect. Lac. t. III, col. 923, 948 sq., 957.

Art. 3. — De praebendis, fructibus et distributionibus

667. I. **Praebendae.** Cum in Capitulis vigeret vita communis canonicorum cum Episcopo, communes quoque erant Episcopo et Capitulo reditus et proventus massam comunem constituentes, ex qua sustentatio pendebat Episcopi et Capituli. In dissolutione vitae communis primum illa massa communis divisa fuit inter Episcopum et Capitulum; dein singulis de Capitulo proportionata bonorum portio in particularem administrationem concessa fuit, quae *praebendae* nomine fuit designata; quamvis praebendae nomen haud raro etiam adhibeatur ad significandum ius canonico competens, ratione officii canonicalis, ad percipiendos fructus unde honeste sustentari possit (beneficium), sive illi fructus petantur ex bonis suo canonicatui adnexis eique in administrationem datis, sive petantur ex massa communi bonorum ad administrationem ipsius Capituli spectante (praebenda non separata).

668. II. **Massa communis.** Cum non ubique illa partitio bonorum Capituli in distinctas praebendas facta sit, vel semel facta iterum bona in pluribus Capitulis fierent communia, loco praebendarum separatarum existit *massa communis*, unde singulae dignitates, canonici et fortasse etiam beneficiarii inferiores accipiunt suam portionem fructuum, quae vices gerit separatae praebendae. At non raro nomine massae communis significantur bona, quorum reditus chorali servitio inserviunt seu pro missa conventuali, pro expensis cultus et fabricae ac pro cotidianis distributionibus; immo non desunt ecclesiae in quibus massa communis utrique fini memorato inservit et deductis expensis cultus et fabricae, quod reliquum est redituum annuorum per modum distributionum solvitur canonicis, pro quibus illae distributiones locum tenent praebendae. Adest quoque tertia significatio massae communis, dum sumitur pro illis bonis, quae in fine anni, ultra distributiones et fructus praebendae, dividuntur inter canonicos residentes.

669. III. **Fructus** nomine venit quidquid percipitur ex bonis vel iuribus fixe ac perpetuo ipsi beneficio adnexis, ac beneficiario ex sola ratione beneficii absque alio onere vel servitio debitis.

670. IV. **Distributiones** (etiam appellatae *praesentiae, victualia, manualia, consolationes, fercula*) sunt portiones pecuniae

vel vini, olei, frumenti aliorumve fructuum, ultra annuam praebendam iis distribui solitae, qui officiis divinis praesentes adsunt et inventae fuerunt ad acuendam industriam canonicorum in frequentandis divinis officiis.

Distributionum auctor perhibetur Ivo Charnutensis [89] et habent naturam stipendii personalis in praemium laboris et personalis servitii, quod semel perceptum acquiritur canonico in proprietatem liberam, de quo ad instar bonorum profanorum seu quasi-patrimonialium libere disponere potest [90], nec ad distributiones pertinet iuris praescriptum, can. 1473 firmatum, de fructibus beneficialibus in honestam quidem sustentationem impendendis, sed cum onere superfluos in pauperes aut in causas pias distribuendi [91].

Quodsi *fructus* et *distributiones* ita explicantur, quasi distributiones sint aliquid *superadditum* fructibus, id quidem generatim verum est, et accidit in illis ecclesiis in quibus beneficiarii certas habent praebendas seu canonicam portionem, cui deinde superadduntur distributiones ob personale servitium quod praestant assistendo divinis officiis et aliis sacris functionibus. At sunt ecclesiae in quibus distributiones non distinguuntur a praebenda seu canonica portione, sed potius praebendarum vice funguntur, quia omnes reditus beneficiales consistunt in distributionibus. In hoc altero casu, ut in talibus ecclesiis ex una parte non deficiat stimulus ad assistentiam divinis officiis praestandam, et ex alia parte ille qui legitime ob causam canonicam ab assistentia est impeditus habeat fructus unde honeste sustentetur, duae partes distributionum assumunt naturam praebendae atque in praebendae locum succedunt ad omnes iuris effectus, tertia distributionum pars reliqua suam naturam distributionum retinet (can. 421, § 2; 1410).

---

[89] Epistola 219. Cfr. *Benedictum XIV*, Inst. 107, § VII; *De Herdt*, l. c. p. 351. In iure Decretalium de ipsis fit mentio cap. 32, X. de praeb. III, 5, cap. 16, X. de V. S. V. 40; cap. unic. de cleric. non resident. III, in Sext.

[90] S. Paenitentiaria 9 Ian. 1823; *Benedictus XIV*, De Syn. dioec. l. XIII, cap. 15, n. 22; *De Herdt*, l. c. p. 353.

[91] De inserviente ex intentione lucrandi distributiones: cfr. *Benedictum XIV*, Inst. 107 § VII; *Barbosa*, De canonicis cap. 21, 9, 10; *Navarrus*, Manuale cap. 23, n. 101; *Covarrubias*, l. I, variar. resol. cap. 20, n. 5.

Divisio distributionum. Codex agnoscit duplicem speciem distributionum: distributiones *quotidianas* et distributiones *inter praesentes*, quarum tamen notionem non tradit (can. 420 § 2, 395, 396). Generatim habentur *inter praesentes*: 1°) quae sunt omnino *adventitiae* seu *eventuales* et *incertae*, cum videlicet acquiruntur ex aliquo actu, qui contingenter praestatur a capitularibus, velut ex funerum associatione, exequiis, incertis anniversariis; 2°) quae a fidelibus exhibentur vel a piis fundatoribus relictae sunt sub expressa conditione ut solis obtingant praesentibus in determinata functione, tametsi sint fixae et certae; 3°) quae tales habentur ex statuto capitulari vel legitima consuetudine, videlicet si inde solis physice in choro praesentibus sint tribuendae. Reliquae omnes, comprehensis fallentiis, sunt distributiones *quotidianae* [92].

671. Generalia principia de distributionibus. Praeter praebendas seu fructus sive ex massa communi sive ex bonis unicuique canonicatui adnexis percipiendos: *a*) In omnibus Capitulis tam cathedralibus quam collegialibus adesse debent *distributiones quotidianae*, quae ex generali regula obveniant interessentibus divinis officiis, quarum absoluta quantitas, cum ex variis fontibus provenire possit, non est universaliter determinata.

b) In Capitulis in quibus, non obstante praescripto Conc. Tridentini (Sess, XXI, c. 3, Sess. XXII, c. 3, de ref.), adhuc nullae sunt distributiones quotidianae vel sint ita tenues ut verisimiliter negligantur, Episcopi tenentur separare tertiam partem fructuum, proventuum et obventionum quae ex dignitatibus, canonicatibus, officiis aliisque illius ecclesiae beneficiis percipiuntur [93*] et in distributiones quotidianas convertere (can. 395, § 1). *Tenues* satis communiter in ordinariis casibus habentur si tertiam praebendae partem non adaequant [94].

---

[92] Cfr. *Cappello*, De Visit. SS. Limin. I, p. 573; *De Herdt*, l. c. p. 354; *Muntz*, Derecho capitular, p. 308.

[93*] Igitur separanda est tertia pars redituum, qui proveniant ex bonis beneficio *fixe* annexis. Haec autem bona competunt beneficiario ex solo titulo officii vel ratione servitii, i. e. propter functiones ecclesiasticas seu onera, quae constituunt naturam illius officii seu muneris. Resolutio S. C. C. d. 18 iun. 1932, Tergestina; A. A. S. XXVI, 58.

[94] Cfr. S. C C. in *Abbanen*. 5 Dec. 1690; *Bouix*, l. c. p. 150; *Muniz*, l. c. p. 311.

Si distributiones ex quacumque causa introduci non possint, quia v. gr. praebendae constituuntur ex pensionibus quae directe ipsis capitularibus traduntur, Episcopus debet in dignitates, canonicos et beneficiarios negligentes constituere mulctas pecuniarias, quae distributionibus respondeant earumque locum teneant (can. 395, § 2); quae ergo leges de distributionibus sunt latae eaedem servandae quoad mulctas seu punctaturas, cum hoc discrimine, quod absens distributiones non *recipit*, mulctam vero distributioni respondentem *de suo solvere* tenetur.

d) Quantitas distributionum unicuique canonico et beneficiario assignanda aequalis esse *potest*, sed non necessario *debet*. Generatim: 1°) qui maiorem dignitatem obtinet aut maiorem subit laborem, maiorem etiam mercedem et distributionem obtinere potest, quae maiora stipendia conferenda sunt iuxta cuiusque meritum et dignitatem; 2°) hoc multo magis valet, si proventus inaequales sunt et ex omnibus tertia pars pro distributionibus detracta fuerit; tunc divisio inter deservientes eadem proportione ita fieri debet, ut a quo plus ablatum est sive qui plus contribuit, ille serviendo plus etiam lucretur ad ratam partem quae ablata est sive ad quam contribuit [95].

Porro distributionum seu mulctarum taxa, omnibus quidem horis et missae conventuali est assignanda, sed in omnibus horis et officiis aequalis esse non debet, sed maior statuenda pro maioribus horis et diebus sollemnioribus, minor in minoribus horis et ordinariis diebus, nec tamen in his adeo exiguae sint mulctae ut facile negligantur, v. gr. convenienter assignantur 3 vel 4 partes pro *matutino cum laudibus*, destinatis una parte pro *prima*, una pro *tertia*, duabus pro *missa*, una pro *sexta*, una pro *nona*, duabus pro *vesperis* et una pro *completorio* [96].

e) Regula circa lucrandas distributiones haec est: Distributiones cedunt *diligentibus*, i. e. diligentes percipiunt distributiones, negligentes non percipiunt sed eas amittunt; quae vero a negligentibus amissae sunt obveniunt seu, ut dicitur, accrescunt diligentibus. *Diligentes* autem sunt, qui in choro suo quique loco existunt divinorum officiorum tempore, habitum canonicalem seu choralem induunt ac alta voce psallunt. Excluditur autem quaelibet *collusio*, v. gr. de non notandis absentibus, aut *remissio* qua etiam citra conventionem absenti distributiones concederentur.

[95] S. C. C. in Alexandrina 1581, in Bosanen. 15 April. 1592, in Terracinen. 13 Ian. 1624, apud *Zamboni*, v. Capitulum § IV, n. 3, v. Distribution. § III; *De Herdt*, l. c. p. 360; *Muniz*, l. c. p. 213.

[96] *Garcia*, De benef. p. III, c. 2, n. 487 sq.; *Barbosa*, De canonicis cap. 31, n. 20; *De Herdt*, l. c. p. 361; *Muniz*, l. c. p. 313.

Quodsi dignitates proventus habeant a massa seu bonis canonicorum diversos et separatos, distributiones a dignitatibus amissae non cedunt omnibus canonicis praesentibus sed solis dignitatibus; aut si nulla dignitas praesens sit, ab Episcopo, pro suo arbitrio, applicandae sunt fabricae ecclesiae aut alii pio loco (can. 395, § 3).

f) De punctatore. Ut praescriptio de distributionibus efficaciter observetur, ab unoquoque Capitulo, secundum sua cuiusque statuta, unus vel plures nominandi sunt censores seu *punctatores*, qui absentes a divinis officiis quotidie notent, praestito prius coram Capitulo vel eius praeside iureiurando de suo munere fideliter obeundo; quibus Episcopus alium addere potest punctatorem a se designatum. Quodsi abfuerint punctatores, illorum vices supplet senior ex canonicis praesentibus (can. 395, § 4).

Punctator esse debet de gremio Capituli seu ecclesiae, non necessario canonicus, et quotannis a Capitulo eligi solet et expedit ut quotannis renovetur. Diligens et fidelis esse debet, cum circa residentiam et absentiam standum sit libro punctatoris, cui absentes et egredientes de choro, iustam quam habent causam, nisi manifesta et nota fuerit, indicare tenentur [97].

Art. 4. - De statutis capitularibus

672. I. Notio. Nomine statutorum capitularium iamdiu intelliguntur regulae et ordinationes, quibus praescribuntur omnia quae pertinent ad Capitulum, videlicet eius regimen, gubernium et directio, divinorum officiorum celebratio, caeremoniae ac ritus in ecclesia eiusque choro servandi, atque alia quaelibet munia per dignitates et canonicos aliosque beneficiarios in ecclesia capitulari inservientes obeunda [98].

[97] De diversis methodis supputandi absentias et distributiones amissas, cfr. *Muniz*, l. c. pag. 514 sq., 518 sq.

[98] Cfr. *De Herdt*, l. c. p. 393.

II. **Ius et obligatio.** In genere *ius* et relativa quaedam *obligatio* Capitulorum habendi aliqua statuta enascitur ex ipsa natura collegii seu corporis moralis, cui moraliter necessariae sunt certae quaedam et stabiles leges, quae ipsius rationem agendi moderentur [99], ne omnia aut inordinate fiant, aut ad singulos actus hoc vel illo modo ponendos sit requirendus collegialis consensus membrorum collegii, aut modus operandi Capituli in praecipuis eiusdem functionibus, v. gr. in chorali ecclesiae servitio perpetuis mutationibus sit obnoxius pro praesentium quoque tempore Capitularium arbitrio. Ex natura tamen rei, non esset necessarium ut statuta condantur scripta per actum capitularem simul deliberata, cum bene possent ad plerosque actus esse inducta per longam consuetudinem, ex qua deinde, quod consuetudine fuisset praeformatum in scripturam consignaretur [100].

Vera obligatio habendi statuta scripta et per capitularem actum condita provenit ex Concilio Romano a. 1725, tit. II, cap. IV; cuius Concilii decreta licet vim obligandi non habebant extra Campanam et Pisanam provinciam, nihilominus quae cap. IV et V citati tituli II sancita fuerant, ex voluntate Pontificis ad omnia Capitula fuerunt extendenda ea saltem ratione quod Concilia provincialia debebant ea promulgare et executionem urgere, et illi praescriptioni inhaesit S. C. C. nullo habito discrimine ecclesiarum.

Quae universalis obligatio nunc ex can. 410, § 1, est prorsus indubitata. Ergo si quae Capitula forte adhuc talia statuta non habeant, ab Episcopo iniungendum est ut conficiantur, et Capitulo post talem iniunctionem per sex menses negligente, Episcopus eadem conficere debet et Capitulo imponere (can. 410, § 3).

III. **Modus statuta condendi.** Statuta sunt condenda per legitimum actum capitularem; praeterea sunt subicienda appro-

[99] Cfr. L. 4, D. de collegiis 47, 22, « Sodales sunt qui eiusdem collegii sunt, quam Graeci [illegible] vocant. His autem potestatem facit lex, *pactionem* quam velint sibi ferre, dum nequid ex publica lege corrumpant ». Cap. 6, 8, 9, X. de const. I, 2; cap. 14, X. de cleric. non resident. III, 4, cum parte decisa; *Bouix*, l. c. p. 387.

[100] Cfr. de illis consuetudinibus *Scarfantonum* lib. IV, tit. XI, n. 22 sq., 35 sq., 41 sq.; *De Herdt*, l. c. p. 394, et cap. 9, X. de consuet. I, 4.

bationi Episcopi; semel autem approbata et per approbationem vi iuridica donata, saltem eo sensu quod illa approbatio sit conditio necessaria, non amplius abrogari aut mutari possunt sine eiusdem Episcopi auctoritate (can. 410 § 2) [101].

673. **Scholion.** Per illud praescriptum Codicis de necessitate subiciendi approbationi Episcopi statuta Capitularia, cuius necessitatis fuit praeformatio memoratum decretum Concilii Romani a. 1725, ex voluntate Pontificis Benedicti XIII ad omnia Capitula extendendum, non manet praeiudicata, ut videtur, doctrina canonistarum, iurisprudentia tum Rotae Romanae tum S. C. C. firmata, circa propriam competentiam Capituli ad condendum sibi aliquod statutum, quod independenter ab approbatione Episcopi vim habeat iuridicam. Nam illa Codicis praescriptio de necessitate approbationis Episcopi videtur pertinere ad stabilem ordinationem eorum, quae in notione Statutorum Capitularium, plurali nomine usurpata voce, comprehenduntur quorum plura sunt, quae evidenter independenter ab Episcopo certa ratione ordinari non debeant [102]. Sed sicut in capitularibus sessionibus capitulariter deliberatur et deciditur circa negotia *occurrentia* Capituli, ita nihil vetat quominus occurrente necessitate vel rationabili causa Capitulum aliquod statutum sibi condat, quin necessarium sit ut illud subiciat approbationi Episcopi, modo utique non contineat abrogationem aut mutationem statutorum capitularium approbatorum, sed versetur circa res de quibus statuta capitularia nihil caveant et ad res pertineant, quae sunt de competentia Capituli considerati ut collegium [103].

[101] Antiqua disputatio circa necessitatem approbationis Episcopi iam ex Codice non amplius est permissa. Quae Codicis disciplina fuit praeformata tum memorato Concilio Romano a. 1725, tum Concordatis et Conciliis provincialibus. Cfr. Collect. Lacensem, t. V, col. 154, 555, t. VI, col. 192, 476; Act. S. Sed., II p. 215 sq.

[102] Cum ecclesia cathedralis sit quidem ecclesia capitularis, sed simul sit ecclesia episcopalis, res quae attinent ad regimen et administrationem ecclesiae cathedralis non possunt ordinari independenter ab Episcopo (cfr. Conc. Trident. Sess. XXII, c. 3, de ref., Clementina I, de celebrat. Miss. et consonant plures Rotae decisiones). Talia sunt: forma servitii choralis, tabella horaria pro divinis officiis, administratio bonorum ecclesiae cathedralis, erogatio redituum ex iisdem bonis provenientium, acceptatio oblationum seu anniversariorum et similia; *Cappello*, l. c. p. 581 sq.; *Bouix*, l. c. p. 389 sq.; *De Herdt*, l. c. p. 163, 397.

[103] Talia communiter habentur, quae pertinent ad administrationem

Tale autem statutum non posset inseri statutis capitularibus approbatis, sine ipsius Episcopi licentia. Atque huc pertinet doctrina memorata canonistarum, si declarando materiam circa quam versatur illa competentia Capituli independens a consensu Episcopi, dicebant Capitulum nihil posse per se solum statuere circa ea, quae Episcopum vel communem statum ecclesiae capitularis concernunt, vel positiva ratione declarabant posse Capitulum inconsulto Episcopo statuere de rebus *minoribus* quae bonum ordinem et regimem Capituli respiciunt.

Competentia Capituli extenditur ad condenda *statuta poenalia,* dummodo poenae sint huiusmodi quae potestatem quamdam oeconomicam non excedant; nam Capitulum per viam iurisdictionis procedere nequit, qua caret sede plena, sed per modum domesticae disciplinae sive correctionis, quemadmodum sine exercitio iurisdictionis pater castigat filium et magister discipulum [104]. Atque idem dicendum de potestate Capituli corrigendi, puniendi et mulctandi beneficiarios, cappellanos, portionarios [105].

In pluribus Capitulis ab antiquo tempore viget mos statuta capitularia confirmandi iuramento, quod iuramentum relate ad servanda statuta capitularia etiam exigitur a novis capitularibus.

674. Natura iuridica statutorum. Statuta capitularia a Capitulo condita et ab Episcopo approbata nequaquam per se habent vim legis canonicae, quam repetere non possunt ex potestate legifera ipsius Capituli; illa enim *iurisdictio* legifera Capitulorum non est certo probata, neque sede plena relate ad ceteros dioecesis fideles neque in particulari respectu membrorum ipsius Capituli et aliorum, qui ad Capitulum tanquam adiutores aliqua ratione pertinent. Illis ergo statutis asserenda est cum

bonorum ipsius Capituli seu regimen communis et specialis massae, vel ad modum dividendi pro rata servitii distributiones quotidianas et inter praesentes; item circa modum distribuendi officia inter Capitulares; circa modum, tempus et locum capitularia comitia habendi et similia. Cfr. *Cappello,* l. c. p. 580. Attamen non potest negari Episcopo ius haec etiam statuta seorsim a Capitulo condita videndi et examinandi, ut possit iudicare num quidquam contineant contra ius.

[104] Cfr. Fagnanum in 1. p. 1, Decret. cap. « *Cum omnes* » n. 37 sq.; *Pirhing,* l. I, tit. 33, n. 43; *Ferraris,* v. Capitulum art. 3, n. 2; *De Herdt,* l. c. p. 168.

[105] *De Herdt,* l. c. p. 167.

Suarez (De legibus l. IV, cap. 6, nn. 11, 12) vis statutorum *conventionalium,* quae obligant in vim pacti et promissionis forte iuramento firmatae. Neque ex *sola confirmatione qualicumque* sive Episcopi sive Rom. Pontificis potest ilico inferri statuta Capituli confirmata habere vim legis *episcopalis* vel *pontificiae.* Nam statuta quoque *conventionalia* possunt approbari quin eorum naturam mutet approbatio data, atque recognitio et confirmatio in forma communi, quae v. g. ad decreta Concilii provincialis accedit, non efficit ut decreta fiant *leges pontificiae* et cessent esse leges Concilii provincialis.

Quodsi statuta capitularia in Gallia, ob speciales rationes, post factam novam omnium dioecesium circumscriptionem, a *solis* Episcopis fuerunt condita et Capitulis auctoritative imposita ac ipsa forma externa induunt naturam *legum episcopalium* [106], quae de illis statutis dicuntur non possunt indiscriminatim applicari statutis normali modo per decisionem capitulare conditis et approbationi Episcopi ex praescripto iuris suppositis.

Art. 5. — De iuribus et obligationibus Capitulorum et Capitularium

§ I. De iuribus et obligationibus internis Capituli ut Collegii ecclesiastici

675. Capitula sive cathedralia sive collegiata cum vera sint collegia (corpora, corporationes) ecclesiastica [107], omnibus illis **iuribus** pollent, quae ex natura rei vel ex sanctionibus iuris positivi, praesertim *canonici,* omni legitimo collegio ecclesiastico [108] aut ex iure speciali Capitulis competunt.

Huc spectant:

I. *Ius celebrandi coetus capitulares* sive *ordinarios* sive

[106] Cfr. *Bouix,* l. c. p. 376 sq., 392 sq.; *De Herdt,* l. c. p. 399 sq., 403 sq.

[107] *Bouix,* l. c. p. 14 sq., 164 sq.; *Schneider,* l. c. p. 252 sq.; *Scherer,* l. c. t. I, p. 570, 573 sq., 580, not. 60; comment. iur. Decret. X. l. III, tit. 11, de his quae fiunt a maiore parte Capituli.

[108] L. 1, § 1, D. quod cuiuscumque universitatis III, 4.

extraordinarios ad expedienda negotia Capituli per deliberationes et decisiones collegialiter sive capitulariter factas. Coetus capitularis dicitur *ordinarius*, qui fixis diebus in statutis designatis haberi debet, et ad hunc conventum non requiritur specialis convocatio. *Extraordinarius* est qui adunatur, occurrente aliquo peculiari negotio, et ad hunc conventum requiritur specialis convocatio: habendus autem est quoties iudicatur necessarius aut ab Episcopo aut a Capituli praeside aut a maiori canonicorum parte (can. 411 § 1). Coetus capitulares ex iure communi celebrari possunt *absque praevia licentia Episcopi* [109]; at Episcopus pro suo iure postulare potest, ut ipsi notitia detur de coetu capitulari cogendo et resolutionibus approbatis; salva quoque maneat necesse est suprema ipsius iurisdictio contra illegitimas congregationes capitularium.

a) *Ius* rite *convocandi* Capitulum per se et ordinarie spectat ad *primam dignitatem* in Capitulo, nisi consuetudine aliter cautum sit. Ex iure communi (cfr. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 6, de ref.), *solus Episcopus* convocat Capitulum cathedrale, quotiescumque eius consensum vel consilium exigit in negotiis *dioecesanis*, in ceteris negotiis ordinarie dignior de Capitulo. At iure particulari aliquando ius *convocandi* Capitulum *cathedrale* aut *permittendi* convocationem in *omnibus* casibus spectat *unice* ad Episcopum. Cfr. not. 107 h. tit.

b) Vocandi sunt ad comitia *omnes* capitulares, qui in loco sive civitate *praesentes* sunt et pro suo iure ad congregationem Capituli accedere *possunt* [110], nisi agatur de casibus a iure exceptis, quibus etiam *absentes* canonici vocari debent, v. gr. in electione Praelati (cfr. can. 162) et ubi id exigant statuta aut consuetudo. Immo obligatio absentes vocandi a doctoribus satis communiter admittitur, ubicumque negotium est arduum et

---

[109] Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 6, de ref. iunct. S. C. C. 20 Ian. 1858, et aliis decis. S. C. C. et Rotae allegatis a *Bouix*, l. c. p. 408 sq. At haud raro ex iure particulari Capitulum praeter casus in iure expressos congregari nequit, nisi vocante vel annuente Episcopo, v. g. in Gallia et Anglia. Cfr. Collect. Lac. t. IV, col. 346, 981, t. III, col. 923 sq.; *Schneider*, l. c. p. 275 sq.; *Bouix*, l. c. p. 174 sq.; *Cappello*, l. c. p. 585 sq.; *De Herdt*, l. c. p. 409 sq

[110] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 4, de ref.; *Bouix*, l. c. p. 178 sq.; *Schneider*, l. c. p. 264 sq.; *De Herdt*, l. c. p. 418 sq.

grave, modo commode fieri possit, periculum non sit in mora, nec habeatur contraria consuetudo [111]. Qui legitime non fuerit vocatus agere potest de contemptu ut acta Capituli (in se valida) rescindantur.

c) Convocatio facienda est legitimo *tempore* et *loco* et *modo* [112].

d) Postquam *convocatio* omnium capitularium *rite* facta est, certe ad *constituendam* legitimam congregationem Capituli *sufficit*, si duae tertiae partes canonicorum convenerunt [113]. Qui numerus indubitanter etiam *requiritur*, si statutis vel consuetudinibus *particularibus* est praescriptus; at neque ex natura rei neque ex iure *communi canonico generaliter* requiritur; immo iure particulari expresse etiam numerus infra duas tertias partes ut sufficiens statui potest [114], v. g. numerus *absolute maior* vel trium canonicorum saltem in *ordinariis* sessionibus.

e) In Capitulo legitime congregato negotia tractanda imprimis rite et convenienter sunt *proponenda*, per communem *deliberationem* sive tractatum disceptanda, denique *suffragiis* in forma canonica datis concludenda vel *definienda* [115]. Quae suffragatio *ordinarie* fieri *debet* per vota *absolute maiora*, pro quibus stat etiam praesumptio, quod data sint a *saniore* parte Capituli [116]. At iure speciali *unanimitas* suffragiorum *requiritur* in

---

[111] *Reiffenstuel*, l. III, tit. 11, n. 10; *Barbosa*, De canonic. cap. 39, n. 1; *De Herdt*, l. c. p. 420.

[112] *Bouix*, l. c. p. 172 sq., 187 sq.; *Schneider*, l. c.; *De Herdt*, l. c. p. 413 sq.

[113] *Bouix*, l. c. p. 165; *Schmalzgr*, l. c. l. III, tit. 11, n. 15 sq., 23; *Pirhing*, l. c. eod. n. 2; *De Herdt*. l. c. p. 422 sq.

[114] Quae ex iure Romano (L. 3, D. quod cuiuscumque univer. III, 4; L. 3, D. de decretis ab ord. fac. L. 9), sane in foro civili sua vi olim non caruerunt, at *generaliter* et clare in foro ecclesiastico non sunt *recepta*, et iure canonico de Capitulis potius *expresse* aliud videtur esse statutum. Cfr. cap. 19, 42, X. de elect. I, 6; S. C. C. in caus. Fuld. 21 Nov. 1761; *Schneider*, l. c. p. 266; *Scherer*, l. c. p. 576; *Reiffenstuel*, l. c. l. III, t. 11, n. 15, 16; *Schmalzgr.*, l. c.; *Pirhing*, l. c., unde diversitas opinionum inter ipsos scriptores catholicos patet.

[115] Cap. 42, X. de elect. I, 6; Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 6, de ref.; *Bouix* l. c. p. 182 sq.; *Schneider*, l. c. p. 268 sq.; *Scherer*, l. c. p. 577.

[116] Cap. 1, 4, X. de his, quae III, 11; cap. 42, 48, 50, 55, X. de elect. I, 6; *Schmalzgr.*, l. c. n. 19 sq. Cfr. quoque S. C. C. 12 Mart. 1881, in Act. S. Sed., XIV, p. 362 sq.

negotiis, quae canonicos ut singulos tangunt (cfr. can. 101 iunct. R. I, 29, V, 12, in Sext.), non tantum in *communi*, v. g. in transferenda potestate eligendi per compromissum (can. 172 § 1). Porro *duae tertiae* partes votorum expresse sunt praescriptae, si electio concurrat cum postulatione ad hoc ut postulatio praevaleat (can. 180 § 1). Item ad normam can. 101, deficiente maioritate absoluta in prima suffragatione, haec est iteranda donec in tertio scrutinio res decidatur etiam per solam maioritatem relativam; in quo tertio scrutinio si forte duae personae (in electionibus) suffragia aequalia tulerint, praeses suo voto *potest* paritatem dirimere, si duae propositiones (in aliis negotiis) aequalia retulerint suffragia praeses suo suffragio paritatem dirimere *debet*.

II. Ius *condendi sibi statuta*, de quo iam dictum est in praecedentibus.

III. *Ius praecedentiae*. Quae praecedentia can. 408 consideratur sive inter varia Capitula, sive inter membra eiusdem Capituli.

a) Quoad diversa Capitula: 1°) Cathedrale praecedit collegiali etiam insigni, in ipsa quoque collegiali ecclesia.

2°) Capitulum insigne praecedit non insigni.

3°) Quoad alia Capitula inter se comparata applicanda sunt principia can. 106. Quare licet rarus erit casus, in quo Capitulum alicui actui adsistat extra dioecesim, cum tamen facilius accidere possit ut adsistat per aliquot canonicos Capitulum repraesentantes, tunc obtinebit regula 1ª dicti can. 106, videlicet idem honor debetur ac Capitulo illis canonicis qui eius personam gerunt. Pariter ex regula 5ª dicti canonis Capitulum Metropolitanum praecedit suffraganeo; inter Capitula eiusdem gradus Capitulum loci; inter extraneos Capitulum antiquius provinciae, licet consuetudo passim recepta praecedentiam Capitulorum ordinet secundum praecedentiam propriorum Episcoporum.

At Capitulum praecedentiam non habet supra Vicarium Generalem (can. 370 § 1), nec supra Vicarium Capitularem (can. 439), nequidem in choro et actibus capitularibus.

b) Quoad diversos capitulares in eodem Capitulo: 1°) salvis peculiaribus statutis et legitimis consuetudinibus, dignitates, servato inter se ordine praecedentiae, praecedunt canonicis; canonici antiquiores ratione possessionis posterioribus; canonici titulares honorariis; honorarii beneficiariis. At canonicus charactere Episcopali ornatus praecedit aliis tali charactere non insignitis.

2°) Ubi habentur distinctae praebendae presbyterales, diaconales et subdiaconales, servatur praecedentia inter illos tres ordines; in eodem autem ordine, praecedentia receptionis in ordinem, non in ipsum Capitulum (can. 408 § 2 [117]).

IV. *Ius possidendi* et *administrandi* bona temporalia [118], quae tanquam *subiecto dominii* propria sunt Capitulo ut *collegio* (corporationi) *ecclesiastico*. Inde quoque consequitur, quod Capitulum habeat ius constituendi syndicum aliosque officiales et perficiendi actus legitimos ad administrationem necessarios etiam absque approbatione Episcopi [119]. Cuinam ex canonicis suprema cura administrationis sit commissa, potissimum statutis et consuetudinibus particularibus est determinandum, salvis iuribus canonici theologi, poenitentiarii et curati sese certis muniis subducendi [120].

676. Scholion. *Ius exemptionis a iurisdictione episcopali* a non paucis Capitulis ante Concilium Tridentinum maiore minoreve ambitu fuerat obtentum, cum alia multa saltem *de facto* auctoritati Episcoporum fere penitus essent subducta [121]. Qua in re Concilium Tridentinum [122] iura legitime quaesita exemptionis non sustulit, sed resecatis abusibus reformavit et contra praetensas et usurpatas immunitates Capitulorum novo rigore, etiam addita *delegatione* pontificia, restauravit *ordinariam* iurisdictionem

---

[117] Cfr. *Cappello*, l. c. p. 539 sq.; *De Herdt*, l. c. p. 35 sq.; *Muniz*, l. c. p. 341 sq.

[118] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 6, de ref.; *Bouix*, l. c. p. 390 sq.; *Schneider*, l. c. p. 255 sq.

[119] Cfr. cap. 7, X. de procur. I, 37; cap. 5, X. de prob. II, 19, iunct. notis *Secretarii* S. C. C. in schema statutorum capitularium in Anal. iur. pont. t. VI, p. 2026, 2045, quod in his *aliisque* officialibus *nominandis* debita libertas Capitulo sit relinquenda. Cfr. *Schneider*, l. c. p. 292 sq.

[120] Cfr. decis. S. C. C. in ed. *Richt.*, Conc. Trid. p. 345.

[121] Cfr. supra h. tit. not. 10.

[122] Sess. VI, cap. 4, de ref., Sess. XXIV, cap. 12, de ref., Sess. XXV, cap. 6, de ref.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 9, n. 2 sq.; *Fagnan.*, in cap. 13, X. de off. iud. ordin. I, 31, § 1, n. 6 sq., in cap. 1, X. de conf. II, 30, n. 37. Cfr. quoque decis. S. C. C. in ed. *Richt.*, Conc. Trid. p. 39, 444 sq.

Episcoporum. Nostra aetate rara sunt exempta Capitula cathedralia [123] vel collegiata [124].

677. Obligationes sive **onera,** quae incumbunt *ipsis Capitulis ut collegiis* sive corporationibus, v. g. servitium quotidianum chori vel Missa conventualis a persona morali per se impleri non possunt. Quare omnis disputatio de obligationibus Capituli practice potius reducitur ad quaestionem quibusnam canonicis *singularibus* demandatum sit officium *urgendi* sive curandi et *implendi* illa onera *Capitulo* iniuncta. *Onera* vero Capitulis imposita in ordine ad *Episcopum* facile ad duo principalia revocari possunt, sc. ad reverentiam et obedientiam praestandam, quam Episcopus pro *suo iure* postulat, et Capitulum tanquam collegium, non tantum ut singuli viri boni, exhibere debet.

I. *Reverentia* consistit in *signis* quibusdam *honoris* Episcopo exhibendis:

a) quoad locum; etenim Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 6, de ref. statuit: « Episcopis ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisque in choro et capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis sit *prima sedes* et *locus,* quem ipsi elegerint ».

b) quoad assistentiam; quare *omnes* canonici sive ecclesiae cathedralis sive collegiatae Episcopo sollemniter celebranti aut alia pontificalia exercenti, etiam in aliis ecclesiis civitatis aut suburbii, ab eodem invitati, assistere et inservire debent, dummodo iudicio Episcopi remaneat in eorum ecclesia sufficiens canonicorum et ministrorum numerus (can. 412 § 1). Quae adsistentia canonicorum, dum in ecclesia *capitulari* celebrat aut pontificalia exercet est simul obligatio et ius respectu Capituli, ita ut Episcopus canonicos negligere et praeterire, aliosque qui non sunt de Capitulo assumere non possit [125]; nec ex canonicis

[123] Cfr. de exemptione controversa Capituli Patavini: S. C. C. 27 Nov. 1856, in Act. S. Sed., III, p. 65 sq.

[124] Cfr. Capitulum S. Dyonisii (St. Denis) in Gallia a Pio IX, Const. « *Consueverunt* » 31 Mart. 1857 erectum; *Benedict. XIV*, l. c. n. 2, (de Italia); *Schneider*, l. c. p. 337, ubi in Germania unicum refert exemptum Capitulum collegiatum (Bautzen in Saxonia). Cfr. S. C. C. 22 Iun. 1871, in Act. S. Sed., VI, p. 484 sq.; art. 14, 15, concord. pro Hispan. (a. 1851).

[125] S. R. C. in *Isernien.* 2 Aug. 1631; in *Oscen.* 26 Maii 1635, in *Massauen.* 11 Iul. 1643; *De Herdt,* l. c. p. 127; *Muniz,* l. c. p. 210.

illos quos voluerit eligere potest, sed in omnibus ordinem per Caeremoniale Episcoporum et ecclesiae consuetudinem praescriptum servare tenetur [126]. Celebranti vero in aliis ecclesiis civitatis vel suburbii tum solum canonici tenentur assistere si fuerint invitati, et in hac invitatione tenetur Episcopus habere rationem, ut in ecclesia capitulari sufficiens remaneat numerus, ne officium chorale intermittatur aut sine sufficiente decore celebretur [127].

Peculiaris casus illius adsistentiae est casus *ordinationis generalis* in cathedrali habitae, ad quam vocandi sunt canonici (can. 1009, § 1).

Nec praetereunda hoc loco obligatio can. 1303, § 1 imposita, qua ecclesia cathedralis debet sacram suppellectilem et alia quae ad Missam aliamve functionem pontificalem sunt necessaria, gratis Episcopo subministrare, etiamsi illae functiones sint peragendae in aliis ecclesiis civitatis aut suburbii.

c) quoad *associationem* et *deductionem* Episcopi ad ecclesiam cathedralem can. 412 § 1, innovatur praeceptum Caeremonialis Episcoporum (libr. I, cap. 15, n. 1 et 11) et multarum decisionum S. R. C. (Cfr. *Bouix*, l. c., p. 244 sq., 271 sq., *Schneider*, l. c., p. 344; *De Herdt*, l. c., p. 126).

d) Episcopo ius est duos e Capitulo sive cathedrali sive collegiali assumere et retinere ut sibi in ecclesiastico ministerio ac dioecesis servitio adsistant (can. 412, § 2) [128]. Itemque potest sibi adsciscere duos *etiam* e Capitulo sive cathedrali sive collegiali visitationis dioecesanae comites et adiutores (can. 343, § 2); qui non necessario debent esse iidem quos assumpsit pro suo servitio.

II. *Obedientia* canonica a Capitulo exercenda est: *a*) in iustis *mandatis* Episcopi sive ratione status clericalis sive ratione beneficii datis prompte observandis.

b) in admittenda visitatione Episcopi secundum sanctiones canonicas peracta.

c) in subeundo iusto iudicio Episcopi [129].

[126] S. R. C. in *Asten.* 18 Nov. 1607; *De Herdt*, l. c.

[127] *De Herdt*, l. c. p. 128, ubi plura S. C. allegantur responsa.

[128] Cfr. *Benedictum XIV*, Inst. eccl. 107; *De Herdt*, l. c. p. 129.

[129] Peculiarem modum, quem Episcopus poterat et debebat adhibere in puniendis canonicis Capituli exempti ex Tridentino (Sess. XXV, cap. 6), codex non innovavit.

§ II. De iuribus et obligationibus singulorum canonicorum

678. Iura, quae *generatim singulis canonicis* competunt, haec fere recenseri possunt:

I. *Locus* et *votum* in Capitulo, quae tamen solis competunt canonicis *titularibus*, non mere *honorariis;* dignitatibus vero tunc solum competit si una cum canonicis Capitulum constituant (can. 411, § 3).

II. *Stallum* sive sedes in choro; quod ius etiam competit canonicis honorariis.

III. *Praecedentia* secundum modum paragrapho praecedenti explicatum.

IV. *Insignia* canonicalia. Insignia canonicalia nihil aliud sunt quam habitus choralis, cui forte ex speciali privilegio alia insignia sunt addita veluti numisma, crux, specialia quaedam indumenta. Habitus choralis ex iure communi continetur veste talari nigra et cotta sive superpelliceo. Alius habitus ac alius color et quaecumque superaddita insignia a sola Sede Apostolica concedi possunt. Plerumque tamen Capitula huiusmodi privilegia plus minusve honorifica accipiunt sive in ipsa Bulla erectionis sive deinde per speciale indultum (cfr. can. 409, § 1) [130].

Praedictam vestem choralem et alia specialia insignia capitularia canonici deferre quidem possunt in tota dioecesi in qua est Capitulum; at extra propriam dioecesim, reprobata contraria consuetudine, tunc tantum deferre possunt, cum aut Episcopum comitantur aut Episcopum vel Capitulum repraesentant in Conciliis aliisque sollemnitatibus (can. 409, § 2).

Porro vestem choralem, sive communem sive speciali indulto vel privilegio concessam, canonici in choro deferre tenentur, adeo ut ea in officio chorali non induti habentur tamquam absentes a choro; v. gr. si Protonotarius Apostolicus aut Praelati domestici praelatitia veste sint induti.

Canonici vero, qui charactere episcopali insigniti sunt, pro veste chorali habent vestem episcopalem.

---

[130] De usu specialium indumentorum vel insignium, cfr. *De Herdt,* l. c. p. 45 sq.; *Cappello,* l. c. p. 528 sq.

Quae iura canonicis competunt statim ac legitime beneficii sui possessionem ceperint (can. 405 § 1).

679. Obligationes *communes* canonicorum sunt:

I. *Professio fidei,* quae a dignitatibus et canonicis coram loci Ordinario eiusve delegato et coram Capitulo, a ceteris beneficiariis coram loci Ordinario eiusve delegato emittenda est ante captam beneficii possessionem (can. 1406, 1443).

II. *Residentia.* Residentiae canonicorum convenit generalis notio, qua residentia dicitur esse commoratio assidua beneficiarii in loco beneficii, officii personaliter praestandi causa. In qua notione videtur contineri duplex obligatio manendi in *loco* beneficii et insuper expletio personalis officii, ita ut is qui officium negligit adhuc nihilominus teneatur in loco beneficii degere, atque hoc derelicto de novo impingat in legem residentiae. Respectu vero canonicorum illae duae obligationes ad unam reducuntur, sc. ad obligationem personalis servitii in ecclesia capitulari praestandi. Sane iamdiu constat: 1°) canonicos ceterosque beneficiarios choro addictos obligationi residentiae non satisfacere sola praesentia in *loco* ecclesiae cathedralis vel collegiatae, sed ab ipsis exigi praesentiam in *choro,* ubi non solum canonicis horis intersint sed *per ipsos,* non per substitutos, divina officia obeant [131] vere canentes et psallentes [132]. — 2°) Aliunde pariter constat canonicos haberi absentes seu non residentes, qui dimisso choro versantur in civitate seu loco, ubi posita est ecclesia cathedralis vel collegiata. — 3°) Tandem cum habeant ex iure tres menses vacationum a chorali servitio, illae vacationes ita intelliguntur ut sine necessitate specialis licentiae aut Episcopi aut Capituli possint eo tempore ubi velint commorari saltem intra dioecesim; immo etiam durante servitio possunt diu noctuque moram trahere, si libuerit, extra civitatis districtum, ubi sita est ecclesia, dummodo horis congruis accedant ad ecclesiam ibique in divinis deserviant [133].

Ergo pro canonicis aliisque beneficiariis choro addictis resi-

---

[131] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 12, de ref.; *Benedictus XIV,* Inst. eccl. 107, n. 17, 18; *Bouix,* l. c. p. 327 sq.

[132] *Benedict. XIV,* l. c. n. 16 Const. « *Cum semper* » 19 Aug. 1744 § 24, Const. « *Praeclara* » 19 Ian. 1748, § 7; *Henry,* De resid. p. 144; *Bouix,* l. c. p. 302 sq.

[133] *Henry,* l. c. p. 120; *De Herdt,* l. c. p. 321 sq.

dentia intellecta est ecclesiae personale servitium; quod multo magis valet iure Codicis, ubi nullus est canon expresse agens de *residentia,* sed tantum de chorali servitio; qui can. 419 § 1 aperte traditur chorali servitio non adstrictos non teneri obligatione residendi in *loco beneficii* [134].

De servitio vero chorali deinde agetur sub propria rubrica.

III. *Assistentia in deliberationibus capitularibus* et *acceptandi munera Capituli* sibi iniuncta, nisi legitima causa excuset, v. g. saltem a *quibusdam* servitiis canonicum theologum et poenitentiarium quae cum ipsorum officio *non* sunt *compatibilia* (can. 416) [135].

IV. *Assistentia* et *associatio* praestanda Episcopo celebranti vel alia pontificalia exercenti iuxta formam praescriptam in Pontificali Romano et Caeremoniali Episcoporum; quae est obligatio Capituli et singulorum canonicorum (can. 412, § 1) [136].

680. Iura et obligationes particularium dignitatum et canonicorum eruenda sunt ex natura officii ipsis commissi aut ex instrumentis fundationis aut ex specialibus legibus.

I. *Dignitatibus* et post ipsas *canonicis* secundum ordinem praecedentiae [137*] ius est et officium:

1°) Episcopi vicem supplere in peragendis functionibus sacris in sollemnioribus anni festivitatibus. Quae sint sollemnio-

---

[134] Profecto cum servitium chorale in ecclesia praestari non possit sine praesentia in *loco,* etiam obligatio huius praesentiae includitur in residentia canonici, sed canonicum urget *pro diebus et horis* quibus choro assistere tenetur (S. C. C. 4 Febr. 1843), at v. gr. residentia parochi in loco debet esse *pro singulis momentis; Ferreres,* Inst. I., n. 705.

[135] Cfr. decis. S. C. C. in ed. *Richt.,* Conc. Trid. p. 343; *Bouix,* l. c. p. 337 sq.; *Schneider,* l. c. p. 308 sq. Cum adsit obligatio interessendi coetibus capitularibus, nihil vetat quominus pro ipsis assignentur distributiones; *De Herdt,* l. c. p. 326; *Muniz,* l. c. n. 267; *Barbosa,* De canonic. c. 31.

[136] Conc. Trid. XXIV, cap. 12, de ref.; *Bouix,* l. c. p. 244 sq.; *Ferraris,* l. c. v. Canonicatus art. 6, n. 27 sq.; *Schneider,* l. c. p. 345 sq.

[137*] Ius praecedentiae can. 370 § 1 Vicario Generali concessum nullatenus derogat praescriptis canonis 397; proinde Vicarius Generalis, qua talis, non habebit ius Episcopi vicem supplendi in peragendis functionibus sacris, nec ex alia parte eximetur, si canonicus fuerit, a munere assistendi Episcopo in Missis aliisque functionibus pontificalibus. Resolutio S. C. C. d. 10 maii 1931, S. Iacobi de Venezuela et aliarum; cfr. A. A. S. XXIII, 235; Period. XXI, 24.

res festivitates declaratur in Caeremoniali Episcoporum, attentis peculiaribus statutis et consuetudinibus.

2°) Episcopo celebranti in pontificalibus aspersorium in ingressu ecclesiae porrigere et presbyteri assistentis officio fungi.

3°) Eidem decumbenti ministrare sacramenta; defuncto iusta funebria persolvere.

4°) Convocare Capitulum eique praeesse ac praescribere et ordinare quae ad chori directionem referuntur, dummodo dignitas de gremio Capituli sit (can. 397, 4°).

Memorata iura et officia primae dignitatis possunt per statuta capitularia aliqua ratione reperiri mutata, quae statuta a Codice praeservantur; sed cum apprime conveniant primae Capituli dignitati et iis qui in eius locum secundum ordinem praecedentiae subintrant, non possent nunc per actum capitularem immutari condendo statuta nova canoni contraria.

681. Canonicus theologus. Alexander III in Conc. Lateranensi III (a. 1179) praescripserat, ut in ecclesiis cathedralibus Magister constitueretur qui clericos et pauperes adolescentes erudiret in studiis grammaticae et pulchrarum litterarum, eique assignaretur propria praebenda. Quod decretum ab Innocentio III in Conc. Lateranensi IV (a. 1215) firmatum fuit et insuper iniunctum, ut in quavis metropolitana ecclesia *theologus* constitueretur, qui sacerdotes et alios doceret *sacram paginam* et cetera quae ad animarum curam pertinerent. Cum autem Patres Basileenses illud statutum ad omnes cathedrales ecclesias extendissent, Conc. Lateranense V supponit officium canonici theologi inter *canonicatus* reperiri. Tandem Conc. Tridentinum efficacius providit (Sess. V, cap. 1), iubendo ut in qualibet ecclesia cathedrali et collegiata insigni, si nulla esset praebenda dicto theologo destinata, destinaretur primo vacatura; cuius Concilii praescriptionem ad Italiam et insulas adiacentes applicans Benedictus XIII Const. « *Pastoralis officii* » (a. 1725) iussit, ut primo vacatura praebenda ipso facto et absque ulteriore declaratione constituta maneret praebenda theologalis.

Officium canonici theologi Conc. Tridentinum satis aperte declaravit esse Sacram Scripturam exponere et interpretari, dum docuit ad eum pertinere « ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat ». Nihilominus doctrina canonista-

rum [138] fuit, canonicum theologum suo muneri satisfacere sive Sacram Scripturam legeret sive dogmaticam, scholasticam aut moralem theologiam doceret; illa tamen sententia, etiam iurisprudentia S. C. C. firmata, visa est improbari cum Gregorius XVI (a. 1842) publicavit suam Const. « *Inter multiplices* » et inde S. C. C. coepit urgere lectionem S. Scripturae [139]; sed paulatim reditus factus est ad praecedentem doctrinam.

Illi praecedenti doctrinae quoad substantiam cohaeret disciplina Codicis, in quo (can. 400 § 1) munus canonici theologi dicitur esse:

1°) Sacram Scripturam publice in ecclesia explanare [140*]. Quibus autem diebus et horis id fieri debeat relinquitur determinandum Episcopo cum consilio Capituli [141].

2°) Illa explanatio S. Scripturae non est taxative praescripta, sed potest Episcopus, *si id utilius iudicet*, eidem committere alia doctrinae catholicae argumenta in ecclesia explicanda. Non ergo ipse canonicus theologus habet optionem, sed Episcopus aliud argumentum explanationi S. Scripturae potest substituere.

3°) Pariter idem Episcopus, *gravi existenti causa*, potest

---

[138] Cfr. *Fagnanum*, in I, p. libr. V, cap. « *Quia nonnullis* » de Magistris; Card. *Petra* in Const. 2 Innocent. VI, n. 46; *Ferraris*, v. *Canonicus* art. 9, n. 30; *Benedict. XIV*, Inst. 57, De Syn. dioec. l. 13, cap. 9, n. 17; *Schneider*, l. c. p. 339 sq., S. C. C. in *Fulginaten.* 5 Iulii 1784, et in aliis causis.

[139] *De Herdt*, l. c. p. 68 sq.

[140*] Vi can. 399 § 1, ceteris paribus ad officium canonici theologi praeferendus erat doctor in sacra theologia. Pius XI *Motu proprio* d. 28 apr. 1924 statuerat ut beneficium, in quo canonice insit onus S. Scripturae populo explanandae, nulli conferretur qui licentia aut laurea in re biblica non fuerit potitus. Dataria Apostolica ex Audientia Ss.mi d. 8 apr. 1940 declaravit illa verba ita esse intelligenda ut, ceteris paribus, ille etiam doctori in sacra theologia praeferatur, qui laurea aut licentia in re biblica sit insignitus. Idem rursus confirmavit Dataria Apostolica in Instructione d. 1 ian. 1942. Cfr. A. A. S. XVI, 181, XXXII, 163, XXXIV, 117; Period. XIII, 105, XXIX, 236, XXXI, 309.

[141] Iurisprudentia S. C. C. exigebat ut saltem *quadragies* singulis annis illa explanatio in ecclesia fieret. Cfr. *Lingen* et *Reuss*, Causae select. p. 720 sq., S. C. C. 2 Sept. 1876, 16 Sept. 1882, 25 Iun. 1891; *Schneider*, l. c.; *Bouix*, l. c. p. 101 sq.; *De Herdt*, l. c. p. 70 sq. Circa obligationem assistendi factam canonicis aliisque clericis, cfr. *De Herdt*, l. c. p. 74; *Bouix*, l. c. p. 105 sq.

canonico theologo committere ut, loco lectionum in ecclesia, sacras disciplinas in Seminario doceat.

Ergo nunc canonicus theologus, saltem accedente commissione Episcopi, triplici modo explicat suum officium. Quodsi ut muneri satisfaciat explanationem S. Scripturae aut alterius sacri argumenti in ecclesia habere debeat, haec obligatio ita est adnexa ipsius praebendae, ut si ultra sex menses fuerit impeditus, propriis expensis debet sibi substituere alium sacerdotem ab Episcopo deputandum. Quae obligatio substitutionis in casu impedimenti non datur, si ipsi commissum fuerit munus docendi in Seminario.

Ut suo muneri satisfaciat, non solum ipsi committenda non sunt officia quae illud impediant, sed etiam dispensatus est a servitio chori pro toto die quo ad normam can. 400 munere suo fungitur, quin distributiones amittat (can. 420, 2°). Huc quoque spectat immunitas, quae ipsi (can. 416) tribuitur a ministerio diaconi et subdiaconi in servitio altaris per turnum praestando, quae tamen magis pertinet ad praeeminentiam officii, ideoque a munere per turnum *celebrandi* non est immunis [142].

682. Canonicus poenitentiarius (can. 401). Praeformatio huius officii habetur in Conc. Lateranensi IV (a. 1215) ubi Innocentius III praecipit ut in ecclesiis cathedralibus et conventualibus ordinentur viri idonei, quos Episcopus habeat adiutores tum in praedicatione tum *in audiendis confessionibus et poenitentiis iniungendis;* sed erectio obligatoria huius praebendae debetur etiam Conc. Tridentino (Sess. XXIV, cap. 8 de ref.) cum eodem officio in Codice descripto.

Canonicus poenitentiarius, perinde ac si esset parochus totius dioecesis, vice Episcopi exercens iurisdictionem fori interni ab ipso iure obtinet potestatem ordinariam ad audiendas confessiones, quam tamen aliis delegare prohibetur. Eius iurisdictio extenditur etiam ad peccata et censuras Episcopo reservatas et potest exerceri etiam in extraneos in dioecesi confessionem peragentes et in dioecesanos absolvendos etiam extra territorium dioecesis; quae duae ultimae extensiones cohaerent cum generalibus principiis can. 874 et 881, § 1 sancitis.

---

[142] S. C. C. declaravit 14 Febr. 1920, quod illa exemptio canonici theologi et poenitentiarii non pertineat ad casum quo Episcopus sollemniter celebret, sed observandum Caeremoniale Episcoporum.

Illa potestas canonici poenitentiarii est coniuncta cum officio residendi in sede excipiendis confessionibus sibi in capitulari ecclesia destinata; tempus officii explendi est tempus ad fidelium commoditatem iudicio Episcopi opportunius, ideoque non necessario est restrictum ad tempus divinorum officiorum, quamvis dum divina officia habentur praesto esse debet ad excipiendas confessiones petentium [143].

Ut muneri satisfacere possit ipsi committenda non sunt officia quae illud impediant, v. g. non potest simul habere munus Vicarii Generalis aliudve officium cui adnexa sit iurisdictio fori externi velut Officialis, excusatur a servitio chori cum iure ad percipiendas distributiones, si eo tempore vacat audiendis confessionibus (can. 420, 3°) [144]. Huc quoque spectat immunitas a ministerio diaconi et subdiaconi in servitio altaris per turnum praestando ad normam can. 416.

683. Canonicus curatus. Triplici modo ecclesia capitularis potest esse ecclesia paroecialis: 1°) si paroecia in ecclesia cathedrali (aut capitulari) erecta sit et capitulo non fuerit unita; 2°) si cura animarum unita est certae praebendae canonicali, v. gr. Archipresbyteratui, ita ut, quicumque illam praebendam obtineat, curam paroecialem exercere debeat; 3°) si cura animarum ipsi Capitulo unita et adnexa sit [145].

In hoc ultimo casu penes Capitulum manet sola cura habitualis, actualis vero seu illius exercitium transferri debet in vicarium, quem praesentat Capitulum, Ordinarius, si idoneum repererit, instituit; vicario ita instituto Capitulum fructuum portionem, iudicio Episcopi congruam, tribuere debet (can. 402, 471). Huic vicario exclusive competit tota animarum cura cum omnibus parochorum iuribus et obligationibus ad praescripta iuris communis et secundum probata statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines (can. 471 § 4).

Si cura sit adnexa determinatae praebendae, non idcirco canonicus curatus dependet a Capitulo in exercitio curae animarum, nec illa praebenda vacante potest Capitulum aliquem

[143] Ita iam quoad substantiam deciderat S. C. C. apud *Zamboni*, v. Canonicus § VI. Cfr. *Barbosa*, De canonic. cap. 26, n. 14; *De Herdt*, l. c. p. 78.

[144] Cfr. plures decisiones S. C. C. apud *De Herdt*, l. c. p. 80.

[145] *De Herdt*, l. c. p. 30 sq.; *Schneider*, l. c. p. 393 sq.

substituere qui interim curam animarum exerceat, sed ad Episcopum pertinet idoneum vicarium substituere [146].

Multo magis illa perfecta independentia a Capitulo in exercitio curae animarum habetur a parocho, dum paroecia independenter omnino a Capitulo erecta fuit in ecclesia capitulari cum proprie dicto parocho, cuius nominatio regitur generali iure de aliorum parochorum nominatione.

684. Relationes iuridicae inter Capitulum et parochum in ecclesia capitulari, quae simul sit paroecialis, ubi non adest speciale indultum pontificium aut conventio a loci Ordinario legitime approbata, reguntur sequentibus normis (can. 415):

I. Ad *parochum* spectat:

1°) Missa pro populo [147], praedicatio paroecialis catechetica et fidelium instructio;

2°) libros paroeciales custodire et attestationes inde extrahere;

3°) functiones paroeciales peragere, de quibus cavet can. 462. Exequias autem peragere tunc tantum pertinet ad Capitulum, si agitur de funere dignitatis, canonici etiam honorarii vel beneficiarii;

4°) alias functiones etiam non stricte paroeciales in paroeciis fieri solitas peragere, si easdem non peragit Capitulum, ita tamen ut non impediatur Capitulum. Qua in re cum agitur de eadem ecclesia duplici usui inservienti, praesertim locum habet consuetudo aut conventio legitime ab Episcopo approbata (cfr. resp. S. C. C. 14 Iun. 1890 in Act. S. S., XXIII, p. 298 sq.).

5°) eleemosynas in bonum paroecianorum colligere, easdem directe vel indirecte oblatas recipere, administrare et secundum offerentium voluntatem distribuere.

II. Ad *Capitulum* spectat:

1°) custodia SS.mi Sacramenti, quod ex can. 1265 § 1, 1° asservari debet in ecclesia cathedrali, altera tamen ciborii clavi penes parochum remanente;

2°) vigilantia circa observantiam legum liturgicarum, tametsi agatur de functionibus a parocho peractis;

[146] *De Herdt*, l. c.

[147] Si eodem die urgetur onere applicandi missam conventualem, missam pro populo debet applicare per alium vel per se die sequenti (can. 419, § 2).

3º) cura ecclesiae eiusque bonorum administratio cum piis legatis quae ecclesiae capitulari ut tali fuerint relicta.

Nec parochus capitulares nec Capitulum paroeciales functiones et munera impediat; quin potius capitulares, maxime ubi designati coadiutores desint, tenentur ex caritate parocho adiutricem operam praebere secundum modum ab Ordinario loci determinandum.

Quodsi aliquis exoriatur conflictus ab Ordinario loci auctoritative est dirimendus.

Art. 6. — De chorali servitio

§ I. Servitii choralis praestatio

685. *Servitium chori, officium divinum* est praecipua obligatio canonicorum in ecclesiis tam cathedralibus, quam collegiatis, adeo ut in praesenti disciplina residentia (activa seu formalis) canonicis incumbens cum ipsa praestatione publica et sollemni officii divini in ecclesia capitulari confundatur, excusari a chorali officio et a residentia pro uno eodemque habeantur, sicut deesse officio divino et obligationi residendi.

Origo et *historica* evolutio huius obligationis quoad substantiam fuerunt expositae ad can. 135.

Est autem obligatio servitii choralis *directe* imposita tum ipsi Capitulo (can. 413) tum singulis canonicis et beneficiariis illi ministerio addictis (can. 414).

686. I. Notio. Servitium chorale = *officium* divinum publicum et sollemne seu choraliter praestandum comprehendit septem horarum canonicarum psalmodiam et Missam conventualem cum cantu, praeter alias Missas vel secundum rubricas Missalis vel ex piis fundationibus celebrandas (can. 413, § 2).

II. **Obligatio divini officii** *quotidie* persolvendi omnibus Capitulis imponitur; singulis quoque beneficium chorale obtinentibus obligatio incumbit *quotidie* interessendi ad divinum officium persolvendum. At sicut Sedes Apostolica vel in ipsa constitutione Capituli vel postea per speciale indultum nonnunquam concedit ut Capitulum non teneatur ad servitium chorale integrum vel nonnisi certis diebus, v. gr. solis diebus festis, ita pariter ex concessione eiusdem Sedis Apostolicae, non Episcopi, fieri potest ut canonici aliique beneficiarii nonnisi *per turnum* [148*] teneantur ad servitium chorale praestandum, tametsi Capitulum urgeat obligatio quotidie et integre officium persolvendi, v. gr. per *mediariam*, ut dicitur, vel *ternariam* aut *quartariam* [149]. Porro ante omnia tum respectu Capituli tum respectu singulorum capitularium attendenda est lex fundationis Capituli vel praebendae legitime acceptata, quae obligationem iuris communis potest intra arctiores limites coërcere vel etiam ultra terminos iuris communis ampliare. Episcopus est incompetens ad reducendum servitium quotidianum integrum et ad concedendum ut illud beneficiarii praestent per turnum; multo magis incompetentes sunt ipsi capitulares, qui v. gr. in condendis statutis illam reductionem servitii inducerent [150]. Non excusat missa aut assistentia Pontificalis, salva tamen facultate hebdomadario facta missam sine cantu celebrandi, cum in ecclesia pontificali ritu Episcopus vel alius loco ipsius celebret (can. 413, § 3). — Pariter non excusant aëris inclementia, paucitas canonicorum, redituum imminutio, difficilis ad ecclesiam accessus similesve causae, quae allegari quidem utiliter poterunt ad impetrandum indultum apostolicum reductionis servitii; sed eae solae etiam cum interventu Episcopi non sufficiunt ad petendam inde excusationem. — Nec ipsa consuetudo excusat, nisi in quantum haec supponit et praesumit datum fuisse privilegium apostolicum, cum illi consuetudini contraria sit constans iurisprudentia S. Congregationis, quae solita est tales consuetudines ut abusum et corruptelam habere [151].

III. **Locus et tempus.** *Locus*, ubi divinum officium est persolvendum, est ipsa ecclesia capitularis et in ea chorus, non aliqua cappella aut sacristia vel locus ecclesiae contiguus; quae obligatio de loco, attento can. 413 § 1, est realis et afficit Capitu-

---

[148*] Ubi id locum habeat, divisio fructuum praebendae, sive haec in distributionibus tantum consistat, sive non, per dies naturales est facienda, dum e contra distributiones cotidianae dividendae sunt per dies servitii. Resolutio S. C. C. d. 4 febr. 1933; cfr. A. A. S. XXVI, 83; Period. XXIII, 102.

[149] Cfr. *De Herdt*, l. c. p. 259 sq.

[150] S. C. C. apud *Zamboni*, v. Canonici § X, n. 27; *De Herdt*, l. c. p. 262.

[151] Cfr. S. C. C. saepe apud *Pallottini*, v. Canonici § VII; *Benedict. XIV*, Inst. 107; *De Herdt*, l. c. p. 263. Cfr. etiam responsum S. C. C. d. 23 apr. 1927 in A. A. S. XIX, 415 et Period. XVI, 171.

lum; quodsi Capitulum huic oneri non respondeat, obligatio illa efficitur personalis et principaliter afficit Capituli superiorem et exinde singulos canonicos, quibus obligatio *personalis* deinde imponitur can. 414 [152]. Ex iurisprudentia S. C. C. semel aut iterum ex speciali et gravi causa in aliqua parte ecclesiae extra chorum recitare officium licet ex licentia saltem praesumpta Episcopi. Minor urgens causa, v. gr. insalubritas ecclesiae, sufficit, ut cum licentia Episcopi recitari officium possit in aliqua ecclesiae cappella vel alio honesto loco, unde tamen populus officium audire eique assistere possit [153].

Statutis ab Ecclesia *temporibus* secundum leges liturgicas horae canonicae in choro sunt recitandae [154].

IV. **Ordo** quoque statutus in persolvendo divino officio speciali ratione urget respectu officii choralis. Qui ordo iam indicatur antiquissimo canone relato in cap. 1, X. de celebrat. missar. hoc pacto: « Propheta dicente: Septies in die laudem dixi tibi; qui septenarius numerus a nobis impletur, si matutini, primae, tertiae, sextae, nonae, vesperae et completorii tempore, nostrae servitutis officia persolvamus » [155].

V. **Modus** persolvendi officium divinum in choro ille erat praescriptus, ut celebretur *studiose* pariter et *devote* (cap. 9, X. de celebr. miss.) vel ut dicit Tridentinum (Sess. XXIV, cap. 12, de ref.) *reverenter, distincte* et *devote*. Porro persolvendum est *vocali, exacta* et *distincta pronuntiatione* per veram psalmodiam duarum chori partium alternantium ideoque alta et intelligibili voce, quo officium vere cantetur non simpliciter legatur; non autem necessario cantu Gregoriano, sed saltem tono uniformi, servato tamen discrimine dierum sollemnium a ferialibus et minus sollemnibus, observatis hac in re praescriptis Caeremonialis Episcoporum et propriis cuiusque ecclesiae statutis legitime conditis [156]. Iam autem saepius decla-

[152] *De Herdt*, l. c. p. 273.

[153] S. C. C. 14 Mart. 1722, in *Cingulana* apud *Pallottini*, v. *canonici* § VII, n. 759; *Benedict. XIV*, Inst. 107, § 4; *Ferraris*, v. *canonici n.* 41-43; *De Herdt*, l. c. p. 273 sq.

[154] *Benedict. XIV*, Inst. 24 et 107 § 4 et 14; Act. S. S. II, p. 148; p. 37; *De Herdt*, l. c. p. 274 sq.

[155] De *Herdt*, l. c. p. 277 sq.

[156] Benedict. XIV Const. « *Cum semper oblatas* » 19 Aug. 1744; *Benedict. XIV*, Inst. eccl. 107, § 5, 15; *De Herdt*, l. c. p. 278 sq.

ratum fuit canonicos non psallentes neque cantantes obligationi servitii choralis non facere satis, tametsi in choro praesentiam materialem exhibeant [157].

687. De missa conventuali. Missa conventualis est pars nobilior servitii divini in ecclesia capitulari praestandi, ad quam horae canonicae tamquam dispositiones ordinantur, et licet inter horas canonicas non referatur, comprehenditur tamen sub nomine *divini officii*, cuius praecipua pars censetur. Sicut autem horae publice et sollemniter recitantur, ita missa conventualis sollemniter cum cantu ac cum diacono et subdiacono celebranda est.

Obligatio singulis Capitulis incumbit eam quotidie cum cantu *celebrandi* atque *applicandi* pro benefactoribus in genere (can. 413, 417). Quae obligatio applicationis communiter dicitur originem trahere ex praxi iam primis Ecclesiae saeculis usitata, qua in sacris diptychis nomina eorum describebantur, quorum liberalitate ecclesiae patrimonium constitutum et auctum fuerat. Cessante usu diptychorum et inde pereunte benefactorum memoria, Ecclesia eorumdem non oblita, iussit missam conventualem pro benefactoribus in genere celebrari, licet ipsi nihil in suis donationibus pro se pacti essent, sed declarassent se tantummodo pro suorum peccatorum remissione Deo bona sua offerre (cfr. Benedict. XIV cit. Const. « *Cum semper oblatas* » § 14). Quae historica origo probat illam obligationem applicandi missam obtinere etiam illis in locis, ubi spoliatis ecclesiis fundationes interierunt et canonici pensionem a gubernio accipiunt; quia illae pensiones vel succedunt in locum fundationum, vel supponunt benefactores qui pecuniam ad pensionem contribuunt.

Codex (can. 417, § 3) permittit ut servetur consuetudo praebendi stipem celebranti missam conventualem eamque pro benefactoribus applicantem, et assignat duplicem fontem unde desumi possit, videlicet aut ex cumulo distributionum aut ex reditibus omnium praebendarum per contributum. Sive autem

[157] Cfr. Decisiones apud *Zamboni*, v. canonici § X, n. 36, et apud *Pallottini*, v. canonici § VII, n. 49 sq.; *De Herdt*, l. c. p. 286 sq. Cfr. quoque cit. Const. « *Cum semper oblatas* » *Benedict. XIV*, § 24, et eiusd. *Benedict. XIV*, Inst. 107 § 3.

celebranti assignetur aliqua specialis distributio aut retributio aliunde petita sive secus, non potest pro illa missa eleemosynam aliam a fidelibus recipere seu per illam satisfacere alteri obligationi iustitiae [158].

Missae conventualis celebratio atque ministerium diaconi et subdiaconi in praedicta missa praestandum incumbunt omnibus canonicis et beneficiariis; a ministerio vero diaconi et subdiaconi excluduntur dignitates, canonicus theologus et poenitentiarius, et si praebendae habeantur distinctae in tres ordines, canonici ordinis presbyteralis. Statutis capitularibus iusta norma proposita, debet distribui turnus servitii altaris (can. 416) [159]. Quae norma ut sit *iusta*, debet aequalem fere partem oneris inter omnes canonicos et beneficiarios partiri, attenta tamen lege fundationis, qua v. gr. potuit statui ut beneficiarii, relicta celebratione missae canonicis, teneantur semper praestare ministerium diaconi et subdiaconi exceptis casibus in quibus Caeremoniale Episcoporum illud ministerium attribuit canonicis. At illa iusta norma non servaretur, si canonici sibi reservarent dies, in quibus specialis retributio datur ministrantibus ad altare, et dies in quibus illa retributio deest assignarentur inferioribus beneficiariis. Praesertim in hac re plurimum attendi solet sive consuetudo, sive peculiaris aliqua concordia, quibus inductus sit modus, quo huiusmodi onus inter capitulares aliosque beneficiarios dividatur; quamvis nihil vetat quominus statuta capitularia consuetudinem aut modum, ex conventione invectum et minus aequum, ad aequiorem et magis rationabilem distributionem reducant [160].

[158] Ita saepe S. C. C. apud *Zamboni*, v. canonici § IV, n. 2, 13, v. Capitulum § V, n. 76, 77; *Bouix*, De capit. p. 3, cap. 3, n. 3; *De Herdt*, l. c. p. 302. Cfr. S. C. C. 12 Mart. 1921, de missa applicanda etiam a dignitate celebrante in festo sollemniore, in A. A. S., XIII, p. 438.

[159] Cfr. cit. Const. Benedict. XIV « *Cum semper oblatas* » § 12. Passim obtinet, ut prima dignitas, praeter missas in sollemnioribus diebus festis celebrandas, non teneatur ad turnum cum ceteris canonicis. S. C. C. in *Placent.* 7 Iulii 1725, in *Mandelen.* 14 Iunii 1845. Licet canonicus theologus et can. poenitentiarius immunes sint a turno in ministerio diaconi et subdiaconi, non tamen sunt liberi ab illo ministerio praestando quando Episcopus pontificaliter celebrat ad normam Caeremonialis Episcoporum l. I., cap. 8, n. 1. S. C. C. 14 Febr. 1920; 10 Mart. 1923 (cfr. A. A. S., XII, p. 117 sq., vol. XV, p. 588). Praeterea immunitas non importat prohibitionem praestandi ministerium diaconi et subdiaconi, sed ad hoc ipsi non possunt sese obligare nisi personaliter, non pro suis etiam successoribus. *Ferreres*, l. c. I, n. 705 bis,

Item nihil obstat ad hoc ut transitorie semel aut iterum ille qui est impeditus in suo turno a servitio altaris per alium suppleatur [161]; qui vero est impeditus propter infirmitatem non potest obligari ad eleemosynam tribuendam sacerdoti capitulari, qui illius vicem supplet in Missae celebratione et applicatione, nisi statuta capitularia vel particularis consuetudo aliud ferant (can. 417, § 2).

688. Substitutio pro universo officio. Iam ex ipso Concilio Tridentino (Sess. XXII, cap. 4, Sess. XXIV, cap. 12 de ref.) et deinde ex iurisprudentia constat, illam obligationem servitii divini quoad dignitates, canonicos et beneficiarios esse obligationem *personalem*, quae excludat ut choro adstrictus alium sacerdotem vel clericum choro non adstrictum, suo loco subroget. Atque id ipsum deducitur ex praescripto Codicis can. 414.

Relate ad substitutionem factam inter ipsos qui sunt choro adstrictos, v. gr. si canonicus canonicum, mansionarius mansionarium subroget, talis substitutio ex natura rei excluditur ubi omnes de capitulo seu gremio ecclesiae tenentur ad servitium divinum cotidie praestandum; qui enim ex proprio titulo seu officio tenetur divino officio interesse non potest simul interesse vice alterius. At praeeunte iurisprudentia canonica [162] Codex can. 419 § 1 illam substitutionem permittit, ubi non omnes simul choro interesse tenentur, sed servitium praestant per turnum, sub his tamen conditionibus: 1°) ut id non fiat nisi in casibus particularibus, non habituali quodam modo; 2°) debet intercedere iusta et rationabilis causa ut licita sit talis substitutio, quae causa non debet antecedenter approbari ab Episcopo vel Capitulo, sed relinquitur conscientiae illius qui alium sibi substituit; 3°) excluditur ex natura rei, ut substitutio fiat per eum qui eodem tempore servitio chori est adstrictus; 4°)

[160] Cfr. decret. S. R. C. 20 Iul. 1665; Analect. iuris pontif. ser. X, p. 1040; *De Herdt*, l. c. p. 306 sq.

[161] Cfr. Caeremoniale Episcop. L. I, cap. 16, n. 1; *Muniz*, l. c. p. 263.

[162] Cfr. *Benedict. XIV*, Inst. 107, § 3, iunct. Decis. S. C. C. in *Eugubina* 15 Dec. 1605; *De Herdt*, l. c. p. 305.

substitutus debet esse canonicus eiusdem ecclesiae, si vicem canonici supplere debeat[163*], beneficiarius si beneficiarii[164].

Ad hanc substitutionem pertinet quod can. 419 § 2, edicitur de canonico curato, qui eodem die tenetur onere et Missae pro populo et conventualis; qui conventualem ipse per se celebrare et applicare tenetur, illam pro populo potest per se alio die celebrare seu applicare, sed etiam alium quemcumque sacerdotem sibi substituere potest qui ipso die festo missam pro populo applicet.

§ II. Causae excusantes a chori servitio

689. Hae causae pertinent ad singulos canonicos et beneficiarios, non ad Capitulum ut tale; nam Capitulum cotidiano choro adstrictum, extra casum vis maioris aut alius causae aequivalentis, numquam potest cessare, et si certis tantum diebus tenetur, ut in aliquo eorum servitium intermittat debet habere indultum apostolicum.

Causa vacationis. Vacationes chorales communiter repeti solebant ex concessione Concilii Tridentini (Sess. XXIV, cap. 12, de ref.) a quo tamen directa concessio vacationum non fuit facta, sed potius fuit prohibitum ne dignitates, canonici aliique praebendarii, non obstante quolibet statuto aut consuetudine *ultra tres menses* ab ecclesiis quolibet anno abessent; immo expresse praeservavit illarum ecclesiarum statuta, quae longius servitii tempus requirerent. Videlicet Tridentini Patres non processerunt concedendo, sed prohibendo ne vacationes protraherentur

---

[163*] Canonici iure *alternativae* gaudentes nequeunt supplere absentias admissas in hebdomada sua per interessentiam in choro in hebdomada non sua; secus non bene consuleretur dignitati servitii divini cotidie a Capitulo praestandi. Dignitates possunt substitui in servitio chorali a canonicis quoad officia communia, non vero quoad officia quae dignitates, qua tales, obire debent. Nec valet substitutio facta a coadiutore pro altero canonico titulari vel beneficiario diverso a coadiuto, quia coadiutor non est verus canonicus aut beneficiarius; ita declaravit Comm. Cod. d. 19 ian. 1931. Cfr. A. A. S. XIX, 415; XXIII, 110; XXV, 492; Period. XVI, 171; XX, 150; XXIII, 10.

[164] Quae substitutio permissa ita intelligitur, ut absens sed per substitutum serviens fructus et distributiones lucretur. S. C. C. *Pallottini*, v. canonici § 7, n. 140, et apud *Zamboni*, eod. § 10, n. 11.

ultra tres menses. (*Benedict. XIV*, Inst. 107, § 16). Praxi tamen, si excipiatur casus statutorum rigorosius servitium exigentium et consuetudinis, quae illud strictius servitium obligatorio modo induxisset, per sensum contrarium, ipsa iurisprudentia favente, intellectum est a Tridentino vacationes quae se continerent infra trium mensium spatium fuisse concessas.

Codex can. 418 § 1 positivo modo concedit, ut canonici et beneficiarii *quotidiano* choro adstricti, possint *singuli* abesse tres tantum menses in anno, sive *continuos* sive *intermissos*, modo propriae ecclesiae *statuta* aut legitima *consuetudo* servitium diuturnius non requirant. Consuetudo huic praescripto contraria *reprobatur*, ideoque in futurum praevalere non potest. Quo iure vacationum ex ipso canonis tenore non gaudent canonici et beneficiarii illorum Capitulorum, quibus concessum est servitium per alternativam seu mediariam vel tertiariam, quibus hebdomadae a servitio liberae stant loco vacationum, nisi aliquid amplius possint praetendere ex speciali indulto pontificio[165].

Tempus quo sumuntur vacationes non debet incurrere in Adventum vel Quadragesimam nec in praecipuas anni sollemnitates, sc. in dies Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi; ut hisce temporibus sumi possint vacationes requiritur causa legitima et specialis Episcopi licentia, qui in ea danda vel neganda etiam existente causa legitima ex parte canonici, debet attendere num detrimentum ex absentia capiat sollemnior cultus divinus illis diebus praestandus.

Illae vacationes a canonicis debent sumi sine detrimento servitii ecclesiae, quod ex praemissis numquam est interrumpendum sed semper celebrandum cum convenienti decore. Atque huc spectat prohibitio, ne uno eodemque tempore capitulares[166] ultra tertiam partem absint (can. 418 § 2). Quare li-

---

[165] Cfr. decis. S. C. C. apud *Pallottini*, v. canonici § IX, n. 25, 26, iunct. A. S. S., IV, p. 306; *De Herdt*, l. c. p. 319.

[166] Verbum *capitulares* in se ambiguum est; stricte quidem capitulares sunt membra Capituli (ideoque soli canonici et dignitates); at non raro etiam beneficiarii inferiores comprehenduntur sub voce « capitulares », quando quaestio est de divino officio in ecclesia capitulari persolvendo. Praeterea in celebri causa *Abulensi* a. 1581 in cuius decisione praeformata fuit disciplina Codicis de numero eorum qui simul abesse possunt a servitio solatii causa, numerantur *dignitates, canonici, por-*

cet ad vacationes infra tempus trium mensium restrictas non requiritur aliqua specialis ratio, cum recreationis seu solatii causa concedantur, nec ad eas sumendas necessaria sit licentia aut Episcopi aut Capituli[167], nihilominus non ad licentiam habendam, sed ad notitiam dandam praesidi Capituli aut alii ad id destinato, v. gr. canonico punctatori, propositum vacationis sumendae est communicandum, atque in casu, in quo iam tertia pars capitularium vacationibus frueretur, facienda esset oppositio sive a praeside Capituli sive ab Episcopo vacationibus novi capitularis.

Quoad *modum* computandi tempus *vacationum* et *servitii* S. C. C. in causa *Toletana* 10 Iulii 1920 (A. A. S., XII, p. 357 sq.), firmavit ius iam ante Codicem a S. C. C. applicatum in caus. *Aquilana*, 17 Iunii 1594 (apud *Benedictum XIV*, Inst. 107, § VI, n. 33) sc. nec tempus servitii novem mensium constituitur colligendo novem partes punctaturarum servitii, nec tempus trium mensium vacationum colligendo tres partes punctaturarum absentiae; sed tempus servitii et vacationum computandum est per dies integros, non per horas canonicas. Quicumque assistit *uni* tantum horae vel *aliquibus*, non omnibus, illo die est irresidens, cum residentia importet interventum in *omnibus* et *singulis* horis; minus quidem deest legi residentiae quam qui nulli horae intervenit, sed vere illi legi deest. Inde tamen non est inferendum quod amittat fructus totius diei; sed ad tenorem can. 2381, 1°, lucratur fructus et distributiones illarum horarum quibus praesens est et amittit fructus et distributiones illarum horarum a quibus abest; punitur pro rata culpae in neglectu

---

tionarii. In re *dubia* minimum videtur esse premendum; ideoque non videtur esse prohibita absentia alicuius canonici ex causa vacationum, si remaneant in servitio saltem duae tertiae partes eorum qui praestant servitium chorale. Cfr. *Benedict. XIV*, Inst. 100, § VI, n. 35; S. C. C. 10 Nov. 1925 in *Caurien.* iam declaravit, relate ad constituendas duas tertias partes eorum qui debent in servitio manere, ut sumi possint ab aliis vacationes, canonicos iubilatos vel indulto absentiae fruentes debere computari inter praesentes, non inter absentes. Cfr. *Ferreres*, l. c. I. n. 707 in nota.

[167] *Bouix*, De cap. p. 3, cap. 4, § 1, n. 9; *Reiffenstuel*, l. III, tit. 4, n. 116; *Benedict. XIV*, Inst. 107, § VI; S. C. C. apud *Pallottini*, v. canonici § V, n. 126 sq.; *De Herdt*, l. c. p. 321.

residentiae[168] nec obligatio choralis, quoad horas canonicas et missam conventualem, consistit in indivisibili, sed qui defuit duabus vel tribus horis adhuc graviter delinquit reliquas horas sine excusante causa deserendo. Evidens autem est, eum qui per totum annum solum assisteret completorio, aut solis vesperis, aut soli primae, gravissime violaret legem residentiae; minus quidem graviter, graviter tamen, qui cotidie tantum adsisteret tertiae et Missae etc. Qui deserit partem gravem divini officii, ne praesumatur graviter delinquens, potius est praesumendus velle consumere unum ex diebus vacationis sibi concessis.

Effectus absentiae ex causa vacationum est amissio omnium distributionum cuiusvis generis; sed percipiuntur fructus praebendae aut duae tertiae distributionum partes, si omnes praebendae proventus in distributionibus consistant (can. 418 § 3).

Aliae causae excusantes a servitio chorali

690. Iure praecedenti illae causae non reperiebantur in iure taxative expressae. Conc. Tridentinum agnoverat quidem pro rectoribus ecclesiarum, i. e. pro animarum curam habentibus (Episcopis et parochis) quatuor causarum genera: *Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesiae vel reipublicae utilitas,* quae beneficiariis servitio chori addictis ac animarum cura carentibus applicari non poterant. Quae cap. unic. de cleric. non resid. III, 3 in VI, statuuntur, ubi allegatur tamquam causa excusans « *infirmitas seu iusta et rationabilis corporis necessitas, aut evidens ecclesiae utilitas* » directe pertinent ad distributiones. Tres causae in particulari inveniuntur enumeratae in Lib. III, X. tit. 3, de clericis non resident: servitium Episcopi (cap. 7, 15); servitium Sedis Apostolicae (cap. 14); causa studiorum (cap. 4). Quibus adden-

---

[168] *Muniz*, Derecho capitular n. 256; *Ferreres*, Razón y Fe, vol. 58 p. 358 sq., ubi etiam agit de parvitate materiae. Accessit causa *Abulen.* 13 Maii 1922, 12 Ian. et 15 Martii 1924 (A. A. S., XVII, p. 192 sq.). Cfr. de hac quaestione praeclaram dissertationem canonici *Mugueta*, De chorali residentia, a. 1926, ubi diligenti examini subicit Decisiones in Toletana.

da est causa docendi in theologica facultate ex cap. 5, X. de magistr. V, 5 [169].

Nihilominus communis doctrina, quaerens causam gravem et sufficientem ad excusandos canonicos a personali residentia, provocabat tum ad memoratum cap. unic. de clericis non resident. in VI, tum etiam ad caput Tridentini, quod respiciebat curam animarum habentes [170]. Cum vero causae his locis enumeratae essent valde generales, ut plurimum doctores postulabant interventum Episcopi, a quo, consideratis omnibus adiunctis, diiudicanda erat gravitas vel levitas causae. Pariter communis doctrina distinguebat causas excusantes a choro cum iure ad percipiendos solos praebendae fructus, a causis excusantibus cum iure etiam ad percipiendas distributiones. Qua in re tamen ultimum fundamentum doctrinae continebatur iurisprudentia S. C. C., quae a tempore Concilii Tridentini ad ultima tempora omnes fere particulares casus in suis decisionibus comprehenderat. At iurisprudentia nisi sit fixa et constans, cum nonnumquam dentur decisiones ob peculiares circumstantias casus, nullo modo quoad claritatem et firmitatem aequivalet legi expressae. Hanc legem expressam tulit Codex per taxativam enumerationem causarum, quae a choro excusant cum iure ad percipiendos tum fructus praebendae tum distributiones (can. 420) et per enumerationem pariter taxativam causarum, quae excusant cum solo iure ad fructus praebendae (can. 421).

691. *A*) Excusantur cum iure ad fructus et ad distributiones tum cotidianas tum eas quae dicuntur inter praesentes:

1°) Capitulares (i. e. canonici et beneficiarii) iubilati, seu qui indultum iubilationis ab Apostolica Sede impetrarunt. Quibus penitus et permanenter absentibus debentur etiam distributiones inter praesentes.

2°) Qui piis exercitiis, saltem per quinque integros dies, in aliqua domo pia vel religiosa vacant; quo tamen indulto semel tantum in anno a chori servitio liberantur. Quam concessionem in favorem exercitiorum spiritualium fecerat Clemens XI, litteris directis ad Ordinarios Italiae 1 Febr. 1710,

---

[169] Cfr. *Henry*, De resident. beneficiar. p. 104 sq.
[170] *Henry*, l. c. p. 127 sq.; *De Herdt*, l. c. p. 326 sq., 370 sq.

ipsa autem consuetudine effectum fuerat ut etiam ad alia loca extenderetur [171].

3°) Qui Episcopo in urbe aut in suburbiis pontificalia exercenti assistunt. Ex natura rei favor competit pro horis, quibus illam assistentiam praestant.

4°) Qui operam navant conficiendis processibus tam ordinariis quam apostolicis pro beatificatione aut canonizatione servorum Dei, sive iudicis, sive officialis, sive testis vocati munere fungantur [172]. Qui favor expressa iuris sanctione praedictis competit *pro diebus et horis,* quibus illud suum officium praestant [173*]. Tamen ex natura rei, si quis ad munus explendum extra locum ecclesiae capitularis versari deberet, illa restrictio ad *solas horas* expleti muneris non esset urgenda.

Modo enumerati sensu maxime proprio dicuntur gaudere *praesentia ficta,* quia praesentibus ex iuris fictione aequiparantur ideoque percipiunt distributiones *etiam inter praesentes,* nisi obstet fundatorum expressa voluntas. Quando illa voluntas obstat, distributiones possunt dici strictissimo sensu inter praesentes. Ergo istis exclusis speciatim privilegiati percipiunt etiam illas distributiones quae ex solo statuto ecclesiae dicuntur inter praesentes itemque eas quae proveniunt ex privata voluntate fidelium, sive percipiantur propter *onera fixa et certa* Missarum, anniversariorum etc., sive proveniant ex onere Missarum, anniversariorum etc. quae *incerto et extraordinario tempore* commissa sint [174].

692. *B*) Excusantur cum iure ad fructus et ad distributiones *quotidianas*:

1°) Canonicus *theologus* integro die, quo fungitur munere suo. Porro ex can. 400 munere suo fungitur sive explanando

---

[171] Cfr. *De Herdt,* l. c. p. 386.
[172] Cfr. Decret. S. R. C. 23 Dec. 1817, 27 Febr. 1887, iunct. *De Herdt,* l. c. p. 386.
[173*] Si ille, qui gaudet indulto *pro diebus et horis,* illegitime absit ab aliqua hora, non solum amittit distributiones, verum etiam absens per totum diem existimatur. Idem principium erit applicandum similibus casibus excusationis a choro in can. 420 § 1 enumeratis. Cfr. A. A. S. XIX, 415; Period. XVI, 171.
[174] Cfr. *Ferreres,* Inst. I, n. 689, 711; *Muniz,* l. c. n. 263. Cfr. quoque *Il Monitore,* vol. 20, p. 9 sq., vol. 21, p. 522 sq., ubi anceps videtur haerere.

sacram Scripturam in ecclesia capitulari, sive ibidem alia doctrinae catholicae capita explicando, sive ex commissione Episcopi sacras disciplinas in Seminario explanando.

Si canonicus theologus ultra sex menses impeditus, propriis expensis ad norm. can. 400 § 2, alium sibi substituat, qui vices eius suppleat illo favore non gaudet. Quodsi ad brevius tempus impeditus, eum alius canonicus vel beneficiarius supplet et interim theologus choro assistit aut a choro infirmitatis causa dispensatur, qui ita supplet pro eo die gaudet praesentia ficta in choro. (S. C. C. in caus. *Sedunen.*, 24 ian. 1881; *Gennari,* Quest. can. p. 126; *Ferreres,* Inst. I, n. 711).

2°) Canonicus *poenitentiarius* dum tempore chori vacat confessionibus audiendis; vacare autem intelligitur confessionibus audiendis, si ad confessionale sedet aut confessiones actu audiens aut poenitentes expectans, dum prudenter credi debeat aliquos ad confessionem accessuros.

Eodem favore gaudet canonicus vel beneficiarius ab Episcopo deputatus in locum poenitentiarii absentis vel ob infirmitatem impediti [175]. At alii canonici vel beneficiarii tempore divini officii confessiones audientes ficta praesentia non gaudent, nisi illud munus adnexum officio habeant, aut nisi agatur de casu necessitatis vel magni concursus accedente superioris mandato [176].

3°) Vicarius paroecialis vel quilibet alius de Capitulo, qui ex deputatione Episcopi, parochi aut coadiutoris officio fungitur, dum paroecialibus vacat officiis [177*]. (Cfr. Benedict. XIV, Inst. 107, § IX).

---

[175] S. C. C. in *Lucana,* 10 Mart. 1635; *Benedict. XIV,* Inst. 107, § IX; *De Herdt,* l. c. p. 383; *Ferreres,* Inst. I, 711.

[176] Cfr. *Pallottini,* v. canonici § VII, n. 250-267; *De Herdt,* l. c. p. 383.

[177*] Comm. Cod. declaravit d. 19 ian. 1940 ius percipiendi fructus praebendae ac distributiones quotidianas, de quo in can. 420 § 1, n. 4° non competere Capitulari qui paroecialibus officiis vacat tempore chori in paroecia non capitulari. Videtur vero nomine paroeciae capitularis posse venire non modo paroecia, vel pleno iure vel quoad temporalia tantum Capitulo unita, sed etiam ea quae solummodo communem cum Capitulo habeat ecclesiam. Cfr. Apollinaris, XIII, 35. Idem dicendum esse affirmant nonnulli de vicaria paroeciali, cuius cura habitualis sit penes Capitulum. Cfr. Period. XXIX, 239.

4°) Qui infirmitate aliove physico impedimento choro prohibentur assistere.

Infirmitas debet esse gravis aut, tametsi levis, talis quae ex assistentia in choro merito praevidetur notabiliter aggravanda. Non est necesse ut morbus sit talis, ut quis domi necessario demorari debeat et se alio conferre nequeat vel ut valetudini consulat vel ut aëris inclementiam, suae valetudini adversam, de medicorum consilio effugiat. (Cfr. *Benedict. XIV,* Inst. 107, § VIII).

Si attendatur iurisprudentia et communis doctrina Doctorum de hac causa excusante iam ante Codicem aperte admissa ex cap. unic. de cleric. non resid. in VI, duae conditiones requiruntur: *a*) ut de morbo constet; quare iure merito, ubi infirmitas non est notoria, Capitulum potest exigere testimonium etiam iuratum conscientiosi et periti medici, nec est exclusa deputatio alicuius canonici ut infirmum visitet et ita de visu rem cognoscat; cum enim agatur de lucro captando, aegroti dicto nec semper nec communiter fidendum est, quin diffidentia sit ipsi iniuriosa [178].

b) Opus est ut tempore valetudinis chorum frequentaverit; si sanus choro adesse non solebat aut omnino aut determinatis horis, certe absentia praesens a choro vel in determinatis illis horis merito iudicatur non tribuenda morbo, cum si sanus foret etiam non interesset; quae tamen mera praesumptio est [179].

Sub *impedimento physico* accedendi ad ecclesiam certe iam comprehenduntur plures infirmi, quibus ipse morbus impedimento est; sed praeterea plures alios casus admisit iurisprudentia, v. gr. qui viri potentis iram timet, qui iniuste carceratus aut in exilium est pulsus, qui impeditur iniusta censura aut rationabili timore pestis contrahendae etc. [180].

5°) Qui pontificia legatione alibi funguntur aut personae Rom. Pontificis actu inserviunt. Horum excusatio evidenter petitur ex utilitate Ecclesiae, cui serviunt per servitium Rom.

---

[178] Cfr. S. C. C. in caus. *Avenionen.* 20 Ian. 1787; Act. S. S., VII, p. 201; *Ferreres,* l. c. n. 711; *Muniz,* l. c. n. 277, ubi agit de conditionibus quae in statutis exigi possunt; *De Herdt,* l. c. p. 372.

[179] S. C. C. in *Realina* 5 Mart. 1667, in *Ferrarien.* 12 Sept. 1648; *Benedict. XIV,* Inst. 107, § VIII, *Ferreres, Muniz,* et *De Herdt,* l. c.

[180] Cfr. *De Herdt,* l. c. p. 375 sq.

Pontifici praestitum, sive in Rom. Curia sive in loco legationis. His ante Codicem ad lucrandas distributiones necessarium erat indultum speciale. (*De Herdt*, l. c. p. 380).

6°) Accedentes una cum Episcopo aut eius vice ad visitanda Limina Apostolorum. Privilegium percipiendi distributiones concessum fuit ex Decret. Sixti V pro toto tempore accessus, mansionis et regressus, quod tempus S. C. C. constituit esse trium mensium. (Cfr. *Benedict. XIV*, Inst. 107. § IX). Quae mensura temporis, mutatis conditionibus et modis itinerandi, haud dubio pro plerisque regionibus concederet absentiam vere non proportionatam fini legis et necessitatem et convenientiam multum excedentem. Nihil mirum si nova invalescat iurisprudentia assignans tempus omnino brevius.

7°) Qui ab Episcopo vel Capitulo mittuntur ad Concilium oecumenicum, plenarium, provinciale aut ad Synodum dioecesanam.

8°) Qui de Capituli consensu, non contradicente Episcopo, absunt a choro ob Capituli seu propriae ecclesiae utilitatem. Episcopo debet dari occasio exercendi ius contradicendi ex iusta causa, ideoque decisio Capituli alicui canonico committentis negotium Capituli vel ecclesiae capitularis ipsi opportuno tempore est communicanda, nisi iam in statutis sit indicatum tempus, quo determinatum negotium Capituli agens potest a chorali servitio abesse.

9°) Qui Episcopum comitantur in visitatione dioecesis vel visitationem ipsam eius nomine et mandato peragunt. Hi iure praecedenti non lucrabantur distributiones ex illa ratione quod hoc ministerium non redundaret in utilitatem ecclesiae capitularis (*De Herdt*, l. c. p. 388, iunct. Act. S. S., X, p. 240).

10°) Parochi consultores, examinatores et iudices synodales, dum proprio munere funguntur; est excusatio *pro diebus et horis*, morali tamen modo aestimanda.

693. *C*) Excusantur ex can. 421, cum solo iure ad fructus praebendae et amissis distributionibus cotidianis, praeter absentes causa vacationum:

1°) Qui de licentia Ordinarii loci publice docent in scholis, ab Ecclesia recognitis, sacram theologiam aut ius canonicum. Quae excusatio non pertinet ad plenam exemptionem a servitio chorali, sed restringitur, perinde ac exemptio canonici theologi, ad illos dies quibus docent, ut eruitur ex declarat. Commissionis Codicis 24 Novembris 1918. (*Il Monitore*, vol. 31, p. 175). Haec amissio distributionum videtur supponere pro munere docendi a canonico accipi congruam retributionem, iuxta stylum S. C. C. negandi distributiones absenti a choro ratione muneris sibi commissi, ubi pro dicto munere aliquod perciperet stipendium [181].

2°) Dantes operam studio sacrae theologiae aut iuris canonici in publicis scholis ab Ecclesia probatis, de Ordinarii licentia.

3°) Vicarius Capitularis, Vicarius Generalis, Officialis ac Cancellarius, si de gremio sint, dum suis muneribus vacant. Etiam hi pro speciali ipsorum munere congruam accipiunt retributionem.

694. Scholion. Distributiones cotidianae considerandae non sunt tamquam aliquid *proprium* canonici, quod a canonico amittatur quando illegitime abest vel tametsi legitime sine concesso iure ad distributiones; nam distributiones non fiunt canonici, nisi postquam eas lucratus est faciendo satis conditionibus a iure requisitis. Distributiones, undecumque eae assumantur, habentur **ut bona per se stantia** et independentia a praebendis et destinata ad acuendam diligentiam canonicorum, quae idcirco dantur praesentibus sive vere sive per iuris fictionem. Atque haec est ratio, cur ab absentibus amissae cedant diligentibus (can. 395 § 3) et quod diligentibus accrescit *habet* pro ipsis *veram rationem distributionis*, ideoque qui per fictionem iuris praesentes habentur cum iure ad distributiones, ius quoque habent ad augmentum proveniens ex aliorum absentia, cum illud augmentum veram teneat rationem distributionis.

De iubilatione

695. I. Notio. Ex can. 422 § 1 *iubilatio* intelligitur facultas a Sede Apostolica concessa canonico aut beneficiario servitio chori addicto, post continuum et laudabile servitium chorale quadraginta annorum praestitum in eadem vel distinctis ecclesiis eius-

[181] Cfr. S. C. C. 1 Aug. 1739, in *Raven.* apud *Zamboni* v. Beneficiati, § IV; *De Herdt*, l. c. p. 370.

dem civitatis vel dioecesis, vi cuius exemptus manet ab obligatione chori et residentiae cum iure ad fructus praebendae et ad distributiones tam cotidianas quam inter praesentes, modo quoad has non obstet fundatorum vel oblatorum voluntas, ecclesiae statutum vel consuetudo.

In iure ante Codicem nulla lege iuris communis erat sancita specialis disciplina circa iubilationem, sed tota nitebatur consuetudine et praxi S. C. C. et canonistarum doctrina. Codex retinuit characterem indulti seu specialis concessionis, quem iubilatio habuit iure praecedenti, sed disciplina circa concessionem cum nunc sit relata in iure communi maiorem habet firmitatem. (Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. L. II, cap. 9, n. 15).

II. **Conditiones** ad obtinendam iubilationem sunt: 1°) continuum et laudabile quadraginta annorum servitium chorale. Quare datur non solis canonicis sed aliis quoque beneficiariis servitio chori adstrictis. Servitium chorale ut sit *continuum* oportet, ut beneficiarius non iam gavisus fuerit indultis abessendi, v. gr. ex causa studiorum aut quavis alia ad tempus vel absolute durante officio; quare in tali casu illud tempus absentiae legitimae non computatur in servitio quadraginta annorum. Absentia vero legitima ex causa infirmitatis, vel pro suae ecclesiae servitio vel cum indultis abessendi pro diebus et horis, servitium continuum non interrumpit et in tempore quadraginta annorum recensetur [182]. *Laudabile* servitium excludit absentias illegitimas. Ad utramque circumstantiam verificandam S. C. solet exquirere Ordinarii et Capituli testimonium per examen circa punctaturas, fallentias et distributiones, et in casu negligentiae solet dari locus compensationi fallentiarum seu supplemento deficientiae temporis propter detractionem fallentiarum.

2°) Servitium chorale ex iure Codicis potest esse praestitum etiam in diversis ecclesiis modo sint eiusdem dioecesis nec necesse est ut is, qui praetendit indultum semper ut canonicus ecclesiae servierit; sed uniri potest tempus quo serviit ut simplex beneficiarius cum tempore quo servitium praestitit iam factus canonicus.

Indultum a sola Sancta Sede impetrari debet, non ab Ordinario aut ab ipso Capitulo; nec sufficit statutum capitulare nisi a S. Sede fuerit in forma specifica approbatum.

[182] *De Herdt*, l. c. p. 105 sq.

III. **Effectus** indulti est exemptio a lege residentiae et servitii choralis cum iure ad percipiendos fructus praebendae et distributiones non exclusis iis, quae dicuntur inter praesentes, nisi quoad has obstet aut expressa fundatoris vel pii donatoris voluntas, aut speciale ecclesiae statutum aut consuetudo.

Porro iubilatio est *facultas* per modum *privilegii;* quare facultate obtenta iubilatus non tenetur uti, sed si velit potest servitium praestare cum iure ad retinendum proprium stallum, antiquitatem et praecedentiam, potest interesse deliberationibus capitularibus et electionibus cum suffragio activo et passivo et munus ad quod forte electus fuerit potest, si velit, admittere; et in genere ipsi competunt omnia iura, quibus fruebatur ante iubilationem [183]; unum expresse excipitur can. 422 § 3, videlicet *ius optandi,* si forte in Capitulo tale ius sit constitutum in lege fundationis.

696. Scholion I. Praeter immunitatem a *communi* servitio chorali, iubilato non competit exemptio ab oneribus specialibus suae praebendae adnexis. Ita v. gr. canonicus theologus iubilatus adhuc tenetur ad lectiones S. Scripturae per se ipsum, vel per alium si sit impeditus; canonici curati iubilatio ad curam animarum non extenditur; dignitas non censetur immunis ab illis functionibus peragendis quae taxative dignitati inhaerent sive ex statuto sive ex consuetudine; qui suae praebendae adnexum habet onus missarum celebrandarum pergit illo onere post iubilationem gravari.

Scholion II. Iubilatio datur in praemium et retributionem servitii praestiti; quae retributio non debet redundare in grave detrimentum cultus divini. Quare ubi iam sunt plures excusati aut legitime dispensati, haud raro in indulto apponuntur limitationes, v. gr. de assistentia in festis principalibus. Immo de stylo Curiae per longum tempus apponi solita fuit clausula, qua Episcopo ex ecclesiae necessitate permitteretur, ut illos qui iubilationis indultum consecuti sunt, ad ecclesiae obsequium revocare posset (Benedict. XIV, Inst. 107, n. 9).

[183] *De Herdt*, l. c. p. 107; *Ferreres*, Inst. I, 712; *Il Monitore* vol. 24, p. 274.

CAPUT VI

De consultoribus dioecesanis

697. Ubi hierarchia ecclesiastica normali modo constitui potest, erectionem novae dioecesis comitatur Capituli cathedralis constitutio, ut Episcopus suum habeat senatum a quo in regimine dioecesis iuvamen petat et ut sede vacante provisorie administrationi dioecesis sit antecedenter consultum. At haud raro non adest illa possibilitas Capituli canonicorum erigendi vel ob paucitatem sacerdotum vel ob defectum fundationum seu praebendarum quae canonicis assignari possint vel ex utraque causa simul sumpta, ut plerumque usu venit. Potuit etiam fieri ut Capitulum cathedrale in aliqua dioecesi olim existens, deinde suppressum fuerit et adhuc ob similes causas restitui non potuerit.

Ne illae dioeceses penitus carerent illo iuvamine, promovente S. C. de P. F., in dioecesibus illi Congregationi subiectis, paulatim inductum fuit institutum iuridicum consultorum dioecesanorum, qui ea praestarent relate ad regimen dioecesis quae ex iure communi deberent praestari a Capitulo cathedrali, quamvis praedictum Capitulum non supplerent in sollemni cultu in ecclesia cathedrali exhibito.

Huiusmodi instituti iuridici satis perfecta expressio iam habebatur in Conc. Plenario Baltimorensi III, tit. 2, cap. 2. Deliberatum autem iam ante Codicem S. Sedi esse, illud institutum inducere in omnes dioeceses Capitulo cathedrali carentes, ostendunt puncta Relationis dioecesanae publicata cum Decr. « *A remotissima antiquitate* » 31 Dec. 1909 per S. C. Consist., ubi Episcopi iubebantur referre: « Deficiente cathedrali Capitulo, an habeatur consultorum Collegium ». Tandem institutum factum est iuris communis per Codicem, a quo hac ratione inducta est maxima, quae haberi poterat, similitudo in regimine omnium dioecesium.

698. I. **Notio.** *Consultores dioecesani* constituunt Collegium consultorum ad hoc institutum ut vices suppleat Capituli cathedralis, qua Episcopi senatus, in omnibus illis dioecesibus, ubi canonicorum Capitulum nondum constitui restituive potuit (can. 423, 427).

Ex tali notione sequitur coetum consultorum esse subsidiarium et suppletorium, nec excusari Episcopos, quominus prudenter curent erigere Capitulum cathedrale ubi id possibile sit[1]; practice tamen illa mutatio fieri non poterit independenter a S. Sede, cui erectio Capitulorum cathedralium est reservata.

Interim vero ille coetus consultorum est vera *persona moralis collegialis*, perinde ac Capitulum, illis tantum iuribus praedita, quae a Codice hoc titulo sanciuntur.

Episcopi tenentur instituere seu erigere illum coetum consultorum, ubicumque peculiaria praescripta Sedis Apostolicae non obstant.

II. **Nominatio** consultorum pertinet ad Episcopum. Nominandi sunt sex et ubi pauci in dioecesi sint sacerdotes saltem quatuor, qui in civitate episcopali aut in locis vicinioribus commorentur, unde statis temporibus et quoties necessitas adsit facile convenire cum Episcopo possint (can. 424, 425 § 1).

III. **Duratio muneris** est ad triennium, quo tamen exacto Episcopus potest vel eosdem in munere ad aliud triennium confirmare vel novos substituere. Quodsi intra triennium, quavis de causa (v. gr. renuntiatione, inhabilitate, morte, privatione) aliquis consultorum defecerit, usque ad expletum triennium iam incoeptum Episcopus alium substituere debet, sed ad hoc tenetur exquirere consilium reliquorum consultorum.

Si triennium, ad quod nominati sunt consultores exciderit sede episcopali vacante, consultores permanere debent in officio donec novus Episcopus dioecesis possessionem ceperit, a quo infra sex menses aut confirmandi sunt in officio ad novum triennium aut substituendi sunt per novorum consultorum nominationem.

Quodsi sede vacante aliquis consultorum aut decedat aut renuntiet, in eius locum a Vicario Capitulari alius est substituendus de aliorum consultorum consilio; is tamen, adveniente novo Episcopo, indiget huius confirmatione ut in munere perseveret (can. 426).

IV. **Qualitates requisitae.** Ad munus consultoris eligi debent sacerdotes pietate, moribus, doctrina et prudentia commendati;

[1] Cfr. S. C. de P. F. 19 Aug. 1865 urgentem in regione Canadensi erectionem Capituli cathedralis, in Collect. Lacensi III, 684 sq.

desumendi sunt ex sacerdotibus qui ratione officii commorentur aut in ipsa civitate episcopali aut saltem in locis vicinioribus [2*].

Scholion. S. C. Consist. (14 Ian. 1914) pro dioecesibus Statuum Foederatorum Americae Septentr. declaravit generatim prohiberi non posse quominus Vicarius Generalis sit de numero consultorum, sicut non est prohibitum quod sit canonicus ecclesiae cathedralis, tametsi unam veluti iuridicam personam cum Episcopo constituat. Addidit tamen neque aequum neque opportunum esse ut ubi consultores sint numero pauci, ex illis assumatur Vicarius Generalis; sed eo in casu aut Vicarius Generalis assumendus est sacerdos, qui non sit de gremio consultorum, aut consultorum numerus congrue est augendus (A. A. S., VI, p. 1 sq.).

699. Munus consultorum. Coetus consultorum, ut dictum est, substituitur Capitulo cathedrali, in quantum constituit senatum Episcopi. Inde consequens est, ut quae sacri canones tribuunt Capitulo cathedrali relate ad dioecesis gubernationem tam sede plena quam ea impedita aut vacante, ea omnia de coetu consultorum dioecesanorum intelligenda sint. Ubi ex iure communi Episcopus tenetur requirere consensum aut consilium Capituli cathedralis, tenebitur relate ad coetum consultorum qui in locum Capituli ibi sit constitutus. Vacante sede, coetus consultorum suscipiet regimen ecclesiae cum obligatione intra octo dies deputandi qui vices Vicarii Capitularis gerat (can. 427) [3].

[2*] Sacerdotes religiosi vel qui indultum saecularizationis obtinuerint nequeunt nominari consultores dioecesani. Religiosi vi voti obedientiae ita subsunt Superiorum voluntati ut a propria voluntate non pendeat commorari in civitate episcopali vel in locis vicinioribus, prout statuitur de consultoribus dioecesanis in c. 425 § 1. Religiosi vero saecularizati nequeunt sine speciali Sanctae Sedis indulto obtinere ullum beneficium in ecclesia cathedrali vel aliquod officium aut munus in Curiis episcopalibus gerere, ut statuitur in c. 642 § 1, 1°, 3°. Iam vero consultores dioecesani gerunt vices Capituli cathedralis, qua senatus Episcopi, in iis quae spectant ad gubernationem dioecesis.

[3] Sublato Episcopis Statuum Foederatorum Americae Sept. et regionis Canadensis iure nominandi Administratorem mortis causa, etiam in illis dioecesibus standum est canoni 427, (Commiss. Codic. 24 nov. 1918). Nihilominus, praesentibus circumstantiis durantibus, ubi saltem quinque aut sex consultores dioecesani non adsint, Archiepiscopus aut

De hoc ipsorum munere fideliter et sine personarum acceptione obeundo, antequam illud suscipiant, iusiurandum praestare debent (can. 427 § 2).

700. Remotio. Consultores semel nominati, antequam expiret tempus pro quo constituti sunt, removeri non debent nisi ex iusta causa ac de ceterorum consultorum consilio (can. 428).

CAPUT VII

De sede impedita aut vacante ac de Vicario Capitulari

Fontes et Scriptores ut in Cap. V de Capitulis.

Praenotiones

701. Connexio materiae. Huius capitis cum praecedentibus connexio satis intelligitur ex ipsa notione Capituli data can. 391, § 1, ex quo Capitulum cathedrale, praeter scopum sollemnioris cultus Deo tribuendi per officium chorale, apparet institutum ut Episcopum tamquam eiusdem senatus et consilium adiuvet et *sede vacante eius vices suppleat in dioecesis regimine*. Totum caput versatur in modo providendi regimini provisorio dioecesis ordinariis modis *vacantis* aut ob extraordinarias circumstantias *impeditae*.

702. I. Notio. Illud regimen provisorium ex ipsa capitis rubrica subintrare debet in dioecesi, cum proprii pastoris regimen aut *cessat* aut *impeditur*: in primo casu dioecesis dicitur *vacans*, in altero *impedita*. Quae autem hic dicuntur de dioecesi, intelliguntur etiam de Praelatura *nullius*, in Codice dioecesi aequiparata (cfr. can. 327). Quoad Vicariatus et Praefecturas Apostolicas standum est praescriptis can. 309.

II. **Principia.** Regimen ecclesiae vacantis vel impeditae per Capitulum aliumve virum ecclesiasticum unice pendet a positiva iuris ecclesiastici dispositione. Ex ipsa namque divina Ecclesiae constitutione constat, nullam radicitus nec Capitulis

---

Episcopus senior provinciae potest nominare Administratorem Sedis vacantis cum ratihabitione Delegati Apostolici. A. A. S., XI, p. 75 sq., 233.

nec presbyteriis aliisve competere potestatem administrandi ecclesiam pastore proprio orbatam; sed spectato solo iure divino unius Rom. Pontificis esse, dioecesis vacantis vel impeditae necessitatibus providere. Ipsi soli competit potestas suprema, immediata et universalis in totam Ecclesiam et in singulas ecclesias; Episcoporum autem iurisdictio Pontifici est subordinata et coarctata intra terminos dioecesium particularium ipsis commissarum. Quare dubitari non potest quin eo tempore, quo regimen ordinarium ecclesiae particularis per mortem pastoris interrumpitur aut ob aliam circumstantiam suspenditur, illius sit supplere, qui solus iure divino cum in Ecclesiam universam tum in dioecesim vacantem vel impeditam potestatem habet. Atque inde explicatur, quod diversis temporibus diversum ius pro regimine illo provisorio fuerit a RR. Pontificibus constitutum.

§ I. De sede impedita

703. Modi quibus sedes est impedita in Codice recensentur quatuor: *captivitas, relegatio, exilium, inhabilitas* Episcopi. Quibus tamquam specialis figura impedimenti adiungitur casus, quo Episcopus, nec inhabilis factus nec extra dioecesim retentus, inciderit in excommunicationem, suspensionem vel interdictum.

704. A) **Iure Decretalium** quoad regimen provisorium: 1° Aequiparabatur morti, casus in quo *Episcopus a paganis aut schismaticis captivus teneretur*[1], ideo in eo casu administratio dioecesis devolvebatur ad Capitulum, a quo tamen quamprimum Sedes Apostolica erat monenda. (Cap. 3 de supplend. neglig. Praelat. I, 8 in Sext.). Propter illam aequiparationem captivitatis cum morte naturali, satis communiter tradebant Doctores Vicarii Generalis iurisdictionem eo in casu manere suspensam[2]. — 2° Alter casus in iure Decretalium contemplatus (cap. unic. de cleric. aegrot. III, 5 in Sext.) erat casus *inhabilitatis* Episcopi, quae ita ibidem describitur: *a*) « Si Episcopus demens fuerit, et quid velit aut nolit exprimere nesciat vel non possit ». — *b*) « Si senio aut incurabili morbo gravatus vel perpetuo impedimento detentus, ad sui executionem officii reddatur inutilis ». In primo casu dabatur Capitulo facultas assumendi unum aut duos coadiutores Episcopi, qui eius officium exequerentur; in altero casu si Episcopus ad requisitionem Capituli nollet sibi assumere coadiutorem, Capitulo nihil aliud remanebat faciendum nisi ut rem ad S. Sedem referret.

[1] Doctrina addebat quod necesse erat ut Episcopus ita in captivitatem ductus tam arcte custodiretur, ut ne per litteras quidem cum dioecesi communicare posset. Quae doctrina nitebatur decisione S. C. C. in c. *Hiberniae*, 7 Aug. 1683, apud *Benedict. XIV*, De Syn. dioec. l. XIII, cap. 16, n. 11.

[2] *Hermes*, De capit. sed. vac. p. 63; *Reiffenstuel*, tit. de offic. vicar. n. 106; *Barbosa*, De Episc. p. III, alleg. 54; *Petra*, in Const. 2 Leonis IX, sect. 5, n. 26, 35; *Fagnanus*, in cap. Per tuas X. de Sim. n .21; *Leuren.*, q. 28.

Aderant tamen difficultates et controversiae tum de comprehensione duplicis casus commemorati, tum de permanentia in munere Vicarii Generalis[3]. Iurisprudentia tamen S. Sedis in casibus occurrentibus ea fuit, ut extra casus *taxative* in iure expressos et stricte intelligendos excluderetur assumptio administrationis per Capitulum et sustineretur administratio Vicarii Generalis aut alterius qui fuisset ab Episcopo deputatus. Atque ita S. Sedes noluit admittere quod iurisdictio transisset ad Capitulum in casu quo Episcopus a *proprio Gubernio* esset eiectus et in captivitatem ductus[4]. Ultimo quoque tempore occasione subversionis rerum publicarum in Mexicana republica debuit S. Sedes denuo reprobare electiones Vicariorum Capitularium factas in detrimentum iurisdictionis Vicarii Generalis[5].

3° In textibus iuris nihil continebatur de casu quo Episcopus ob censuram nec ipse per se nec per Vicarium Generalem iurisdictionem suam exercere posset. Sed hoc ipso doctrina tradebat Capitulum administrare non posse, cum pro illo casu iuris concessio non haberetur, sed recurrendum esse ad Sedem Apostolicam[6].

[3] Cfr. *Hermes*, l. c. p. 51 sq.; *De Herdt*, l. c. p. 175 sq.

[4] Cfr. Decisionem Pii VII, in casu Episcopi Trecensis a Napoleone I capti; Gregor. XVI Brevia in caus. Colonien. 9 Maii 1838, 21 Maii 1841; decret. S. C. Ep. et Reg. 3 Maii 1862, praesertim contra abusus Capitulorum in regno Neapolitano.

[5] S. C. Consist. 6 Dec. 1914, in A. A. S., VI, p. 698.

[6] Cfr. *Fagnan.* ad cap. 5, X. de concess. praeb. III, 8, n. 11 sq.;

705. B) **Ius Codicis.** Generatim ponit principium de iurisdictione permanente penes Vicarium aut delegatum Episcopi et solum his deficientibus admittit devolutionem ad Capitulum.

Itaque: 1°) Quoties Episcopus saltem per litteras communicare possit cum dioecesanis, non verificatur casus sedis impeditae, quae ordinarium regimen extinguat et ex iuris dispositione novum inducatur.

2°) Casus ille potest provenire ex captivitate, relegatione, exilio, inhabilitate Episcopi, quae sint tales ut memoratam communicationem cum dioecesanis impediant; quae circumstantia relate ad inhabilitatem tum solum verificatur cum Episcopus fit mentis impos.

3°) Si casus eveniat, nisi Sancta Sedes aliter disposuerit, iurisdictio seu dioecesis regimen manet penes Vicarium Generalem Episcopi aut alium virum ecclesiasticum ab Episcopo delegatum; qui non prohibetur vel plures successive delegare vel plures successive nominare Vicarios Generales, qui subintrent in locum impediti.

4°) Omnibus deficientibus vel perinde ac Episcopus impeditis, tum demum iurisdictio devolvitur ad Capitulum cum obligatione nominandi Vicarium, qui regimen dioecesis assumat cum potestate Vicarii Capitularis.

5°) Quicumque praedictis modis regimen assumat, sive Vicarius Generalis, sive delegatus, sive Vicarius Capitularis, quamprimum Sanctam Sedem monere debet de sede impedita ac de modo impedimenti necnon de assumpto munere, ad hoc ut S. Sedes prout expedire iudicaverit illi sedi provideat. Quare memoratum regimen sedis impeditae est omnino pendens ab ulteriore providentia Sedis Apostolicae.

706. Casus Episcopi censurati. Si Episcopus in excommunicationem, interdictum vel suspensionem inciderit, Metropolita eoque deficiente, vel, si de eodem agatur, antiquior inter Suffraganeos, ad Sedem Apostolicam ilico recurrat, ut ipsa provideat (can. 429, § 5). Si agatur de Archiepiscopo sine Suffraganeis, vel de dioecesi a iurisdictione Metropolitae exempta aut de praelatura *nullius*, obligatio recurrendi recidit in Metropo-

---

Leuren., Tract. quatern. de Episc. Vic. tr. III, q. 454. Aliter sensit *Zallinger*, Inst. Iur. eccl. tit. de suppl. negl. Prael. § 373.

litam, qui ad normam can. 285 semel pro semper fuerit electus, ut eius concilio provinciali intersint.

Quare dispositio de Episcopo censurato, cum ponatur sub rubrica de sede impedita, eo videtur spectare quod per censuram intercipitur iurisdictio Episcopi et consequenter Vicarii Generalis, nec qui iurisdictionem interceptam habet eam potest alteri delegare. At si quis attendat can. 2264, 1557, 2227, 2232, praesertim vero can. 349, § 1, n. 1° iunct. can. 239, § 1, n. 2° vix casus accidere poterit, in quo Episcopus propter censuram efficaciter impediatur ab exercenda iurisdictione, quin simul iam res delata sit ad Sedem Apostolicam, quae occurrenti casui statim providebit [7].

§ II. De sede vacante

707. Casus sedis vacantis eiusque immediati effectus (can. 430). Ex praemissis in parte generali facile liquet quod Sedes episcopalis quatuor modis vacare potest: *a*) morte Episcopi; *b*) eius renuntiatione a Papa acceptata; *c*) translatione; *d*) privatione Episcopo intimata.

I. Si vacatio inducitur per *mortem* Episcopi, omnia acta seu gesta a Vicario Generali, usque dum hic certam de obitu Episcopi notitiam acceperit, vim habent, excepta beneficiorum aut officiorum collatione. Quo nomine collationis intelligitur imprimis collatio *libera;* deinde etiam collatio *necessaria* si Vicarius Generalis non habebat speciale mandatum, at si habebat speciale mandatum etiam institutio praesentati sustinetur. Cfr. can. 1466, § 2.

II. Si sedes vacaverit alio modo, sc. renuntiatione, translatione vel privatione, eadem vis tribuitur actibus sive Episcopi sive Vicarii Generalis, usquedum certa notitia de illis actibus pontificiis ad eosdem pervenerit.

---

[7] Unus est casus directe in Codice non contemplatus, si Episcopus *in remotis agit* et *Vicarius generalis moriatur* vel aliunde de iure vel de facto in exercendo officio impediatur. Si Episcopus de novo Vicario Generali providerit, res caret difficultate; at si non possit Vicarium vel delegatum nominare, videtur applicandus can. 429, hoc pacto quod Capitulum statim S. Sedem et Episcopum moneat et interim provisorium regimen assumat. Cfr. S. C. Episc. et Reg. in caus. *Messanen.* 11 Febr. 1616; *Ferraris*, v. Capitulum III, 36; *Schneider*, l. c. p. 488 sq.

Regimen ecclesiae vacantis

708. I. Vicissitudines historicae[8]. Primis Ecclesiae temporibus administratio dioecesis fuit penes *presbyterium* ecclesiae viduatae, v. g. saeculo tertio Romae et Carthagine tempore S. Cypriani et S. Cornelii. Cum ex illa praxi in compluribus regionibus non levia orta essent incommoda, praesertim inde ex saeculo quarto Metropolitani ad sedes vacantes constituerunt *Intercessores* sive *Interventores* vel *Visitatores*, quibus una cum collegio clericorum administratio dioecesis fuit commissa, at paulatim *principaliores* quidam clerici *ex presbyterio*, v. g. Romae, ecclesiam vacantem gubernarunt.

Cum inde ex saeculo octavo magis magisque cresceret auctoritas *Capitulorum cathedralium*, paulatim exclusis Visitatoribus circiter ex saeculo duodecimo unice Capitula cathedralia administrationem dioecesis vacantis consecuta sunt. Quae praxis saeculo decimo tertio in collectionibus authenticis Decretalium approbata est. Capitula iure sibi concesso *non uniformi* modo usa sunt, sed modo *capitulariter* modo per *turnum* modo etiam per *Vicarios* delegatos, quorum *potestas* et *revocatio* ab arbitrio Capituli pendebat, dioecesim vacantem regebant[9]. Cum ista disciplina non levibus abusibus et incommodis esset obnoxia, Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, cap. 16 de ref., non penitus sublata potestate Capituli tempore sedis vacantis, ipsius exercitium per decretum de obligatoria deputatione Vicarii Capitularis ad nutum Capituli nequaquam revocandi vel restringendi in meliorem formam redegit.

Quod ius Tridentinum cum apta quadam codificatione iam facta in schemate Concilii Vaticani (De sede episcopali vacante), cum analoga extensione iam per Benedict. XIV ad Vicariatus Apostolicos constituta[10], et cum ultimo complemento addi-

---

[8] *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 3, cap. 7; *Leuren.*, Tract. de Capitulo sede vac.; *Hermes*, de Capit., sede vac. p. 1 sq.; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 228 sq.

[9] *Schneider*, l. c. p. 413 sq.; *Hermes*, l. c. p. 13 sq., 26 sq.; cap. 14, X. de M. et O. I, 33; cap. 2, X. ne sede vac. III, 9; cap. 3, 4, de suppl. I, 8, in Sext.; *Hermes*, l. c. p. 26 sq.; *Schneider*, l. c. p. 418 sq.; *Benedict. XIV*, l. c. l. II, cap. 9, n. 2.

[10] *Martin*, Collect. doc. Conc. Vatic. p. 139 sq.

to a Pio IX sua Const. « *Rom. Pontifex* » 28 Aug. 1873 quoad substantiam transiit in ius Codicis.

709. II. Deputatio Vicarii Capitularis. *a*) Quamprimum sedes episcopalis per mortem sive renuntiationem sive translationem sive depositionem Praelati *vere* vacat[11], nisi adfuerit Administrator Apostolicus aut aliter a Sancta Sede provisum fuerit, *ordinaria* iurisdictio Episcopi ad regendam dioecesim ex iuris dispositione vere et proprie *transit* seu *devolvitur* in Capitulum cathedrale[12], non illi *accrescit* pro modo explicandi quorundam veterum scriptorum neque tantum propria est ad instar *delegatae* potestatis[13]. At ex *speciali iuris titulo* in casu sedis vacantis tota iurisdictio episcopalis (v. g. in Coadiutorem cum iure successionis), aut saltem potestas administrandi dioecesim potest *transire* in aliam personam ecclesiasticam a Capitulo cathedrali distinctam aut *manere* in Vicario Apostolico iam antea constituto[14]. Si maneat in Administratore a Sede Apost. constituto, is stare debet litteris deputationis; at si ex speciali S. Sedis dispositione Archiepiscopus vel alius Episcopus Administrator dioecesis vacantis designetur, is omnes et solas habet facultates quae Vicario Capitulari competunt, iisdem obligationibus et poenis est obnoxius (can. 431).

Qua iurisdictione Capitulum cathedrale, sicut ex iure Tridentino (Sess. XXIV, cap. 1, 16 de ref.), ita etiam nunc iure Codicis per octo dies sede vacante gaudet; at *infra octo dies* post mortem Episcopi seu ab habita *vacationis* notitia praeter oeconomum unum vel plures *tenetur*[15] constituere *Vicarium*;

---

[11] Cfr. *Leuren.*, l. c. q. 447 sq. 540 sq.; *Bouix*, l. c. 447 sq., p. 483 sq.; *Schneider*, l. c. p. 414 sq. Si dioecesis vacet per *translationem* Episcopi, cum *plena* vacatio non habeatur nisi capta possessione novae dioecesis et interim in dioecesi a qua Episcopus retineat potestatem Vicarii Capitularis, electio Vicarii per Capitulum fieri non debet nisi infra octo dies a capta per Episcopum novae dioecesis possessione.

[12] *Bouix*, l. c. 481 sq.; *Hermes*, l. c. p. 58 sq.

[13] Cfr. *De Luca*, Annot. ad Conc. Trid. Disc. 31; *Schneider*, *l.* c. p. 417 sq.; *Bouix*, l. c. p. 480 sq.

[14] *Benedict. XIV*, l. c. l. II, cap. 9, n. 1; *Scherer*, l. c. p. 591, not. 116.

[15] Si de oeconomo verificetur suppositio a Conc. Trid. et a can. 432 § 1 facta, cfr. *Bouix*, l. c. p. 488; *Schneider*, l. c. p. 447 sq. Quae suppositio vix habet locum, ubi mensa episcopalis consistit in pensionibus a Gubernio solvendis.

secus ad Metropolitam huiusmodi deputatio privative devolvitur. Et si ecclesia ipsa *metropolitana* fuerit vacans vel metropolitana simul et suffraganea, negligentiam Capituli *antiquior* Episcopus ex Suffraganeis supplet.

In Archiepiscopatu Suffraganeis carente, in episcopatu exempto seu nulli Metropolitae subiecto, in abbatia vel praelatura *nullius*, negligentiam Capituli supplet vicinior ille Metropolita, qui ad normam can. 285 fuerit electus pro assistentia in Concilio provinciali, nisi in abbatia aut praelatura religiosa aliter sit provisum ad normam constitutionum (can. 432 § 3). Si dioecesis vacet per mortem Episcopi, Capitulum quantocius de eius obitu debet Sedem Apostolicam monere; Vicarius Capitularis electus in quolibet casu de sua electione.

b) *Forma* deputationis Vicarii Capitularis nunc est vera *canonica* electio ad normam can. 160-182. Quare non sufficit decretum Capituli *rite* conditum, sed nunc facienda est per *secreta* suffragia, nec *quisquam sibi* potest dare suffragium[16]. Quae electio Vicarii Capitularis vel oeconomi in Ecclesia latina non indiget speciali confirmatione Praelati superioris (can. 438)[17].

c) *Unus* tantum deputandus est Vicarius Capitularis, reprobata qualibet contraria consuetudine. Immo ubi oeconomus deputandus sit, idem potest et Vicarius Capitularis et oeconomus deputari.

d) *Qualitates requisitae*. Vicarius deputandus iis qualitatibus instructus sit oportet, quae generatim ad officium quodlibet ecclesiasticum praesertim *curatum* requiruntur.

Praeterea in particulari: 1°) debet esse presbyter; 2°) in expleto tricesimo aetatis anno constitutus; 3°) opus est ut ad eandem sedem vacantem non fuerit electus, nominatus aut

[16] Cfr. de iure praecedenti Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 16 de ref.; decis. S. C. C. et Rot. apud *García*, De benef. P. V, cap. 7, n. 22, et *Bouix*, l. c. p. 536 sq.; S. C. C. 21 Nov. 1722, in ed. *Richt.*, Conc. Trid. p. 370, n. 2; S. C. C. 9 Aug. 1762, in Act. S. Sed., VIII, p. 389; S. C. C. 20 Mart. 1880, in Act. S. Sed., XIII, p. 390 sq., iunct. decis. S. C. C. 18 Apr. 1885, in Act. S. Sed., XVIII, p. 97 sq.; *Giobbio*, l. c. t. II, n. 298 sq. (de usurpationibus Guberniorum in nominandis Vicariis Capitularibus).

[17] Cfr. *Ferreres*, Inst. I, 721, ubi putat *ex requisito numero suffragiorum absolute maiori* derogari praescriptis can. 101 § 1, n. 1, circa agenda post duo inefficacia scrutinia.

praesentatus. Quae tres conditiones sunt omnino *ad valorem* requisitae. Quare si fuerint posthabitae, electio est *nulla* et actus officii forte ab electo positi omni carent valore. Nec electio ita nulliter facta a Capitulo iterari potest, sed ius et obligatio deputandi Vicarium, rei veritate agnita, devolvitur ad Metropolitam, aut si ecclesia metropolitana vacet vel agatur de ipso Capitulo metropolitano, ad antiquiorem provinciae Episcopum.

Vicarius Capitularis eligi debet, qui in theologia aut iure canonico doctor vel licentiatus aut saltem bene peritus sit. Conspirent in eo oportet morum integritas, pietas, sana doctrina cum prudentiae laude coniuncta.

Vicarium Capitularem eligi debere de gremio Capituli iure Codicis non est praescriptum; quare bene eligi potest qui praecedentis Episcopi erat Praelatus Auxiliaris, tametsi canonicus non sit, aut defuncti Episcopi Vicarius Generalis. Plerumque tamen, ubi contraria specialis ratio non adsit, Capitularis de *gremio* omnibus qualitatibus requisitis apprime instructus merito extraneo praeferetur (can. 434)[18].

710. III. **Officium et potestas Vicarii Capitularis.** *a*) Si Capitulum cathedrale *personam* Vicarii Capitularis legitime designavit, ipso facto ex iuris dispositione in eundem transit *tota iurisdictio ordinaria* Episcopi voluntaria et contentiosa, tam in spiritualibus quam in temporalibus, antea sede vacante ad Capitulum delata exclusis iis, quae ius commune excipit aut Rom. Pontifex specialiter interdicit. Capitulum quoque *nullam* huius ordinariae iurisdictionis *partem* sibi reservare neque ad certum definitumque *tempus* Vicarium constituere aliasve restrictiones gerendo muneri praefinire[19] multoque minus eundem *removere potest* (can. 437). In Capitulum, deinde vero in Vicarium Capitularem, etiam transeunt facultates habituales quae in perpetuum vel ad praefinitum tempus aut ad certum numerum casuum Episcopo fuerant concessae ad normam can. 66 § 2.

[18] De hisce qualitatibus quoad ius praecedens, cfr. S. C. C. in ed. *Richt.*, Conc. Trid. p. 373, n. 4, 5, et in Act. S. Sed., IV, p. 445, 448, 452; *Bouix*, l. c. p. 514, 518; *Hermes*, l. c. p. 110 sq.

[19] Cfr. Pii IX Const. « *Rom. Pontifex* » 28 Aug. 1873, qua non paucae contrariae decisiones SS. CC. et controversiae doctorum saeculis elapsis agitatae iam fuerant antiquatae. Cfr. *Leuren.*, l. c. p. 374, n. 11; *Schneider*, l. c. p. 483 sq.; *Hermes*, l. c. p. 143 sq.

Denique vi deputationis Vicarius Capitularis non acquirit *potestatem ordinis episcopalis;* at ratione iurisdictionis pleno gaudet iure concedendi Episcopo extero licentiam ut exerceat pontificalia aut alios actus ordinis episcopalis. Quodsi ipse Vicarius sit Episcopus, potest pontificalia exercere, excluso tamen usu throni cum baldachino (can. 435 § 2).

b) Supposito generali principio de potestate devoluta ad Capitulum et per hunc in Vicarium Capitularem, limitatio illius potestatis habetur in generali principio: « *Sede vacante nihil innovetur* », quo praesertim prohibetur quilibet actus, qui veram contineat innovationem et mutationem status dioecesis aut episcopalibus iuribus praeiudicium afferat.

Nominatim gravissime prohibetur Vicarius Capitularis necnon alii sive de Capitulo sive extranei, clerici aut laici, ne per se aut per alium audeant Curiae episcopalis documenta quaelibet subtrahere vel destruere, celare aut immutare. Quae gravissima prohibitio munitur poena excommunicationis Sedi Apost. simpliciter reservatae aliisque sanctionibus ad normam can. 2405.

c) Particulares aliae limitationes aliis locis Codicis in respectiva sede materiae proponuntur, quarum praecipuae hae sunt:

1) Vicarius Capitularis **nequit** *convocare* Synodum dioecesanam (can. 357 § 1);

2) nominare canonicos honorarios (can. 406 § 1);

3) *supprimere* aut *unire* beneficia cum inde status dioecesis mutetur;

4) paroecias amovibiles inamovibiles declarare (can. 454 § 3);

5) *conferre* beneficia, quae *liberae* collationi Episcopi sunt reservata etiam forte cum aliqua dependentia a consensu vel consilio Capituli; immo nec ipsas paroecias conferre potest nisi sedes iam ab anno vacet (can. 455, 1432 § 2)[20];

6) consensum dare ad permutationem beneficiorum (can. 1487 § 1);

7) associationes erigere aut ad earum erectionem consensum dare (can. 686 § 4);

[20] Quare si sedes episcopalis diutius vacet, Rom. **Pontifex** adeundus est, ut Vicario Capitulari concedat facultatem conferendi etiam beneficia liberae collationis. Cfr. Arch. f. k. K. t. **XXIII**, p. **135**.

8) sibi casus reservare (can. 893 § 1);

9) *conferre* ordines vel concedere licentiam *ordinandi* primo anno sedis vacantis, nisi *arctatis* occasione beneficii ecclesiastici recepti vel recipiendi (can. 958 § 1, 3°).

711. IV. **Obligationes.** Inter obligationes Vicarii Capitularis hic in specie commemorandae sunt: 1°) obligatio professionis fidei, qua sola emissa potest inire provisorium regimen dioecesis (can. 438); 2°) obligatur ad residentiam eodem modo ac Episcopus; 3°) debet applicare Missam pro populo eodem modo iisdemque diebus quibus tenebatur Episcopus.

712. V. **Iura utilia et honorifica** Vicarii Capitularis ad haec reducuntur, quod rationabile *salarium* ipsi sit solvendum in Concilio provinciali aut consuetudinibus particularibus accuratius definitum[21] et ex reditibus mensae episcopalis aut ex aliis emolumentis desumendum (can. 441 § 1). Iure praecedenti ubi normae particulares non existebant, Vicario Capitulari saltem relinquendae erant obventiones Vicarii Generalis[22], aut S. C. C. partem, v. g. quartam[23], redituum episcopalium Vicario Capitulari assignabat.

Ubi oeconomus sit persona distincta a Vicario pariter ipsi congrua retributio assignanda est.

Cetera emolumenta, quae sede non vacante ad Episcopum pertinuissent, futuro Episcopo pro dioecesis necessitatibus sunt reservanda (can. 441 § 2).

Praecedentiam habet Vicarius Capitularis eodem modo ac Vicarius Generalis[24*] ad normam can. 370 § 1, et si Episcopus

[21] *Leuren*, l. c. q. 612 sq.; S. C. C. 15 Oct. 1601. Cfr. v. g. *Bargilliat*, l. c. n. 806, pro Gallia, ubi Vicarii Capitulares a Gubernio recipiunt pensionem Vicarii Generalis (2500 lib.); decis. S. C. C. 3 Dec. 1866, pro Archidioec. Colon. in Arch. f. k. K. t. XXIV, p. 122 sq.; *Ferreres*, Inst. I, 725, pro Hispania.

[22] S. C. C. 15 Ian. 1602, apud *Ferraris*, l. c. Vic. Cap. art. 1, n. 49, i. e. non sit maius quam salarium Vicar. Gener. Episcopi defuncti; S. C. C. 6 Mart. 1647, apud *Lingen* et *Reuss*, l. c. p. 707.

[23] S. C. C. 14 Febr. 1857 et alias; *Schneider*, l. c. p. 447.

[24*] Non competit tamen vi muneris Vicario Capitulari ius Episcopum supplendi in peragendis functionibus sacris in sollemnioribus anni festivitatibus; hac in re standum est sine ulla exceptione praescripto canonis 397. Resolutio S. C. C. d. 10 maii 1933, S. Iacobi de Venezuela et aliarum; cfr. A. A. S. XXIII, 235; Period. XXI, 25.

non sit, durante munere, privilegia habet Protonotarii apostolici titularis (can. 439).

713. VI. Cessatio officii et potestatis Vicarii Capitularis. *a*) *Exspirat* officium Vicarii Capitularis, si novus Episcopus legitime promotus *Litteras Apostolicas* de provisione sua *exhibuerit Capitulo cathedrali* vel Capitulo deficiente ei, ad quem normam sacr. canonum vel ex speciali S. Sedis dispositione vacantis dioecesis administratio, secuta vacatione, primo devolvitur [25].

Praeterea *cessat* officium Vicarii Capitularis *per mortem* vel *per renuntiationem* ipsius rite factam et publicatam, sed a Capitulo non necessario *admittendam* ut illa valorem consequatur; *per remotionem* legitimam a S. Sede (can. 443 § 1), nequaquam vero a Metropolita vel a Capitulo statutam [26]. Quibus causis amissionis officii Vicarii Capitularis nequit adnumerari *subsequens electio* vel *nominatio* Vicarii Capitularis ad ecclesiam vacantem, tametsi is, qui iam electus aut nominatus est ad illam, Vicarius eligi non possit. Cuius rei iuridica ratio est, quod iura legitime *quaesita* difficilius amittuntur quam *nova* denuo *acquiruntur*. Inde rigor schematis Vaticani quod in Pii IX Const. « *R. Pontifex* » non fuit approbatus etiam in Codicis can. 434, 443 non transiit. Neque Vicarius Capitularis cum *nunc* nequaquam sit merus mandatarius Capituli, suam amittit iurisdictionem, si *ipsum* Capitulum incidat in censuras [27].

Quodsi Vicarius Capitularis *ante* plenam provisionem sedis vacantis officium suum vere legitimeque amittat, denuo Capitulum cathedrale vel deficiente Capitulo is, ad quem deputatio devolvitur, intra octo dies potest et debet novum deputare Vicarium Capitularem, nisi S. C. alio modo provideat, v. g. per Vicarium vel Administratorem Apostolicum.

b) Episcopus novus ad ecclesiam vacantem promotus ex iis, quae ad eum spectant, a Capitulo, Vicario, oeconomo et aliis quibuscumque officialibus et administratoribus, qui sede vacante fuerunt a Capitulo vel ab aliis in eius locum constituti etiamsi fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigere *debet* officiorum, iurisdictionis, administrationis, muneris, et *potest* eos punire, si in officiis suis deliquerint etiamsi praedicti officiales redditis rationibus *a Capitulo* vel a Capituli deputatis absolutionem obtinuerint (can. 444). Ex qua iuris dispositione (cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV, c. 16 de ref.) profecto sequitur liberationem *de facto* datam a Capitulo esse insufficientem, et nequaquam *Capitulo* tribui *ius exigendi* rationem saltem a Vicario Capitulari, postquam ille functus est officio suo [28].

Speciatim Episcopo reddenda est ratio de scripturis ad Ecclesiam pertinentibus, si quae ad praedictos officiales vel administratores pervenerint (can. 444, § 2).

[25] Cfr. Pii IX Const. « *Romanus Pontifex* » 28 Aug. 1873; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. II, c. 5, n. 6, 7; *Bouix*, l. c. p. 589 sq.

[26] Cfr. *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. II, cap. 9, n. 4; *Bouix*, l. c. p. 552; *Schneider*, l. c. p. 444 sq., 468, 473; *Scherer*, l. c. p. 587, not. 99; *Hermes*, l. c. p. 154.

[27] *Schneider*, l. c. p. 445.

CAPUT VIII

De Vicariis foraneis

714. Sicut inter Rom. Pontificem et Episcopos, qui commissum habent regimen particularis ecclesiae, adsunt Metropolitae qui exercent quandam vigilantiam in Episcopos determinatae provinciae et in ea re iuvamen praestant Rom. Pontifici, ita convenienter inter Episcopum et parochos interponuntur Vicarii foranei per quos Episcopus tamquam per suos adiutores apto modo exercere potest vigilantiam in parochos circa exercitium curae animarum. Divisionem territorii dioecesani in vicariatus foraneos praescribit Codex can. 217 § 1; hoc capite iura et obligationes recensentur magistratus ecclesiastici, qui sub nomine vicarii foranei praeest cuique vicariatui [1].

Notio. Vicarius foraneus iure Codicis est sacerdos, qui ab Episcopo praeficitur vicariatui foraneo seu complexui plurium paroeciarum, ut Episcopum adiuvet in regimine dioecesano praesertim per vigilantiam exercitam in parochos determinati districtus dioecesani.

[28] *Bouix*, l. c. p. 592 sq.; *Schneider*, l. c. p. 474 sq.

[1] Ad munus Vicarii foranei referendus est lib. I, tit. 24, de off. archipresbyt.; *Devoti*, Ius canonic. univ. h. t. § 1 sq.; § 4; *Aichner*, Comp. iuris eccl. § 125.

§ I. Notae historicae [2]

715. Postquam religio catholica etiam extra civitatem Episcopi propagari coepta est, sane fideles *ruri* viventes ab initio pro exiguo suo numero in civitatem ad cultum divinum convenerunt [3]. At crescente ruri multitudine fidelium, ab Episcopo paulatim presbyteri fuerunt ablegandi, qui ibidem divina celebrarent mysteria et curam agerent populi christiani. Nec mirum, quod huiusmodi presbyteri in regionibus ruralibus mox etiam stabilem haberent residentiam. Cuius disciplinae saeculo tertio prima vestigia in Aegypto commemorantur [4]; deinde vero saeculo quarto et quinto in Ecclesia Orientali et Occidentali haec praxis iam universaliter est recepta et in meliorem formam redacta [5]. Cum praeter ecclesias rurales antiquiores et principaliores (baptismales) paulatim etiam erigerentur tituli minores (oratoria), facile accidit, ut rectores ecclesiarum (baptismalium) tanquam *Archipresbyteri rurales* vel *Vicarii* in presbyteros titulorum minorum maioritatem quandam consequerentur [6].

Ut inter saeculum sextum et nonum introducta est illa praxis dioeceses saltem maiores in complures Archidiaconatus dividendi, ita Archidiaconatus quoque in districtus quosdam minores dismembrati sunt, quos Archipresbyteratus (decanias, christianitates) appellarunt, eisque praefuerunt Archipresbyteri vel Decani rurales cum *potestate* satis restricta [7]. Quare quamvis officium Decanorum ruralium saeculis subsequentibus, in praxi fuerit retentum, tamen in compilationibus authenticis

---

[2] *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cp. 3 sq., 21 sq.; *Phillips*, l. c. t. II p. 115 sq.; *Saegmueller*, d. k. K. § 100; *Aichner*, l. c.

[3] *S. Iustinus* († a. 166), in Apolog. I, cap. 67.

[4] *S. Dionysius* Alexandr. († a. 265), apud *Euseb.*, Histor. eccles. l. VII, cap. 24.

[5] Cfr. c. 13 Conc. Neocaes. (a. 314-325); c. 8 Conc. Antioch. (a. 341); c. 6, 17, Conc. Chalced. (a. 451); c. 3 Conc. Vasens. (a. 442); c. 54 Conc. Agath. (a. 506) et c. 7 Conc. Tarracon. (a. 516), iunct. *Hefele*, l. c. p. 658, 676.

[6] Cfr. c. 9 Conc. Turon. II, (a. 567); c. 20 Synod. Antissiod. (a. 585); cap. 4, X. de off. archipr. I, 24: *Thomassin.*, l. c. cap. 4.

[7] Cfr. c. 3 Synod. Tolosan. (a. 844): cap. 4, X. de off, archipr. =

nonnisi obiter attingitur [8]. Idem accidit in Concilio Tridentino, quod tantum per transennam facit mentionem Decanorum, v. g. Sess. XXIV, cap. 3, 20, de ref., ubi eorum potestatem visitandi restringit atque pro more Conciliorum provincialium iam ante Concilium Tridentinum celebratorum [9] eisdem causas matrimoniales et criminales subducit. Qua in modestiore conditione Decani etiam post reformationem Tridentinam retenti sunt [10]. Hactenus vero iure communi non fuerat stricte praecepta divisio dioecesis in decanatus seu vicariatus foraneos, nec iura et obligationes vicarii foranei fuerant accurate determinata [11].

§ II. Disciplina vigens

716. I. Constitutio. Vicariatus foranei (Decanatus ruralis, Archipresbyteratus), seu dioecesis divisio in diversos districtus pluribus paroeciis constantes, omnibus Episcopis est praecripta (can. 217 § 1).

Porro Episcopi plena libertate utuntur in *erigendis* vel *circumscribendis* vel *dividendis* vel *uniendis* vel *supprimendis* Vi-

---

c. 13 Conc. Ticin. (a. 850), non Synod. Ravennat., ut dicitur in inscriptione cit. cap. 4; *Thomassin.*, l. c. cap. 5; *Scherer*, l. c. p. 618 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 269 sq. Cfr. quoque cap. 7, § 2, de off. archid. I, 23.

[8] Cfr. c. 1 Synod. Rothomag. (a. 1074); c. 8 Synod. Londin. (a. 1108); c. 4 Conc. Lateran. (a. 1123); c. 7 Synod. Turon. (a. 1163), et alibi passim, licet interdum minus pateat, utrum de Decano Capituli an de Decano rurali agatur; cap. 4, X. de off. archipresb. cap. 2, de rescr. I, 2, in Clem. (de Officialibus vel Vicariis *foraneis*). At in hoc tempus (saec. 13, et 14) incidit, ut presbyteri *Decanatuum* ruralium coadunarentur in *Capitula ruralia* cum suis Officialibus i. e. Decano, Camerario et Definitoribus.

[9] Cfr. v. g. c. 19 Synod. Oxon. 1922; c. 13 Conc. Rothomag. (a. 1231); c. 8 statut. Clarom. (a. 1268); c. 25 Conc. Trevir. (a. 1310).

[10] *Benedict. XIV*, de Synod. dioec. l. III, cap. 3, n. 5 sq., ubi recte contra Thomassinum tenet Vicarios foraneos nequaquam demum per S. Carol. Borrom. in Italiam fuisse invectos, sed iam antea ibidem exstitisse.

[11] S. C. C. 12 Dec. 1891; Collect. Lac. v. gr. Conc. prov. Venetum (a. 1859) et prov. Neogranat. (a. 1868), ibid. t. VI, col. 306, 422, Conc. prov. Rothomag. (a. 1860), ibid. t. IV, col. 524. Collect. Lac. v. v. Archipresbyter, Decani, Vicarius foraneus, ubi illorum institutio interdum solummodo *commendatur*, at quandoque etiam praescribitur. *Ferraris*, l. c. v. Vicarius foraneus n. 3, ubi allegat *particul.* decis. S. C. Ep. et Reg.

cariatibus foraneis. Quare salvis iuribus legitime quaesitis nequaquam adstringuntur sollemnitatibus, quae v. g. ad divisionem vel unionem paroeciarum requiruntur, neque sequantur necesse est divisiones politicas vel beneplacitum potestatis civilis, nisi forte in Concordatis aliquis interventus civili potestati fuerit concessus.

II. **Deputatio** singulorum Vicariorum foraneorum fit per *liberam* nominationem Episcopi ordinarie ex idoneis et digníoribus *parochis* Decanatus, nisi ipse sponte Capitulo rurali *commendationem* sive unius sive trium parochorum vel ex consuetudine recepta etiam electionem concedat, si forte cum determinata paroecia huiusmodi officium non sit coniunctum. Semel nominatus non obtinet ius perpetuum ad officium, a quo nonnisi ex causa canonica removeri queat, sed ad nutum Episcopi ex qualibet rationabili causa amoveri potest (can. 446).

III. **Iura** et **obligationes** Vicarii foranei non iam unice pendent ex *delegatione*, quemadmodum in iure praecedenti; sed iure Codicis decanatus est strictum officium ecclesiasticum cum potestate *ordinaria* iure *communi* definita, licet careat *subiectiva* perpetuitate, quae ad rationem veri officii veraeque potestatis ordinariae non requiritur.

a) Vicarii foranei ius et officium est invigilandi (can. 447):

1°) Num ecclesiastici viri sui archipresbyteratus seu districtus vitam ducant ad normam sacrorum canonum, suisque officiis diligenter satisfaciant, praesertim circa residentiae legem, divini verbi praedicationem, impertiendam pueris atque adultis catechesim et obligationem infirmis assistendi.

2°) Num decreta lata ab Episcopo in visitatione executioni mandentur. Quae vigilantia ex natura rei exigit ut ab Episcopo vicario communicentur quae pro respectivo vicariatu decrevit.

3°) Num debitae cautelae circa materiam Sacrificii Eucharistici adhibeantur.

4°) Num decor et nitor ecclesiarum et sacrae supellectilis, maxime in custodia SS.mi Sacramenti et in Missae celebratione, accurate servetur; an sacrae functiones secundum sacrae liturgiae praescripta celebrentur; bona ecclesiastica diligenter administrentur, adnexaque illis onera, imprimis Missarum, rite impleantur; rectene conscribantur et asserventur libri paroeciales.

De modo exercendi huiusmodi iura et implendi obligationes cum ipsis connexas debent aptae normae esse constitutae sive in Synodo provinciali, sive in dioecesana et earum defectu ab ipsis Episcopis; a quibus aliae quoque facultates sive ut ordinariae sive ut delegatae vicario foraneo committi possunt.

b) Ex natura rei eorum, circa quae vigilantiam exercere debet, certam notitiam plerumque habere non poterit, nisi districtum sibi commissum visitet; ius ergo ipsi est et obligatio visitandi paroecias statutis ab Episcopo temporibus.

c) Ad vicarium foraneum pertinet: 1°) Statim ac audierit aliquem parochum graviter aegrotare, operam dare ne spiritualibus et materialibus auxiliis honestoque funere, cum decesserit, careat. 2°) Curare ne eo aegrotante libri, documenta, sacra suppellex aliaque quae ad ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur.

d) Ex natura rei ut enuntiata officia congrue explere possit, obligatione *residendi* tenetur. Quae residentia, si ut plerumque accidit sit unus ex parochis districtus, habitualiter ab ipso haberi debet in propria paroecia, salvo iure visitandi alias districtus paroecias quin residentiae propriae parochorum desit. Quodsi parochus non sit, debet residere intra territorium vicariatus vel saltem in loco non valde distanti, secundum normas ab Episcopo definiendas (can. 448 § 2).

IV. **Collationes** seu **conferentiae** vicariatus. Ad vicarium foraneum pertinet convocare presbyteros proprii districtus, diebus ab Episcopo designatis, ad conferentias de re morali et liturgica in singulis decanatibus ad normam can. 131, habendas, eisdemque praeesse. Quodsi ex specialibus circumstantiis in variis locis eiusdem districtus ex Episcopi ordinatione illi coetus sint habendi, ad vicarium pertinet invigilare ut rite celebrentur (can. 448, § 1).

V. **Ratio reddenda Ordinario.** Cum munus vicarii foranei sit *vigilantiam* exercere, non auctoritative de rebus disponere per actus iurisdictionales et stricte dictae gubernationis, ex natura rei de observatis quae remedio indigent saepius monere Episcopum debet. In particulari vero saltem semel in anno proprii vicariatus rationem reddere debet Ordinario loci, ex-

ponens non solum quae intra annum bene gesta sint, sed etiam quae mala obrepserint, quae scandala exorta sint, quae remedia ad ea radicitus extirpanda (can. 449). Quae si sola orali relatione exponantur, parvus fructus plerumque sperari licebit; quare optimo iure Episcopus scriptam annuam relationem prudenter exiget.

VI. **Sigillum** et **praecedentia.** Vicarius foraneus debet habere proprium sigillum vicariatus, ac intra huius limites omnibus parochis aliisque sacerdotibus praeest.

CAPUT IX

De parochis

717. Fontes: Decret. Grat. c. 12, D. 95; c. 73, C. XII, q. 2; c. 1, C. XVI, q. 3; c. 35, D. I, de consecr. et alibi sparsim. — Comp. antiq. I, II, l. III, h. t. de paroch. — Decret. Gregor. IX, l. III, tit. 29, de paroch. — Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 4 sq., Sess. XXIV, cap. 13, 18, de ref. et alibi. — Decret. Clem. Pap. VIII, ed. *Sentis*, p. 71. — Benedict. XIV Const. « *Cum illud* » 14 Dec. 1742; Const. « *Firmandis* » 6 Nov. 1744. — Decis. S. C. C. in ed. *Richt.*, Conc. Trid. v. g. p. 117 sq., 367 sq., 379 sq.; Collect. S. C. C. de Prop. F. p. 72 sq.; Act. S. Sed., v. Paroch.[1]. — Collect. Lac. in ind. v. Parochi; Synod. Sciarf. Syror. (a. 1888), p. 249 sq.; Synod. Alexandr. Coptor. (a. 1898), p. 204 sq.

Scriptores: Comm. iur. Decret. in cit. tit. l. III. — *Zech*, Hierarch. eccl. tit. 31, de parochis; *Devoti*, Inst. can. l. I, t. 3, sect. 10; *Scherer*, l. c. t. I, p. 627 sq.; *Saegmueller*, Lehrb. § 99; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 261 sq., 291 sq.; *Barbosa*, De off. et potest. parochi (cum animad. *Giraldi*): *Reclusius*, De re parochiali; *Nardi*, Dei parrochi; *Leuren.*, Forum benef. P. I, q. 1 sq., 143 sq., 363 sq. iunct. P. II et III; *Bouix*, De parocho; *Cappello*, De visit. SS. Lim. II, p. 2 sq.; *Ferraris*, l. c. v. Parochus; *Muniz*, Derecho parroquial; *Ferreres*, Inst. I, 730 sq.; *Chelodi*, De personis n. 222 sq. — *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 21 sq., 27, l. 3, cap. 22; *Kober*, in Kirchenl. v. v. Hilfspriester. Pfarrer; *Imbart de la Tour*, Les paroisses rurales dans l'ancienne France du IVᵉ au XIᵉ siècle (1900); *Stutz*, Gesch. d. Benefizialw. — Egregie disserit de parochis *Regatillo* in « Sal Terrae » a. 1927.

---

[1] Cum non raro *potestas civilis* leges tulerit de paroeciis, v. g. de erectione et divisione illarum vel administratione rerum temporalium, huiusmodi leges, utpote ab *incompetenti* potestate conditae, omnino *invalidae* sunt. Quae res inter catholicos est evidentissima, licet *Hinschius*, l. c. p. 316 sq., competentiam Status hac in causa sine ullo fundamento habeat « *indubitatam* » atque etiam *exorbitantem* usum huius competentiae passim defendat. Sane de facto huiusmodi leges sunt cognoscendae, et non raro in praxi ad avertenda mala maiora attendendae. Quare in singulis regionibus consulendi sunt auctores qui de istis legibus civilibus scripserunt, v. g. Camption, Grassi, Geigel aliique.

Praenotiones

718. Inter eos qui de potestate episcopali iure ecclesiastico sunt participes praecipuum quendam locum tenent parochi. Qui licet *tertium* quendam gradum hierarchiae iurisdictionis iure *divino* institutum non teneant et vera perfectaque iurisdictione in foro *externo* sint destituti, tamen sensu *latiore* spectant ad hierarchiam iurisdictionis, in qua cum suis adiutoribus infimos, sed maximi momenti gradus occupant; ipsis enim commissum est nobile et gravissimum officium opem ferendi Episcopo in administranda ordinaria et immediata *cura animarum* et de merito parochi appellati sunt *adiutores* et *cooperatores Episcopi* et *sacerdotii participes* dicti sunt [2].

Art. 1. — De notione, divisione, origine officii parochorum

719. I. — **Notiones.** *Parochus* [3] nunc communiter intelligitur presbyter [4] legitime deputatus, cui vi *officii* sive muneris

---

[2] Conc. Aquisgran. II. (a. 836), c. 5.

[3] Parochus (πάροχος), qui voce latina dicebatur *copiarius*, a Romanis intelligebatur praefectus stationum (hospitiorum) in Italia et provinciis, ubi magistratus publici iter agentes soluta certa taxa, legibus Status definita, recipiebant diversorium et victum (Fornitore). Inde vocabulum parochi translatum est ad generalem significationem domini cauponae vel diversorii sive hospitii (albergatore). At vox parochi, quae in iure canonico adhiberi solet de curatore animarum, potius connexum est cum verbo *paroeciae* (παροικία) = olim territorium Episcopi = nunc dioecesis, quod corruptum est in vocabulum *paroeciae*, cuius praetectus deinde audiit « *parochus* ». Quare verbum « *parochi* » in *antiquis* fontibus non occurrit, immo nonnisi ex ultimis Sessionibus Conc. Trid. frequentius adhiberi coeptum est. In iure antiquo, et etiam nunc, complura alia nomina parochorum, v. g. *sacerdotum propriorum*, *presbyterorum parochianorum vel parochialium*, plebanorum, curatorum, rectorum, curionum usu sunt recepta, cum alia v. g. Praelatorum, dignitatum etc., merito negantur. Cfr. *Scherer*, l. c. p. 631, not. 12; *Bouix*, l. c. p. 142 sq., ubi tamen in *generali* reprobatione nominis « *pastoris* » est severior.

[4] Presbyteratus *actu* habitus iure praecedenti non erat absolute re-

stabilis iure proprio competit *obligatio* et *potestas exercendi* universam curam animarum certi numeri fidelium *regulariter* intra *ultimam* et determinatam divisionem sive partem territorii alicuius dioecesis degentium, qui vicissim ab eodem presbytero sacra recipere aliquatenus *tenentur* [5].

Iure Codicis, licet *parochi* non dicantur, sub illo tamen nomine veniunt cum iisdem iuribus et obligationibus paroecialibus: 1°) *quasi-parochi,* qui praesunt *quasi-paroeciae;* 2°) *Vicarii paroeciales,* si plena potestate paroeciali sunt praediti, sc. vicarii oeconomi paroeciae vacantis, vicarius qui regit paroeciam personae morali unitam, vicarius substitutus parocho absente vel impedito, vicarius qui praeest ecclesiae et territorio in vicariam independentem erectis (can. 451 § 2).

Paroecia [6] ex disciplina nunc vigente denotat aut ipsum territorium certis finibus circumscriptum, in quo degunt fideles addicti parocho ibidem ex officio curam animarum exercenti, aut *coetum,* non corporationem, *fidelium* intra territorium certis limitibus circumscriptum degentium, quibus parochus quoad exercendam curam animarum ex officio praeest, aut *ecclesiam* determinatam dioecesis, quae fideles intra certos limites degentes sibi habet adscriptos, in quos parochus ibidem existens ex officio exercet curam animarum, aut denique *officium* sive beneficium *curatum* parochi. Iure Codicis districtus territorialis, cui peculiaris rector pro cura animarum est assignatus, in vicariatibus et praefecturis apostolicis dicitur *quasi-paroecia* et rector assignatus *quasi-parochus.*

---

quisitus. Cfr. cap. 8, de praeb. III, 4, in Sext. et cap. 2, de inst. III, 6, in Sext.

[5] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 13, de ref. iunct. decis. S. C. C. 27 Iun. 1789, et *Bouix,* l. c. p. 168 sq.; *Schmalzgr.* l. c. n. 8; *Gasparri,* De matrimon. n. 941. Sicut provinciae alicuius civitatis dividuntur in maiores vel minores districtus et *ultimatim* in *municipia,* ita etiam in Ecclesia *ultima divisio* territorii dioecesium (post Archidiaconatus [olim] et Decanatus sive Vicariatus foraneos [nunc]) fit in *paroecias* (can. 217).

[6] Quod verbum si vim vocis graecae (παροικία) attendas, designat locum vicinum vel districtum et ab initio religionis christianae potius adhibitum est ad denotandum territorium regimini alicuius *Episcopi* subiectum, quod nunc passim *dioecesis* appellatur. Cfr. v. g. in Ecclesia Orientali c. 14, (13), Apostol:; c. 18 Conc. Ancyr. (a. 314); c. 9, 21, Conc. Antioch. (a. 341); in Ecclesia Occidentali c. 10, C. IX, q. 2; cap. 2, X. de magist. V, 5. At mox etiam illa territoria, quibus presbyteri *rurales* praefecti sunt, *paroeciae* vel *parochiae* dicebantur. Cfr. c. 17 Conc. Chalced. (a. 452); c. 49, 53. Conc. Agath. (a. 506), = c. 35, 56, 36, C. XII, q. 2. Immo in Ecclesia Occidentali *paroecia ruralis,* quae opponebatur *civitatensi,* audiit « *dioecesis* », et ecclesia paroecialis et ruralis = *ecclesia dioecesana.* Cfr. c. 54 cit. Conc. Agath. iunct. c. 22, ubi commemorantur « *civitatenses sive dioecesani presbyteri* ». Cfr. *Hefele,* l. c. t. II, p. 658; *Scherer,* l. c. p. 554, 628, 641 sq.; *Kraus,* l. c. v. v. Dioeceses, Parochia.

Parochianus ordinarie nunc [7] dicitur fidelis, qui intra paroeciae fines habet *domicilium* vel *quasi-domicilium* (can. 94 § 1) [8] et opponitur *vago* vel *peregrino* vel *forensi;* attamen vagus cum nullum omnino domicilium habeat, censetur esse parochianus illius parochi tanquam *proprii,* in cuius paroecia simplicem habet commorationem (can. 94, § 2). Quae simplex commoratio sane etiam sufficit, ut quis *sensu lato* dicatur parochianus, in quem parochus vel Episcopus non raro sua potestate utantur, v. g. in confessionibus audiendis, nisi maior iuris rigor sit attendendus, ut v. g. in celebratione matrimonii vel collatione ordinum. Eodem sensu est parochianus parochi loci ubi commoratur is, qui non habet nisi domicilium *dioecesanum.*

720. II. **Divisiones.** Parochi (vel paroeciae) dividi possunt:

a) in *habituales* et *actuales* [9]; illis cura animarum nec de *facto* nec de *iure* exercenda competit, sed tantum possunt et debent *providere* ut per aliquem vicarium exerceatur; quare veri parochi non sunt, sed iste titulus parochi habitu tantum inservit ad certa iura praeservanda: *actuales* sunt, qui de facto et de iure *actu* exercent curam animarum;

b) in *perpetuos,* qui subiectiva perpetuitate sive inamovibilitate gaudent [10], et in *deservitores* sive ad *nutum removibiles* [11]; quae divisio nunc intelligenda est ad normam can. 454;

---

[7] Cfr. de iure antiquo v. g. rubricam et capita X. l. III, t. 23, de parochiis et alienis *parochianis,* ubi parochianus etiam designat subditum *dioecesanum* Episcopi.

[8] Cfr. *Laurin,* in Arch. f. k. K. t. 26, p. 184 sq., 215 sq., (de domicilio canonico et eius efficacia ad constituendam competentiam); *Scherer,* l. c. p. 635 sq.; *Friedberg-Ruffini,* l. c. p. 298 sq.; *Hinschius,* l. c. p. 313 sq., ubi sine solidis rationibus reicit notionem *quasi-domicilii* in foro ecclesiastico receptam.

[9] *Bouix,* l. c. p. 178 sq. Cfr. can. 452 § 2.

[10] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 13, de ref. decreto de propriis parochiis et perpetuis parochis instituendis haec addebatur clausula: « *Aut*

c) in *independentes*, quorum officium paroeciale neque quoad spiritualia neque quoad temporalia alteri officio vel instituto ecclesiastico unitum est, et in *incorporatos*, qui praesunt paroeciae, sive quoad spiritualia et temporalia sive saltem quoad temporalia beneficia, conventui vel simili instituto ecclesiastico incorporatae (can. 1425)[12];

d) in *locales*, qui funguntur officio suo in *omnes* fideles ratione *territorii paroecialis* ipsis subiectos, et in *personales*, v. g. quatenus spectant ad certam familiam (paroecia *gentilitia*), vel ad certum ritum v. g. graecum, latinum, aut mozarabicum vel ad determinatum coetum hominum v. g. ad milites vel aulicos[13];

e) in *saeculares* et *regulares*, quatenus ex clero saeculari, vel ubi id per privilegium vel speciale indultum S. Sedis permissum est, etiam ex regulari assumuntur (can. 456);

f) in parochos, qui ut *singulares* aut *in solidum* ad instar *collegii* paroecias administrant. Quae divisio, cui iam parum favebat ius praecedens[14], attento can. 460 § 2 non amplius ha-

---

alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, (Episcopi) *provideant*»; *Bouix*, l. c. p. 192 sq. de perpetuitate parochiatus; *Scherer*, l. c. p. 631 sq.

[11] Rescript. Gregor. XVI, 1 Maii 1845, et Pii IX, 5 Oct. 1864, iunct. *Bouix*, l. c. p. 220 sq., et Arch. f. k. K. t. XXI, p. 423 sq. et t. XXII, p. 54 sq.

[12] Cfr. cap. 2, 3, 6, X. de off. vicar. I, 28; S. C. Ep. et Reg. 27 Apr. 1883, in Act. S. Sed., XVI, p. 134 sq.; *Scherer*, l. c. p. 640 sq.; *Schneider*, l. c. p. 390 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 302 sq.

[13] Cfr. de paroeciis *localibus* et *personalibus* et *gentilitiis*, S. C. C. 18 Iul. 1857; S. C. Ep. et Reg. 6 Maii 1870; S. C. C. 26 Apr. 1902, in Anal. eccl. t. X. p. 157 sq.; *Ferraris*, l. c. v. Parochus n. 17; de paroeciis diversi *ritus;* Benedict. XIV Const. «*Etsi pastoralis*» 26 Maii 1742, § 8; *Laemmer*, in Arch. f. k. K. t. IX, p. 363 sq.; *Gury-Ferreres*, Compend. theol. mor. t. II, n. 1091 sq.; *Ferreres*, Inst. canonic. I, n. 635 sq., 732 sq., ubi agit de paroeciis mozarabicis etiam nunc Toleti existentibus; El imped. de clandest. p. 28 sq., 48 sq., Los esponsales y el matrim. ed. 5, p. 225 sq., 340 sq., 352 sq.

[14] Sane *Bouix*, l. c. p. 180 sq. et *Hinschius*, l. c. t. II, p. 305 sq., probabant *absolute* posse *uni paroeciae* non tantum *unum*, sed *complures parochos praeesse;* at talem praxim *iuri* communi esse *conformem* ex decisione particulari S. C. C. 9 Iul. 1757, consuetudinibus singularibus magis toleratis quam approbatis (cfr. Act. S. Sed., IV, p. 402, 423; Anal. eccl. t. X, p. 157 sq.; *Ferraris*, l. c. v. Parochus n. 17; de paroeciis Cfr. c. 14, X. de off. iud. deleg. I, 31, iunct. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 13, de ref. et *Scherer*, l. c. p. 637. Quibus inspectis, Episcopus talem

bet locum, cum reprobetur quaelibet consuetudo et revocetur quodlibet privilegium, vi cuius actualis cura in una paroecia geratur a pluribus. Quae revocatio vim obtinet etiam quoad paroecias iam ante Codicem erectas (Comm. Cod. 14 Iulii 1922, in A. A. S., 1922, XIV, p. 527);

g) in parochos, qui praesunt ecclesiae paroeciali *matrici* sive maiori aut *filiali*. Quae ecclesiae filiales licet non raro factae sint *verae* atque *proprie* dictae paroeciae separatae a paroecia matrice, tamen interdum aliquibus iuribus paroecialibus carebant, quae ecclesiae matrici fuerunt *reservata*, v. g. ius proprii fontis baptismalis vel coemeterii (can. 1427 § 4)[15].

721. III. **Origo** et *vicissitudines historicae*. Non defuerunt olim doctores etiam catholici, qui putarent officium parochorum esse *iure divino* institutum.

Illos enim ex *ordinatione Christi* dixerunt esse *successores septuaginta duorum discipulorum et tertium* quendam gradum necessario occupare in hierarchia *iurisdictionis* ea ratione ad Episcopos ordinatum, qua Episcopi referuntur ad Romanum Pontificem, vel sicut in hierarchia *ordinis* diaconi post *ordinem* Episcoporum et presbyterorum per sacram ordinationem obtinent tertium ordinem iure divino institutum. Immo eo processerunt, ut parochis *vi officii ex iure divino* vindicarent iurisdictionem in foro *externo* atque inde facile concluserunt parochos, saltem in *Synodo dioecesana*, eo modo esse legislatores et iudices, quo Episcopi sint in Conciliis oecumenicis[16].

---

praxim adeo singularem et a disciplina vigente alienam *denuo* introducere non poterat, immo potius secundum mentem Ecclesiae erat, si huiusmodi monstruositates auferret. Cfr. Acta S. Sed., VII, p. 102.

[15] Cfr. cap. 3, X. de eccles. aedif. III, 48; decisiones S. C. C. 19 Maii 1877, 24 Aug. 1880, 24 Ian. 1885, quae istis reservationibus parum favent; Act. S. Sed., XI, p. 232 sq., XIII, p. 514 sq., XVII, 543 sq.; *Scherer*, l. c, p. 640; *Hinschius*, l. c. p. 306 sq.

[16] *Guilelmus a Sancto Amore* ut impugnaret privilegia regularium in exercendo sacro ministerio, primus fuit qui saeculo decimo tertio huiusmodi exaggeratas opiniones de officio parochorum sustineret. Quem *S. Thomas* in opusculo: *Contra impugnantes Dei cultum et religionem*, ex mandato Clementis IV scripto egregie refutavit. At vestigia Guilelmi alii doctores Sorbonici veteris scholae secuti sunt, inter quos potissimum eminet *Gersonius*. Ipse *Thomassinus*, non obstante sua eruditione historica ab huiusmodi miris opinionibus de origine parochorum non fuit plane alienus. Quare multo minus est mirandum quod Galli-

Quae sententia iam pridem reprobata [17] et nostra aetate penitus antiquata, quatenus aliquid veri continet, manifeste non attendit differentiam inter *ordinem* et *officium paroeciale*, quod denuo ab *officio pastorali Episcopi* non satis distinxit; insuper ex *origine* et *vicissitudine historica* officii parochorum evidenter refutatur.

Nam certe tribus primis saeculis, prout iam supra de Vicariis foraneis expositum est, veri et proprie dicti parochi omnino non reperiuntur; nam presbyteri illi iam *ante* saeculum *quartum* ab Episcopo missi vel etiam *ruri* stabiliter *degentes* non fuerunt parochi certo fidelium coetui addicti, quem iure *perpetuo* regerent *vi* stabilis sui officii [18]. Quae praxis *ruri* saltem ex saeculo quinto et sexto *paulatim* immutari coepta est, praesertim cum etiam *beneficia* introducerentur [19].

At licet in *civitatibus* Episcoporum praeter ecclesiam cathedralem, saltem ex saeculo quarto, aliae quoque reperiantur ecclesiae, tamen huiusmodi ecclesiae secundariae (tituli) nequaquam fuerunt verae et independentes ecclesiae paroeciales; etenim ecclesia cathedralis, cui nomine Episcopi praefuit Archipresbyter civitatensis, mansit unica ecclesia paroecialis civitatis [20]. Ex *saeculo* vero *undecimo* praxis etiam civitatem episcopalem in *complures* dividendi *paroecias* magis magisque introduci coepta est, sed vel ipso tempore Concilii Tridentini nondum ubique fuerat recepta [21]. Quare Patres eiusdem Con-

---

cani et Ianseniani ex saeculo 17 novas illas theorias propugnarent. Immo ultimo quoque saeculo aliqui viri docti in Gallia et Germania patrocinium huius causae desperatae susceperunt. Cfr. *Devoti*, Inst. can. l. c. § 87, not. 1, *Bouix*, l. c. p. 42 sq.; *Wilmers*, De Christi Ecclesia p. 340 sq.; *Scherer*, l. c. p. 360; *Billot*, De Eccles. Christi t. I (ed. 5a) p. 716 sq.

[17] Pii VI Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794, prop. 9, 10.

[18] *Thomassin.*, l. c. P. I, l. 2, cap. 21 sq.; *Bouix*, l. c. p. 4 sq.; Kirchenlex. v. Pfarrer; *Devoti*, l. c.; *Scherer*, l. c. p. 627 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 277 sq.; *Zorell*, D. Entwickl. d. Parochialsyst. in Arch. f. k. K. t. 82, p. 74 sq.

[19] Cfr. c. 18 Conc. Aurel. IV, (a. 541); *Hefele*, l. c. t. II, p. 128, 716, 775; *Imbart de la Tour*, De ecclesiis rusticanis aetate carolingica (a. 1900).

[20] *Thomassin.*, l. c. cap. 26; *Bouix*, l. c. p. 40 sq.; *Scherer*, l. c. p. 659 sq.; *Falk*, Zur Gesch. d. Pfarreinteil. i. d. Staedten, in Arch. f. k. K. t. 68, p. 262 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 277 sq.

[21] *Grisar*, Disputationes Tridentinae (Laynez) t. I, p. 171.

cilii postquam iam Sess. XIV, cap. 9 de ref. declararunt *optimo iure* dioeceses et paroecias fuisse distinctas et unicuique gregi proprios attributos pastores, deinde Sess. XXIV, cap. 13 de ref. expresse praescripserunt ut in civitatibus quoque et locis paroeciae *certos* haberent fines atque *proprios perpetuosque* rectores. Quod decretum reformationis etiam ob clausulam adiunctam de *alio* forte *utiliori modo*, non ubique ad amussim executioni fuit mandatum. Cum post revolutionem gallicam nova fieret etiam circumscriptio paroeciarum, in Gallia aliisque in regionibus introduci coepta est *nova illa* species parochorum ad nutum Episcoporum revocabilium. Quae immutatio disciplinae ecclesiasticae, quamvis occasione usurpationis potestatis civilis introducta fuerit [22], tamen a Sede Apostolica fuit tolerata; immo ubi vigeret, ipsa inconsulta, ab Episcopis tolli non debebat multoque minus legibus civilibus, v. g. in Borussia 11 Mai 1873 latis.

Art. 2. — De institutione et innovatione et suppressione officii parochorum [23]

722. I. **Institutio** novae paroeciae fit:

a) Per *creationem*. Quae habetur, si ex territorio et populo *nulli* paroeciae adscripto nova erigitur paroecia. Qui modus creationis solummodo locum habere potest in terris missionum sive infidelium sive aliorum acatholicorum [24], in quibus paroe-

---

[22] *Bouix*, l. c. p. 220 sq.; Kirchenlex. v. Desservants.

[23] *Bouix*, l. c. p. 243 sq.; *Leuren*, l. c. P. I, q. 11 sq., P. III, q. 877 sq.; *Muniz*, l. c. n. 36 sq.

[24] Quibus in regionibus, quae S. C. de Prop. F. subiectae esse solent, sane ubi convenienter fieri potuit, v. g. in Hibernia, etiam *paroeciae* stricte canonicae eriguntur, at ex communiter contingentibus ab initio potius *missiones* vel *stationes* vel *congregationes* sive quasi paroeciae cum certo distinctoque territorio constituuntur, quibus nequaquam parochi perpetui, sed curati ad nutum amovibiles praesunt. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 13, de ref. i. f. « *Aut alio utiliori modo* » etc.; Leon. XIII Const. S. C. de Prop. F. n. 185, iunct. n. 261 sq.; Conc. plenar. Baltimor. II, (a. 1866) in Collect. Lac. t. III, col. 432; Arch. f. k. K. t. XXII, p. 134; *Zitelli*, l. c. p. 171; Conc. plenar. Baltimor. III, (a. 1884), n. 31 sq.; *Putzer*, Comment. in facult. Apost. n. 113; num in Statib. unit. Amer. septentr. sint paroeciae proprie dictae? Negative, ut patet ex Conc. Baltimor. III, n. 24, 32, 33.

cia catholica omnino non existit, aut in dioecesibus etiam provinciarum Sedis Apostolicae sive regionum catholicarum, ubi paroeciae distinctae forte nondum reperiuntur, sed Episcopus ut parochus et pastor generalis universam dioecesim ad instar unius paroeciae per suos *vicarios* regit, aut *suppressis* paroeciis legitime erectis, v. g. ineunte hoc saeculo in Gallia, nova fit circumscriptio paroeciarum.

b) Per *divisionem*, qua ex partibus territorii et populi ab alia paroecia (vel etiam a compluribus) separatis nova constituitur paroecia.

c) Per *unionem*, qua per *confusionem* duarum vel plurium paroeciarum simpliciter nova oritur paroecia.

II. **Innovatio** paroeciae iam *existentis* manifeste locum habet:

a) Per *translationem* et *transformationem*.

b) Per *divisionem*, sive sensu stricto sive sensu lato ea intelligatur.

c) Per *unionem*, tum si eidem officium alterius paroeciae sive *aeque principaliter* sive *subiective* unitur, tum si monasterio vel Capitulo vel dignitati *incorporatur*, tum si solummodo alterius paroeciae *pars* territorii cum populo vel iurium spiritualium vel temporalium subiecto adnectitur.

III. **Suppressio** paroeciarum contingere potest sive per *absolutam* et definitivam extinctionem aut per *conditionatam* et mere momentaneam destructionem eo fine factam, ut statim *novae* paroeciae maiore facilitate denuo circumscribi possint et debeant[25]. Absoluta suppressio in paroeciis semper relinquet saltem eius territorium, quod alteri paroeciae erit assignandum.

723. Potestas ad *instituendas, innovandas* vel *supprimendas* paroecias *supremo* et *pleno* gradu est penes *Romanum* Pontificem. Porro eadem potestate gaudent *Episcopi* et Praelati nullius, sed ad tramites *iuris communis* est exercenda. Quae iuris communis normae expositae sunt n. 154 sq. ubi sermo est de innovatione officiorum et beneficiorum. Speciatim hic recensetur (can. 452 § 1) prohibitio ipsis facta ne sine Apostolici indulto paroeciam pleno iure uniant personae morali. Porro Episcoporum competentiam excedit constituere paroecias distinctas pro diversitate sermonis aut nationis fidelium in eadem civitate vel territorio degentium, aut paroecias mere familiares aut personales (can. 216 § 4); quodsi alicubi legitime constitutae sunt, eas supprimere non potest inconsulta Sede Apostolica (cit. can. iunct. can. 451, § 3). Quo in iure Episcoporum speciatim non continetur facultas *veras* paroecias *canonice* iam erectas, quibus praefici debent rectores *perpetui* et *inamovibiles*, edicto generali vel particulari ordinatione *reducendi* ad paroecias succursales cum rectoribus ad nutum amovibilibus; indultum apostolicum non facile obtentu plane ad hoc requiritur[26]. E contra paroeciae amovibiles possunt ab Episcopo, de consilio Capituli converti in inamovibiles, qua potestate non gaudet Vicarius Capitularis. Immo intentio iuris est ut novae paroeciae erigendae constituantur inamovibiles, nisi propter peculiaria locorum aut personarum adiuncta, audito Capitulo, Episcopus iudicaverit in casu particulari potius expedire ut paroecia erigenda amovibilis constituatur. Quodsi ius ita favet perpetuitati officii paroecialis, in quasi-paroeciis determinate praescribit amovibilitatem (can. 454 §§ 3, 4).

[25] Cfr. *Bouix*, l. c. p. 227 sq. (de suppressione et nova erectione paroeciarum in Gallia) et p. 297 sq.

Art. 3. — De provisione canonica officii parochorum[27].

724. Potestas concedendi officia parochorum iure *supremo* et *pleno* competit Romano Pontifici. At salvo iure speciali et *vigente*, quo sibi Romanus Pontifex aliquas paroecias reservavit, *ordinarius* et liber collator officiorum paroecialium in dioecesi est *Episcopus*, nisi Vicarius generalis acceperit mandatum speciale, aut ob negligentiam vel culpam Episcopi ex iure devolutionis superior Praelatus fiat competens, aut denique non obstante intentione Episcopi in iure fundata, tertiae personae ex privilegio vel alio *legitimo* titulo rite probato sive per electionem canonicam sive per praesentationem competat ius in provisione interveniendi, salvo etiam in his casibus iure Episcopi

[26] Cfr. S. C. C. 14 Febr. 1846; Arch. f. k. K. t. XXI, p. 423 sq. et t. XXII, p. 54 sq.; Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899), n. 822, quod indultum apostolicum obtinuit conferendi paroecias « *titulo* » amovibili.

[27] Cfr. *Leuren.*, l. c. P. I, q. 170 sq., P. II, q. 1 sq.; *Bouix*, l. c. p. 300 sq.

designandi personam *digniorem* vel concedendi [28] *confirmationem* vel *institutionem* canonicam ad tramites iuris communis. Contra hoc ius Episcopi valore destituitur quaelibet praecedens consuetudo etiam immemorialis, nec ulla in posterum praevalere potest.

Sede vacante aut impedita, Vicarii Capitularis vel alterius qui legitime dioecesim regat est dare institutionem canonicam seu collationem necessariam electo aut praesentato ad paroeciam vacantem; sed ab eisdem libera collatio dari non potest, nisi iam sedes ab anno vacaverit (can. 455 § 2, 3º).

725. Subiecti promovendi qualitates: I. Praeter qualitates in genere requisitas ad quaelibet officia et beneficia, non potest *valide* assumi in parochum, qui in sacro presbyteratus ordine nondum sit constitutus (can. 154).

II. Debet esse bonis moribus praeditus; doctrina, animarum zelo, prudentia ceterisque virtutibus ornatus; insuper habeat oportet omnes qualitates quas sive ius commune sive ius particulare exigit; quae omnia sunt attendenda non solum respectu officii paroecialis in genere, sed etiam in ordine *ad determinatam paroeciam vacantem* cum laude gubernandam (can. 453).

726. Conditiones ad provisionem observandae. *Disciplina concursus.* I. Praeter alias conditiones communes cuiusvis officii provisioni, cum generatim ad ipsum actum provisionis praerequiratur examen promovendi, ad hoc ut constet de qualitatibus ad officium vel beneficium requisitis (can. 149 iunct. Conc. Trid., Sess. VII, cap. 13 de ref.), pro provisione paroeciarum Conc. Trident. (Sess. XXIV, cap. 18 de ref.) [29] specialem formam

---

[28] *Institutio autorizabilis*, de qua loquuntur canonistae(cfr. *Wernz*, Ius Decret. II, 442), qua Episcopus approbabat *ad curam animarum* institutos a praelato inferiore, iure Codicis non existit, cum institutio canonica Ordinario sit reservata.

[29] Cfr. praeterea Pii V Const. «*In conferendis*» 18 Mart. 1567, et Const. «*Apostolatus officium*» 19 Aug. 1567; Clem. XI Encycl. «*Quo parochiales*» 10 Ian. 1721; Benedict. XIV Const. «*Cum illud*» 14 Dec. 1742, et Const. «*Redditae nobis*» 9 Apr. 1746. Cfr. Act. S. Sed., VII, p. 353 sq.; decis. S. C. C. in ed. *Richt.*, Conc. Trid.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IV, cap. 7 sq.; *Ferraris*, l. c. v. Concursus; *Bouix*, De parocho p. 333 sq.; *Lingg*. Gesch. d. Trid. Pfarrer, Anal. iur. pont. a. 1867, p. 969 sq.; Kirchenlex. v. Concurs.; *Ferreres*, Inst. I, n. 742 sq.;

examinis, quae dicitur *forma concursus* praescripserat, ab omnibus illis subeundi, qui intentionem suam obtinendi paroeciam vacantem Ordinario loci rite manifestassent. Quae forma concursus eo spectabat, ut non solum facilius et efficacius averterentur ab officiis curatis *indigni*, sed etiam ut seligerentur *digniores*. Illa enim praescriptio can. 153 § 2 de magis idoneis ad officia assumendis, in ipso iure naturali fundata, *speciali ratione* locum sibi vindicat in officiis curatis; et ideo speciali ratione inculcatur Ordinariis can. 459 § 1 onerando hac in re eorum conscientiam.

II. Huius formae concursus a Patribus Tridentinis praescriptae nonnisi levia reperiuntur vestigia in iure praecedenti in scrutiniis et examinibus ordinandorum et clericorum praeficiendorum [30]. Vicissim cum Patres Tridentini *formam* examinis quoad singula non accurate determinassent, immo i. f. decreti Synodo provinciali dixissent esse licitum providere, si aliqua circa praescriptam examinationis formam *addenda remittendave* esse censuerit, mox arbitrariae interpretationes et praxes a Romanis Pontificibus, v. g. a Pio V et Innocentio XI fuerunt reiciendae, simulque ad vitanda non levia incommoda per experientiam comprobata, *forma* examinis Tridentini magis in specie fuit definienda. Id Romae iam saeculo decimo septimo factum est. Postea vero Benedictus XIV formam examinis a Clemente XI iam commendatam in meliorem ordinem redegit et universaliter et obligatorio modo praescripsit [31]. At examen Tridentinum pro diversitate regionum dispari eventu observatum nonnullas gravissimas innovationes etiam per ipsam usurpatam interventionem potestatis civilis subiit. Quae immutationes, reiectis abusibus, nostro saeculo in compluribus regionibus etiam a Sede Apostolica approbatae vel toleratae sunt.

Praesertim vero loco concursus *specialis* pro singulis paroeciis vacantibus, pluribus locis introductus fuit concursus gene-

---

Muniz, Derecho parroquial n. 74 sq.; *Cappello*, De visit. SS. Lim. II, p. 101 sq.

[30] Cfr. cap. 7, § 5, X. de off. archid. I, 23; Benedict. XII, Const. «*Quoniam nonnulli*» 1393; Pauli IV Const. «*Inter ceteras*» 1557.

[31] Cfr. Kirchenlex. l. c.

ralis, in quo passim examen de doctrina separatur ab examine de ceteris qualitatibus requisitis [32].

III. Codex utramque formam concursus *specialem* et *generalem* admittit iubetque retineri ubi illa adhuc viget, sed universaliter concursum in provisione paroeciarum non praescribit [33*] (can. 459, § 4).

727. A) *Forma Tridentina concursus specialis* substantialiter continetur his actibus: *a)* *Episcopus* vel eo impedito *Vicarius Generalis*, item sede vacante *Vicarius Capitularis*, deinde *Praelatus nullius*, qui polleat privilegio celebrandi Synodum dioecesanam vel aliunde speciali indulto apostolico munitus sit, possunt indicere et celebrare concursum [34]. At iure Codicis Praelatus nullius iam plene aequiparatur Episcopo.

b) *Admitti* ad concursum *possunt* et *debent omnes clerici* non solum dioecesani, sed etiam exteri, nisi iure communi, v. g. regulares, vel iure speciali *prohibeantur*, v. g. si ex privilegio beneficia quaedam paroecialia exteris conferri nequeant, vel clerici dioecesani nonnisi post impletas certas conditiones praeter ius commune requisitas examen illud subire possint, v. g. post duos vel quinque annos in curam animarum peractos [35].

c) *Omnia* et *sola beneficia paroecialia* canonice erecta et vere *vacantia*, quae obiectiva et subiectiva *perpetuitate* donata sunt, legi concursus Tridentini subiciuntur, nisi aliqua ex iure

---

[32] Cfr. de praxi in Gallia, Belgio, Germania et Austria auctores in praec. not. 29 citatos iunct. *Martin*, Collect. doc. Conc. Vatic. p. 178, 180 sq.

[33*] Lex concursus respicit omnes paroecias, sive erectas sive erigendas, in illis regionibus in quibus paroeciarum provisio fiat per concursum sive specialem sive generalem; sed antiqua praxis, qua concursus omittebatur in *prima* provisione novae paroeciae erectae, confirmata est authentico responso Comm. Cod. d. 25 iun. 1932. Cfr. A. A. S. XXIV, 284; Period. XXI, 282.

[34] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 18, de ref.; S. C. C. apud *Richter*, l. c. p. 379, n. 3; *Ferraris*, l. c. v. Concursus art. 2, n. 1 sq., 8 sq. Quodsi ecclesia paroecialis a *Sede Apostolica* sit conferenda, nihilominus ab Episcopo dioecesano concursus est indicendus et absolvendus iuxta normas statutas a Benedict. XIV, Const. « *Cum illud* » §§ 19 sq. iunct. Act. S. Sed., VII, p. 378, not. 1, et *Riganti*, l. c. Reg. 9, Canc. Apost. § 2, n. 39 sq.

[35] Conc. plenar. Baltimor. III, (a. 1884), n. 43; *Ferraris*, l. c. n. 33 sq.

speciali excipiantur [36]. Quare examen concursus Tridentini non est adhibendum, v. g. in provisione parochorum ad nutum revocabilium vel paroeciarum quoad spiritualia et temporalia alicui Capitulo seu domui religiosae unitarum (can. 456). Excipiuntur vero iure speciali beneficia iuris patronatus *laicalis* vel *mixti*, nisi in limine fundationis conditio concursus subeundi fuisset apposita [37], item ecclesiae paroeciales *permutandae* vel cit. cap. Trid. i. f. a concursu exemptae.

d) *Examinatores* [38] synodales aut prosynodales praeter Episcopum vel eius Vicarium generalem sint *saltem tres*.

e) *Forma* concursus illa servanda est, quae, ampliata lege Tridentina, tandem per Benedict. XIV Const. « *Cum illud* » accuratius est praescripta quoad edictum publicum, numerum examinatorum, obiectum et modum examinis, iudicium examinatorum, praeelectionem Episcopi [39]. At *nullitas* concursus nequaquam cum *Reclusio* generaliter est asserenda, si formalitates praescriptae ad amussim non fuerint observatae, sed id valet tantum de illis conditionibus concursus, de quibus expresse et specialiter per clausulam irritantem nullitas concursus statuta est velut de iudicio examinatorum, quod *unice* datum est de sufficienti *scientia*, non etiam de honestate vitae aliisque dotibus examinandorum [40].

f) Appellatio a mala relatione examinatorum aut ab irrationabili iudicio Episcopi est permissa, at secundum normas a Benedict. XIV Const. « *Cum illud* » est facienda in raris illis casibus, in quibus ea rationibus gravibus non frivolis querelis innitatur [41].

728. B) *Concursus generalis* substantialiter consistit in hoc

---

[36] *Bouix*, l. c. p. 346 sq.; *Leuren.*, l. c. P. I, q. 179 sq.

[37] Decis. S. C. C. apud. *Richt.*, l. c. n. 1, 2.

[38] Conc. Trid. l. c.; *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. IV, cap. 7, 8; *Ferraris*, l. c. art. 3, n. 29 sq.

[39] Decis. S. C. C. apud *Richt.*, l. c. p. 379, n. 4 sq.; *Ferraris*, l. c. n. 47 sq.

[40] Act. S. Sed., VII, p. 340 sq., 350 sq., IX, p. 236 sq.; *Benedict. XIV*, l. c. cap. 8, n. 2; S. C. C. in caus. S. Paul. (Brasil.) iunct. *Wernz*, Votum in ead. causa.

[41] Cfr. de huiusmodi recursibus Act. S. S., v. gr. VII, IX, l. c., X, p. 126 sq., XV. p. 370 sq., XXVII, XXIX etc. Cfr. quoque *Ferreres* Inst. I, n. 751 sq.

quod candidati ad paroecias solent examinari de aptitudine ad officium paroeciale in genere, independenter a determinata paroecia regenda et hoc duplici ratione, sive certis temporibus independenter ab hoc quod adsit necne aliqua paroecia vacans (et hic est modus magis communis), sive postquam iam adsunt plures paroeciae vacantes, quibus de proprio parocho est providendum, ut accidit in Hispania. Cfr. *Ferreres*, Inst. I, n. 745 sq.

Generatim examen de scientia separatur ab examine de ceteris qualitatibus, quod postea completur dum certae paroeciae vacanti parochus est constituendus.

In nonnullis regionibus, v. gr. in Gallia et Belgio, periodicis temporibus fiunt examina de sola scientia atque in tali examine approbati ius habent quamcumque paroeciam optandi, quae sequentibus sex annis vacaverit; quibus elapsis novum examen est subeundum ut conservetur illud ius ad paroecias deinceps vacaturas [42].

729. Forma examinis ex disciplina Codicis. Praeponit principium generale de provisione officiorum ad normam can. 155 non differenda ultra sex menses utiles ab habita notitia vacationis. Quod principium tamen in provisione paroeciarum non adeo rigorose urget, cum ob peculiares locorum et personarum circumstantias prudenti Ordinarii iudicio relinquat decernere, num collatio tituli paroecialis sit differenda (can. 458). Cui principio subiungitur alterum de gravissima obligatione Ordinarii vacantem paroeciam ei conferendi, quem magis idoneum ad eam regendam ipse habuerit, sublata quavis personarum acceptione (can. 459, § 1). Ad efformandum illud iudicium declaratur attendi debere non solam scientiam sed ceteras etiam qualitates, atque tum scientiam tum alias qualitates esse inspiciendas non absolute sed *respective* ad paroeciam de cuius provisione agitur. Qui *respectus* ad determinatam paroeciam videtur considerandus tum ex parte sacerdotis qui promoveri potest, tum ex parte paroeciae vacantis. Quare ex una parte non videtur Episcopus obligatus ad seligendum sacerdotem iam beneficio ecclesiastico praeditum atque etiam inter sacerdotes liberos seu non ligatos possessione determinati beneficii, *potest*

[42] Cfr. Instr. S. C. de P. F. 10 Oct. 1847; Act. S. S., XXXVII, p. 647 sq., Kirchenlex. v. Concursus; *Aichner*, Comp. iur. eccl. § 26.

seponere illos magis idoneos, quorum opera futura est utilior et magis necessaria in aliis muneribus vel forte in aliis paroeciis nondum vacantibus. Ex alia parte cum maior idoneitas ad determinatam paroeciam non sit desumenda ex sola scientia, sed attendendae sint qualitates morales atque adeo naturales, poterit fieri ut sit magis idoneus iudicandus, qui cum minore scientia magis noverit linguam in paroecia seu regione usitatam, vel pro paroecia, ubi praesertim abundant operarii, sit magis aptus et magis paratus ad instituenda inter paroecianos opera socialia, aut si agitur de paroecia inter montes dispersa et rigidioris aëris ille qui sit iunior et potioribus corporis viribus valens.

Fontes unde hauriri debet notitia maioris idoneitatis sunt: 1°) relate *ad mores* seu bonam famam necessariam, licet haec, cum ex se sit res publica, publicis documentis et testimoniis plerumque constabit, iubetur Episcopus respicere documenta, si quae forte existant, quae clericum nominandum respiciant, sive in communi sive in secreto Curiae tabulario. Debet quoque, si opportunum iudicaverit, notitias etiam secretas prudenter exquirere de vita et moribus nominandi, etiam extra dioecesim si casus occurrat.

2°) Relate *ad doctrinam* imprimis ratio habenda est illius experimenti de doctrina, quod continetur in examinibus, quibus se subicere debent per triennium omnes sacerdotes legitime non exempti, expleto studiorum curriculo, cum ad tenorem can. 130 § 2 in collatione beneficiorum ceteris paribus ratio habenda sit eorum, qui in dictis periculis magis praestiterunt. Praeterea Episcopus coram se et examinatoribus synodalibus clericum nominandum examini super doctrina subicere debet; pro quo examine non determinatur forma oralis aut scripta, nec numerus examinatorum synodalium et consequenter duo cum Episcopo sufficiunt et requiruntur. Quod examen videtur esse decisivum relate ad doctrinam requisitam, ita ut qui in eo fuerit reprobatus non sit idoneus ad paroeciam ex capite doctrinae. Sane ab hoc examine potest Ordinarius dispensare, si agatur de sacerdote doctrinae theologicae laude commendato, sed praehabito *consensu* eorundem examinatorum; ergo a fortiori reprobatum ab examinatoribus Ordinarius non potest habere aptum quoad doctrinam.

Haec forma examinis videtur esse directe intenta a Codice, et facile coniungi potest cum plerisque formis concursus generalis si examen de doctrina periodicis temporibus fiat de pluribus, qui occurrente necessitate assumi possint ad munus paroeciale infra determinatum tempus conferendum.

Ex responsis datis a Comm. Codicis (24 Nov. 1920) ab examine liberatur parochus ab una paroecia administrative amotus, qui examinatoribus vel parochis consultoribus in consilium adscitis sit transferendus in aliam. Eadem exemptio ab examine valet pro casu, quo ex officio, bono animarum id requirente, parochus ab una paroecia quam utiliter regit in aliam sit transferendus; at non valet pro casu quo translatio fiat ad instantiam parochi (A. A. S., XII, 574).

Art. 4. — De potestate et iuribus parochorum

730. I. **Potestas** parochorum *universim* spectata est *ordinaria* [43], non *delegata* in parochianos sibi ratione domicilii vel quasi-domicilii vel simplicis commorationis subditos [44] exercenda, Etenim non ex mera *commissione* Episcopi, sed ex *iuris communis* dispositione *vi officii* nomine iureque *proprio* exercenda parocho conceditur. Hinc Episcopus nequit potestatem parochi aut arbitrarie *auferre* aut ita *limitare*, ut quae iure communi definita sunt ad meram umbram redigantur. At vicissim iura parochorum non sunt ita exaggeranda, ut potestas pastoralis ipsius *Episcopi* in paroeciam et dioecesim videatur negari. Quare Episcopus non prohibetur quominus etiam *invitis parochis*

---

[43] *Bouix*, l. c. p. 177 sq.; *Scherer*, l. c. p. 631 sq.

[44] Si quaeratur ad quamnam paroeciam quis pertineat, id ordinarie eruendum est ex *certis* limitibus alicui paroeciae *legitime* assignatis. Qui limites si *certi* sint, praescriptioni non sunt obonoxii (can. 1509, n. 4); secus dicendum, si sint *dubii*. Cfr. c. 17 Conc. Chalced. (a. 451); cap. 4, X. de paroch. III, 29, iunct. *Schmalzgr.*, l. c. l. III, t. 29, n. 4, 19 sq. Quodsi alia dubia oriantur de iurisdictione et competentia paroeciali, ex *porta principali* domus, libris paroecialibus aliisque adminiculis competentia parochi est probanda. Cfr. v. g. S. C. Ep. et Reg. 6 Maii 1870; S. C. C. 26 Iul. 1873, 12 Iul. 1884, in Act. S. Sed., V, p. 598 sq., VII, p. 607 sq., XVII, p. 280 sq., iunct. dec. S. C. Ep. et Reg. 30 Apr. 1869, in Act. S. Sed., V, p. 413 sq.; *Ferreres*, Los esponsales y el matrimonio ed. 5, p. 386 sq.; *Cappello*, De visitat. SS. Limin. vol. II, p. 18 sq.

cum moderatione quadam *aliis* sacerdotibus functiones sacras in *paroecia* peragendas deleget [45]. Porro non solum indulto apostolico et legitima consuetudine, sed etiam statuto Episcopi fieri potest, ut *communitas quaedam religiosa* vel conservatorium vel convictus vel similia instituta, licet *intra* paroeciam maneant, a cura ordinaria parochi eximantur et proprio cappellano subiciantur (can. 464 § 2) [46].

II. Ordinaria illa potestas parochorum non est fori *externi*. Nam vera iurisdictio fori externi *proxime* et *directe* refertur ad promovendum bonum *commune* per exercitium quoddam *perfectum* iurisdictionis, sc. potestatis legislativae, iudicialis, coërcitivae etiam per censuras et poenas graves. At parochi huiusmodi potestas legislativa, iudicialis, coërcitiva non competit, sed universa ipsorum potestas potius refertur ad bonum *privatum* et internum suorum parochianorum. At exinde non sequitur iura parochialia restringi ad forum *poenitentiale*, quod perperam confunditur cum foro *conscientiae* (de actibus occultis) vel interno [47]. Nam parochi *ex officio externa* et *publica* possunt dare *praecepta* (vetitum matrimonii) aut investigare (in examine sponsorum de impedimentis) aut moderate coërcere discolos; item ex missione canonica exercent *publicum* magisterium et iurisdictionem quandam *voluntariam*. Ergo potestas parochorum licet vera perfectaque iurisdictio fori *externi* non sit, tamen est potestas quaedam *oeconomica* vel domestica in paroeciam ut societatem *imperfectam*, quae praeter

---

[45] *Bouix*, l. c. p. 509.

[46] Cfr. cap. 2, X. de cappell. mon. III, 37; S. C. Ep. et Reg. 26 Iul. 1876, 16 Febr. 1877, in Act. S. Sed. X, p. 401 sq.
S. C. C. 14 Aug. 1863, Ep. et Reg. 3 Sept. 1864, 13 Mart. 1891; *Bar-gilliat*, l. c. n. 912. Cfr. quoque Acta S. Sed., III, p. 47 sq., VIII, p. 528 sq., XXIV, p. 59 sq.; *Scherer*, l. c. p. 637 sq. Quae exemptio conventuum vo-torum simplicium sane habet maiorem *firmitatem*, si nititur indulto apostolico (cfr. S. C. Ep. et Reg. 22 Mart. 1864), ut accidit in regulari-bus exemptis etiam ab ipsa iurisdictione *episcopali*. Cfr. cap. 1, § 2, de privil. V, 7, in Clem.; S. C. Ep. et Reg. 26 Februar. 1884, in Act. S. Sed., I, p. 164 sq. De antiqua controversia cfr. *Ferreres*, Inst. I, n. 760, i. f.

[47] Cfr. v. g. prooem. facultatum, quae a S. Paenitent. pro foro in-terno concedi solent, partim pro foro *conscientiae* etiam *extra* sacra-mentalem confessionem, partim tantum *in actu* sacramentalis confes-sionis exercendae; *Putzer*, Comment. in facult. apost. n. 15.

iurisdictionem fori poenitentialis *administrationem* quoque vere *externam* habet adnexam [48].

731. *In specie iura* parochorum *sensu stricto* intelliguntur illa ad curam animarum ordinata, quorum exercitium parocho in suo territorio et quoad suos subditos **exclusive** competit, nisi ex privilegio vel consuetudine etiam absque consensu parochi sive aliis sacerdotibus sive propriis parochianis maior libertas sit concessa [49].

Quae *stricta* iura paroecialia, olim satis numerosa [50], in Codice designantur *functiones reservatae*, quibus accedunt *iura utilia*.

Functiones parocho reservatae hae recensentur [51]:

I. *Collatio baptismi* suis parochianis excepto casu necessitatis vel specialis consuetudinis vel privilegii. Cum quo iure connexum est ius habendi in paroeciali ecclesia fontem baptismalem, quod ius a nullo statuto, privilegio aut consuetudine

---

[48] *Wilmers*, l. c. p. 341; sq., *Bouix*, l. c. p. 137 sq.; *Scherer*, l. c. p. 633, ubi impugnat communem sententiam doctorum, qui parochis iurisdictionem fori *externi* secundum *usitatum* modum loquendi intellectam recte negant et nequaquam parochis *tantum* vindicant iurisdictionem pro foro *poenitentiali;* quare haec controversia potius videtur spectare ad *terminologiam* magis minusve aptam quam ad substantiam rei.

Quodsi idem auctor, l. c. not. 23, putavit antiquo tempore ius excommunicandi parochis certo fuisse proprium, non satis videtur inter diversas *species « excommunicationis »* distinxisse, nec argumentis a se allatis (v. g. c. 41, C. II, q. 1; cap. 3, X. de off. iud. ordin. I, 31; cap. 54, § 4, de elect. I, 6; cap. 18, X. de praescr. II, 26), efficaciter probavit huiusmodi ius omnibus parochis ex titulo iuris *communis* fuisse concessum. Cfr. *Suarez*, de cens. disp. XVIII, sect. 1, n. 3; *Kober*, D. Kirchenb. p. 76 sq.

[49] *Bouix*, l. c. p. 430 sq., 490 sq. disserit de *iuribus* parochialibus, de *functionibus* parochialibus, de functionibus mere *sacerdotalibus* in quibus definiendis et secernendis auctores non conveniunt. Cfr. quoque *Aichner*, l. c. § 127; *Scherer*, l. c. p. 635; *Hinschius*, l. c. p. 301 sq.

[50] Cfr. c. 1, 2, Conc. Nannet. (a. 658, vel i. f. saec. noni, cfr. *Hefele*, l. c. t. III, p. 104), = c. 4, 5, C. IX, n. 2, = cap. 2, X. de paroch. III, 29; c. 52, D. I, de consecr. (Theodulph. Aurel. c. a. 797); cap. 12, Synod. Ravennat. (a. 877) cap. 2, de treug. I, 9, in Extravg. com. Sixt. IV); Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 4, 13, de ref.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 9 sq.

[51] Iure praecedenti illae functiones fuerunt enumeratae a S. R. C. 10 Dec. 1703, in qua enumeratione Codex aliquas induxit mutationes.

potest alteri ecclesiae *exclusive* reservari in praeiudicium ecclesiae paroecialis (can. 774 § 1).

II. *Publica* delatio SS.mae Eucharistiae extra ecclesiam ad infirmos in propria paroecia. Porro ex can. 847 s. communio ad infirmos publice deferenda est, *nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat.* Quare quotiescumque parochus est paratus S. Eucharistiam ipse per se aut per suos vicarios ad infirmum publice deferre legitime illam petentem, non licet aliis sacerdotibus eam *privatim* deferre in fraudem iuris paroecialis, quia eo in casu non verificatur circumstantia iustae et rationabilis causae ad privatim deferendam communionem. Ubi vero illa causa iusta et rationabilis existat, quae impedit quominus publice ad infirmum s. communio deferri possit quoties ipse, tametsi saepius, legitime exoptaverit, quandoquidem causa cur publice deferri non possit non sit ratio ad privandum infirmum communione, *privatim* tum deferenda est; haec autem privata delatio in tali casu non est functio parocho reservata, sed huius privatae delationis facultatem ius ipsum facit (can. 849 § 1) cuilibet sacerdoti, de venia saltem praesumpta illius, cui custodia sanctissimi Sacramenti commissa est.

III. Administratio tam publice quam privatim Viatici et extremae unctionis in proprio territorio etiam non subdito. In quo iure parochi plures Codex facit exceptiones, videlicet: 1°) decumbenti Episcopo ultima sacramenta ministrant dignitates vel canonici ecclesiae cathedralis, servato ordine praecedentiae (can. 397, 3°); 2°) in omni religione clericali illa administratio competit Superiori non solum erga religiosos sed etiam erga omnes qui in domo diu noctuque *ratione famulatus aut hospitii aut infirmae valetudinis* commorantur (can. 514 § 1); 3°) in domo *monialium* idem ius competit ordinario confessario vel eius vices gerenti (ib. § 2); 4°) in alia religione laicali idem competit cappellano, si domus ab Episcopo fuerit a iurisdictione parochi exempta (ib. § 3); 5°) in *casu necessitatis* vel *cum licentia* parochi aut Ordinarii quilibet sacerdos potest dicta sacramenta etiam publice ministrare (can. 848 § 2, 938 § 2).

Scholion. Inter functiones parocho reservatas non amplius recensetur administratio *communionis paschalis,* nec fidelibus imponitur obligatio eam in ecclesia paroeciali sumendi, sed tantum parochum monendi de ea alibi peracta (can. 859 § 2).

IV. Ordinationum et nuptiarum proclamatio atque assistentia matrimonii eiusque benedictio.

V. Iusta funebria persolvere ad normam can. 1216.

VI. Benedictio domorum in sabbato sancto aut alia die pro locorum consuetudine, dum fit ad normam librorum liturgicorum, i. e. Ritualis Rom. (cap. IV, tit. VIII).

VII. Benedictio fontis baptismalis in sabbato sancto; publicam processionem extra ecclesiam ducere; sollemnes benedictiones quae extra ecclesiam cum pompa et sollemnitate impertiuntur; quae tamen functiones in ecclesiis capitularibus a Capitulo peragi possunt, atque Capitulo eas peragente desinunt pertinere ad exclusivam parochi competentiam. (De benedictionibus et processionibus cfr. can. 1146 sq., 1290 sq.).

732. Praeter illa *stricta* iura paroecialia sunt non pauca alia, quae nequaquam *unicuique sacerdoti* sunt propria, sed parocho ratione *officii* competunt, immo potius ut *obligationes* incumbunt, at non *exclusis* aliis, v. g. regularibus, neque cum obligatione quadam parochianorum in illis functionibus ad *solum* parochum recurrendi. Huc spectant:

I. *Ius praedicandi verbum Dei* sive in ecclesia sive in scholis vi missionis canonicae ipso officio paroeciali acceptae; at parochiani, non obstante decreto Concilii Tridentini Sess. XXIV, cap. 4, 7, de ref., saltem ex consuetudine iamdiu recepta non tenentur adire ecclesiam paroecialem ad audiendum verbum Dei [52].

II. *Celebratio Missarum* sollemnium per annum sive pro vivis sive pro defunctis [53], salvo iure statuto in can. 482; sed omnes christifideles diebus dominicis et festis praecepto ecclesiastico satisfaciunt, etiamsi in aliis ecclesiis vel oratoriis publicis aut semi-publicis Missam audiunt [54].

III. *Distributio sacrae communionis* sane parochis pro suo iure et officio est concessa [55], salva tamen libertate fidelium sacram communionem etiam paschalem in aliis ecclesiis recipiendi (can. 859, § 3).

[52] *Benedict. XIV*, De Synod. dioec. l. XI, cap. 14, n. 13.

[53] S. R. C. cit. decr. a 1703, n. 10.

[54] Can. 1249, iunct. Leon. X Const. « *Intelleximus* » 13 Nov. 1517; *Benedict. XIV*, l. c. n. 7 sq.; *Bouix*, l. c. p. 506 sq.

[55] *Gasparri*, De sanctiss. Euchar. n. 1082; *Benedict. XIV*, l. c. l. IX, cap. 16, n. 2 sq.; *Ferrari*, l. c. p. 248.

Cum admissio ad primam comunionem etiam in forma *privata* et *extra tempus paschale* ex iure *communi* non spectaret unice ad parochum, nihilominus prima communio in forma *sollemni* ex legibus vel consuetudinibus provincialibus et dioecesanis in non paucis regionibus recensebatur inter functiones exclusive in ecclesia paroeciali peragendas, salvis tamen legitimis exceptionibus, v. g. in communitatibus exemptis et praesertim attento decreto S. C. C. 21 Iul. 1888, iunct. declar. 23 Iul. eiusdem anni. Cfr. quoque decis. S. C. Ep. et Reg. 14 Martii 1908, in Act. S. Sed., XLI, 775; *Il Monitore*, vol. 23, pag. 128 [56].

Quae disciplina iuris particularis, in quantum *practice* excludebat *privatam* admissionem ad primam communionem, penitus abrogata fuit a Pio X per decr. « *Quam singulari* » S. C. Sacr. 8 Aug. 1910, in quo decernitur aetatem discretionis tum ad confessionem tum ad communionem eam esse, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive *supra* sive etiam *infra;* ex quo tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto annuae confessionis et communionis; cuius praecepti a puero ea in aetate adimpletio in eos praecipue recidit, qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium et institutores, et in parochum. *Admissio* vero *ad primam communionem* edicitur pertinere ad patrem aut ad illos qui vices eius gerunt et ad confessarium, quorum est discretionem in puero sufficientem agnoscere, a qua incipit ius et obligatio ad communionem recipiendam. Parocho potius imponitur *obligatio* semel aut pluries in anno celebrandi *communionem generalem* sollemni quodam ritu ad pietatem fovendam aptissimo, in quo admittantur tum ii pueri qui iam sufficienter praeparati nondum de altari sancta libarunt, tum ii qui iam confessarii aut parentum cura primam communionem receperunt. Cfr. *Ferreres*, l. c. pag. 207 sq.; *Vermeersch*, Periodica, V, p. 170 sq. Quae nova disciplina transiit in can. 854.

IV. *Administratio sacr. poenitentiae* in sua paroecia et quo-

[56] *Gasparri*, l. c. n. 1166 sq.; *Bargilliat*, l. c. n. 922 sq.; *Ferrari*, l. c. p. 247; *Ferreres*, La comunión frecuente y la primera comun. ed. 3, p. 199 sq.

ad suos parochianos ex *ordinaria* potestate vi officii legitime obtenti et absque ulteriore approbatione et licentia competit parocho[57], salva necessitate obtinendi specialem facultatem ad confessiones religiosarum valide et licite recipiendas (can. 876 § 1); sed iam pridem parochiani etiam paschali tempore non amplius tenentur proprio suo parocho confiteri[58].

733. *Administratio bonorum temporalium* paroeciae ex iure canonico parochis est propria, nisi ex concessione Ecclesiae etiam laici ad tramites iuris ecclesiastici assumpti in subsidium vocentur[59]. At exinde in non paucis regionibus gubernia civilia ansam ceperunt, ut de administratione temporali paroeciarum non solum propter incompetentiam invalidas, sed etiam quoad rem iniustas et ineptas ferrent leges, quae in praxi tolerantur[60].

734. *Iura utilia* parochorum imprimis continent ius ad *congruam sustentationem*[61] sive ex beneficio vel pensionibus a Guberniis[62] vel beneficiariis solutis[63] vel oblationibus et decimis fidelium[64] pro diversitate regionum suppeditandam.

Speciatim ius habet ad praestationes quae dicuntur iura stolae, et solvuntur in celebratione cultus divini et occasione administrationis sacramentorum et sacramentalium ea quantitate et modo, qui fuerint determinati aut legitima consuetudine aut taxatione facta in Concilio provinciali vel in Episcoporum

---

[57] Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 15, de ref.

[58] Cfr. cap. 12, X. de poenit. V, 38, iunct. *Benedict. XIV*, l. c. l. IX, cap. 16, n. 7 sq.

[59] Cfr. can. 1521, iunct. Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 9, de ref., Sess. XXIV, cap. 3, de ref.

[60] *Bargilliat*, l. c. n. 960 sq., 979 sq. de Gallia; *Friedberg-Ruffini*, l. c. p. 298 sq., 774 sq., de Italia et Germania.

[61] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 13, de ref.; *Lingen* et *Reuss*, Causae select. S. C. C. p. 818, (de reditibus paroecialibus).

[62] Cfr. v. g. de Gallia, *Bargilliat*, l. c. n. 942 sq.

[63] S. C. Ep. et Reg. 16 Mart. 1889, in Act. S. Sed., XXI, p. 560 sq., de iure Episcoporum imponendi beneficiis pinguioribus pensiones *ad vitam onerati beneficiarii* duraturas, iunct. can. 1429.

[64] Cfr. l. III, t. 30, de decim. primit. et oblat. iunct. can. 1502; cap. 42, X. de simon. V, 3; Conc. Trid. l. c.; Leon. XIII Const. « *Romanos Pontifices* » 8 Maii 1881; S. C. C. in caus. Trevir. 11 Maii 1888, de illa parte stipendiorum Missae retinenda quae spectant ad *congruam* paroecialem; *Sebastianelli*, l. c. t. 1, p. 314 sq.

conferentia. Si maiores exegerit tenetur ad restitutionem. Quae praestationes ita ad parochum ratione muneris pertinent, ut ipsi cedant licet officium paroeciale, cuius occasione solvuntur, ab alio fuerit expletum, nisi quoad partem quae taxam superet certo constet de contraria offerentium voluntate. Erga illos, qui pares solvendo non sint, gravis obligatio parocho incumbit non inde negandi gratuitum ministerium (can. 463).

At parochus non potest praetendere ius ad oblationes quae fiunt in aliis ecclesiis ab ecclesia paroeciali independentibus occasione functionum, quae in ipsis peraguntur et non numerantur inter functiones parocho reservatas.

735. *Iura honorifica* plane singularia parochis ordinarie in foro ecclesiastico non reperiuntur concessa[65]; multoque magis parochi abstinere debent, ne sibi vindicent honoris insignia solis Episcopis aliisque Praelatis ecclesiasticis propria[66].

Art. 5. — De obligationibus parochorum

736. Obligationes parochorum sunt:

I. *Professio fidei* catholicae publica et personalis, non per procuratorem facienda, etiam ab eo qui illam iam emiserit in adeptione alterius paroeciae, in manibus Ordinarii vel coram ipsius delegato coniuncta cum *sponsione iurata* permanendi in *obedientia* Romanae Ecclesiae (can. 1406 § 1, 7°).

Quam fidei professionem emittere debet aut ante captam possessionem aut in ipso possessionis capiendae actu (can. 461). Parochus hac in re contumax paroecia privari debet et interim fructus beneficii non facit suos (can. 2403).

II. **Residentiae** obligatione tenetur *in domo paroeciali prope suam ecclesiam*, non in domo parentum aut propinquorum. Quodsi domus paroecialis non habeatur aut alia adsit gravis causa, potest Ordinarius permittere ut alibi intra fines paroeciae commoretur, modo domus ab Ecclesia paroeciali non ita distet ut inde detrimentum capiat paroecialium munerum perfunctio (can. 465 § 1).

---

[65] *Scherer*, l. c. p. 642.

[66] *Bouix*, l. c. p. 499 sq. de delatione stolae in signum iurisdictionis paroecialis et sollemni benedictione populi intra ecclesiam vel extra illam; *Nasoni*, Compend. iur. eccl. p. 141.

Permittitur ipsi abesse per duos ad summum intra annum menses sive continuos sive intermissos. Potest tamen Ordinarius ex gravi causa vel diuturniorem absentiam permittere vel etiam bimestrem absentiam iuxta id quod gravis illa causa requirat coarctare (ib. § 2); quae facultas Ordinarii videtur intelligenda de casibus singularibus non de ampliatione aut restrictione permanenti pro quolibet anno. Porro ad restrictionem temporis potest pertinere aut specialis necessitas gregis, quae pastoris praesentiam requirat aut impossibilitas inveniendi substitutum qui parochum absentem suppleat. Ad ampliandum tempus bimestre videtur sufficere causa, quae vigente iure Tridentino admittebatur (cfr. Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. 1 de ref.); porro in iure Tridentino admittebantur quatuor causarum capita: christiana caritas, evidens et urgens necessitas, obedientia debita, evidens ecclesiae (cui quis praeest) necessitas vel utilitas (*Leuren.*, For. benefic. p. I, q. 376).

In duobus illis vacationum mensibus non computantur dies quibus parochus ad normam can. 126, spiritualibus exercitiis vacet, quos *semel in anno* peragere potest, quin inde quidquam detrahatur de tempore ad requiem concesso (ib. § 3).

Sive continui sive intermissi duo vacationum menses sumantur, si absentia ultra hebdomadam est duratura, parochus antequam paroeciam deserat debet: 1) scriptam ab Ordinario licentiam habere; 2) idoneum vicarium substitutum relinquere ab Ordinario probandum. Quodsi parochus sit religiosus indiget praeterea licentia sui superioris et substitutus relictus debet approbari tum ab Ordinario loci tum a Superiore religioso (ib. § 4).

Si parochus repentina et gravi de causa discedere et ultra hebdomadam cogatur abesse, per talem necessariam et coactam absentiam profecto legem residentiae non violat, debet tamen quamprimum per litteras Ordinarium monere, indicando causam discessus et sacerdotem supplentem relictum eiusque stare mandatis (ib. § 5).

Si absentia parochi hebdomadam non excedat, peculiaris licentia ad discessum non requiritur; debet nihilominus fidelium necessitatibus providere, maxime si id peculiaria rerum adiuncta postulent (ib. § 6).

Parochus legem residentiae violans incurrit ipso facto et

independenter a qualibet sententia declaratoria amissionem fructuum pro rata illegitimae absentiae sive brevis sive longioris. Fructus amissi Ordinario sunt tradendi, a quo ecclesiae, pauperibus vel pio loco sunt distribuendi (can. 2381). Insuper pro diversa casus gravitate poterit parochus privari paroecia, sed instituto processu ad normam can. 2168-2175.

III. **Missa pro populo.** *a*) Concilium Tridentinum (Sess. XXIII, cap. 1) hanc obligationem ita enuntiabat: «cum praecepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre*»: quibus verbis obligationem missae pro populo applicandi quoad substantiam ex iure divino repetebat[67]. Quae obligatio deinde iure ecclesiastico magis fuit determinata quoad dies et quoad alias circumstantias, praesertim Const. «*Cum semper oblatas*» Benedicti XIV (a. 1747) et Const. «*Amantissimi*» Pii IX (a. 1858). Quam praecedentem disciplinam paucis immutatam exhibet Codex. In qua quoad dies quibus missa applicanda est fit distinctio inter *parochos* et *quasi-parochos*. *Parochis* incumbit obligatio iisdem diebus quibus tenentur Episcopi, i. e. omnibus diebus dominicis aliisque festis diebus de praecepto *etiam suppresis*, i. e. diebus contentis in catalogo festorum Urbani VIII, itemque in quocumque alio festo de praecepto respectivae dioecesis. *Quasi-parochi solum* tenentur illis decem diebus qui pro Vicariis Apostolicis assignati sunt can. 306 (can. 466 § 1).

b) Si parochus plures regat paroecias aeque principaliter unitas, non amplius ut antea[68] tenetur applicare singulas missas pro singulis paroeciis, sed obligationi suae facit satis applicando unicam missam pro populis sibi commissis; idem obtinet si praeter propriam paroeciam aliam vel alias in administrationem habeat[69*] (ib. § 2).

---

[67] Illud tamen ius divinum *absolute* solos Episcopos videtur respicere, parochos nonnisi *hypothetice*. Cfr. *Duballet*, Traité des paroisses, vol. II, n. 690, iunct. Leonis XIII Const. «*In suprema*» 28 Iunii 1882.

[68] Cfr. decis. S. C. C. in caus. *Comen.* 11 Maii 1720; in *Lucen.* 12 Mart. 1774.

[69*] Sed parochus, qui plures paroecias sibi commissas habeat, si distincti sint dies in quibus occurrant festa Patronorum, etsi nunc suppressa, debet Missam pro populo applicare ipsis diebus assignatis, in

c) Potest Ordinarius iusta de causa permittere ut parochus missam pro populo alia die applicet ab ea qua iure adstringitur (ib. § 3). Causa ad hoc legitima iam in doctorum doctrina antea admissa erat, si parocho pauperi eo die stipendium offeratur, quo altera die caret. Ad hanc causam facultas Codicis non restringitur, sed aliae illam mutationem diei legitimam reddere possunt, v. gr., praeter infirmitatem, exercitia spiritualia, onus susceptum celebrandi Missas Gregorianas aliaeque similes[70].

d) *Locus* in quo celebranda est missa pro populo applicanda est ipsa ecclesia paroecialis, nisi rerum adiuncta alibi celebrandam *exigant* aut *suadeant* (ib. § 4).

Quodsi parochus legitime sit absens a paroecia, liber est ut vel ipse per se pro populo applicet in loco ubi versatur vel missam applicandam committat sacerdoti qui eius vices in paroecia gerat (ib. § 5).

Illa obligatio parochi est vera obligatio *iustitiae*, quae ita urget, ut sive scienter sive ignoranter missa die praescripto non fuerit applicata, maneat onus eam quantocius alia die applicandi, nisi condonatio a Sede Apostolica, v. gr. per S. Paenitentiariam, fuerit obtenta. Inde etiam efficitur quod pro ipsa eleemosyna sive stipendium recipi nequeat (can. 825, 2°).

IV. **Celebratio divinorum officiorum.** Tenetur parochus officia divina celebrare. Quo nomine can. 2256 intelliguntur functiones potestatis ordinis ad divinum cultum ordinatae et a solis clericis exercendae; at sicut sub rubrica de Capitulis canonicorum divina officia sumuntur in sensu restricto de officio chorali secundum leges liturgicas persolvendo, ita hic dicendae sunt significari illae functiones liturgicae quae praescribuntur in Missali et Rituali romano, velut benedictio Candelarum, Cinerum, Palmarum, officia Hebdomadae Sanctae, Missae sollemnes, processiones. Vesperae diebus dominicis, ubi adest consue-

quibus recolenda occurrunt festa Patronorum; agitur enim de onere affixo diei determinato. Applicatur vero praescriptum canonis 466 § 2, si Patroni diversarum paroeciarum ei commissarum eodem die recolendi occurrant. S. C. C., Blesensis; cfr. A. A. S. XX, 84; Period. XVII, 64.

[70] Illa expressa licentia Episcopi ad unum actum non videtur esse stricte necessaria, sed solum ut mutatio diei fieri possit permanenti modo quoties illa causa occurrerit. Cfr. can. 339 § 6.

tudo, aliaeque functiones quas aut R. Pontifex, aut Concilium Provinciale vel Synodus dioecesana vel ipse Episcopus sive permanenti modo, sive occurrente speciali circumstantia aut necessitate praescripserint. Fidelibus ius est, ut in propria paroecia huiusmodi functionibus cultus et pietatis intersint, cui iuri respondet in parocho obligatio illas vi muneris pastoralis in bonum suorum parochianorum exercendi.

Vicissim obligationi parochi celebrandi divina officia pro utilitate parochianorum respondet *commendatio* data, non *obligatio* imposita, fidelibus frequentandi propriam paroecialem ecclesiam, uti ibi divinis officiis intersint et verbum Dei audiant. (can. 467 § 2).

V. **Ministrare sacramenta** debet fidelibus *quoties legitime petant*, etiam extra gravem necessitatem (can. 467 § 1). Quae obligatio est *personalis* parochi, ideoque ab ipso quantum fieri possit personaliter praestanda, praecipue si nominatim a fidelibus requiratur; nec totum hoc munus aliis presbyteris, v. gr. vicariis aut substitutis committere potest[71], licet in foro externo vix fieri poterit ut puniri possit qui huiusmodi obligationi plene per alios satisfaciat, saltem sine praecedente monitione canonica. Quod petitio fidelium sit necne legitima, haud parum pendet ab usu et consuetudine locorum. In rigore solus *indignus* sacramenta petit *illegitime*, et quoad sacramenta quorum administratio pertinet ad functiones paroeciales, tum solum illegitime petuntur cum aut ius non habeat ea ministrandi aut ab illis ministrandis prohibeatur. Generatim tamen petitio fidelium censetur *legitima* et rationabilis, non solum si fidelis *ex praecepto* sacramenta suscipere teneatur aut *ex necessitate* consulendi conscientiae sacramento indigeat, sed etiam si *ex mera devotione* ob utilitatem seu profectum spiritualem ad sacramenta velit accedere.

In particulari Codex can. 892 § 1, insistit in gravi obligatione iustitiae audiendi sive per se sive per alium confessiones fidelium rationabiliter audiri petentium, licet pro ratione libertatis quam in eligendo confessario relinquit Ecclesia, Ordinariis et parochis can. 608 commendetur ut libenter admittant et requirant operam religiosorum in dioecesi degentium.

[71] Cfr. S. C. C. 16 Sept. 1645, 20 Iunii 1776.

Multo gravior est obligatio ministrandi sacramenta cum agitur de ultimis sacramentis et generatim cum agitur de aegrotis, quos parochus sedula cura et effusa caritate debet spiritualiter adiuvare, ad ultima sacramenta tempestive et cum adhuc sunt compotes sui recipienda praeparare atque eorum animas ad praescripta Ritualis Romani Deo commendare (can. 468 § 1). Quae obligatio urget etiam erga eos, qui ratione domicilii aut quasi-domicilii veri parochiani non sint.

Atque huc spectat nova [72] facultas per Codicem can. 468 § 2, facta quibuslibet parochis aliisve sacerdotibus qui infirmis assistant, concedendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis; quae benedictio regulariter impertienda est post suscepta sacramenta moribundorum, nec omittenda est tametsi moribundus iam linguae ceterorumque sensuum usu sit destitutus aut in delirium inciderit (Rit. Rom. tit. V, cap. 6): videlicet dari potest omnibus, quibus licite absolutio et extrema unctio, etiam *sub conditione,* dari possit; quare etiam pueris, qui nondum primam communionem acceperint, si peccati capaces sint, cum indulgentiae iis prosint qui sive graviter sive leviter peccaverint (*Ferreres,* Inst. I, 764). Formula autem liturgica ea est, quae a Benedicto XIV, Const. « Pia mater » praescripta fuit et in Rituali Romano, loco citato, traditur.

VI. **Vigilantia** et cura **pastoralis** ad eliminanda vitia, peccata, pravas occasiones per convenientes et prudentes correptiones ac monita salutaria; quae obligatio impleri non potest nisi parochus suas oves cognoscat, ideoque, si ad ecclesiam et parochum non accedant, visitet. Praeterea positive debet promovere vitam christianam inter diversos coetus parochianorum ac instituere et fovere opera caritatis, fidei et pietatis, v. gr. libros bonae lectionis, societates seu associationes religiosas, pia sodalitia, conferentias S. Vincentii a Paula, aliasve associationes

[72] Iure praecedenti Episcopus debebat illam facultatem a R. Pontifice impetrare, qua impetrata poterat benedictionem impertire per se vel per alium (Benedict. XIV, Const. « *Pia mater* » 5 April. 1747). Sed iam Pius X (decreto S. Officii 1 April. 1909) concesserat ut quilibet sacerdos advocatus ad sacramenta ministranda feminae religiosae posset illam benedictionem impertire, cum antea Ordinarius non posset delegare nisi confessarium.

quae pro praesenti conditione *sociali* opificum requiruntur (can. 467, 469) [73].

VII. **Cura paterna pauperum et miserabilium** personarum speciali ratione parochis est commendata (can. 467 § 1); quam curam Concilium Tridentinum (Sess. XXIII, cap. 1) ex iure divino repetit.

VIII. Parocho quoque competit curam adhibere in catholica puerorum institutione (can. 467 § 1). Inde obligatio *inspectionis scholarum,* quae in paroecia existunt, quatenus privilegia exemptionis, ordinationes iuris particularis aut iniustae leges civiles non obstant [74].

737. Libri paroeciales. Una ex praecipuis parochorum obligationibus illa est, quae pertinet ad accuratam scriptionem et custodiam *librorum paroecialium.* Quae praescriptio de libris paroecialibus iam continetur in Rituali Romano tit. X, c. 2 sq. Veniunt autem illo nomine regesta, in quibus omnia notantur quae ministerium paroeciale respiciunt et hoc loco (can. 470) quinque enumerantur:

a) *Liber baptizatorum* in quo nomen et cognomen baptizati adnotatur, necnon locus et dies collati sacramenti, nomen et cognomen patrini matrinaeve cum aliis opportunis indicationibus. In particulari nunc adnotandum est sub nomine cuiusque baptizati, utrum confirmationem receperit, utrum matrimonium contraxerit, excepto casu matrimonii conscientiae, quod in parochi libris reperiri non debet, sed in secreto libro Curiae; utrum ordinem subdiaconatus susceperit aut sollemnem professionem emiserit. Cui parochi obligationi respondet in ministro vel subiecto confirmationis et ordinis, in adsistente matrimonio et in Superiore religioso obligatio participandi hos actus parocho baptismi. Quandocumque petantur documenta accepti baptismi, omnes istae adnotationes referri debent; et inde ex solo testimonio baptismi facile cognosci potest libertas status eorum, qui matrimonium inire intendunt.

b) *Liber confirmatorum,* in quo actus confirmationis suscep- tae adnotari debet ad normam can. 798.

[73] Cfr. Collect. Lac. v. Parochus.

[74] Collect. Lac. v. Parochus, Educatio; Leo XIII Const. « *Romanos Pontifices* »; Collect. S. C. de P. F. (ed. 1). n. 467 sq.

c) Liber matrimoniorum, in quo celebrata matrimonia inscribi debent secundum praescripta can. 1103 ab ipso parocho sive per sive per alium vices suas gerentem, idque licet alius sacerdos a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

d) Liber defunctorum, in quo actus defunctionis adnotetur ad praescripta can. 1238.

e) Liber status animarum, in quo ordine alphabetico vel alio apto ordine singulae familiae, singula earum membra accurate quantum fieri possit describantur.

Cum inscriptiones in libris paroecialibus facta sint documenta publica, quae fidem faciunt (can. 1813, 1816), negligentia parochi in libris conscribendis et custodiendis facile grave reatum constituit, quod ad normam can. 2383, puniri debet. Structura et forma horum librorum, licet aliqua ratione iam indicetur in Rituali Romano, possunt magis determinari per normas ab Ordinariis locorum traditas.

In fine cuiuslibet anni tenetur parochus authenticum exemplar librorum paroecialium ad Curiam episcopalem transmittere, excepto libro de statu animarum (can. 470, § 3). Quare illi quatuor priores libri in duplici exemplari sunt conficiendi, quorum alter penes parochum, alter penes Curiam dioecesanam est custodiendum, qua duplicitate exemplaris cavetur ne possint amitti, v. gr. incendio aut alio simili infortunio. Inde autem clare infertur Episcopum iure et onere retinendi libros paroeciales, quorum usus adhuc occurrat, non posse privare parochos etiam praetextu eos servandi in archivo dioecesano; qua de re etiam iniuste privaret parochum iure percipiendi emolumenta solvi solita, dum postulatur exscriptum exemplar seu attestatio ex dictis libris depromenda.

Tabularium. Custodia librorum a parocho fieri debet illo modo securo a iure praescripto, videlicet in tabulario seu archivo rite ordinato et bene clauso. In quo, praeter libros paroeciales, etiam custodiri debent epistolae Episcoporum aliaque documenta necessaria vel utilia, v. gr. memoriale relictum ab Episcopo in canonica dioecesis visitatione.

Porro ex aliis iuris praescriptis in memorato archivo diligenter custodienda sunt: 1°) Accuratum inventarium rerum immobilium, mobilium pretiosarum aliarumque ad paroeciam, i. e. ecclesiam vel domum seu beneficium paroeciale pertinentium cum descriptione atque aestimatione earundem (can. 1522, 2°, 3°). 2°) Documenta et instrumenta, quibus iura ecclesiae seu beneficii paroecialis in bona nitantur (can. 1523, 6°). 3°) Liber in quo accurate notatae sint omnes fundationes et omnia onera sive perpetua sive temporanea eorumque adimplementum et eleemosynae (can. 1549).

Sigillum paroeciale. Cum parochus sit testis qualificatus in rebus ad proprium officium pertinentibus, iure et officio gaudet habendi proprium sigillum, quo documenta ab ipso vel ab alio eius vice subscripta authenticitate donentur (can. 470, § 4).

Scholion. De aliis parochorum iuribus et obligationibus, velut circa funera parochianorum, circa verbi divini praedicationem et catecheticam instructionem, Codex aliis locis agit.

Art. 6. — De amissione officii parochorum

738. Officium parochorum omnibus illis modis cessat, quibus generatim beneficia vel officia ecclesiastica amittuntur, veluti per mortem, renuntiationem, permutationem, iuris dispositionem vel privationem ob delictum.

Renuntiatio paroeciae eiusque permutatio cum alio beneficio communes sequitur regulas de renuntiatione et permutatione beneficiorum in parte generali iam propositas. Pariter fieri debet ad normam iuris de privatione poenali ceterorum officiorum et beneficiorum privatio *stricte poenalis* beneficii paroecialis, hoc prae oculis habito principio, quod privatio poenalis beneficii *inamovibilis* tantum decerni potest *in casibus iure expressis* (can. 2299 § 1).

Speciales regulae servandae sunt in remotione oeconomica seu summaria parochi propter *defectum residentiae* aut *delictum concubinatus;* sed quoad substantiam non differunt a modo procedendi contra alios clericos non residentes aut concubinarios et traduntur can. 2168-2181, quorum expositio ad tractatum de processibus est remittenda.

Speciales omnino regulae traduntur ad removendum parochum sive amovibilem sive inamovibilem, quando eius ministerium, etiam citra gravem suam culpam, noxium aut saltem inefficax redditum est; itemque ad remotionem quae decerni potest contra parochum in adimplendis paroecialibus officiis

negligentem atque ad translationem boni animarum causa facienda a paroecia, quam parochus utiliter regit, ad aliam ad cuius bonum procurandum designatur. Cfr. can. 2147-2167 et 2182-2185.

CAPUT X

De Vicariis paroecialibus

Fontes et Scriptores ut in capite praecedenti[1].

Praenotiones

739. I. Notio. Vicarii paroeciales in genere intelliguntur omnes illi presbyteri, qui *vices* agunt alicuius *parochi* in exercitio *curae animarum*.

II. **Vicariorum variae species.** Ob diversam causam, propter quam constituitur vicarius paroecialis, quinque species in Codice distinguuntur ac proprio nomine designantur; quae nova Codicis designatio omnino retinenda esset tamquam fixa terminologia ad vitandam confusionem quae ex diversa appellatione, in non paucis locis ante Codicem adhibita, provenire potest. Sunt autem: *vicarius curatus, vicarius oeconomus, vicarius substitutus, vicarius adiutor, vicarius cooperator.*

a) *Vicarius curatus* ille est qui constituitur ad *actualem* curam animarum exercendam, quando cura habitualis est penes Capitulum aliamve personam moralem, cui paroecia sit unita *pleno iure*, i. e. tum quoad temporalia tum quoad animarum curam (can. 471 § 1).

b) *Vicarius oeconomus* ille est, qui, vacante paroecia, ad eam regendam constituendus est, donec de proprio rectore provideatur (can. 472, 1°).

c) *Vicarius substitutus* est ille, qui in temporanea absentia parochi habilis vel in huius recursu contra sententiam firmam privationis in paroecia constituitur, ut in omnibus, quae ad animarum curam spectant, absentem vel remotum parochum suppleat, nisi Ordinarius loci vel parochus aliquid exceperint (can. 474). Duo casus declarantur can. 465 §§ 4, 5, can. 1923 § 2.

[1] Cfr. speciatim *Leuren.*, Forum benef. P. I, q. 108 sq.; *Bouix*, De parocho p. 417 sq.

d) *Vicarius adiutor* ille dicitur, qui ob parochi senectutem, mentis vitium, imperitiam, caecitatem aut aliam permanentem causam, quae ipsum suis muniis imparem reddit, constituitur ut parochi vicem gerat seu suppleat iuxta Ordinarii deputationem cum assignatione congruae partis fructuum (can. 475).

e) *Vicarius cooperator* ille est, qui parocho residenti et habili datur in auxilium, cum ob populi multitudinem aut aliam causam iudicio Ordinarii solus non sufficit ad convenientem curam paroeciae gerendam (can. 476).

Prima et ultima species constituuntur ob causam permanentem seu semper relate ad determinatam paroeciam specialis conditionis permanentis; alii vicarii nominantur ob causam temporaneam dependentem a conditionibus parochi illam regentis. Excepto vicario curato qui de se perpetuus est, ceteri sunt ad nutum Episcopi vel Vicarii Capitularis amovibiles, nisi agatur de vicario cooperatore qui vicariam habeat beneficialem.

§ I - De vicariis curatis[2]

740. I. Notio. Quoties paroecia *pleno iure* fuerit unita domui religiosae, ecclesiae capitulari vel alii personae morali, cura animarum *actualis* debet necessario exerceri per singularem personam, quae iure dicitur *vicarius* i. e. *vicarius curatus*, penes personam moralem sola remanente cura *habituali* (can. 471 § 1).

II. **Nominatio et institutio.** Vicarium curatum praesentat Superior religiosus, Capitulum aut alia persona moralis; institutionem dat Ordinarius loci, i. e. Episcopus, Vicarius Capitularis vel Vicarius Generalis ex mandato speciali, postquam per examen aliasque informationes etiam secretas, si opus fuerit, ad normam can. 459, praesentatum idoneum reperit.

[2] Cfr. cap. 15, X. de praeb. III, 5; Conc. Trid. Sess. VII, cap. 7, Sess. XXV, cap. 16; Pii V Const. «*Ad exequendum*» 1 Nov. 1567; Benedict. XIV Const. «*Firmandis*» 6 Nov. 1744; *Bouix*, De Capit. p. 231 sq.; *De Herdt*, de Capit. p. 90 sq.

Alium modum nominationis admittit legitimum privilegium aut consuetudo; itemque si vicariae dotatio facta est ab Episcopo cum reservatione liberae collationis, tunc excluditur a praesentationis iure persona moralis.

Porro si persona moralis, cui unita est paroecia sit domus religiosa, paroecia fit religiosa et vicarius nominandus debet esse sacerdos illius religionis (can. 1425 § 2).

III. **Iura et obligationes.** Cum tota animarum cura pertineat ad vicarium, excluso quolibet interventu personae moralis, consequenter vicarius omnia habet iura et omnes obligationes parochorum ad normam iuris communis et secundum probata statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines. Quare a ceteris parochis, salvis memoratis consuetudinibus vel statutis dioecesanis, solo differunt nomine (471 § 1).

Quodsi vicarius sit religiosus, in iis quae animarum curam spectant perinde ac verus parochus religiosus iurisdictioni, correctioni et visitationi Ordinarii loci subest ad normam can. 631, 1425.

Conc. Tridentinum, cum instituit vicarios perpetuos iniunxit ut vicario assignaretur tertia pars fructuum beneficii paroecialis, vel etiam maior aut minor iudicio Ordinarii, quam facultatem Ordinarii a Pio V restrictam iterum restituit Benedictus XIV et firmavit etiam Codex (can. 471 § 1), relinquens arbitrio Ordinarii assignationem congruae portionis in ipsa constitutione vicarii, quam deinceps suo arbitrio mutare non potest. Ad vicarium curatum pertinent oblationes et iura stolae perinde ac si esset verus parochus.

IV. **Remotio.** Si agitur de vicario religioso perinde amoveri potest ac parochus religiosus, i. e. est amovibilis ad nutum tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris religiosi, monito Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu (can. 454 § 5). At vicarii curati qui religiosi non sint, cum ex parte praesentantis sint perpetui nec personae morali praesentanti ullum ius competat in eorum remotione, ab Ordinario in iisdem casibus, iisdem formalitatibus observatis removeri possunt, quibus ceteri parochi (can. 471 § 3). De remotione facta moneri debet is qui praesentavit, cum praecedente vicario remoto subintret ius praesentandi novum vicarium.

§ II. Vicarius oeconomus

741. I. **Notio.** Cum immediata cura animarum propria parochorum omni momento sit necessaria, requiritur prorsus sacerdos cui illa cura sit commissa, vacante paroocia; atque is dicitur *vicarius oeconomus.* Eius necessitatem iam induxit Concilium Tridentinum sess. XXIV, cap. 18, et dispositionem Tridentinam firmavit Benedictus XIV Const. « *Cum illud* » 14 Dec. 1742, et denuo iteravit Codex can. 472: « Vacante paroecia, Ordinarius loci in ea quamprimum constituat idoneum vicarium oeconomum ». Immo ne ullo momento parochiani maneant sine pastore, eodem canone iniungitur: « Ante oeconomi constitutionem, paroeciae regimen, nisi aliter provisum fuerit, assumat interim vicarius cooperator; si plures vicarii sint, primus; si omnes aequales, munere antiquior; si vicarii desint, parochus vicinior et ne possit esse quaestio inter parochos circumstantes quis eorum vicinior dici debeat, Ordinarius sive in Synodo sive extra Synodum tempestive determinet quaenam paroecia cuique paroeciae vicinior habenda sit; demum si agatur de paroecia concredita religiosis, interim regimen assumere debet Superior religiosus ». Is autem qui intermedio tempore paroeciam assumit interim regendam, statim Ordinarium de paroeciae vacatione edocere debet.

II. **Nominatio** vicarii oeconomi libere pertinet ad Ordinarium loci, tametsi agatur de paroecia reservata aut forte iuris patronatus, quod non exercetur nisi respectu titularis paroeciae. Si tamen Ordinarius pro illo regimine provisorio eligeret religiosum, deberet habere consensum Superioris religiosi, ut est manifestum ex subordinatione quam ratione voti obedientiae habet religiosus erga suum Superiorem.

Vicario nominato ex fructibus beneficii debet Ordinarius assignare congruam partem pro sustentatione, nisi iam sit assignata statutis dioecesanis aut legibus concordatis.

III. **Iura et officia.** Vicarius oeconomus, durante munere plene supplet parochum, ideoque iisdem iuribus quibus parochus gaudet, iisdem obligationibus tenetur quoad animarum curam, v. gr. tenetur ad residentiam, ad applicandam missam pro populo, ad praedicationem et catechesim etc. Quiquid autem sit

de natura potestatis, utrum dicenda sit *ordinaria* vel *delegata* [3], certe eius potestas ita pertinet ad universalitatem causarum, i. e. ad universum officium paroeciale, ut perinde ac verus parochus possit alium sacerdotem delegare ad omnia officia in eius munere contenta.

Licet autem vicario oeconomo competant, praeter usum domus paroecialis, taxae, obventiones et oblationes quae induunt naturam stipendii manualis, ipse autem, cum beneficium paroeciale in titulum non habeat, ius ad reditus beneficiales non habet, excepta congrua portione ipsi assignata, beneficii tamen habet provisoriam administrationem. Qui character provisorius beneficii et officii paroecialis efficit ut ipsi non liceat quidquam agere in paroecia quod iuribus parochi aut beneficii paroecialis praeiudicium afferre possit (can. 473 § 1); v. gr. nequit minuere taxas, celebrare concordiam circa aliquod ius controversiae obnoxium, locare partem domus paroecialis ultra tempus quo munus ipsius est duraturum, et in genere nihil potest agere, quo mutetur status paroeciae quoad iura sive spiritualia sive temporalia, quam debet tradere successori in eodem statu, quo ipsam recepit aut, si fieri possit, meliori.

Ob eandem rationem regiminis provisorii tenetur novo parocho vel oeconomo successori coram vicario foraneo vel alio sacerdote ab Ordinario delegato tradere clavem archivi et inventarium librorum ac documentorum aliarumque rerum ad paroeciam pertinentium, et rationem reddere accepti et expensi tempore administrationis (can. 473 § 2). Videlicet traditio paroeciae novo parocho debet fieri comprobando per collationem cum inventario existentiam omnium librorum, documentorum et rerum ad paroeciam pertinentium.

IV. **Cessatio** officii. Ex natura rei vicarius oeconomus est ad nutum Episcopi removibilis, salva naturali obligatione consulendi ipsius honori. Praeterea cessare potest ob consuetas causas, quibus alia officia cessant, v. gr. per renuntiationem. Munus ordinarie durat usque ad novi parochi institutionem.

Scholion. Mens iuris est ut munus vicarii oeconomi ad breve tempus duret; munus enim quod precario habetur minus sollicite curatur quam quod habetur ut proprium. Nihilominus ius Codicis adoptavit ius praecedens contentum in Const. Pii V, «*In conferendis*» et «*Apostolatus officium*», vi cuius paroeciae debent provideri infra sex menses: immo dat facultatem Episcopo ut tempus illud possit ampliare, si peculiaria adiuncta suadeant (can. 458); sed hoc debet haberi ut exceptio.

[3] Cfr. A. S. S., VIII, p. 129 sq., ubi S. C. C. noluit decidere utrum ordinaria vel delegata esset potestas vicarii oeconomi, concessit tamen alium sacerdotem ab eo delegari posse *ad omnia*, nisi obstet voluntas Ordinarii.

§ III. Vicarius substitutus (can. 474)

742. I. **Notio.** Ex iam traditis est officium temporaneum illius sacerdotis qui vices parochi supplet: 1°) cum ipse est absens ob quamcumque causam; 2°) cum interposuit recursum contra sententiam firmam privationis paroeciae, cuius sententiae *executio* per talem recursum suspenditur, sed parochus non potest interim tenere regimen paroeciae ideoque vicarius est nominandus [4].

II. **Nominatio** in primo casu pertinet ad parochum, sed si absentia erit ultra hebdomadam debet substitutus approbari ab Ordinario, nisi agatur de absentia ex repentina et gravi causa, quae per litteras est Ordinario notificanda. In altero casu constitutio vicarii substituti pertinet exclusive ad Ordinarium.

III. **Potestas** declaratur in hoc quod parochi locum teneat in omnibus, quae ad curam animarum pertinent, nisi Ordinarius loci vel parochus aliquid exceperint (can. 474); v. gr. parochus absens poterit sibi reservare applicationem Missae pro populo, quae reservatio, attento canone 466 § 5, supponenda est, nisi substituto expresse Missae applicationem commiserit [5].

In utroque casu constitutionis vicarii substituti congrua retributio seu merces ipsi est assignanda; quae retributio solvenda est a parocho absente qui substituitur; in altero vero casu

[4] Eadem praescripta videntur applicanda in remotione oeconomica seu summaria, dum recursus pendet apud S. Sedem ad normam can. 2146.

[5] Consequenter ad hoc quod parochi locum teneat in omnibus, Commiss. Codic. (14 Iulii 1922, A. S. S., XIV, pag. 527 sq.) resolvit vicarium substitutum pro absentia ultra hebdomadam post approbationem Ordinarii, si nulla limitatio apposita fuerit, posse valide et licite assistere matrimoniis, non ante approbationem; idemque obtinet quoad vicarium parochi religiosi etiam ante approbationem Superioris religiosi;

est determinanda ab Ordinario et ex fructibus aliisque obventionibus parochi damnati est desumenda. In primo casu obventiones, taxae et alia huiusmodi incerta pertinent ad parochum absentem; in altero casu, nisi Ordinarius illos concedat substituto tanquam partem retributionis, reservanda sunt sicut fructus beneficii donec S. Sedes recursum ad se factum resolverit.

§ IV. Vicarius adiutor (can. 475) [6]

743. Notio. I. Cum « afflictio afflicto non sit addenda » (cap. 1, 5, X. de cleric. aegrot. III, 6), Ecclesia non vult, ut ad consulendum curae animarum tanquam ad primum medium recurratur ad remotionem parochi, qui plene ministerium paroeciale exercere non potest propter senium, aut coecitatem, surditatem, paralysim aliosque similes morbos aut propter perturbationem seu debilitatem mentis, vel imperitiam seu defectum capacitatis mentalis supervenientis; sed prudenter providet ut, antequam procedatur ad remotionem, ei succurratur dando ipsi *vicarium adiutorem* in quantum hoc sit possibile et sufficiat ad subveniendum necessitatibus paroeciae. Tunc autem solum recurri potest ad remotionem, cum extantibus memoratis causis per vicarium adiutorem, iudicio Ordinarii, bono animarum satis consuli non possit (can. 2147 § 2, n. 1°).

II. **Nominatio** ex natura rei pertinet ad Ordinarium, cui directe a iure imponitur obligatio dandi vicarium etiam parocho invito. Nihil tamen impedit quominus parochus, qui sit mentis compos et deberet ipse petere adiutorem, sacerdotem proponat, quem tamen Ordinarius non tenetur admittere. At si agatur de paroecia religiosa, illum praesentat Superior religiosus et approbat Ordinarius.

Vicario adiutori assignanda est congrua retributio ex natura rei desumenda ex fructibus beneficii, nisi alia ratione provideri possit.

Obventiones, oblationes aliaque incerta, utpote iura paroe-

---

idem pariter obtinet relate ad sacerdotem supplentem relictum a parocho ex repentina et gravi causa discedente, quoadusque Ordinarius, cui significata fuit designatio supplentis aliter non statuerit.

[6] Cfr. Decret. Gregor. IX, l. III, tit. 6, et Commentatores in h. t.; *Leuren.*, Tract. quatern. de vicariis, q. 305 sq.

cialia, pertinent ad parochum, in quantum ab Ordinario non fuerint gravata in favorem vicarii ad constituendam eius congruam portionem.

III. **Potestas vicarii adiutoris** varia esse potest. Duplicem namque ius assignat modum deputationis pro diverso statu parochi coadiuti, secundum prudens Ordinarii iudicium: vel enim deputatur ut *in omnibus* parochi vices suppleat, vel tantum ut *ex parte*. In primo casu cura animarum ita tota est penes vicarium adiutorem cum omnibus iuribus et officiis quae parochis competunt, ut parochus coadiutus nullam limitationem facere possit in vicarii potestate. Ab obligationibus unam excipit Codex, applicationem missae pro populo; quae exceptio, cum sit absoluta, parocho incumbit onus eam applicandi per se vel per alium soluto stipendio: quodsi parochus ita sit impos sui ut alteri applicationem committere non possit, Ordinarii erit providere, v. gr. committendo applicationem vicario cum debita retributione seu stipendio. In altero casu, quo parochum suppleat *ex parte*, potestas, iura et obligationes desumenda sunt ex litteris deputationis.

Quare quae antiqui canonistae disputabant de relationibus inter beneficiarium coadiutum non plane inhabilem et coadiutorem, doctrinam applicando casui vicarii dati parocho in adiutorium (cfr. *Leuren.*, l. c. q. 397, sq.), quoad hanc applicationem habenda sunt iure Codicis ut antiquata.

Si parochus est sui compos, regimen paroeciae penes ipsum manet; quare vicarius in exercitio sibi traditae potestatis manet subiectus et subordinatus auctoritati parochi non tamen absolute, sed secundum modum ab Ordinario in nominatione determinatum. Ante Codicem canonistae rem explicabant dicendo iurisdictionem paroecialem et curam animarum manere quoad habitum in coadiuto, coadiutorem habere dumtaxat eius exercitium; (*Leuren.*, l. c. q. 411); quae formula satis apta est ad indicandam dependentiam vicarii adiutoris a parocho, sed cum illa limitatione Codicis de attendendis praescriptis ab Ordinario in litteris deputationis.

IV. **Remotio** vicarii adiutoris ex can. 477 § 1 fieri potest ad nutum Episcopi.

§ V. Vicarius cooperator (can. 476)

744. I. Institutio cooperatorum paroecialium, secundum praxim iam tempore medii aevi praeformatam[7], a Patribus Tridentinis Sess. XXI, cap. 4, de ref. hac ratione praescripta fuerat, ut *Episcopi* in omnibus ecclesiis paroecialibus vel baptismalibus, ubi populus ita numerosus esset, ut unus rector non posset sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, *cogere* debebant *rectores* vel alios, ad quos pertinet, sibi *tot* sacerdotes ad hoc munus *adiungere, quot* sufficerent ad sacramenta administranda et cultum divinum celebrandum.

Codex illud ius firmavit, sed praeter populi multitudinem admisit alias iustas causas iudicio Ordinarii iuvamen cooperatorum exigentes et, loco cogendi parochum directe, imponit Ordinario obligationem dandi cooperatores unum vel plures (can. 476, § 1). Illud praeterea iure Codicis ex praecedenti iurisprudentia firmatum est, quod etiam propter populi multitudinem potest Ordinarius paroeciam dividere, si per vicarios cooperatores prudenter iudicet bono animarum non satis consuli (can. 476 § 8, can. 1427).

II. **Nominatio** huiusmodi cooperatorum ex iure Tridentino sine ullo dubio spectabat ad *ipsos parochos. Episcopo* reservatum erat ius *determinandi numerum* cooperatorum, quos parochi sibi assumere debebant, et *examinare* et *approbare* et opportunis *facultatibus* munire cooperatores a parochis nominatos. Quodsi parochi ab Episcopo moniti, congruo termino ipsis praefixo, cooperatores *sufficienti* numero *assumere* plane *neglexissent*, aut coadiutores quidem nominassent sed *legitimis* qualitatibus destitutos, nec intra terminum ab Episcopo praefixum alios vere idoneos praesentassent, tum demum ad ipsos Episcopos spectabat propria auctoritate libere deputare parochis idoneos cooperatores[8].

Iure Codicis consequens illa mutatio facta est, quod libera nominatio vicarii cooperatoris non amplius ad parochum pertinet sed ad Ordinarium, audito tamen parocho. Quodsi agatur de paroecia religiosa, Superior religiosus, audito parocho, vicarium Ordinario praesentat, Ordinarius approbat si idoneum repererit.

Codex optionem tribuit Episcopo, si plures vicarii constituantur, *a*) ut omnes constituat aequales vel gradationem quandam inter ipsos statuat (cfr. can. 472, n. 2 de *primo* vicario et de vicariis *aequalibus*); *b*) ut constituat ipsos pro ministerio praestando in universo paroeciae territorio, vel singulis designet determinatam territorii partem, quod ultimum praesertim habere locum poterit, ubi aliquod oppidulum ab ecclesia paroeciali distans habetur ut adnexum illius ecclesiae paroecialis.

III. **Potestas, iura et obligationes.** Extra casum, quo obtineant verum beneficium curatum sive manuale sive titulare, cui in limine fundationis[9] certa iura et officia, parocho tamen subordinata, fuerint concessa, ex iure communi potestas et officium vicarii desumitur ex munere iuvandi parochum in ministerio paroeciali. In particulari iura et obligationes desumi debent ex statutis dioecesanis, ex litteris deputationis Ordinarii et ex ipsius parochi commissione. Qui parochus, cum ei vicarii sint dati ut eius vices suppleant in universo ministerio paroeciali, singulos actus ministerii paroecialis potest eis committere praeterquam Missae applicationem pro populo, nisi agatur de casu absentiae et in genere quando illam applicationem legitime posset alteri sacerdoti committere. Qua facultate parochus non liberatur ab oneribus, quae personalia sunt: v. gr. praedicatio est obligatio personalis, quam non potest reicere in vicarium cooperatorem, saltem sine consensu Ordinarii, licet possit exigere ut praedicet, dum ipse est legitime absens, ac potest, immo expedit ut nonnunquam ei praedicationem committat atque ita eum praeparet ad paroeciale ministerium.

---

[7] Cfr. c. 2 Conc. Vasens. (a. 629); c. 14 Conc. Tolet. XI, (a. 675); cap. 2, X. de fil. I, 17, cap. 3, X. de vit. et honest. III, 1; cap. 30, X. de iure patr. III, 38; *Scherer*, l. c. p. 649; *Hinschius*, l. c. p. 318.

[8] Innoc. XIII, Const. « *Apostolici ministerii* » 23 Maii 1723, § 13, confirm. a Benedict. XIII Const. « *In supremo* » 23 Sept. 1724; S. C. C. 24 Iul. 1875, in Act. S. Sed., VIII, p. 694 sq.; Conc. prov. Neogranat. (a. 1868), in Collect. Lac. t. VI, col. 483 sq.

[9] S. C. C. 16 Febr. 1867, in Act. S. Sed., III, p. 94 sq., iunct. II, p. 327 sq.; S. C. C. 24 Iul. 1875, l. c., IX, p. 116 sq.; *Lingen* et *Reuss*, l. c. p. 840 sq.

Actus, quos ex speciali commissione ponunt, attento can. 1096, videntur positi ex potestate delegata: immo ex citato canone soli vicarii cooperatores sunt qui possint ex iure communi accipere *generalem* delegationem ad assistentiam matrimoniis praestandam; quae generalis delegatio aliis dari non potest. Inde tamen non infertur talem delegationem ab ipsis haberi ex sola nominatione [10*]; sed tantum quod possint habilitari, sive per specialem actum parochi aut Ordinarii, sive per dioecesanum statutum, quo determinatus vicarius, v. gr. praepositus ecclesiae filiali, reddatur competens ad assistendum matrimoniis intra determinatam circumscriptionem ineundis.

Inter iura vicarii cooperatoris recensetur congrua remuneratio ea quantitate tribuenda, quam Episcopus pro suo prudenti arbitrio et conscientia convenientem iudicet. Quodsi ex iure speciali, v. gr. ex proprio beneficio, non iam certis et sufficientibus reditibus constet, imprimis ex bonis ecclesiae paroecialis est desumenda, aut ex fructibus beneficii aut ex obventionibus, vel illis deficientibus, parochiani ad praestandam congruam sunt compellendi [11]. Quoad taxas, obventiones et iura stolae, quae sunt stipendia personalia, aequum est ut de ipsis cooperatores participent ea proportione quae fuerit ab episcopo determinata.

Obligatio cooperatorum, cum non ipsis cura animarum directe et primario sit concredita, generatim in hoc consistit, ut parochum *adiuvent* in adimplendis suis obligationibus et eius *vices gerant*, cum necessitas aut iusta ratio id requirit [12]. Quare imprimis *resideant* [13] oportet in paroecia iuxta statuta dioecesana vel legitimas consuetudines, et negotia vi beneficii vel generali commissione sibi demandata sub directione et obedientia parochi curent.

[10*] Haec sententia est iam authentice confirmata per responsum Comm. Codicis d. 24 febr. 1942. Cfr. A. A. S. XXXIV, 50. Proinde vicarius cooperator vi officii, seu exclusione facta potestatis obtentae vel per statuta dioecesana vel per concessionem peculiarem Ordinarii vel per commissionem parochi, non potest valide matrimoniis assistere. Cfr. Sartori, Enchiridion canonicum, ed. 6ª p. 245; Period. XXXI, 195.

[11] Conc. Trid. Sess. XXI, cap. 4, 6, de ref.; cit. Const. Innocent. XIII.

[12] Cap. 6, X. de excess. V, 31; Conc. prov. Neogranat. (a. 1868), l. c.

[13] Cap. 6, X. de off. vic. I, 28; S. C. C. 13 Iul. 1743, in ed. *Richt.*, Conc. Trid. p. 37, n. 7; cit. resp. S. C. C. 14 Aug. 1863.

Quare residentia cooperatoris non regitur communibus legibus beneficii residentialis, cum ipsum ius remittat ad statuta dioecesana, laudabiles consuetudines et Episcopi praescripta, quae sicut non possunt vicarium ab omni onere residendi solvere, ita non videntur posse adstringere ad strictiorem residentiam quam illa qua tenetur parochus. Ius commendat speciali modo, ut cooperatores habitent in eadem domo cum parocho, cui ita datur opportunitas ut ipsos paterne instruat et in cura animarum dirigat, eis invigilet ac rationem de ipsis Ordinario quotannis reddere possit.

IV. **Remotio.** Cum libera deputatio cooperatorum paroecialium, ad nutum amovibilium, soli Episcopo competat, remotio etiam ad nutum Episcopi est permissa. Si tamen absque ulla iusta et rationabili causa, immo forte ex fraude et odio et cum gravi damno fieret, certe *illicita* esset dicenda; at nullitas ipsius generaliter asserenda non est. Contra huiusmodi illicitam remotionem ordinaria *appellatio proprie dicta* non est concessa, sed recursus ad S. Sedem cum onere probandi damnum illatum non negatur. Si remotio facta sit ex fraude et odio vel cum diffamatione et damno, eo quod v. g. sine ulla causa sufficienti decreta fuerit vel absque *translatione* ad aequivalens fere officium ecclesiasticum [14], sustineri non solet.

Si autem vicaria sit beneficialis seu in beneficium erecta et in titulum data, vicarius non potest removeri nisi iis modis quibus potest parochus, sc. processu instituto sive criminali sive oeconomico seu summario remotionis. Illud solum est discrimen quod praeter causas quibus removeri potest parochus, vicarius etiam removeri possit ob gravem defectum debitae parocho subiectionis in exercitio suarum functionum (can. 477).

745. Scholion de praecedentia. Cum applicatio principiorum generalium de praecedentia can. 106 proposita aliquam afferre posset difficultatem relate ad vicarios paroeciales, determinata applicatio fit can. 478, iuxta quem:

1°) Sicut parochus ecclesiae cathedralis ita vicarius curatus Capituli omnibus aliis dioecesis parochis et vicariis praecedit. Aequiparatur parocho, a quo solo nomine differt.

---

[14] Cfr. *Bouix*, l. c. p. 397 sq.; *Leuren.*, l. c. P. I, q. 61 sq.

2°) Oeconomi praecedentia regitur principiis can. 106.

3°) Vicarii substituti et adiutores, dum in munere manent, praecedunt vicariis cooperatoribus.

4°) Vicarii cooperatores praecedunt ceteris sacerdotibus ecclesiae paroeciali addictis.

CAPUT XI

De ecclesiarum rectoribus (can. 479-486)

746. I. Notio. Iure Codicis nomine *rectoris ecclesiae* designatur *sacerdos, cui demandatur cura alicuius ecclesiae, quae nec paroecialis sit, nec capitularis, nec annexa domui communitatis religiosae, quae in eadem officia celebret.*

Praeter ecclesias stricto sensu necessarias, quales profecto sunt cathedralis, capitularis, paroecialis et regularis, aliae multae existunt, quae extructae sunt pro maiore commoditate aut omnium fidelium aut certae fidelium classis; et licet functiones paroeciales ad ecclesiam paroecialem pertineant, plures sunt functiones sacerdotales, quae a sacerdotibus non parochis peragi possunt in praedictis ecclesiis, sive pro maiore extensione cultus divini, sive pro maiore fidelium utilitate. Pro huiusmodi ecclesiis tradi in Codice speciales leges perutile fuit.

Cum rectoribus huiusmodi simplicium sive minorum ecclesiarum affinitatem habent *cappellani* seu sacerdotes, qui spiritualia quaedam servitia praestant in favorem religiosarum, sodalium virorum religionis laicalis, aut alicuius confraternitatis vel piae associationis. Pariter *cappellani* nomine designari solent sacerdotes divina stabiliter celebrantes in carceribus, nosocomiis et domibus piis.

Scholion. Quoad cappellanos ius hoc loco remittit ad alios canones: *a*) Relate ad cappellanos religionis laicalis alibi reperitur can. 529, quo edicitur ad Ordinarium loci spectare talibus religiosis sacerdotem a sacris designare, si non sint exempti; si exempti sint ad Superiorem regularem, cuius negligentiam supplet Ordinarius. Praeterea can. 1230, § 5 cappellano attribuit ius peragendi exequias religiosae, parochi iurisdictioni non obnoxiae, etsi ab Ordinarii loci iurisdictione non exemptae [1*].

b) relate ad cappellanum piae associationis can. 698 § 1 ius illum nominandi tribuitur loci Ordinario, nisi agatur de associationibus a religiosis erectis in propriis ecclesiis, quo in casu solum requiritur consensus Ordinarii, si cappellanus nominetur ex clero saeculari.

747. II. Nominatio rectoris ecclesiae. In genere nominatio libera rectoris ecclesiae pertinet ad loci Ordinarium, ex generali principio quod exercitium cultus divini subest iurisdictioni ipsius Ordinarii. Illud ius nominandi potest esse limitatum, si aliis legitime competat ius aut eligendi aut praesentandi cappellanum; quo in casu Ordinario loci saltem manet reservatum ius sacerdotem electum vel praesentatum approbandi, immo et dandi ipsi veram institutionem canonicam, si munus rectoris sit erectum in verum beneficium ecclesiasticum seu ecclesiasticam cappellaniam.

Si tamen ecclesia ad religionem exemptam pertineat, rector a Superiore nominatur et approbatur ab Ordinario loci (can. 480 § 2).

Si ecclesia sit coniuncta cum Seminario aut cum collegio quod a clericis regatur, rector ipse Seminarii vel collegii est rector ecclesiae, nisi aliter ab Ordinario loci fuerit constitutum.

748. III. Iura rectoris. Supposito quod ecclesia, de qua agitur, ad ecclesiam paroecialem non pertineat [2], rector ab Ordinario independenter a parocho constitutus administrationem ecclesiae et curam sacrarum functionum, quae in ipsa peragantur, habet sub dependentia ipsius Ordinarii ad normam iuris communis, non sub dependentia parochi.

In particulari: *a*) Rectori prohibetur ne in ecclesia sibi commissa peragat functiones paroeciales in can. 462 enumeratas; (cfr. can. 481);

b) cetera divina officia etiam sollemnia celebrare potest,

[1*] Comm. Codicis declaravit d. 31 ian. 1942 ius funerandi *moniales* ab Ordinarii loci iurisdictione non exemptas competere cappellano. Cfr. A. A. S. XXXIV, 50; Period. XXXI, 194.

[2] Ecclesia aliqua aut publicum oratorium intra ambitum paroeciae existens nonnunquam plane dependet a parocho etiam quoad functiones mere sacerdotales seu non paroeciales, si scilicet annexae sint ec-

modo non obstet lex fundationis, aut per celebrationem determinatae sollemnitatis nocumentum inferatur ecclesiae paroeciali. In dubio utrum huiusmodi nocumentum contingat, Ordinarii loci est rem dirimere atque opportunas normas praescribere ad illud evitandum (can. 482).

c) Si ecclesia ita a paroeciali distet, ut, prudenti Ordinarii loci iudicio, paroeciani non sine gravi incommodo paroecialem ecclesiam adire possint ut in ea divinis officiis intersint: 1°) Potest Ordinarius loci ecclesiae rectorem etiam per poenas graves cogere, ut officia divina celebret horis populo commodioribus, ut fidelibus dies festos ac ieiunia denuntiet, ut catecheticam instructionem et explicationem evangelii tradat; 2°) parochus potest sanctissimum Sacramentum inibi forte asservatum pro infirmis desumere (can. 483).

d) Sine licentia saltem praesumpta rectoris aut alterius legitimi Superioris, nemini licet in ecclesia Missam celebrare, sacramenta ministrare, alias functiones sacras peragere; quae licentia dari aut negari debet ad normam iuris. Cfr. can. 404, 872.

e) Conciones si in ecclesia haberi debent, a rectore ipsius multo magis observandae sunt iuris normae can. 1337-1342 propositae, quae vel ipsos parochos obligant (can. 484).

749. IV. **Officia rectoris.** Rector ecclesiae, sub auctoritate Ordinarii loci, servatis legitimis statutis ac iuribus quaesitis, curare debet: *a*) ut divina officia ordinate et secundum sacrorum canonum praescripta in ecclesia celebrentur; *b*) ut onera, v. gr. ex piis fundationibus ecclesiae incumbentia, fideliter adimpleantur; *c*) ut bona rite administrentur; *d*) ut sacrae suppellectili atque aedium sacrarum conservationi prospiciatur; *e*) ut nihil in ecclesia fiat, quod sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo repugnet (can. 485); *f*) si Episcopus praescripserit ad normam can. 1345, debet in missa cui fideles adstant diebus festis de praecepto brevem Evangelii aut doctrinae christianae explicationem proponere.

750. V. **Remotio.** Rectorem ecclesiae, si sacerdos saecularis sit, potest Ordinarius loci ad nutum removere ex qualibet iusta causa, tametsi ab aliis electus aut praesentatus fuerit, quo in

---

clesiis paroecialibus vel in ipsa sua erectione constitutae fuerint dependentes ad his ecclesiis.

casu de remotione monere debet eos qui ius eligendi aut praesentandi habeant. Quae libera ad nutum remotio non videtur extendenda ad casum, quo officium rectoris ecclesiae esset verum beneficium collatum in titulum (cfr. can. 477, § 2).

Si rector sit religiosus, eius remotio subest regulis can. 454, § 5 traditis de remotione parochi religiosi, i. e. removeri ad nutum potest tam a loci Ordinario, monito Superiore, quam a Superiore, monito Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu.

A. M. D. G.

APPENDIX ET INDICES

APPENDIX

751.* *Can. 98 § 3.* Decreto S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, dato d. 23 novembris 1940, denuo est reservata uni S. Sedi concessio facultatis transeundi ab uno ad alium ritum, sive de clericis sive de laicis agatur, abrogata expressis verbis potestate qua ex Decreto « Nemini licere » gaudebant antea Nuntii ac Delegati Apostolici. Cfr. AAS. XXXIII, p. 28; Period. XXX, 133.

Can. 138, 139. Clerici ac religiosi, attentis praescriptis utriusque huius canonis, districte prohibentur quominus procedant ad *Radiaesthesiae* scrutationes circa personarum circumstantias et eventus divinandos. Qui in hac re gravibus incommodis aut scandalo locum dederint vel recidivi fuerint ad Supremum Tribunal S. Officii sunt ab Ordinariis vel Superioribus religiosis deferendi. Decretum S. Officii d. 26 mart. 1942; AAS. XXXIV, 148; Period. XXXI, 279.

Can, 199 § 1. Intra proprium territorium possunt Ordinarii locorum constituere delegatum ad universitatem negotiorum. Sed in hac delegatione non continetur neque contineri potest licentia generalis ad assistendum matrimoniis intra illud territorium celebrandis; obstat enim canon 1096 § 1, cuius prohibitio afficit Ordinarios locorum aequo modo ac parochos, ut patet ex paragrapho secunda praecedentis canonis, quae expresse citatur in praedicta prohibitione. Comm. Codicis, d. 25 ianuarii 1943; AAS. XXXV, 58; Period. XXXII, 291.

Can. 280, 347. Archiepiscopus Metropolita praecedit intra propriam provinciam omnibus Archiepiscopis et episcopis, non excepto ipso Ordinario dioecesis suffraganeae intra proprium territorium. Sed extra provinciam ecclesiasticam non praecedit, qua Archiepiscopus Metropolita, Archiepiscopis non Metropolitis, quippe qui versantur in eodem ordine et gradu. Comm. Codicis, d. 5 augusti 1941; AAS. XXXIII, 378; Period. XXXI, 190. Eadem regula videtur applicari debere, si ageretur de praecedentia sta-

tuenda inter Archiepiscopos, sive Metropolitas sive carentes Episcopis suffraganeis, et Archiepiscopos titulares.

Can. 420. Capitularis absens a choro, dum munere iudicis synodalis fungitur, lucratur distributiones quotidianas, *etiamsi peculiarem retributionem ratione huius muneris percipiat;* nulla enim exceptio statuitur in § 1 n. 14 huius canonis. Resolutio S. C. Concilii d. 14 febr. 1942; Tergestina - Distributionum, AAS. XXXIV, 299; Period. XXXI, 371. Haec resolutio apprime cohaeret cum declaratione Commissionis Codicis circa eos, qui docent sacram theologiam aut ius canonicum in scholis ab Ecclesia recognitis.

Can. 421 § 1, 1°. Ut ii, qui de licentia Ordinarii loci publice docent in scholis ab Ecclesia recognitis, excusentur a choro cum iure ad percipiendos praebendae fructus sufficit ut doceant aliquam ex disciplinis per statuta praescriptis in facultate sacrae theologiae vel iuris canonici. Nec perceptio retributionis peculiaris pro lectionibus obstat iuri hoc loco eisdem concesso. Comm. Codicis, d. 24 novembr. 1920; AAS. XII, 573; Period. X, 249.

Can. 422 § 2. Ecclesiae statuta, *post Codicem i. c. promulgata,* nequeunt privare iubilatos distributionibus inter praesentes, quas expresse concedit eis ius commune in hoc loco. Resolutio S. C. Concilii, d. 22 febr. 1942, Archidioecesis T., Distributionum inter praesentes; AAS. XXXV, 182.

Can. 1435 § 1 n. 4. Beneficium, cui renuntiatur *intuitu* alterius beneficii reservati obtinendi, manet eo ipso Apostolicae Sedi reservatum, etiamsi sacerdos tempore vacationis beneficii reservati sit iam per renuntiationem, legitime factam et acceptatam, beneficio ab eo antea possesso expers. Sufficit ergo ad reservationem beneficii possessi resignatio eiusdem facta *intuitu* alius beneficii reservati assequendi; secus actio dolosa commodum decipientibus afferret. Resolutio S. C. Concilii d. 20 decembr. 1942, Romana, Reservationum Apostolicarum; AAS. XXXV, 148.

INDEX CANONUM

INDEX INTERPRETATIONUM AUTHENTICARUM

INDEX ALPHABETICUS RERUM

(Indicantur numeri marginales)

CORRIGENDA

Pag.	lin.	legitur	debet legi
82	21 :	expectabat	spectabat.
123	20 :	diocesano	dioecesano.
176	24 :	civibus	civilibus.
191	30 :	diocesis	dioecesis.
201	12 :	usitate	usitatae.
249	11 :	historiae	historicae.
264	20 :	commune	communi.
357	14 :	cclesiasticus	ecclesiasticus.
373	20 :	c. 141	c. 1471.
383	36 :	extraordinaris	extraordinariis.
393	4 :	benefica	beneficia.
407	22 :	(c. 1487). 1487).	(can. 1487).
412	15 :	Romano	Romani.
432	5 :	371,	371.
432	9 :	sanctio.	sanctio,
473	18 :	not. 93	not. 39.
473	17 :	1659	1059.
500	24 :	abstrictus	adstrictus.
604	20 :	(c. 253).	(c. 253),
606	4 :		Art. 2 - De tribunal. C. Rom.
607	31 :	officiale	officiales.
608	1 :	maior	maiore.
617	20 :	Caput VI	Caput V.
633	1 :	» VII	» VI.
638	16 :	Pii VII	Pii VI.
712	5 :	332	322.
713	40 :	iun.	ian.
832	16 :	restaturata	restaurata.
866	3 :	qui	quin.
910	3 :	remedia	remedia adhibita.
920	19 :	genere.	genere,
936	32 :	processiones.	processiones,
942	2 :	facienda	faciendam.
945	3 :	paroocia	paroecia.
948	12 :	coecitas	caecitas.